

Alma
Roma

13-14-15
1926
1927
1928

AVN

PER II

AM.ROT

1926-


1928





ALMA ROMA

PER. IT.
ALM. ROM
1926-1928

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



C. DEL VECCHIO.



41
NN. XIII - FASC. I

MENSE Ianuario MCMXXVI

ALMA ROMA


PER. 17.
ALM. ROM
1926-1928



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



C. DEL VECCHIO.




ALMA ROMA

PER. II.
ALM. ROM
1926-1928

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



C. DEL VECCHIO.



ALMA


ROMA

PER. IT.
ALM. ROM.
1926-1928



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina col-
loquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae
fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ
lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Sin-
gulæ lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
premium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt premium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; premium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim premium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis ann. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

“ ALMA ROMA „ IN ANNUM MDCCCCXXVI

Mos iamdiu apud nos invaluit, ut in primo « Almae Romae » cuiusque anni fasciculo explanaremus quam provinciam et quod iter in ipso anno suscipienda distinete nobis proposuerimus, quae ad metam illam, animo a nobis conceptam quum opus latine edendi commentarii aggressi sumus, propius adducere viderentur.

Quem finem repetere iuvat fuisse supremum, re et exemplo ostendere latinam linguam, vel ipsis nostris diebus, sese exhibere amplissimam semper, mobilem, flexibilem, aptissimamque, sine integratatis suaे vitio, ad omnia exprimenda vel hodiernae vitae rebus et moribus necessaria, ita ut revera haberi facile possit tamquam lingua, doctorum saltem viorum, universa.

Atqui ab aliquo tempore, neque sine animi iucunditate, ab ipsis in scholarum secundi ordinis non in Italia tantum sed per orbem late renovatis studiis, provehendae latinitatis desiderium, et fere dicamus necessitatem quamdam comperimus, cui quidem eo magis obsecundandum per nos erit, usque dum suppeditare licebit. Hinc et proximi laboris nostri facilis prospectus: tum scilicet argumenta omnis generis tractare, quae divitias illas latini sermonis demonstrent, de quibus superius mentionem fecimus, tum in peculiaribus illis insistere, quae non modo ad latine cum venustate scribendum, sed non minus ad latine loquendum expeditius conductant. Mens itaque nobis est, post *Parvum* illud *Antibarbarum* expletum, in quo dum in vitium sive infimae, sive corruptae ac depravatae latinitatis invehitur, amplissima dicendi copia suppeditatur, quodque in proprium volumen ad studiosorum commodum colligemus, *Communia illa vitae* resumendi et prosequendi, sive eo quem iam non sine successu

tentavimus more; sive vocabula et phrases per argumentorum nomen claturam notando; sive denique per colloquia distribuendo, ad normam promptuariorum, uti vulgo appellantur, illorum, quae in viatorum comodum variis linguis exarata ubique inveniuntur. Candide fatemur, de una vel altera ratione sumenda nos dubios haerere; gratiam itaque iis habebimus, qui propensionem suam de re nobis aperiant, atque simul ad opus perficiendum consilia sua perhibeant.

Ne tamen colloquia ipsa in commentario interim desint, edenda passim curare pergemus selecta ex iis, quae maiores nostri composuerunt et adhuc moribus nostris aptari possint; itemque libenter in nostras paginas accipiemus quae, a sociis et lectoribus missa, cum Commentarii nostri stilo atque natura congruere videantur.

Quo autem latinae linguae flexibilitatem re magis ostenderemus, tum veterum tum recentiorum ex omnibus populis scriptorum excerpta vulgabimus ab exterorum sermone in latinum conversa, dum *Sociorum epistolare commercium* continuabimus, maxime in studiorum utilitatem circa nova verba ad novas exprimendas res inducenda, non una sociorum, qui in certamen iam descenderunt, opera, quam cōfidimus et in posterrum non defutaram, sed aliorum quos scimus ad eam esse accessuros.

Mirabitur fortasse quispiam quod nos ad Commentarium nostrum redigendum externam cooperationem hoc anno intentius sollicitemus.

In huiusmodi vero consilium dupli ex causa devenimus, tum nempe ut velatas vires ad sese expromendas incitaremus, atque item ostendetur non tam exiguum iam esse eorum numerum qui latinam linguam nostris diebus exercere valeant, tum ut agmen nostrum reficere possimus vigiliis iis, quas atra mors subtraxit et heu! in dies subtrahit. Naturae enim concedendum singulis viventibus est, nec post triginta circiter annos in campo actos - (totidem enim fluxere a primo latino commentatorio «Vox Urbis» condito, in quem labores nostros impendimus, ad «Almae Romae» hosce dies) - quemquam ludere spes debet fore ut longius ultra in campo ipso accensam facem et inclytum vexillum antiquis viribus extollere queat, atque proinde oportere ut ii patefiant, qui in locum sufficientur.

At auxilium alterum invocamus; ut socii singuli praeconis latinitatis nostri ipsi vicissim praecones fiant, summopere nitentes ut socios novos «Almae Romae» procurent, quemadmodum nonnullis superiore anno pro sua humanitate iam effecerunt; quibus gratias ex animo habemus et publice hic referimus, nobis et operi nostro ominantes, ut eae, longeque ampliores, proxime in his paginis iterare nobis liceat.

Quod autem consociationis pretium in hunc annum constitutum fuerit, id in superiori mens. Decembribus MDCCCCXXV fasciculo declaravimus; sufficiat igitur tantum repetere, ipsum pro Italia esse libell. 15;

pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada doll. 3; pro exteris nationibus summam italicas libellas 30 exaequantem. In *Patronorum* autem Commentarii nostri numerum adscribetur, qui summam libellas italicas 100 exaequantem miserit, vel socios novos quinque saltem adportaverit.

In eodem pariter Commentario invenitur ratio cum officina libraria Taurinensi Petri Marietti inita, per quam quisque possit «Almam Romanam» etiam gratuito habendi; in secunda autem operculi pagina huius fasciculi favorabiles conditiones indicantur, quibus opera nonnulla et integra «Almae Romae» collectio apud nos venum dentur.

Ad ultimum memorare iuvat immutatas manere binas illas consociationis leges:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui «Almae Romae» specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit* - (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico curso tradita recusanter, gratuito ea mittenti restituuntur), - *tamquam socius valide reputabitur.*

Valete interim vos qui legistis, et vosmet rebus servate secundis!

ALMA ROMA.

De latinarum litterarum historia piaelectiones¹

II. - In sexto Linguae Latinae libro loquitur Varro *de civilibus dierum vocabulis*, incipiens ab iis qui Deorum causa instituti sunt. Inter ceteros (§ 16) *Vinalia* memorantur «a vino»; cuius rei cura non levius erat in Latio; nam aliquot locis vendemiae primum ab sacerdotibus publice fiebant, ut Romae Varronis tempore; nam, ait, flamen Dialis auspicatur vendemiam, et ut iussit vinum legere, agna Iovi facit, inter quoius exta caesa et porrecta (sic legendum non projecta, v. MACR., 3, 2, 2) flamen primus vinum legit. Et in Tusculanis hortis ait scriptum esse: *Vinum novum ne vehatur in urbem antequam Vinalia kalentur.*

¹ Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXXV

Novum vinum alio etiam die (§ 4) memoratur, eo qui appellabatur *Meditrinalia*,¹ dictus a medendo, quia Flaccus flamen Martialis dicebat hoc die solitum vinum novum et vetus libari et degustari medicamenta causa; quod, pergit Varro, facere solent etiam multi cum dicant: *Novum vetus vinum bibo, novo veteri vino morbo medeor.* Etiam Festus hac re consulendus est, qui s. v. *Meditrinalia* (Tewrek, p. 88) haec scribit: «Meditrinalia dicta hac de causa. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, dicere omnis gratia: *Vetus novum vinum bibo; veteri novo morbo medeor.* A quibus verbis etiam Meditrinaliae Deae nomen conceptum,

¹ Is dies erat undecimus Octobris mensis, ut apparet in Fastis, cfr. ROSCHEN, *Lexicon mythol.*, s. v. *Meditrina Dea*.

eiusque sacra Meditrinalia dicta sunt. » En igitur aliud rusticum carmen, a Varrone et Festo nobis servatum; cuius formula Festiana melior certe est, in haec colla distributa:

*vetus novum - vinum bibo
veteri novo - morbo medeor,*

uti et παρίχησιν seu alliterationem, et numerum binorum ictuum in singulis colis audias licet. Sensus certe est, *vetus vinum veteri morbo, novum vinum novo morbo medicamento esse*; patet igitur in formula Varroniana illud *vino de altera parte interpolatum esse.*

In superiori praelectione, monuimus, multa priscos Romanos sumpsisse tum ex Graecis Inferioris Italiae, tum praesertim ex Etruscis, sub quorum dominatione aliquantisper fuerunt. Iam memoravimus Fescenninos versus ex Fescennio Etruscorum urbe ductos; nunc tempus est de iis fusius loqui. Praecipuus notitiarum fons est celeber Horatianus locus in prima II libri epistola (138 et sqq.).

*Carmine Di superi placantur, carmine Manes.
Agricolae prisci, fortes paroque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris et coniuge fida,
Tellurem porco, Stivatum lacte piabant,
Floribus et vino Genium, memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec iam saevus apertam
In rabiem coepit verti iocus et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacescit, fui intactis quoque cura
Condicione super communi, quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi; vertere modum formidine fustis
Ad benedicendum delectandumque redacti.*

En habes hic non solum rustica carmina, ut ante, sed rustica opprobria *versibus alternis* fusa, dialogum igitur¹, et

¹ Cfr. Liv., 7, 2, 7: *Non fescennino versu similem incompositum temere ac rudem ALTERNIS iaciebant...*

iocum alterna opprobria fundendi. Ex hoc more comoediae genus fluxisse, non est qui non videat. Neque est qui ignorat, id di- cicitati et facetiarum amori, *Italo* demum *acetō*, acceptum esse referendum. Quod quidem non Italorum solum proprium est, neque alienum a Graecis, nam Aristophanea comoedia et cynicorum diatribae unde nisi ex hoc sensu et animo ortae dicentur? Sed Italorum quis neget hunc facetiarum leporem praecipuam esse virtutem? A qua quum non essent alieni Fescennii incolae, ecce rusticus mos opprobria alternis ver- sibus fundendi, ab iis ad latinos agricolas propagatus est. Nam interpretatio Fescen- ninorum ut versum qui *fascinum* puta- rentur arcere, quae interpretatio a Festo memoratur,² iam ob ipsas latini sermonis leges explodenda videtur. *Fescennini* contra a *Fescennio* iure derivantur, ut ab Ar- retio Arretini, a Sutrio Sutri et similia. Vergilius quoque inter milites, V^o *Aenei- dos* (695), Fescenninas acies memorat ae- quosque Faliscos.³ Ad Horatium redeentes, primam historiam huius generis animad- vertamus; nempe Fescenninam licentiam ab amabili lusu paullatim in rabiem esse conversam, per honestas domos minaciter discurrentem; tantum ut lex et poena cito ferretur, mala carmina prohibens. Iam in medium protulimus XII tabularum frag- mentum ad eum qui malum Carmen incan- tassit pertinens, quem scimus fusti ad mortem percuti consuevisse.

Procedente tempore ad *nuptialia car- mina* videmus Fescenninam licentiam adhiberi; et Catullus poëta nuptias cele- brans Manlii Torquati et Viniae Auruncu- leiae, post invocatum Hymenaeum Hyme- nen, bonae Veneris ducem bonique amo-

¹ FESTUS (p. 85 M = 60 T de P.): *Fescennini versus qui canebarunt in nuptiis, ex urbe Fescennina dicun- tur allati, sive ideo dicti quia fascinum putabantur arcere.*

² Servius ad hunc locum: *Fescennium oppidum est, ubi nuptialia inventa sunt carmina.*

ris coniugatorem, post invitatam novam nuptam ut prodeat paterna domo, pueros hortatur ut faces tollant, ut in modum nuptialia carmina concinent,

*Ne diu taceat procax
Fescennina iocatio.¹*

In morem scilicet venerat ut epithalamia concinentes licentiosius iocarentur de futuris novae nuptiae amoribus.

In Senecae *Medea* Chorus primum actum claudit epithalamium concinens de nuptiis *Iasonis et Creusae*; iuvenes igitur invitans ad carmina, ait:

*Concesso, iuvenes, ludite iurgio;
Hinc illinc, iuvenes, mittite carmina;
Rara est in dominos iusta licentia...*

Et:

*Festa dicax fundat convicia Fescenninus;
Solvat turba iocos...*

A Seneca ad Lucanum trānseō. Hic, in secundo *de bello civili*, de nobilissima Mar- cia loquens, quae postquam a Catone Uticensi tr̄s liberos suscepserat, post, concessa Q. Hortensio, per aliquot annos cum eo vixerat, denique, mortuo Hortensio anno a. Cr. quinquagesimo, iam imminentे ci- vili bello in domum Catonis, iterum recipi rogaverat,² tam seras nuptias non nuptias narrans, ait:

*Non soliti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.
(II, 368-9)*

Ubi animadverte, lector: *mos sabinus* idem est ac *Fescenninus*, quum Fescen- nium urbs, apud Tiberim sita, non longe a Soracte monte, Sabinorum regionem proxime contingeret.

Temporibus sequioribus, Hadriani ae- late, ANNIANI cuiusdam Fescennini me-

morantur, iudicra carmina, certe de nup- tiis. Falerii natus, *docta Falisca* quaedam scripsisse dicitur a Terentiano Mauro (*Gram. Lat.*, Keil., 6, 379 et 385) et metri quoddam genus, *Faliscum carmen* inscriptum, ei tribuitur a Mario Victorino (*G. L. K.*, 6, 122, 12) – Notiora sunt quarti saeculi Antonianus *Cento nuptialis*, et Claudiani *Fescennina*. Cento Ausonianus ab ipso auctore dicitur frivolum et nullius pretii opusculum; solius enim me- moriae negotium esse sparsa colligere et integrare lacerata, rem magis ridendam quam laudandam; sed iussu Valentinianni imperatoris se fecisse ut Vergilii hemistichia ad canendas nuptias conglutinaret. Ut ut est, post celebratam nuptialem ce- nam, post descriptos egredientes sponsos, post oblationem munerū et epithalamii cantum, denique post ingressum in cubi- culum, parec basin adiungit, « quoniam, inquit, et Fescenninos amat celebritas nuptialis verborumque petulantiam notus vetere instituto iocus admittit ». Qua pa- recbasi talia produntur, ut Ausonijs fateat- tur, bis se erubescere quum Vergilium non solum depopuletur, sed et faciat impud- entem. – Denique Claudio Claudianus, exente saeculo quarto, *Fescennina* com- posuit de nuptiis Honorii Augusti et Ma- riae Stilichonis filiae. Qui versus multo ca- stigationes sunt quam Ausonii. Satis est poëtae ad solita ioca invitare:

*Ducant per vigiles carmina tibiae.
Permissisque iocis turba licentior,
Exsultet tetricis libera legibus.
Passim cum ducibus ludite, milites,
Passim cum pueris ludite, virgines.
Haec vox aetheria insonet axibus,
Haec vox per populos, per mare transeat:
* Formosus Mariam dicit Honorius.*

Ubique sermo est de turba licentiosa, de iocis permissis, de severae legis silentio, quod veterem Fescenninam licentiam re- vocat.

Hucusque de nuptialibus Fescenninis; quaeritur an sermo sit de his carminibus

extra nuptias. Responsum dabit Macrobius (*Sat.*, 2, 4, 21) narrans: «Temporibus triumviralibus Pollio, cum Fescenninos in eum Augustus scripsisset, ait: *At ego taceo, non est enim facile in eum scribere qui potest proscribere*. Fescenninos igitur in Pollionem scripserat Octavianus, non certe nuptiales, at iocosos et maledicos; unde concluditur, Fescenninos apud Romanos, in quemcumque usum adhibitos, nulla non aetate dicacitati serviisse, ingenitam servantes indolem. Hactenus de Fescenninis.

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINUS.

DE STEPHANO SZÉCHENYI DEQUE «ACADEMIA SCIENTIARUM HUNGARICA» AB EO CONDITA

In paginis fastorum Hungaricorum, praesertim si recentiorem Hungarorum aetatem respicias, vix diem maioris momenti invenias ea, qua Stephanus e comitibus Széchenyi sodalitatis eruditorum, quae Academia dicitur, fundamenta iecit. Quae res, universis plaudentibus legatis comitiorum legibus ferendis Hungaricorum, Posonii (*Pozsony*) a. MDCCXXV facta est, quum iam virorum in Hungaria doctrina clarorum patriaeque amantissimum diu esset in votis; in quibus principem locum obtinet Ioannes Apécai Csere (MDCCXV-MDCCLIX), qui in opere, quod *De studio sapientiae* inscribitur, latino sermone exarato, ideo cives suos parvum in litterarum studiis profecisse dixit, quod Academiam non haberent. Eodem fere modo querebatur etiam Georgius Besenneyi, unus de custodibus corporis Mariae Theresiae regis Hungarorum, in opusculo, quod Nicolaus Révai, doctissimus ille grammaticus Hungaricus, edidit Vindo-

bonae a. MDCCXC: «*Erigendae Sodalitatis eruditorum Hungarorum prospectus*».

In Transilvania (*Erdély*) Ignatius e comitibus Batthyány, Albae Iuliae (*Gyulafehérvár*) episcopus, et Georgius Aranka operam dabant, ut coetum quemdam ad linguam patriam excolendam instituerent; sed consilium eorum partim invidia aulicorum Vindobonensium, partim inopia pecuniae diremptum est, ita ut Sodalitas Hungarica Transsilvana tantum ad tempus sit constituta, et iam primo anno saec. xix desierit.

Gabriel Döbrentei summa ope nitebatur ut coetus a. MDCCXVIII revivisceret; sed gubernatores Transsilvani omnes conatus ingenii adeo timebant, ut a. MDCCXX ne huiusmodi conatus repeterentur, interdixerint. Quod sibi viri docti Transsilvaniae proponebant, id aliqua ex parte perfecit Georgius e comitibus Festetics (MDCLLV-MDCCCXIX), conditor primae in Europa scholae rei musicae, qui inde ab an. MDCCXVII usque ad an. MDCCXIX quinques scriptores ac poëtas provinciae Transdanubianae Keszhely in oppido hospitio haud mediocri exceptit, ut excolendis litteris et poësi operam navarent, et partim sua, partim aliorum poëmata, sermone Hungarico, Latino, Germanico declamarent. Ita dies festi qui Helikon Keszhelyiensis (*Keszthelyi Helikon*) nominabantur, orti sunt.

Acute itaque dixisse videtur Sigismundus e dynastis Kemény, subularum Romanensium scriptor egregius itemque estimator acerrimus, qui de Stephano Széchenyi haec fere habet: «Si Stephanus Széchenyi viae duces habebat, ii in iis viris pauperibus vitamque in egestate degentibus quaerendi sunt, qui constanter crederent linguam Hungaricam non fuisse, sed futuram esse; qui vitae iucunditates deponentes, gaudia speciei optimae quaerebant et litteras procreabant, quum legentes non habuissent; pugnabant pro

lingua renata fere alter alterius opera legendo, et quum iam viris gauderent, qui labores scriptorum laudare coepissent, ii solam memoriam praecursorum laudibus offerre potuerunt. Non est dubium quin linguae moderatores res necessarias renovatoribus rerum civilium praeparaverint».

Stephanus e comitibus Széchenyi natus est Vindobonae a. MDCCXCI, patre Francisco conditore Musei Patrii Budapestinensis, matre vero Iulia e comitibus Festetics. Familia nobilissima antiquissimaque semper insignis fuerat religione et fide in gentem et regem. Georgius Széchenyi (MDCLXXXV-MDCXCV) archiepiscopus Strigoniensis (*Esztergom*) scholas et sacra seminaria aedificavit, quin etiam ad arces Strigoniensem et Budensem restituendas haud exiguo sumptus fecit; Paulus vero episcopus Calocensis (*Kalocsa*) (MDCCXII-MDCX) non dubitavit dignitatem in discrimen committere ut conatus administratorum Leopoldi regis, quibus Hungaros legibus Germanicis subiicere vellent, a gente sua defenderet.

Pater filium suum optimis magistris erudiendum tradidit. Magistrum eiuslonge princeps fuit Nicolaus Révai e Scholis Piis, quem supra commemoravi.

Annorum quum esset duodeviginti, militiae nomen dedit et usque ad annum MDCCXXVI in armis fuit diversis in regnis. Interfuit pugnae ad Taurinum seu Arrabonam (*Györ*) anno MDCCXIX Cum legione sua et turma equitum Moraviam et Bohemiam peragrat; an. MDCCXIV cum exercitu Parisios intrat; insequenti anno interest certaminibus in Superiore Italia. Ob fortē animum iam a MDCCXI centurio factus est, neque tamen ultra annum MDCCXXVI merere in animo habebat.

Quum stipendia faceret et commeatus ei longiores darentur, magna itinera agebat primum quidem oblectationis causa, dein eum in finem, ut doctior evaderet,

cognitionesque rerum et hominum usu hauriret.

Anno MDCCXV in Galliam et Britanię, duobus annis post in Italiam et Graeciam se confert, quo in itinere prae-tervehitur oras Asiae Minoris et Bosphori Thracici. Postea circumivit Transsilvaniam et Hungariam, una cum Nicolao e dynastis Wesselényi, quocum in itinere Transsilvano consuetudinem coniunxit anno MDCCXXI. Magna ex parte pedibus, egestate pressus, iustrat Germaniam, Galliam et iterum Britanniam; anno MDCCXXV, una cum duce Paulo Eszterházy denuo Parisios et inde in Italiam Superiorem petit. Quae in diversis itineribus expertus erat, iis omnibus in rebus novandis civilibus et ad litteras agrosque colendos pertinentibus sapienter usus est.

Sic praeparatus ad rem publicam accessit anno MDCCXXV, tertio Non. Novembris, quum «Societatem Scientiarum» quam supra attigimus condidit, sexaginta millia florenorum in ea conferens. In rebus publicis id sibi proposuit, ut gens sua sine ullo tumultu pregrederetur, ut genus Hungaricum in Europa in tuto collocaretur, ut quae propria essent gentium ad Occidentem spectantium, ea populus Hungaricus animis imbiberet.

Quum consilia sua principi Metternichio displicuisse sensisset, penitus ad suum arbitrium ea quae iam diu mente agitaverat exequi aggressus est, quibus statum gentis suae novum tutumque redideret.

Anno MDCCXXVII opusculum, quod *De equis (Lovakról)* inscribitur exaravit ea praesertim causa, ut certamina equorum in suam patriam importaret. An. MDCCXXX ampliorem librum edidit *De fide (Hitel)*, quo opere luculento demonstrat Hungariam non fuisse, sed futuram esse.

Fieri non potest quin ea, quae in epilogi huius operis admiratione digna scripsit, sine animi commotione legamus:

« Per deos immortales - inquit - aperiamus oculos, utamur mente. Etiam nobis movendum est, sive voluerimus, sive noluerimus; et potius progrediamur, ne reprimamur... Equidem confiteor non me tam multum respicere, quam complures civium meorum res potius prospicere; non mihi tam cordi est, olim qui fuerimus, sed magis intelligere, posteris temporibus qui esse possimus, quive futuri simus. Praeteritis non imperamus: futura in manu nostra sunt. Ne simus igitur occupati in vanis recordationibus; sed potius nos amore patriae et fido consensu patriam nostram carissimam impellamus, quo pulchrius floreat. Multi Hungariam fuisse putant; equidem credere velim futuram esse ».

Opera reliqua Stephani Széchenyi majoris momenti sunt haec: *Mundus (Világ)* an. MDCCCXXXI, *Stadium*, an. MDCCXXXIII; quos libros Ioannes Arany, poëta Hungarorum clarissimus, in carmine quod inscribitur: *In memoriam Széchenyi (Széchenyi emlékezete)*, non manu scripos esse dicit, verum pyramidas tres usque ad caelum excedentes, quibus esse ab non esse distinguatur, extare.

Stephani Széchenyi in rebus civilibus summum principium erat, ut libertatem civilem antecederent et in tuto collocarent regni progressus in rebus concretis; eam ob rem Danubium et Tibiscum navibus perferendis aptos reddere voluit. Auspicio eius orta est « Societas Danubiana et Pelsonica navium vapore actarum ».

Quod bombyces coli coepti, quodque pontis ferreis catenis vinci (*Lánchid*) inter Budam et Pestinum fundamenta iacta sunt, eius libris, incondito quidem dicendi genere scriptis, sed granditate verborum et sententiis reconditis exquisitis numquam non abundantibus, accepta referimus.

Széchenyi quum vidisset gentis suaem maximam partem dicto Ludovici Kossuth audientem esse, timens, ne bene coepita sua in irritum caderent, edidit librum,

qui *Populus Orientis (Kelet Népe)* inscribitur (MDCCXL) quoque in rationem scribendi et agendi Ludovicum Kossuth, qui edendis actis diurnis, quae *Peti Hirlajo* dicuntur, praeerat, vehementissime inveniebat. At accusatione sui acerbissima, quod sibi poenae reddenda essent sortis gentis suaes, adeo conciebatur, ut in oppidum Döbling in aedes ubi homines mente capti continebantur et curabantur, sit portatus, ubi undecim annos una cum gente oppressa passus est.

Quum anno MDCCCLVII quidam liber sine nomine scriptoris monituque administrari Bach editus esset, qui sortem Hungarorum et rationem regendi illius temporis laudibus efferret, Széchenyi duobus annis post Londini librum typis mandari iussit, lingua Germanica exaratum; quem librum Maximilianus Falk « flagellum ex scorpionibus tortum » appellavit, quod acerbis facetiis esset refertus, et etiam viro perniciei fieret. Quia securitatis publicae custodes impedire non potuerunt, quominus liber pervulgaretur, vexare Stephanum cooperunt, et ipsa conclavia eius perscrutari.

Ita factum est, ut Széchenyius, animo fractus neque amplius quidquam se agere posse autumans, misere sibi ipse mortem consciverit; quod lugendum facinus Pascatis die an. MDCCCLX effectum est.

Quantum in litteris et rebus civilibus Hungaricis is profuerit postea videbimus.

Keszthely, mense Decembri MDCCXXV.

VINCENTIUS LAKATOS.

Novum certamen poetum latinum in Italia indictum.

Dum exspectamus ut Romani athenaei litterarum Facultas, quae dicitur, alterum latinae poësis certamen ex legato Ruspanino indicat, felix nobis nuntius afferetur, Rectorem Convictus, cui a Pedemontii

Principe augustum nomen, in Calabriae Italicae regionis oppido *Gerace Marina* siti, ad electorum ingeniorum stimulum et ad humanitatis studia excitanda, quae haud ignobilem in illa regione traditionem habuere, auctorem fuisse praemii singulis annis concedendi carmini illi latinis versibus exarato, quod victoram assequutum esset ex certamine, cuius leges constitutae sunt prout sequitur:

I - Certamen ipsum omnibus, tum Italis tum exterarum gentium scriptoribus, patetibit.

II - Carmina neve minus versibus quinquaginta neve magis struentur versibus trecentis; neve ab alia lingua translati exhibeantur, neve alibi edita.

III - Libertas amplissima conceditur tum de argumento, tum de numeris.

IV - Carmina, portabili prelo scripta, et sententia aliqua munita, quae super involucro sigillis ob signato repetatur, quum in ipso involucro tecta fuerint nomen, cognomentum, aetas, tituli atque domicilium auctoris, unica haec inscriptione militantur; *Direzione del Convitto « Principe di Piemonte » - Gerace Marina (Italia - Calabria)*, ante diem XXXI mens. Martii.

V - Praemium victoris erit numisma aureum, valore italicarum libellarum mille, dedita ad rem opera cusum, propriumque diploma.

VI - Praeter carmen praemio ita honestatum, et de aliis, quae laude digna inventa fuerint, mentio fieri poterit, singulique auctores testificatione membranaceae chartae tradita donabuntur.

VII - Carmina sive praemio sive laude distincta in vulgus edi poterunt.

VIII - Iudicium coetus tribus viris constabit, iisque auctoritate gravibus et in campo latinae poësis optime versatis.

IX - Huiusmodi coetus singillatim et coniuncte de exhibitis carminibus referet intra menses tres, a Kalendis Aprilibus.

X - A certamine omnino prohibebuntur, qui hisce legibus quovis modo non obtemperaverint.

Addamus, quamquam procul dubio id omnes sentiunt, nos huiusmodi certamine vehementer exsultare? At eo magis laetitia gestimus, quod viderimus iudicium coetum hoc anno a tribus clarissimis viris e nostra familia constitutum fuisse, scilicet Alafrido Bartoli, emerito latinarum litterarum doctore in R. Athenaeo Meli-

tensi; Marco Galdi, Magistralis R. Instituti Messanensis Praeside, et Francisco Sofia Alessio, cuius fama latini poëtae iam diu per orbem manavit. Restat omnem futurum, ut certaminis palma ab aliquo *Almae Romae* huius nostraræ socio aut lectore amplissime referatur.

A. R.

Novi anni salutationes boni ominis caussa.

Iam novus annus imminet calendis,
Quae licet hieme horridae recurrent,
Gestunt tamen advenire laetae.

Bona ergo auspicia afferunt, et unum
Quemque verba iubent bonis diebus
Fausta dicere, et invicem referre.

Quot cantant volucres tepente vere,
Quot frondes nemorum excutit november,
Quot caules riguis vigent in hortis,
Quot fert pisciculos Tibris minutos,

Tot per compita, porticus, tabernas,
Iactari prospera omnia audiuntur.
En hic patricias manus clientum
Angustare fores et alta inire

Cernis limina, nobili ut patrono
Effuse omnia fausta comprecentur.
Ast illic famulans cohors potentem
Longis obsequiis herum fatigat,

Centum et callida comprecatur annos.
Tum passim obvius obvium salutans,
Voices continuo bene ominatas

Refert. Hanc ego futilis negotii
Rem plenam esse puto atque ineptiarum.
Verum quid sapiens agas? Vetustus
Sic mos invaluit, vacare et isto

Haud pulcrum officio putatur. Ergo
Vos quoque hendecasyllabi pusilli,
Quamquam putiduli per et pusilli,
Ne sitis male rustici cavete.

Sed si forte aliquis benigne ocello
Vos adsperxit atque lectitarit,
Istaec dicite pauca: Te Puelus
Dius sospitet, usque det salutem,

Et sanam, hoc caput est, habere mentem.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

**De nonnullis verbis
in latinum sermonem inducendis.**

ANDREAE AVENARIO, s. p. d. EMMA-
NUEL JOVÉ.

Longum est, mi Andrea, meae ad tuas in respondendo morae caussas omnes refferre; quarum profecto haud ultima commemorationis mutatio, quae mense mihi constigit Augusto. Ephebi quidem nostrates in diversis adhuc Catalaunorum sedibus humanioribus erudiebantur litteris; nunc autem placuit universos in hanc Cervariensem congregare, quod plura omnis generis visum fuerit allaturum commoda. Vico igitur de civitate me cum discipulis Cervariam contuli, quae civitas, quamvis duplo minore gaudeat incolarum numero quam Vicensis, ex Philipea, quam habet, Academia, vel apud exteris clarissimum nacta est nomen. De ipsa meus in magisterio socius R. P. Franciscus Morán, ea qua pollet dicendi facilitate, longius forsitan disseret.

Scholasticus itaque labor ex triplicato alumnorum numero, cumulatus mihi est. Quare postquam religiosis domestici ordinis muneribus, neque iis paucis, satis fecerim, post quattuor in die scholas, me perpetuo admotum pluteo cernas rubris signando crucibus discipulorum pensa, quorum aliqua, id quod expertus sis, cursus dumtaxat initio, vere Calvarium referunt.

Scriptorum quibus exercentur in sermone Latino tria sunt genera. Alias *cotidianas* vocant, de quibus eximitur nemo; aliae *repetitionum* nomine veniunt, ad quas omnes coguntur qui prima vice optimam non adepti fuerint censuram; aliae tandem ab iis appellantur *gratuitae, ultraceae, spontaneae, subsecivae*, quae libero arbitrio factae praecitoribus emendandae traduntur. Sed quid in his moror? Ad no-

strum statim negotium, vobis nempe novatarum, iterum accedo.

«Incendiales» tuos ego simpliciter dicam «extinctores» (*bomberos*), sicut aratores appello eos qui quasi ex officio arare consueunt. Favet mihi et Cicero: «At tu eo ipso tempore apud socrum tuam... sedebas non extinxitor sed auctor incendii» (*Pis. II extr.*).

- Placet pro *relais* «mutatio» aut «substitutio equorum». Quid aliud est videlicet in re vehicularia? In re vero telegraphica «auctarium» magis dicam. Quum quidquam emimus id est *auctarium* quod iustum supra pretium additur; sic in electrico fluento, id quod vi ex se sufficienti superadditur. - «Turbinam» latine rectius «turbineam» dixerimus, subaudiendo machinam. - De «aerodromo» nulla difficultas; neque de «dentifice» si sermo sit de dentium artifice, unde et «dentificina» et «ars dentifica». «Dentarius» placet admodum pro dentium medico.

Nos etiam frigore nunc laboramus et sub nocte «lodicibus» operimur sive lanis sive byssinis; crassioribus autem «toralibus» utemur media hieme, quum frigus magis saeviat. - «Camisiola» est parva camisia. Iamvero de hac audi Hieronymum: «Solent militantes habere lineas suas *camisias* vocant, sic aptas membris et adstrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum vel ad proelia» (*Ep. 64, II*). Ex huiusmodi Hieronymi auctoritate vestem quae apud vos est, ni fallor, *Oberhemd*, apud nos *Camiseta*, «camisiam» appellare didicimus; quae si parva fuerit, puta puerorum, «camisiolam». - *Vorhemd* illud tuum «induculam» vocamus, sive ab induere manat, sive ab inducere. Ut quidquam tandem addam meum, «interulam» subiungam, quod quidem nomen vesti aptamus, quae inter subuculam atque externam tunicam frigoris etiam vitandi causa collocatur. - *Solea* tandem *pneumatica* sit tibi commodo, vel certe levamini. Vale.

Cervariae, in provincia Ilerdensi, III. Kal. Ianuarias MCMXXVI.

PRO IUNIORIBUS

PARVUM ANTIBARBARUM.⁴

Scienter (facere) - Scientem prudenter aliquid facere.

Scientiae - Doctrinae; Disciplinae.

Scholae elementares - Schola primordiorum prima, secunda, etc.

Scholaris - Auditor; Discipulus.²

Scopus - Finis; Propositum.

Scriptura sacra - Libri Divini; Sacrae Litterae.

Scrupulosum esse - Assidua scrupulorum molestia agitari; Variis scrupulorum molestiis torqueri; Conscientiae angore sollicitari; Religione occupatum animum habere.

Scrutinium (et etiam *Squittinium*) - Suffragium.³

Sculptor - Fictor; Qui signa fabricatur.⁴

Secretarius - Ab actis; Ab epistolis; A secretis; Scriba; Secretorum omnium arbiter; Scriniarius; Adiutor.⁵

Secum ipso (loqui) - In animo secum versare.

Secundo - Iterum.

Secundum (aliquem scriptorem) - Scriptore N. N.

¹ Cfr fasc. mens. Decembr. MCXXXV.

² Itaque: Sub alicuius disciplina esse; Alicuius auditorem (descripulum) esse; Aliquem audire. - Et etiam; Aliquem habere magistrum; Aliquo uti magistro (praecepte); Ab aliquo excoli (eruditio doctrina); Doctrinam haurire ab aliquo; Ab aliquo litteris (Alicuius praecesis) imbuji; Alicuius gymnasium frequentre (terere); et sim.

³ Itaque: Suffragium ferre; Suffragio comprobare. - *Scrutinator*: Suffragator.

⁴ *Ars sculptoria* - Ars singendi; Ars signa fabricandi; Ars statuaria.

⁵ *Secretarius Status Summi Pontificis*: Negotiis publicis praefectus - *Secretarius memorialium*: Summus scrianiarius [Pontificis] a libellis.

Secure - Sine periculo; Sine cura; Tuto.

Sedes (Sancta) - Pontifícia (Urbis; in Urbe) negotia.¹ - *Sede vacante*: Per interregnum.

Sedile - Subsellarium.²

Seducere - Illecebris irretire; Corrumperemores.

Sella gestatoria (Pont. Max.) - Hexaphoron.³

Semel aut bis - Semel iterumque.

Seminarium - Sacrum seminarium⁴.

Smote - Remotis arbitris.

Sensibile - Quod sensu percipitur; Quod sub sensum cadit; Sensibus subiectum.

Seorsim - Seorsum.

Separatio - Divortium; Dissidium.

Septentrionalis - Spectans ad septentrionem (ad septem triones)

Sequitur (inde; hinc; ex eo) - Ex quo (Ex eo) efficitur.

Sermonem (facere) Sermonem habere; Verba facere.

Servitudo - Servitus.⁵

Signatura (Apostolica) - Sacrum (Principis) consilium ad causas rerum iudicatarum dirimendas iudicibusque adsignandis.

Simonia - Rerum sacrarum nundinatio.⁶

(Ad proximum numerum).

I. F.

¹ Itaque: Curam agens ad negotia Urbis regia; Orator in Urbe (apud Pontificem Maximum) cum liberis mandatis; Regis orator apud Pont Max., etc.

² *Sedilia chori*: Summum templi subsellarium.

³ Exempl. a MORCELLIO: «Pont. Max. hexaphoro sublatus Sacramentum Augustum circumfert».

⁴ *Seminarium condere*: Domum iuventuti in Ecclesiae spem instituendae aperire. - *Rector Seminarii*: Rector alumnorum ecclesiae N.; Praepositus alumnis ecclesiae N. regundis. - *Director spiritualis Seminarii*: Magister pietatis sacro seminario excolendo. - *Theologiae magister in Seminario*: Doctor theologus alumnis sacri ordinis instituendis.

⁵ Pro «Famulorum numerus»: Familia.

⁶ Itaque *Simoniacus*: Rerum sacrarum nundinator.

ANNALES

Londinensis coetus.

Primitus superioris mensis Decembri diebus Londinum rerum exterarum administrari ex iis civitatis, quae foederis ad Locarnum initi auctrices fuere, convenirent, ut foederi eidem subscriberent. In iis Luther, Germanicae reipublicae « Cancellarius », fuit, qui non sine adversario rum obstaculis a publico legatorum coetu legibus ferendis pactionem ipsam ratam obtinuerat, pariterque mandatum pro Germaniae participatione cum Nationum societate. Sed tamen, postquam in patriam rediit, opportunum duxit sese a suo munere abdicare. Onus novi gubernii constituendi susceptum est a Koch, popularis (« democraticam » eam nuncupant) factio nis principe.

**

Nationum societas.

Nationis societatis Consilium Genevae congregatum efficere potuisse dicitur, ut in gratiam Graeci et Bulgari inter se redirent; Graeciae damnorum pensatione attributa, quibus Bulgaros affecit. Iudicium pariter protulit de vexata illa Mossul regionis quaestione, Irak regno regionem hanc addicens, dummodo Anglia mandatum, sibi ibidem iam assumptum, per annos quinque supra viginti renovaret; quod quidem statim efficere sategit, dum et cum Turcarum imperio, hac sententia haud certe contento, actitat.

Consilium praeterea Societatis Nationum - cui Locarnense foedus in custodi am traditum est - in diem xv proximi mens. Februarii conventum indixit coetus viorum, quibus paranda erunt prima colloquia ad viam sternendam, quae tandem aliquando ad aliquem exitum adducat nomen.

Gallicae res.

Gallia tum cum Turcarum imperio, tum cum Russia foedus ferauit, qua unaquaeque earum nationum sponderet, sese nunquam societatem aliquam, amicitias, pactiones coitaram, nullique militari aut oeconomiae actioni interfuturam, quae in mutuum damnum cederet.

Interim vero inquieta rerum conditio perdurat: alter alteri publicae pecuniae supremus minister succedit, neque ratio aliqua oeconomicas solvendi difficultates invenitur; Drusi in Syria, a Gallis lacesisti, acerrime ita refragantur, ut mulieres quoque arma destringant; in Mauritania Abd-El-Krim calliditate sua in id spectat, ut Gallos simul atque Hispanos remoretur.

**

Sinense bellum civile.

In Sinis civile bellum fuit. Contra Fang, de quo in superiore eventuum re censione nostra mentionem fecimus, tum Knoe-Sung Lin, et ipse e supremis militum ducibus, conatur ut gubernium ad Russorum « Sovietorum » similitudinem constituere valeat, tum Ciang-Tso-Lin Mancenses copias suas in agmina educit. Fang autem si alterum ad Tientsin, post urbem expugnatam, fudit, ab altero fusus est.

**

In Graecia; in Perside.

In Graecia, habito a factionum primis conventu, a Pagalos congregato, palam apparuisse dictitant legitimum, imo necessarium republicanum, quod vulgo nuncupatur, regimen.

In Perside Rex-Regum, Reza Khan electus est, cui nomen illa lingua impo suere: Scia Inscia Reza Scia Phalari. Hercle! haud breve neque prolatu facile nomen!

Ex aedibus Vaticanis.

Haud minore sollemni ritu, quam ut est auguratus, Pius XI P. M. sancti Iubilaei annum conclusit, sacro consistorio praemissio, in quo tum ad Purpuratorum senatum evexit Bonaventuram Cerretti, Archiepiscopum tit. Corinthiensem, Nuntium Apostolicum in Gallia; Henricum Gasparri, Archiepiscopum tit. Sebasensem, Nuntium Apostolicum in Brasilia; Patritium O' Donnel, Archiepiscopum Armachanum, et Alexandrum Verde, Adiutorem Sacri Consilii Ritibus tuendis praepositi; tum ut portas sacras in basilicis urbanis Paulina, Lateranensi et Liberiana, sive S. Mariae Maioris, suo nomine obstruerent, delegavit Purpuratos Patres Caietanum De Lai, Episcopum Sabinensem, Sacri Conlegii Subdecanum; Basilium Pompilij, Episcopum Veltinum, Basilicae Lateranensis Archipresbyterum; atque Vincentium Vannutelli, Episcopum Ostiensem et Praenestinum, Sacri Conlegii Decanum et Liberianae Basilicae Archipresbyterum, cui unica, quod ex historiis sciamus, sorte contigit, bis portam sanctam aperiendi et claudendi.

In eodem consistorio Summus Ecclesiae Pastor magni momenti orationem dixit, in qua, quum recoluisset labentis anni sancti splendidum in animorum salutem exitum et praecipuos eosque multiformes eventus qui successere, - ut honores beatorum sanctorumque caelitum praestantissimis virtutum laude viris feminisque decretos; ut res sacrarum Missionum publice ad spectandum exhibitas; et sexti decimi a Synodo Nicaena non in Alma Urbe tantum sed paene ubique gentium celebratam commemorationem: - « Videri potest - addidit - Spiritus Dei per orbem catholicum veluti circumvolitando fideles longe lateque diffusos afflatu suo tetigisse: atque inde factum, ut jii Divinum Pasto

rem ac Redemptorem animarum suarum audirent loquentem et agnoscerent in eius servulo et Vicario, a quo, per indictum sibi annum reconciliationis et gratiae, de vocabantur ad romanos fontes, ad Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, ad communem Patrem, ut reseratis eo tempore divinae clementiae thesauris fruerentur ». Secus haud facilia explicatu essent ea omnia, quae Ipsi per Annum Sanctum, hoc sane dignissimum nomine, cernere licuit, quum in admirationem novam perpetuo raperetur novoque afficeretur solacio. Etenim singulatim, catervatim, terra marique, alii alio vocationis genere, alii, ut veteres romae, pedibus plurium hebdomadum mensiumve iter facientes, confluxere peregrini undique, qua late orbis terrarum patet, ab ultima Thule ad Bonae Spei Promontorium, ab Scandinavia ad Australiam, ab Canadensisibus ad Chilenses regiones. Advenerunt ii quidem ad centena milia, ex omnibus gentibus, linguis et nationibus, ex summis et infimis humanae societatis ordinibus: Episcopi et sacerdotes, optimates et populares, oratores legibus ferendis et viri rei publicae regendae periti, milites et nautae, scriptores et artifices, magistri et adolescentium educatores, datores operum et operarii, fabricatores et agricolae, venerabiles senes et alacres iuvenes: « iuvenes, iniquimus, carissimi qui, cum a variis diversisque, regionibus in Almam hanc Urbem gregatim coivissent et gregatim heic incederent, festivitatem et robur, studiorum laborisque ardorem, fidem pietatemque suam magnifice piae peregrinorum pompae per easdem Urbis vias inter se occurrere, in easdem Basilicas congregari, circa eadem altaria congregare sese; in gravibus sanctissimisque cogitationibus defixi, incensis ad poenitendum et expiandum atque ad singularem pietatem religionemque ani-

mis, non terrenas quaerere opes, quibus homines dissociantur, sed spiritualia bona, quibus inter se coniunguntur; una simul orare, unusquisque pro omnibus et pro unoquoque omnes, vel qui paulo ante hostiliter se egerant, nunc tamen fraterna iterum necessitudine copulati atque in communis Patris, qui est in caelis, imploratione concordes. Idem deinde Nos invisebant in hac Nostra domo, immo in sua atque omnium quotquot habemus in universa familia catholica filios; huc sane ad centena, ad milia conveniebant, ut in paternam domum filii, quae iis cotidie perpetua vice succedentibus complebatur, Nobis incredibili quadam renovataque continententer voluptate gestientibus; porrectam autem a Nobis paternam praesentibus dextram, iidem et obtinebant osculis et saepissime lacrimis respergebant. Licuit praeterea pro iis et cum iis ipsis orare, dum sacra mysteria participantem commones semetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus suis Deo; licuit eorum delectari pietate, quum ab ore Nostro penderent, et benedictionem Nostram, tamquam ipsius Christi, positis genibus acciperent.

At vero non fides tantum, «sed excitata etiam est apparuitque fraterna ea caritas, quam proprium ac peculiare discipulorum suorum insigne Christus et esse voluit et fore edixit, simulque pietas illa in Romanam Ecclesiam et in communem fidelium omnium Patrem, quae est vinculum et signum unitatis. Qua ex tanta faustitate rerum bona utique, eademque certa, spes oritur, futurum, ut non modo haud parum gloriae Dei animarumque saluti accedat incrementi, sed etiam - addere liceat - multiplicita suppetant adiumenta ad veram pacem in populis atque inter populos provehendam, quam praeter alia, mens Nostra fuit ut catholici universi, Anno sacro, precibus suis a Domino implorarent». Hoc sese addere Pontifex edixit, quia nulli

obscurum putaret, pacem populis restitu facilius aptiusque non posse, quam ipsis cum Deo reconciliatis; quo in genere divina illa verba Sua fecit: «Misit me praedicare... annum Domini acceptum; ut praedicarem annum placabilem Deo „. Neque minus in comperto est, res et eventa, mirabili profecto congruentia, divinitus gubernari; quum Annus sacer populos caritate Christi Ecclesiaeque devinxerit precesque ex iis elicuerit ad pacem Christi in regno Christi assequendam, tum, pactis conventis initis, haud mediocriter ea incessum est pacificationis via, qua incedere oportet Christi Iesu Vicarius, ut communis omnium Pater, et monuit omnes et nulla unquam occasione monere destitit.

«Haec quidem commemoratu iucunda, - institit - atque etiam verissima factisque comprobata; non item illa, quae de Apostolica Sedis condicione a nonnullis nec legitimate nec veritati congruenter iactata publice sunt. Omnia fluxerunt, scilicet, hoc anno fauste ac feliciter; et quae ad civilis vitae commoditates pertinent, eo processerunt ordine omnia ac sine ulla poene exceptione, idque quum multiplices nationem premerent difficultates ut publicis et officiis et officialibus meritam sane laudem peregrini atque advenae tribuendam esse senserint. Atque rerum civilium ordo ne tum quidem defecit, quum nefarium illud tentatum est facinus, cuius ipsa Nos recordatio hodie perturbat, nisi quod ob superatum Dei beneficio discrimen et dolorem laetitia commutavimus et debitas Deo gratias egimus: quod utrumque, vel dolere vel laetari, eo magis Nos decuit, quo Nos celsiore in loco constituti conscientia apostolici muneris admonemur «reprobare malum et eligere bonum „. Ii nimirum quos penes summa rerum erat, satis ostenderunt se sentire quanto premerentur onere officii erga humani generis universitatem, quae ex omni terrarum plaga peregrinos in Italiam atque adeo in

Urbem submitteret: iidemque egregie confirmarunt quam et ea acriter perspicerent et recte aestimarent omnia, quaecumque sive nationis, sive Urbis decus atque utilitates postulabant. Iis igitur, pro egregia opera in huius Anni sancti faustum felicemque exitum collata, in hoc amplissimo conventu vestro, placet grati animi sensa publice profiteri; item pro iis quae in religionis Ecclesiaeque bonum legitime vel non ita pridem gesta sunt vel geruntur: quae profecto minime dissimulamus, quamquam non satis ea nec esse possunt ad iniurias omnes compensandas ac resarcienda detimenta eidem Ecclesiae ac religioni antea illata, qua illa quidem cum mentium animorumque perturbatione, qua praeterea cum iactura praestantissimum catholicae gentis bonorum, nullus est, nisi oculis captus, quin perspicue videat. Verumtamen illud adiungimus, nunquam alias tam multos Christifideles, ex omnibus fere orbis regionibus huc adventos, oculis ipsos suis et agnoscere potuisse et facto ipso cognovisse, aliam longe esse supremi Ecclesiae catholicae Moderatoris condicione quam quae universalis eiusdem auctoritati necessario legitimeque debeatur, in ea quidem societate quae sit et suapte natura universalis et suo ipsa in genere perfecta, qualis est constituta divinitus Ecclesia. Quod vero edicimus, idem Nosmet ipsi multis confirmari testimoniis et coram audivimus et procul, nec e privatis tantum, sed e publicis etiam documentis litterisque, didicimus. Nam si vere possunt ac debent advenae ac peregrini testari, licuisse sibi tutis expeditisque et Urbem, orbis catholici caput, circumire totam et sacras item Basilicas invisere, non eos tamen fugere potuit, id ipsum nequaquam licuisse Patri ac Pastorí suo, Iesu Christi Vicario, cuius quidem adeundi et conspiciendi non fuit sibi facta facultas, nisi limina ingressi quae ipse pro conscientia officii nequit trans-

gredi quoad haec rerum condicio perseveret».

Verum paterni animi non una haec sollicitudinis causa: illud enim displicuit, quod, quum de re oeconomica et sociali novae in Italia leges recens conderentur, «visum est plenam haberi rationem non posse et catholicae in hoc genere doctrinae et actionis catholicae, cuius partes sunt ut hanc ipsam doctrinam explanando evolvat atque in usum deducat, in eo quidem campo, in quo utraque, et doctrina et actio, est in primis necessaria ac salutaris. Quaedam nimirum sunt libertatis iura, quae Ecclesia, sui ratione officii, facere non potest quin tueatur et vindicet. Ipsa enim, doctrina institutoque suo, alienissima sane est, cum ab licentia illa rerumque perturbatione, in quam damnata a se liberalismi et socialismi, ut aiunt, errores quoquo pacto societatem hominum abripiunt, tum ab omni alia de rebus politicis notione, quae teneat, civitatem seu Statum sibi ipsum, veluti finem extremum, sufficere; unde expedite, immo etiam necessitate quadam, civitas eo pertrahitur, ut privata iura labefactet atque absumat, cum exitu, quemadmodum facile intellectu est, haud minus tristi atque acerbo».

Tum veluti a specula longius omnes respiciens orbis terrarum tractus, Pontifex memorare voluit alia «bona multis permixta malis»; itaque *regimen*, ut aiunt, *separationis* inter Statum et Ecclesiam a Chilensi republica initum est deprecatus, et rei catholicae condicione in Mexicana republica multo deteriore ac luctuosior factam; nubesque in nonnullis rebus-publicis nondum disiectas animadvertisit ut in Argentinensi, in Bohemica seu Cecoslovacica, in Jugoslavico regno, «ubi quid aliud egimus - inquit - nisi Dei gloriam, nisi sacra Ecclesiae catholicae iura, quae item Dei ipsius iura sunt et animarum, vindicavimus?». Iucunda, contra, non minus quam gravia ex Gallia, ubi aut celebrata

aut commemorata nonnulla sollemniter sunt, quorum alia ad actionem catholicam, alia ad altiorum disciplinarum instituta pertinebant; ex Bavaria et Polonia ob convencta pacta, «quae si quidem fideliter ac sincere ad effectum deducantur, dubitari non potest quin fructus afferant uberrimos in iis praesertim maximi momenti rebus, quae ad religionis ac civitatis incrementum summopere conducunt».

Post quae, Pontifex enunciavit sese, «nova profecto largitate, aliis etiam largitatibus augenda», prorogare in annum voluisse per orbem universum beneficia sancti Iubilaei; «cuius effusionis spiritus gratiae et precum» deprecatorem ac veluti praecomenem exhiberi dixit et praestare seraphicum illum virum Franciscum Assisiatem. «Huius enim suavissimi Caelitis denuntiatur natalis, anno Sacro absoluto, celebrandus septies centesimus; in eaque celebratione apparanda mirum quantum ubique piarum mentium certamen exortum est. Atqui nulla optatior profecto ac dignior celebratio, quam si acrius in omni terrarum orbe poenitentiae, pacis ac sanctitatis studia renoventur, quos esse praecepius et Francisci spiritus et anni Sacri fructus nemo unus ignorat. Altera igitur celebratio alteri proderit, atque inde multa, cum in singulos homines, tum in populos universos beneficia defluent».

Denique novum diem festum iussit in honorem Iesu Christi Regis; de cuius vi, significatione, rationibus proprias encyclicas litteras post paucos dies, scilicet xxii ipsius mensis Decembris, dedit atque vulgavit.

Die autem xxiv, circa meridiem, sollemni pompa atque ritu, magna stipante cuiusque ordinis omniumque nationum civium caterva, Pius XI Petrianae basilicae Portam sanctam occlusit, et postrema anni MDCCXXV die in honorem Christi Regis ad Principis Apostolorum sepulcrum ipse primus sacra litavit; proinde

generis humani Sacratissimo Iesu Cordi dedicationem instauravit et una cum immenso populo, qui in Petriana basilicam iterum convenerat, Ambrosianum hymnum cecinit grates Deo agens pro innumerabilibus eximiisque beneficiis occidente anno in Ipsum universamque Ecclesiam conlatis; quae faxit Deus futurorum pignus evadant!

**

Regia funera.

In patria domo Siamensis civitatis rex, Rama VI, qui thronum ascenderat anno MDCCCX, vita functus est. Ei succedit Prajadipok of Sukhodaya, Princeps frater.

Huic funebri notae altera inserenda est, quae postquam scripta nostra prelo mandaveramus, necopinato Italiae occurrit. Die enim iv currentis mensis Ianuarii, Bordiguerae, in Liguriae oppido, supremum spiritum fere ex improviso edidit Margarita e Sabaudica stirpe, Humberti I regis, nefarie anno MCCCC interempti, vidua. Erga Deum et homines insignem pietatem feminam Itali in aevum moerentes desiderabunt; anima suavissima vivat in pace Christi!

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Novo anno ineunte, in mentem mihi venit per historiam indagare quinam eventus et quae inventa singulis sextis supra vigesimum annis intercesserint memoria maxime digna, vobisque, humanissimis lectibus, huiusmodi **centenarias commemorationes** offerre.

Primum itaque recolenda occurrit recordatio inventionis Sanctae Crucis in qua Iesus Cristus Dominus Noster confixus est, itemque clavorum aliorumque instrumen-

torum supplicii, factae a sancta Helena, Costantini augusti madre, anno, ut perhibetur, p. C. n. CCCXXVI.

Anno autem DXXVI die xxx mens. Augusti fertur condita a Theodorico fuisse Ravennae mirifica illa S. Vitalis basilica, quae inter monumenta *stili bizantini* optima et vetustissima commendatur.

Anno MCXXVI mentio invenitur primi putei *Artesiani*, quibus profecto nomen ex gallica regione *Artois* (Ardatesia, Artesia) ubi puteus idem illo anno effossus dicitur, in oppido *Lillers*. Huiusmodi vero putei vel a remotissimis temporibus apud Aegyptios in usu erant.

Anno MCCXXVI Assisii moritur Franciscus ille *seraphicus*; eius obitus centenaria sollemnia, auctore Summo Pontifice non in Italia tantum, sed per orbem universum iure meritoque comparantur.

Anno MCCCXXVI lampades ponuntur supra turribus Genuensi portui imminentibus: primi phari eae fuerunt in illo portu constituti. Eodem anno, in documento quodam Floréntino, pilae ferreae memorantur ad tormenta bellica implenda. Ioannes denique XXII Pontifex Maximus Sacram Romanam Rotam instituit, vel saltem reconcinnavit. Quod nunc appellationis Tribunal factum est, de dogmaticis rebus antea iudicabat, et nomen sumpsisse videtur ab alterna vice, qua examinandae quaestiones iudicibus committerentur.

Anno MCDXXVI Luvonensis celeberrima illa Belgica Studiorum Universitas condita est, quae usque ad quattuor millia discipulorum numeravit. Hoc pariter anno Benedictus Senensis novum invenit, aut saltem veterem redintegravit, usum scribendi per notas; quam quidem rationem nos *stenographiam* vocamus. Constat enim inter omnes inventum peculiaribus signis utendi, quae literas verbaque rapide atque expeditius redherent, iam Ciceronis diebus vivere, quem eius libertus Tiro huiusmodi signa iam mille et ducentorum

numero in ordinem redegerit; atque constat pariter Tironianas notas Senecae aetate ad quinque millia usque pervenisse.

Annus MDXXVI ob geographicas expeditiones insignis evasit. Sebastianus enim Cabotus Paraguayanam regionem reperit, et Alhassan-ibn-Mohammed-Alvassan, Leonis Africani cognomine notus, Africam omnem ad septem triones peragravit.

Anno MPCXXVI Boston urbis in Septentrionalis Americae civitate Massachussets fundamenta iacta sunt. Loftmannus autem natione Germanus, artem figuris coloribus imprimenti induxit.

Annus MDCCXXVI physicis inventis claruit. Tum enim Bradley «lucis aberrationem» deprehendit, atque inde una cum Molineux et Graham inerrantium stellarum; scilicet apparentem earum accessum a vero suo cuiusque loco. Quod profecto evenit ex motus terrae conjunctione cum celeri lucis propagatione, ita ut impressio tamquam motuum duorum effectus percipiatur.

Per idem tempus Graham ipse primus libramenti pensationem cogitatione quum finxisset, libramentum per mercurium pensans fabricavit, cui statim Harrison libramentum per virgulas metallicas suffecit, quo adhuc plerumque in horologiis utimur.

Neque minus physicarum adinventionum fecunditate memorabilis annus MDCCXXVI processit. Tum enim, iii kal. Martias, Bielae, astrorum legum doctori, revelatus est cometes, qui ab eo nomen retinuit; Colladonus et Sturmus felicissime sonus in aquis velocitatem experti sunt;

Niepec *heliographiam* invenit, sive artem imagines in aeneis tabellis adfigendi, hodiernae photographia initium; Rosse, Anglicus vir nobilis, celebrem illam speculatoriam turrim, in praedio suo Parsonstovvn, erexit, ubi deinde maximum totius orbis telescopium collocavit; Drummond Anglus oxidricam lucem excussum oxygenii et hydrogenii simul junctorum

cursum in calcem propellens; Belardus bromum retexit; Unverdorben *crystallinum*, ex cuius natura colores deducti sunt, quos *aniline* vulgo nuncupamus, ex *anil* plantae ethnico nomine – (apud nos *indaco*) – unde postea colores ipsos Fritschus exprompsit; Dutrochet autem phoenomena *endosmosis* et *esosmosis*, ante ipsum parum cognita, in liquoribus declaravit. In re medicali Hard *acumetron* confecit, ad auditus debilitationem metiendam; Brotepneau gutturis tetterimum illum morbum descriptis, quem *difteriten* ipse dixit. Quod si de aliis rebus mentionem facere volumus, en, Seguin opera, prima in Gallia ferreis axibus strata via, per quam currus vapore acti procederent; en rhedae, actae pariter vapore et ab Hancock dispositae, per Londini vias libere discurrentes; en Roberts et Stirling primam machinam ex calido aëre in officinis adhibentes, et Zuber, Rixheim in urbe, machina cilindris munita peripetasmata imprimente usus; en denique Kopisch, Germanicus pictor, qui admirabilem illam *caeruleam cavernam* ad Capreas in Neapolitano sinu aperit.

Ecquid novi et praeclari annus MCMXXVI doctrinae et artibus apportabit?...

Felix is sit, faustus et bonus non iis tantum, sed et vobis, o socii et lectores mei fidelissimi, quos singulos salutare placet eleganti illo epigrammate, quod Alafridus Bartoli, Locrius ex Brutiis ad Kalendas has Ianuarias secundis avibus auspicias ad me misit:

*Quae Martis quondam, nunc Iani rite Kalendis,
urbes discurrunt dona adeunque domos;
ast ego, quod possim, numeris committo latinis
plurima, et ex animo, vota ferenda tibi:
ipse tuos Annus felicia cuncta daturus
felicique lares ingrediatur avi!*

Spatio hodie deficiente,

AD PROXIMUM NUMERUM:

De praeclaris Bonarroti parvis statuis nuper inventis. – De Brundusio eiusque memoriis. – Communia vitae. – Varia. – Appendix: Pancratius.

locosa.

Tuccius in schola:

Magister phrases enunciat, quas discipuli complere debent.

— Nunc tibi, Tucci. Statuae sunt oculi, sed nequeunt...

— Videre!

— Sunt aures, sed nequeunt...

— Audire!

— Est nasus, sed nequit...

Tuccius, post aliquam moram:

— Emundari!

Magister iterum Tuccium interrogat:

— Quos dentes homo ultimos dentit?

— Ultimos?... Fictos!

**

Aenigmata.

I

Absque priore escam tolero, sed carmina [nunquam.

Omnibus ecce alter: patet hic, patet hac, [patet illac.

Totum a salvando quidam dixerat; sed audi-

« Cur morietur homo, cui totus crescit in [horto? ».

Hoc Schola iam docuit querentem Antiqua [Salerni:

« Contra vim mortis nullum est medicamen [in hortis ».

II

Sum calathus, si vis graeca me dicere voce; Sublato solidus vertice fio cyclus.

Aenigmata in fasciculo mens. Decembris MDCCCCXXV proposita his respondent:

1) *Fulmen, Flumen, Lumen;* 2) *Mane.*

IOSFOR.

Dr. JOSEPHUS FÖRNARI, *Moderator, Sponsor.*


ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI Communia vitae. Phrases et formulae ad latina col-
loquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae
fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ
lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. – Sin-
gulæ lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis ann. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

PII XI ELECTIONIS IN PONTIFICEM

ANNO QUINTO ADPETENTE

CARMEN AUSPICALE

*Gaudeat quisque in Domino quod annus
 Quintus adventat, Pie, cingis ex quo
 Principis Petri in solo tiaram
 Mysta supremus.
 Sol uti sensim gradiens Olympum
 Clarius terris nova vita fulget;
 Sic magis Tu lux rutilas magisque
 Provida mundo.
 Ianuas caeli reserare compos
 Quosque civisti populos ad Urbem
 Crimine eluti legerent ut Anni
 Munera Sancti.
 Insimul sortem miseratus atram
 Quae rudes gentes manet infideles,
 Tu per ostentum specimenque cultus
 Singuli earum
 Visui oblatum graphyce excitabas
 Convenas Romae ut fidei iuvarent
 In tot errorum resides vetero
 Ingredi ovile.
 O pias pompas graviore visas
 Semitas Urbis peragrare gressu
 Voce et elata marialis orbis
 Volvere grana!*

*Templa devote subeunt, ibique
 Ad Deum fusa prece iubilari
 Atria accedunt sacra Vaticani,
 Visere aventes
 Te, Pie, amplectens gregis universi
 Crediti a Christo Tibi membra, quemque
 Nescium falli recolunt Magistrum
 Dogmatis omnes.
 Mox globos turbae superas in aulas,
 Vel Petri augustam caput orbis aedem
 Excipis, dextramque tuam osculandam
 Porrigis ultro.
 Verba dein vitae loqueris, paterni
 Pectoris sensus teneros profundens
 Ac tuo insculptum tribuens benigno
 Ore numisma.
 Hinc peregrini repetunt ovantes
 Patriae fines animo expiati
 Praesul's summi et benedictione
 Sospite foti.
 Gloriam sacri modo Principatus
 Sic celerabunt ubivis, levantes
 Dulcius melle Undecimi Piorum
 Nomen ad astra.*

*Fulgida heroum series novorum,
Queis triumphalem Superum coronam
Rite sanxisti, tua gesta cornu
Dite rependet.*

*In throno Petri, Pie amate, sospes
Vive longaevis fruiturus annis:
Iugiter divae Bonitatis esse
Perge sequester.
Usquedum auratas colere orbe regni
Nuptias, necon non adamantis, imo
Filtis detur Tibi saeculare
Condere carmen!*

Mediolani, d. vi mens. Febr. MCMXXVI

CAESAR MAMBRETTI.

In hodiernam scenicam poësim

Spectaculorum assidua exhibito populi ad ea invisenda tanta frequentia, quae in nostris moribus tam radicitus convaluisse appareat, hoc plane efficiunt, ut cuius dramatum scriptori chirurgica veluti arma quodammodo tradant, quibus vel infesta venena, vel salutares lymphas iniicere in spectantium animos pro libito permittatur.

Magni sane momenti rem videmus, et ipso sacri civilisque oratoris munere quasi graviorem – eosque magis aetate hac nostra, publicarum rerum incuriosa, ac religionis sollemnium plerumque immemoriam eamdem ferme in publicis comitiorum aulis, neque in templis frequentiam esse, quam in theatrorum caveis. Augentur haec ipsius artis excellentia; ut enim dramaticum carminum genus ceteris non modo antecellit, sed quasi in unum coacta profert, ita latius altiusque, admoto auribus, oculis mentique blandimento, consilia sententiasque omnes, quibus fabula concepta

est, infigendi animis vim habet, iuxta Horatianum illud:

*Segnus irritant animos demissa per aures,
Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus...*

Quod quidem Graeci illi primi divinarent, qui ingenio prae ceteris pollentes, artem tragicam vel comicam a Bacchaniuum choreis ad scenae dignitatem extollere contenderunt, et ad morum emendationem procurandam, ad legum observantiam suadendam, ad augendam pietatem erga Deos, ad patriae caritatem excitandam fovendamque convertere.

Neque sane nobis facile intellectu est quantus populi fremitus et clamor, quantumque totius caveae strepitus toties fuerint excitati, quum Aeschyli *Oι Πέρσαι* agerentur, nuncii persona invitationem illam in pugnantes ad Salaminam iterante (v. 402):

... Ὡ παῖδες Ἐλλήνων ἵτε
ἔλευθεροῦτε πατριό', ἔλευθεροῦτε δέ
παῖδας, γυνᾶκας, θεῶν τε πατρόφων ἔδη,
θύρας τε προγόνων· νῦν ὑπὲρ πάντων ἀγών.¹

Tunc senum omnium iuvenumque adstantium turbas, tantorum verborum sonitu ac tantae memoria gloriae, patriam caritatem quasi incendi flammam in corde flagrantem, elatumque veluti tubae clangore animum, experiri necesse fuit.

Neque a civilibus his longe dissimiles intentus comoedia habuit; Aristophanis enim sales ac dicacitates nonnisi in vituperanda vitia vel in tuendas patriae consuetudines directa sunt, cuius inter drama notissimum est pulcherrimum illud, cui *Ai Νεφέλαι* titulus, exarasse, ut Deorum immortalium religionem tueretur, quam a Socrate labefactatam putaverat.

Exempla haec singulis qui ingenio ad rem polleant monimento sunt, ut emenda-

¹ « O Graeciae filii, ite, liberate patriam, liberate pueros, uxores, deorum patriae tempa et sepulcra maiorum; nunc pro omnibus est pugna ».

tionem illam spectaculorum, quae in votis est, assequamur, hodiernamque ex iis perniciem avertamus omnino; mediaque indigitant, quibus id planius obtineamus, quamvis nonnisi humana fingentes et cuivis vel rudi ingenio satis aperta.

Noverant enim viri altissimo praediti ingenio, non id satis esse poëtae, ut cuiusvis rei pulchritudinem, lectissima quamvis forma, ad blandimentum civibus praestanter, absque ulla morum utilitate, immo cum facili detimenti periculo. Quae quidem nos, Christi nomine aucti, acrius tenere sanctis religionis praeceptis obstrinimus; non enim artium cultoribus datum est privilegium, ut nonnulli hodie perperam contendunt, pulchritudinem hanc sensibilem excolendi, nullis obstantibus legis vinculis, ipsisque spretis limitibus, quos natura in turpium foedarumque rerum obscenitate constituit.

Una forte pulchritudo est et illecebrarum et periculi exspers, quae non terrestrium adspectu, sed ex ipsa caelestium rerum contemplatione manat, quam ferme Theresia interdum in sui vita a se scripta exquisita forma retulit, vel Aligherius noster aliquando, in *Paradisi* praecepit carmine, huc vel illuc attigit; sed ea Beatrice est, cuius verba exprimere paucissimis, intelligere vero indeque delectari nonnisi selecto agmini datum sit.

Grex humiliora quaerimus ac terrae magis proxima, vitaeque, quam quotidie vivimus, propius accommodata.

Haec itaque quum dramaticus poëta venustatis amore vel gloriae cupiditate succensus effingere aggrediatur, sciat nonnisi vitali aliquo morum alimento sibi esse condienda, ut conclusus caveis populis aliquantulum saltem edoctus et morali quadam arrepta utilitate discedat: his officiis poëtae munus cum sacerdotio quasi comparatur.

Quae sane praecepta maxime semper sequuti sunt in veneranda antiquitate

Aeschylus, Sophocles, Aristophanes, Menander; recentioribus autem saeculis Cornelius, Racinius, Molierus, Shakespearus, Calderonus et Alferius ac Ferrarius nostri. Qui quum vel Macbethi flagitia conscientiae angoribus et calamitatibus castigata, vel Atalae crimen divina fractum vindicta, vel falsam religionis speciem ignominiose simulantes, vel Saul regis superbiam amentia ac furore disiectam, suis quisque insignibus operibus protulerunt, moralis civilisque prudentiae splendida insimul ediderunt monumenta. Neque Gallus ille praetereundus est, inter recentioris aevi dramatum scriptores forte princeps, Sardou, cuius inter comedias fabulas praeclaras, neque iniuria, plurimi censem illam, qua per *Rabagas*, effecti nugividi personam, civilem hunc regendarum civitatum morem acerime est insectatus.

Nunc itaque, postquam plures veteres populi, Graeci, Itali, Francogalli, Germani in unitatem restituti sunt, iuraque et leges omnibus aequa constituta, pro quibus omnibus tot iam praecones sub fabularum velamine in scena pugnaverant, illum velim inter dramaticos poëtas salutare, qui opificibus, agricolis et egenis omnibus, quos famis torquet et falsa philosophorum doctrina stultis effatis pervertit, arte subveniat; qui christianaee societatis debita et iura, et, quae omnis generis malis ab Evangelio proferuntur remedia potentissima scena efficacia proferat, carminumque admota virtute, optime populos adhortetur, indigitans quibus potius virtutibus aerumnarum huius vitae causae expelli, et quo potius fonte solatia attingi possint.

Poëtam adprecor, qui nostrae huic latinae soboli, patrum res gestas ex longa oblivione iterum in oculis ad vitam suscitet, ut degeneres nepotes aliquando viva memoria acrique pudore excitentur.

Genium hunc tutelarem quasi exspecto, qui, mutuatis ex vita miserrimis vitiorum effectibus, mores emendet, perversos ani-

mi motus insectetur, auri hanc insatiatam famem, qua gentes omnes incenduntur, vituperet, animos altae strenuaeque virtutis exemplis confirmet.

Neque tamen suus desit amori locus; nam etsi malis saepe cupiditatis illecebris in nefas omne ruere homines videamus, sunt, nec quisquam ignorat, ingenuae et castae pulchritudinis validissimi in nos traditi stimuli, quibus interdum ad bonum quodvis assequendum per aspernum quodque iter impellimur. Tunc enim cuiusvis virtutis flamمام purus et integer amor in homine incendit, quamvis non raro optati praemii spe omnino destitutus.

Ad quae profecto id unum satis sit memorare, quod Gallicus Rostand, lectissimi ingenii poëta, nobili stylo dictavit drama pulcherrimum, cui *Cyrano de Bergerac* nomen imposuit. Opus enim tum morum saeculi decimi septimi studium ac perfecta scientia, tum rursus conficiendi ars exquisita optimum fecerunt; at una prae omnibus laboris pretium est principis actoris persona, qui nobilissimo amore, quamvis infasto, accensus, latini animi altam indolem generosamque virtutem ad maximum usque sacrificium perducit. Hinc praecipuus insolitusque operi favor, quod ferme virtutum omnium, quibus media, quae dicitur, aetas suos equestri ordine auctos milites praeditos voluit, specimen carissimum evocatum pree oculis viderimus.

Late igitur optimi consilii viris panditur via firmo ferenda gressu ad spectacula in reipublicae salutem emendanda, neque insigniaque exempla desunt, quae animos ad inceptum erigant. Ad quorum tramitem si nova dramata effingantur, nulli amplius improbanda erunt, quod corruptelam foveant; et scriptores, uti Cyranus ille de vita, de scena ipsi « immaculata intactaque crista » discedent.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

DE STEPHANO SZÉCHENYI DEQUE « ACADEMIA SCIENTIARUM HUNGARICA » AB EO CONDITA¹

II.

Quam vim Stephanus Széchenyi in poësim et res Hungaricas exercuerit nunc iam paulo fusius disputare debemus.

Széchenyi, - ut ex versu Dantis, clarissimi illius luminis litterarum Italicarum, *Conoscete i dubbiosi desiri*, in prioribus commentariorū diurnorum voluminibus eius allato, intelligi potest, - diu incertus erat, quid consilii caperet. Et revera iuvenis admodum multa queritur in libris suis memorialibus, quod vitae rationem instituere non possit, seque in omnem disciplinam incumbere dicit, ut id quod vellet assequi possit. Nunquam, et nullo loco quietem inveniebat. Neque temporibus subsecivis ante caminum, vel quum lucubraret, fontem suarum commotionum siccari passus est. Incredibili quodam animi rigore et diligentia sese contemplabatur in dies, in annos, in lustra. Cum compage corporis ingenii vis et celeritas tanta erat coniuncta, ut ipse confiteri debuerit in se cogitationem maiorem esse, quam ceteras facultates ingenii. Quo in genere, ut Beöthy verbis utar, nonnisi summi poëtae cum eo conferri possunt; virorum nostrorum rei publicae gerendae peritorum nemo, ne Ludovicus Kossuth quidem, cuius magniloquentia magis animi impetu, quam cogitatione alebatur.

Inde fit, ut, licet omnis vita eius in agendo esset posita et summa industria uteretur, ingenii vi et celeritate ad poësim ferretur firmiter et assidue.

Hac arte poëta, vates et, dolendum, qui mortem sibi consiceret, factus est. « Ne-

¹ Cfr. fasc. sup.

scio, - inquit an. MDCCLXIX, - quo cupiditate laudis immoderata ferar ». Bene cum gente Hungarica actum est, quod natura ei iter rerum patriarcharum ostendit. Etiam quum in oppidum Döbling recesserit, scribit se furore agendi cruciari. Quumque in Museo Budapestinensi patrio ante imaginem pictam patris sui constitisset, sic ingemuisse dicitur: « Tempora mea, meaeque animi facultates fortunaeque sint patria! Quantam esse felicitatem a civibus aestimari, maxime apud Hungaros, quibus tot sunt opiniones praeiudicatae, non vivus, modo in sepulchro conditus consequaris! »

Quo ingenio inquieto erat, antequam ad rempublicam accederet, fere decem annis in varias terras actus est, uti diximus, cum in Occidente, tum in Oriente. Quibus in itineribus non solum oculi eius aperti sunt, sed etiam se vere Hungarum esse, ibi animadvertis.

Velut si ad carmina condenda natus esset, quinque in Italiam rediit. Varieitates archipelagi Graeci, admiratione dignae et venustate plenae, Pelsonem (*Balaton*) et Pelsonem Superiorem (*Fertő*) ei in memoriam reduxere; sub radicibus montium immanis magnitudinis Helvetiae et in convallibus fecundis Italiae, solitudinibus patriae suaे animatur. « O infelicem, inquit, meam patriam; taetrior es quidem, attamen te toto pectore dilig! ».

Sive iter faciat seu discat, sive consilium ineat seu laboret, sive scribat seu orationem habeat, sive vituperet cives seu inflammet, semper in eo est, ut populares Hungarice sentiant, Hungarice loquantur, Hungarice agant, proficient Hungarice. Haec pronuntiat, in hoc nititur. Sibi persuasit gentem suam somno excutiendam et linguam Hungaricam ei reddendam esse.

Quam rem in opere, quod *Hitel* inscribitur, his fere verbis exprimit. « Ut gens valida sit, sermone patrio nisi debet, qui dum superest, etiam gens vivit, saepe quidem aegrotando; qui si semel obmutuerit,

patria nonnisi salices funebres feret, quae ob praeterita tristes frondes in terram demittant ».

Quanti poëtas fecerit, ex epistola ad Danielem Berzsenyi data intelligi potest: « Mihi - inquit - persuasissimum est me dicere posse, nos propinquos esse; salutatione certiores reddimur viros rerum civilium et poëtas Hungaricos idem velle et sentire ».

Genti Hungaricae erant viri rerum civilium atque poëtae, quorum instinctus interdum conveniebant, invicem; sed eos propinquos esse oblivioni datum est ex eo tempore, quo Nicolaus e comitibus Zrinyi, poëta et belli dux fortissimus, hoc ita esse vita sua luculenter comprobavit.

Nobis vitam et opera Stephani Széchenyi legentibus in mentem sponte redit versus ille poëtriae cuiusdam Britannicae: « Deus poëtam misit, qui suam patriam reformaret ». Nam quum audimus, quod de interitu terribili gentis suaē « in sideribus legit », velut si ad Dantis Inferos appropinquemus et in fornace arcana animi humani simus, ubi in ignibus carentibus concitationum animi et in luce occaecanti, ingenii magna poëmata fervent, antequam formam ultimam adipiscantur, nobis videmur.

Eques magnanimus pugnae Lipsiensis avidus erat lauri poëtarum et etiam ipse poëta evadere cupiebat. Opera poëtarum et solitae orationis scriptorum, ut Alighieri, Rousseau, Lamartine, Chateaubriand, Byron, Moore, Tasso, Alfieri, Rückert, Schiller manu nocturna diurnaque versabat.

Rebus Britannicis, Gallicis et Italicis edictus est gentii suaē opus esse urbe, in qua artes et litterae florere possent. Hanc ob causam instituit circulos eruditorum, in quos poëtas et scriptores iuniores ipse induxit. Per Portam Ferream (*Vaskapu*) viam rupit, ut totum Danubium navibus onerariis et mercatoriis aptum redderet et ita negotiationi Hungaricae simulque saluti rei publicae consuleret.

«Patria – inquit – pervenire ad debitam altitudinem non potest, nisi partes eius seiunctae Budae et Pestini in unum locum congregentur»,

Itaque, labore assiduo annorum viginti unius, pontem ferreis catenis vinctum (*Lánchid*) in Danubio fecit, cuius descrip^{tio} a mensore quodam Britannico Adam Tierny-Clark facta est, quod opus magnificientissimum deinde Budapestini, urbis capitⁱs regni, signum evasit. Huius operis sempiternam memoriam servat ludus ille scaenicus Francisci Herczeg, poëtarum scenicorum Hungaricorum huius aetatis facile principis, in quo Stephanus Széchenyi exactor primarum est partium, quique inscribitur *A hid* (Pons).

Fabula haec Herczegiana cum gravitate sententiarum et verborum pondere, tum auctoritate personarum et historia earum rerum, quae Széchenyi aetate gestae sunt, est celeberrima et tota in argomento patrio versatur ita, ut omnes viri illius aetatis auctoritate praediti, ut Ludovicus Kossuth, Nicolaus e dynastis Wesselényi aliique in eius scenam prodeant.

Sed ne multus sim, iam ad id, unde digressa est oratio, revertamur. Omnia quae Széchenyi causa Budapestini faciebat, ad litteras Hungaricas et praesertim poësin excolendas et proferendas magnam vim habebant.

Quemadmodum Francisci Kazinczy lingua emendata tantum Széchenyi auxilio prospere cessit, ita conatus Iosephi Kármán, quibus urbem litterarum patronam parare vellet, ipse ad effectum adduxit.

Ante tempora Széchenyi, ut planius dicam, exeunte saec. xviii, Michael Osckonai Vitéz, poëta lyricus et epicus, quem totam Hungariam peragrasset, vix ei Pestinum in mentem venit. Kazinczy nonnisi amicos salutatum eo veniebat; Sigismundus Kemény et Alexander Petöfi iam Budapestini, in urbe Szécheniana litteras Hungaricas quaesivere.

Cogitationes Széchenyanae de rebus novandis susceptae poësin et litteras Hungaricas celeriter penetraverunt, quae de repente progressu, auctoritate honorisque magnitudine ei gratias agere debent.

Non solum poëtarum lyricorum, verum etiam scenicorum et fabularum Romanensium scriptorum opera eius conatibus et sententiis resplendent.

Atque, ut cetera omittam, ipse primus, quem opus cuius inscriptio est *Hitel* ad cives mitteret, ante oculos posuit, patriae, si modo proficere vellet, auxiliis mulierum opus esse «quae civium et gentis angeli custodes sunt, qui ingenii vires sine earum auxilio nunquam excolet aut mox languescent; illae enim omnia venustate et vita implent; illae pulverem ad caelum tollunt et mortales donant immortalitatem».

Andreas Fáy, fabularum Aesopicarum scriptor egregius, in sua comoedia, quae inscribitur *Mátrai vadászat* (Venatio in monte Matra), puellas illius aetatis Hungaricas hoc modo describit: «Puellae nobiles Hungaricae Britannico more vestem sibi induunt, edunt more Gallico, Germanico loquuntur et saltant, spiritum Hungaricum dicunt et etiam intelligunt Hungarice, idque propter famulos et ancillas».

Ex quibus intelligi potest mulieres a sensu patroⁱ alienas, fuisse dignissimas, quae in ludibrium verterentur; sed earum numerus statim feliciter imminui coepit, ex quo tempore mulieres, quid poëtæ et gens ab iis peterent, intellexerunt, ita ut Alexander Petöfi a. MDCCXLIV duas mulieres summo loco natas laudibus in caelum sustulerit.

Quamquam Széchenyi plerumque incondito scribendi genere utitur, ita ut his verbis Sallustianis: «Non sunt composita verba mea; parvi id facio; ipsa se virtus satis ostendet»,¹ ipse se depingere pos-

¹ *Ingr.* c. 85.

sit, interdum exsurgit altius et tam magnifice loquitur, ut animos audientium ac legendum inflammare queat.

Amor ille patriae, quo omnia opera Széchenyi distinguntur, virtutes illae, quas opera eius ante oculos civium ponunt, aeterni fontes erunt ardoris Hungarorum. Non sine causa a Ludovico Kossuth summus Hungarorum Stephanus Széchenyi declaratus.

Ser. Keszthely

VINCENTIUS LAKATOS.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

De adversariis.

Operae pretium est animadvertere «adversaria» quae fuerint; quo nomine antiqui illi multo aliter atque vulgato sensu utebantur. Erant enim adversaria, quantum colligere datum est, libelli rationatorum, in quibus primum rationes accepti et expensi negligenter et sine ordine scribebantur; mox in codicem diligentissime perscriptae referebantur. In qua re notandus est hic quoque elegans modus: nam referre in codicem et in tabulas dicebant vel nomina, vel pecunias, aut res alias, quum per ordinem describabant. Secus, quum in «adversariis» aliqua notabant, sine ordine, et in confuso, et negligenter id faciebant.

Ita Cicero in fragmento orationis pro Roscio Comedo: «Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur, sed in adversariis patere contendit. Usque eo ne te diligis et magnifice circumspicis, ut pecunia non ex tuis tabulis, sed adversariis petas? Suum codicem testis loco recitare arrogantiae est; suarum perscriptionum et litoriarum adversaria proferre, non amentiae est? Quod si eamdem vim, diligentiam, auctorita-

temque habent adversaria, quam tabulae, quid attinet codicem instituere, conscribere, ordinem conservare, memoriae tradere literarum venustatem? Sed si quod adversariis nihil credimus, idcirco codicem scribere instituimus, quod etiam apud omnes leve et infirmum est, id apud iudicem grave et sanctum esse ducetur? Quid est ergo, quod negligenter scribimus adversaria? Quid est quod diligenter conficimus tabulas? Qua de causa? Quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae, haec delentur statim, illae servantur sancte; haec parvi temporis memoriam, illae perpetuae existimationis fidem et religionem amplectuntur; haec deiecta, illae sunt in ordinem confecta. Atque ita adversaria in iudicium protulit nemo; codicem protulit, tabulas recitavit: tu, C. Piso, tali fide, virtute, gravitate, auctoritate ornatus, ex adversariis pecuniam petere non aude- res?». Et subdit: «Quaero quampridem hoc nomen Fannii in adversaria rettulisti... Cur tamdiu iacet hoc nomen in adversariis?... Tu hoc nomen triennium amplius in adversariis iacere pateris?».

Ex quibus perspicuum est, quidnam adversaria apud Latinos re fuerint.

H. B.

De praclaris Bonarroti parvis statuis nuper inventis

Abhinc aliquot menses in vulgus edita sunt, eorum admiratione, qui apud Italos gaudent de operibus, quae diu perdita in lucem redeunt, carmina lyrica Michaelis Angeli Bonarroti. Novimus equidem quot laudibus quibusque gratulationibus omnes acerrimi iudicii viri volumen exceperunt a Fortunato Rizzi accommodatum atque inscriptum: *Michelangelo poeta*. Quum primum enim ad Italorum manus hic

liber pervenit, uno ore omnes ad caelum ferre, fortunatumque hominem adpellare, non nomine tantum sed re, qui pro felici italicarum litterarum fato, divinitus quodammodo Bonarroti hasce reliquias^g iam prorsus perditas aliquando effodisset.

Bona est quoque, ut ita dicam, fortuna usus Franciscus La Cava, qui inter plurimas hominum figuras in immortali Bonarroti tectorio in aedibus Vaticanis, in sacrario cui est nomen a Xysto IV P. M. ad Christi iudicium adstantes, admirantibus omnibus, in corii flexu Sancti Bartolomei invenit, quod pictor ipse suum nomen lepide coloribus subscrispsit. Nunc, maiori semper Italorum omni, Iosephus Cascioli, clarus Pontificiae domus antistes ac Musei Petriani instructor, invenit exemplaria e gypso facta, statuarum per ordinem ponendarum sub excelso augusti templi tholo.

Septem sunt parvulae hae statuae; octava autem sine vestigiis prorsus interiit. Parvulae equidem sunt, sed praestantissimae, atque eo artificio perfectae, ut omnem nobis de auctore dubitationem omnino eximant.

Forma eorum est amplissima, eaque anatomices perfectio, ac regalis quaedam oris maiestas, ut praeter dubium haec esse opera Bonarroti confitearis; ac profecto quamquam exigua, omnino ad Moy-sis excellentiam ac Davidis accedunt.

Ceterum ita rem se haberi facile arguere potes, modo si harum statuarum effigiem attentius respicias; tum optime ipsas nonnullorum excellentiorum opificum imaginem referre videbis.

Id ego curiosius a propiore homine postulavi: « - At quonam modo eae inventae fuerunt?

Tunc Iosephus Cascioli, modestissimus vir - (is enim erat) - conceptissimis verbis narrando explicavit:

« Mense Septembri MDCCXXIV nuper elapso, in superioribus templi Petriani

cellis forte obambulabam, quum humi in latibulo apud angulum, panniculorum numerum vidi lignique fragmenta. Omnia illa impedimenta dimoveri iussi, et illico statua adparuit, et dein inter multa lignea frustula et pannulos, aliae per ordinem adparuerunt.

— « Eas ergo subito agnovisti?

— « Utique. Nec ullum mihi poterat esse dubium; uno enim oculorum ictu optime cognovi. Ipsissimae illae erant, quas immortalis sculptor in loculo suo posuerat coram Pio IV P. M. In basi etiam foramen cernitur, quo melius consisterent. Ne verbum quidem de iis protuli quae invenoram, eo potissimum nomine, quod ea ad Museum mox aedicandum destinaveram. Ipse operarius, thesauri equidem pretiosissimi nescius, quem simul viderat, eas ad locum indictum fideliter detulit. Haud noverat humeris suis ferre tam ignotum argenti pondus et auri: Leonardus Vincius, Vasari aliisque clarissimi opifices! Decorae omnino in habitu suo et vehementes ut divino spiritu afflatae hae statuae, pictorum effigiem sculptorumque Bonarroti aequalium graphicè portendunt».

Una enim ex ipsis veram Leonardi, altera Vasari effigiem perfectissimè reddunt.

— « En - gloriose addebat Casciolus - quisnam hunc Leonardum esse negabit? Sic enim se se ipse depinxit! En Vasari, ex imagine quam ipse in Officiis, ut dicunt, lepide se coloribus reddidit».

Et ego digito statuam signans, lubens adiunxi:

— « Hic calvus optime Montorsoli refert, pictorem suaetatis eximium, qui, in opere tectorio Vasarii in Palatio Vetur, cui est titulus: "Cosimus I opificesque Mediceae Domus", Cosimo II fontis sui exemplum offert».

— « Desine iam hominem cum homine referre; hoc enim opus est posteris accommodandum».

Tum ego: - « Unum in praesenti velim, bone, dicas. Cur, per tot menses, hanc rem adeo noscendam tacuisti? ».

Ille, qui suus est mos, simplicitate sapientibus dignissima, mihi breviter respondit:

— « Tu, optime, in primis intelligis, quam malum foret si egomet famam mei inventi diffidisse; deinde, quum haud multo post *Museum Petrianum* dedicandum esset, hasce statuas, vitro inclusas, proponere constitueram ut universi oculis suis viderent. Sed in libro, in visitatorum commodum nuper edito, omnia fusius atque significantius probe explanavi».

Ego, ut qui feliciter ad portum perverneram, et meo functus munere, ad clarissimum virum conversus:

— « Bene omnia fecisti - dixi - et rem romane iudicasti. At vide, quomodo universa hominum turba, animo discurrat et vagatur, et minime paivulum tuum librum observare dignatur, nec illi quos, titulo honoris, sapientiores bonarum artium appellamus. Quis enim reputat rem omnium pretiosissimam ob oculos habere? Nemini unquam in mentem venit, parvulas hasce statuas a Michaele Angelo confectas fuisse, et nunc primum in vulgus rediisse ... Tu enim primus, ex ipso loco ubi abhinc multa saecula auctor fortasse eas composuerat, miraculo sane ingenii, extraxisti, et in hominum admirationem, pro re nata, protulisti. Sed quis rem dignius considerat? ».

— « Id mihi in mentem. Sic res, veluti fato suo, ita prorsus successit».

— « Et tu, clarissime vir, nondum novisti, hisce potissimum temporibus, nihil iam in terris componi absque ephemeredum praeconio, earumque scriptores, omnium late rerum dominos vocari et esse? Ipsi enim sumus veri fictique nuntii... Et tuum ipsum magnum inventum, etsi pretiosissimum, posteris et maxime admirandum nihil foret, et, ut *vulnus sine ictu*,

mox in desuetudinem facile abiret. At nos qui domus dominorum pauperumque percutimus, quibus centum sunt linguae, ora que centum, brevi tempore, rem nosci dignissimam Romae praedicabimus, omnia movebimus animosque exterorum perturbabimus. Tute ipse tum videbis, quot hospites, ad statuas conspiciendas advenient fortunatumque inventorem nominare laudibus cumulabunt! ».

— « Et ego in verba tua iurabo, et pro patriae prosperitate atque gloria, omnia bona liberalioribus artibus ominabor».

Quod me attinet, in *Alma Roma*, ne suus in re tam magni momenti plausus desideretur, ut si munus sibi unice esset, tibi primum maxime pro statuis inventis gratulor, et magnas pro civibus gratias ago, maioresque habebo.

I. B. FRANCESIA.

EX ITALIS URIBUS

De Brundusio eiusque memoriis.

Brundusium, ut Horatius scripsit, longae finis chartaeque viaeque, portus etiam celeberrimus et plenissimus navium, ad se breviter me vocat, ut lectoribus dicam, quanam in caput suum irruerint miseriae, suumque fatum mecum irreparabile lu-gant.

Quum res enim staret Romana, Brundusium et optimum sibi nomen in historia obtinuerat; namque ad mare Ionium moliter quiescens, navibus, quae ad Orientem provehebantur, exstabat fidissima statio, et caput Appiae, viarum reginae, civitas commerciis ditissima ac peregrinorum plena, erat, illo tempore, prope-modum, altera post Romam, clarissima. Arcem quoque fortissimam Romani, ad hostium incursiones repellendas, instruxerant, et in civium commodum nitidissimas thermas.

At senescente imperio, et perpetuis Barbarorum incursibus, portus est ad incitas redactus. Urbs ipsa, quae antiquae amplitudinis moenibus gloriabatur, et aliquod nomen decusque sibi gestis meruerat, sensim ad praecipitum veluti ruit. Unum ei nunc admodum restat, ne in obliionem penitus cadat, portus, ad quem immensae illae Anglorum naves, quae aqua vaporata actae, ab Indiis profectae identidem adpellunt, ut merces et litterae et peregrini ad Angliam rectissime advehantur. Quod uno verbo vulgo *La valigia delle Indie* appellatur. Transit per Italiam celerrime et fugit ad suos...

Et quamquam in praesenti rerum mutatione, complures Italiae urbes, miro quodam prosperitatis certamine peractae, meliora quam antea conditione uti contendunt atque meliusculus esse, Brundusium, ne scio quo fato, idem semper est; imo et recedere videtur.

Romani imperii memoriae ac Normandicae dominationis aliquot remanent, et potentiae paucula insignia; columnae biniae scilicet ad terminum viae Appiae praeter mare, et Sancti Benedicti coenobium, templumque S. Mariae ad Casale.

Haec duo modo monumenta digna optime essent quae fusius explarerentur, una cum nonnullis, etiamsi minoris momenti ob locum, vel, meo quidem consilio, ob aliquem humanitatis sensum, et rerum reverentiam.

Est nunc Brundusii Museum haud sane contempnendum rerum antiquarum Nihil sane sumptuosius et quasi insolentius conspici alibi potest, sed pro ipsa rerum dispositione nihil infelicius. Modo habetur in Ecclesia ab equitibus Ordinis Templaris olim aedificata, et temporis iniuria hominumque indifferentia maxime deturpata vix huic muneri designatur.

Sunt enim et sua fata templi.

Verum tibi primum introeundi quae rerum multitudo est obvia! Nulla est ibi

temporis distinctio aut rerum; sed omnium perturbatio ac maxima confusio!

Haec statua, ex. gr., quae in limine prostat, et adhuc prope integra, quam artificio tu Graeco auctori optime tribueres, est propior, proh nefas! diviti piscium collectioni, qui circum capti maris fortasse Ionii abundantiam praedicabunt, sed non magistri peritiam. Absit attamen a meis verbis indignatio. Haec autem dico, eo potissimum nomine, ut si mea verba Brundusium pervenerint, illoque ore, quod nempe decet oratoris esse, dicant ac monent: omnia posse facile suo loco ponи.

Nunc enim alia sunt Graeca aliaque Romana, alia ad historiam fabularum pertinenter autmant ac vetustissima, praeter omnium historiarum cognitionem: hae statuae ac capitula sunt Graeca; alia ad recens Graecorum imperium pertinent, vel Arabum, vel Normandorum. Oh! si ordo aliquis esset, quae rerum pretiosarum optima collectio, et quae demum peregrinantibus utilitas, urbisque Brundusii decus atque ornamentum! ...

SENIOR.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.⁴

Sincerus - Vir candidi animi (recti ingenii; apertae voluntatis); Alienus ab arte simulandi (fraudandi; fallendi; decipiendi); Simplex; Minime astutus (insidious; fraudulentus; dolosus); Abhorrens dolo (fraude; insidia, etc.); Cui animus est apertus (integer; ingenuus; nulla simulatione tactus; purus a fraude); Cuius natura et consuetudo simulationem artesque omnes, quibus veritas, ut in involucre quodam obtegitur, respuit.

⁴ Cfr fasc. sup.

Singularis (animi vir) - Morosus; Difficilis; Abnormis.

Sinischalcus - Tricliniarcha; Tricliniaris; Triclinarius.

Smaltare - Aliquid encausto pingere; Aliquid inurere; Picturam alicui rei inurere.

Societas (hominum ad aliquam rem congregata) - Coetus; Conventus; Circulus; Sodalitas.

Socius (alicuius academiae, conlegii etc.) - Adlectus (Cooptatus) inter sodales N. (in conlegium [ex. gr. eruditorum]).

Solamen - Solatium.

Solarium - Tabulatum; Contignatio - *Solarium facere*: Tecta contignare (contabulare; coassare; coaxare).

Soliloquium - Sermo secum ipso habitus.

Sollemnitas - Sollemne.

Solvere vestem; panem, et sim. - Solvere pro veste; Solvere panis [etc.] pretium.

Somniolentus - Somniculosus; Somno deditus.

Soprana voce canere - Acute (Acutum) canere.

Sparsim - Pluribus in locis; Non uno in loco.

Spatosus - Amplus; Magnus.

Spectaculum - Ludi.⁴

Specula (astronomica) - Turris speculatoria; Turris astrorum speculatrix; Turris ad caelestes orbis contemplando.

Spem dare (alicui) - Spem facere (afferre; ostendere) alicui; In spem aliquem adducere, (inducere; impellere; vocare).

Spiritualis (sensus) - Animi delectatio.

Spurius (nummus, signum, etc.) Adulterinus.

Squittinium - Cfr. *Scrutinium*.

Stare a longe - Eminus stare.

Statio (ad aliquod templum [Romae]); Supplicia stativa ad ...

⁴ *Spectaculum theatrale* - Ludi scenici,

Statuarius - Signorum fabricator.

Status - Imperium; Republica; Regnum.⁴

Statuta - Leges Municipales.

Stilus - Scribendi (Dicendi) modus(ars; genus).

Stola - Zona.

Stratagema - Consilium (Inventum) callidum; Artificium.

Studentes - Juventus studiosa.

Stucum (Stuccum) - Opus plasticum.²

Subastare - Praeconi (Sub praecone; Praceonis voci) subiicere.

Subaudire - Intellegere; Supplere.

Subdiaconus - Hypodiaconus.

Subditus - Civis alicuius imperio subiectus.

Subintellegere - Cfr. *Subaudire*.

Subitanus - Subitus; Repentinus.

Subiugare - Subigere; Sub iugum mittere.

Sublimitas - Excelcis.

Sublimiter - Sublimi loco (gradu).

Sublunaris - Qui sub luna (infra lunam) est.

Submagister (apud aliquam regiam domus) - Proximas ab admissionibus.

Submittere se legibus - Obtemperare legibus.

Subordinare - Subiicere; Supponere.

Subornare - Alicuius animum auro tentare; Aliquem pecunia coëmtere (corrumperem).

Sub praetextu - Simulatione; Specie; Nomine.

Subprior - Promagister

Subrepticium (rescriptum) - Ius per fraudem eruptum.

¹ *Consiliarius Status* - A consiliis negotiorum publicorum; In consilium regno N. administrando adscitus; In consilium publicum regni N. adlectus. — *Praeses Congregationis Status* [Romae]: Praeses Consilii regii Provinciarum.

² Itaque: Aliquid opere plastico exornare; et etiam: Aliquid marmorato polire (perpolire; inducere) — *Artifex ex stuco*: Plastes sigillarius.

Subsidium - Pecuniae (Opis) solatium (adiumentum).

Substantia - Natura; Fortuna. - *Substantiae*: Domesticae opes; Patrimonium.

Substitutus - Suffectus.

Subterrare - In terram defodere (fodere); Humo condere (tegere; contegere); Humare.

Successores - Posteri; Qui succedunt.

Sufficienter - Satis.

Sufficit - Satis est; Satisfacit.

Suffraganeus (episcopus) - Vice sacrae antistes.

Suffragia (facere) - Solatia caelestia (Pacem aeternam) piis manibus quaerere (adprecarri); Vita functis spem a Deo rite implorare.

Suicidium - Mors voluntaria.¹

(Ad proximum numerum).

I. F.

¹ Itaque *Suicida* - Qui mortem sibi sponte consciscit.

ANNALES

Inter Italianam et Angliam oeconomica compositio.

Post Americanam, accesit debiti bellici cum Anglia per Italianam compositio, quae opera Italici publici aerarii administrari cum Anglico gubernio Londini superiore Ianuario mense facta est. Pecuniae summa, ad aequum deducta, sexaginta duabus annuis partibus solvetur. Interim per gradus aureum Italiae depositum, quod, in bellici auxiliu vadimonium, traditum fuerat, ab Anglia reddetur. Novum denique hoc promissum et receptum, non aliter atque cum Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, per Germanorum bellicas refectiones Italiae debitas fiet satis, ita ut novo onere nullo Italia gravetur, liceatque ei ad humandum civitatis progressum, quem animose iterum aggressa est, unice intendere.

Varia.

- In Rumenia, quum Carolus princeps, regni heres, successionis iure sese abdicasset, ius idem traditum est eius filio Clementi, puero vix annorum quatuor.

* *

Hungaricum flagitium et dedecus.

Orbem universum commovit quod recentis detectum est Hungaricum flagitium et dedecus, publicarum scilicet Gallicarum syngrapharum adulteratio, cuius inter autores inventi sunt Windischgraetz dynasta, iam commeatus minister, atque Nadossy ... moribus et publicae securitati praefectus! Indefactum est ut et hodiernum administratorum collegium, innocens ut vindetur, sed flagiti compescendi suspectum, magnis sit affectum difficultatibus, quas tamen per inquisitionem iussam, cuius Gallicum legatum participem futurum affirmant, sese superaturum confidit.

* *

Sinense bellum civile.

Fang, e supremis militum ducibus, qui Tientsin urbem occupaverat, post offensionem ad ipsam urbem acceptam, de qua in superiori eventuum recensione nostra mentionem fecimus, rei publicae actionem bellicamque rationem omnem deseruit. Mancensis itaque dux Ciao-Tso-lin dominatum obtinuit, qui tamen ita sese gerere coepit, ut in eo prope fuerit ut bellum cum Russis incenderet. Quum enim copias suas per ferrivias a Russis instructas et possessas transducere exigeret, Russicique procuratores obsisterent, in carcерem eos detrusit et per vim propositum assequi contendit. Tum vero Russicum gubernium extremas ei condiciones - (« ultimatum » vulgo dicunt), - Mancuriām occupare minitatum, imposuit, quibus impotenti illi subeundum fuit.

* *

- In Graecia, Pangalos, gubernii praeses, moleste ferens adversarum factionum obrectationes, comitiis ad senatorēs eligendos dilatis, sese dictatorem edixit, favore militum suffultus.

- Ex Mauritania, novi Abd-el-Krim motus concursus nunciantur.

- In Gallia, de instauranda re oeconomicā dissensiones perdurant.

- In Germania, quum Kochii ad imperii supremum consilium constituendum co-natus iritti cessissent, ad Luther redditum est, qui rerum summam ita resumpsit.

Kat. Februariis MCXXVI.

POPULICOLA.



ROMA SACRA

SSMI D. N. PII PP. XI litterae encycliche de festo D. N. Iesu Christi regis constituendo.

In superiori mens. Ianuarii fasciculo nunciavimus SSMIum. D. N. Pium PP. XI encyclicas dedisse litteras, per quas, anni Jubilaei sub exitum et quasi in perpetuam eius memoriam, festum Iesu Christi Regis in singulos annos constitueretur. Documentum tanti momenti evasit, ut dignum quidem esset quod integrum referretur; quum vero impossibile praefinito nostri commentarii spatio id sit, ipsum concludere in summa cogimur, nonnullis tantum locis iuxta textum interpositis.

Quum igitur opportunitatem temporis et rerum Pontifex in proemio attigerit, notat iam diu communiterque usu venisse ut translatā verbi significatione rex appellaretur Christus, ob summum excellentiae gradum quo inter omnes res creatas praestat atque eminent: regnare enim dicitur *in mentibus hominum* quod ipse est veritas et veritatem ab eo mortales haurire atque obedienter accipere necesse est; regnare dicitur *in voluntatibus hominum*, quia non modo sanctitati in eo

voluntatis divinae perfecta prorsus respondet humanae integritas atque obtemperatio, sed etiam liberae voluntati nostrae id permotione instinctuque suo subiicit, unde ad nobilissima quaque exardescamus. *Cordium* denique rex Christus agnoscit ob eius supereminētē scientiae caritatem et mansuetudinem benignitatemque animos allicientem: nec enim quemquam usque adeo ab universitate gentium, ut Christum Iesum, aut amari aliquando contigit aut amatū iri in posterum continget. Nemo autem non videt nomen potestatemque regis, propria quidem verbi significatione, Christi homini vindicari oportere; « nam nisi quatenus homo est, a Patre potestatem et honorem et regnum accepisse dici nequit, quandoquidem Dei Verbum, cui eadem est cum Patre substantia, non potest omnia cum Patre non habere communia, proptereaque ipsum in res creatas universas summum atque absolutissimum imperium ».

Atque Christum esse Regem nonne in Scripturis sacris, tum scilicet in vetere tum in novo testamento legimus? « Qua ex communi sacrorum librorum doctrina sequi profecto oportuit, ut catholica Ecclesia, quae est Christi regnum in terris, ad omnes homines terrasque universas utique producendū, Auctorem Conditoremque suum, per annum Sacrae liturgiae orbem, Regem et Dominum et Regem regum, multiplicato venerationis officio, consulataret. Iotas sane honoris significaciones, unum idemque per mirificam vocum varietatem sonantes, ut in veteri psallendi ratione atque in antiquis Sacramentariis adhibuit, sic in publicis divinae maiestati precibus cotidie admovendis, inque immolanda immaculata hostia, in praesenti adhibet; in hac vero laudatione Christi Regis perpetua pulcherrimus nostrorum et orientalium rituum concentus facile deprehenditur, ut etiam hoc in genere valeat illud: *Legem credendi lex statuit supplicandi* ». « Quo autem haec Domini nostri dignitas et potestas fundamento consistat, apte Cirillus Alexandrinus animadvertisit (in Luc. x):

Omnium, ut verbo dicam creaturarum dominatum obtinet, non per vim extortum nec aliunde inventum, sed essentia sua et natura; scilicet eius principatus illa ntitur unione mirabili, quam hypostaticam appellant»: ex iure non tantum nativo sed etiam quae sit, scilicet redemptio.

Hinc declarata huius principatus potestate, concludit Pontifex: « Itaque, si quando regiam Christi potestatem homines privatum publiceque agnoverint, incredibilia iam beneficia, ut iustae libertatis, ut disciplinae et tranquillitatis, ut concordiae et pacis, civilem consortium pervadere omnem necesse est. Regia enim Domini nostri dignitas, quemadmodum humanam principum ac moderatorum auctoritatem religione quadam imbuuit, sic civium officia atque obtemperationem nobilitat.... Quod si principibus et magistris legitime delectis persuasum erit se, non tam iure suo, quam divini Regis mandato ac loco imperare, nemo non videt quam sancte sapienterque auctoritate sua usuri sint, et qualis in legibus ferendis urgendisque rationem communis boni et humanae inferiorum dignitatis sint habituri. Hinc tranquillitas ordinis profecto efflorescat ac stabit, quavis seditionis causa remota: quod enim in principe ceterisque rei publicae gubernatoribus civis homines spectaverit sibi natura pares aut aliqua de causa indignos ac vituperabiles, non idcirco eorum recusabit imperium, quando in iis ipsis propositam sibi Christi Dei et Hominis imaginem auctoritatemque intuebitur. Ad concordiae autem pacisque munera quod attinet, liquet omnino, quo latius regnum producitur atque ad universitatem humani generis pertinet, eo magis mortales sibi eius communionis consciens fieri, qua inter se copulantur: quae quidem conscientia, cum frequentes confictiones praevertat ac praecipuet, tum earundem asperitatem omnium permulcat ac minuit. Ecur, si Christi regnum omnes, ut iure complectitur, sic reapse complectatur, de ea pace desperamus, quam Rex pacificus in terras intulit,

ille, inquit, qui venit reconciliare omnia, qui non venit ut ministraret ei, sed ut ministret, et, quum esset Dominus omnium, humilitatis et se praebuit exemplum et legem statuit praecipuum cum caritatis pracepto coniunctam; qui praeterea dixit: *Iugum meum suave est et onus meum leve?* O qua fruicenter beatitate, si a Christo et singuli homines et familiae et civitates se gubernari sinerent! « Tum denique – ut verbis utamur, quae decessor Noster Leo XIII ante annos quinque ac viginti ad universos sacrorum Antistites adhibuit – licebit sanare tot vulnera, tum ius omne in pristinae auctoritatis spem revirescit, et restituentur ornamenta pacis, atque excident gladii fluentque arma de manibus, quum Christi imperium omnes accipient libentes eique parebunt, atque omnis lingua confitebitur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris ».

Iamvero, quo optatissimae eiusmodi utilitates uberioris percipiuntur et in societate christiana stabilius insident, quum regiae Salvatoris nostri dignitatis cognitionem disseminari quam latissime oporteat, ad rem nihil magis profuturum Pontifici videtur, quam si dies festus Christi Regis proprius ac peculiaris instituatur. « Iam si Christum Regem ab universitate catholici nominis coli iusserimus, eo ipso et horum temporum necessitatì prospecturi et pesti, qaae societatem hominum infecit, praecipuum quoddam remedium adhibituri sumus. Pestem dicimus aetatis nostrae laicismum, quem vocant, eiusdemque errores et nefarios conatus: quod quidem scelus, nostis non uno maturuisse die quum iam pridem in visceribus civitatum lateret. Christi enim in omnes gentes imperium negari coepit; negatum, quod ex ipso Christi iure existit, ius Ecclesiae docendi humanum genus, ferendi leges, regundi populos, ad aeternam utique beatitatem perducendos. Tum vero paulatim Christi religio aequari cum falsis in eodemque genere, prorsus indecora, poni; deinceps civili potestati subiici arbitrioque principum ac magistratum fere permitti; ulterius

ii progredi, qui naturalem quamdam religionem, naturalem quendam animi motum pro divina religione substitui oportere cogitarent. Nec civitates defuere, quae censerent, posse Deo carere et religionem suam in impietate negligenterque Dei esse positam. Acerbisimos sane, quos eiusmodi a Christo et singulorum civium et civitatum defectio tulit tam frequenter tamque diu, fructus in Litteris Encyclicis *Ubi arcano* conquesti equidem sumus iterumque hodie conquerimur: scilicet sata ubique discordiarum semina easque invidiae flamas simultatesque inter populos conflatas, quae tantam adhuc reconciliandae paci moram inferunt; cupiditatum intemperantiam, quae haud raro specie publici boni caritatisque patriae obteguntur, atque inde profecta, cum civium discidia, tum caecum illum et immodicum sui amorem qui, quum nihil aliud nisi privata commoda et emolumenta spectet, hisce prorsus omnia metitur; eversam funditus officiorum oblivione ac negligenter domesticam pacem; familiae communionem stabilitatemque labefactatam; concussam denique atque in interitum actam hominum societatem. Quae futurum ut ad amantissimum Salvatorem redire auspicato properet, agenda posthac annua Christi Regis celebritas spem Nobis optimam commovet. Catholicorum utique foret, hunc actione operaqua sua maturare ac celere redditum; verum ex iis bene multi nec eum videntur in convictu, ut aiunt, sociali obtinere locum nec ea valere auctoritate, quibus carere eos dedecet qui faciem preferunt veritatis. Id fortasse incommodi bonorum est lentitudini vel timiditati tribuendum, qui ab repugnando se abstinent vel mollius obsistunt: unde adversarios Ecclesiae necesse est maiorem capere temeritatem atque audaciam. At si quidem fideles vulgo intellegant, sibi sub signis Christi Regis et fortiter et perpetuo militandum esse, iam, concepto apostolatus igne, abalienatos rudesve auimos Domino suo reconciliare studeant eiusque iura tueri incolumia nitantur.

« Atque praeterea nonne publicae eiusmodi

defectioni, quam laicismus cum tanto societatis detimento genuit, accusandae et aliquo pacto resarcendi celeberrima ubique gentium quotannis Christi Regis sollemnia summopere conducere videntur? Etenim quo indigniore suavissimum Redemptoris nostri nomen in conventibus inter nationes habendis et in Cuariis silentio premitur, eo altius illud conclamari et regiae Christi dignitatis potestatisque iura latius affirmari oportet. »

Ad hanc vero diei festi celebritatem insti-tuendam, iam ab exeunte superiore saeculo viam feliciter egregieque munitam esse conspicimus; in quam profecto magnum processum apportarunt frequentissimi Eucharistici conuentus aetate nostra cogi soliti « eo nimirum spectantes, ut vel singularum dioecesum et regionum et nationum vel universi orbis populi, ad Christum Regem sub Eucharisticis velis delitescentem venerandum colendumque convocati, per habitas in coetibus inque templis contiones, per communem Augusti Sacra-menti publice propositi adorationem, per magnificas pompas, Christum sibi Regem divinitus datum consulent. Iure meritoque dixeris, christianam plebem, divino quodam instinctu actam, Iesum illum, quem impii homines, in sua quum venisset, recipere noleurunt e sacrarum aedium silentio ac veluti latebra triumphantis more per vias urbium eductum, in regalia omnia iura velle restituere ».

Denique ad consilium perficiendum eam habet annus sanctus ad exitum properans opportunitatem, « qua nulla profecto maior videatur, quum fidelium mentes animosque ad bona caelestia, quae exsuperant omnem sensum evocatos, benignissimus Deus aut gratiae suae dono iterum auxit, aut, novis adiectis ad aemulanda charismata meliora stimulis, in recto itinere pergendo confirmavit », et quum « per saecularia Concilii Nicaeni sollemnia vindicatam commemo-ravimus Verbi Incarnati cum Patre consubstantialitatem, qua eiusdem Christi in omnes populos imperium, tamquam fundamento suo nititur ».

Constitutis deinde sollemnibus eorumque regulis positis, confidit Pontifex huiusmodi diei festi celebrationem universis gentium ordinibus profuturam. Ipsas civitates ea, annua renovata orbe, monebit « officio Christum publice colendi eique parendi, ut privatos, sic magistratus gubernatoresque teneri; hos vero revocabit ad extremi illius iudicij cogitationem, in quo Christus non modo de publica re electus, sed etiam per contemptum neglectus ignoratusve, accerrime tantas ulciscetur iniurias, quum regia eius dignitas id postulet, ut respublica universa ad divina mandata et christiana principia componatur cum in legibus ferendis, tum in iure dicendo, tum etiam in adolescentium animis ad sanam doctrinam integritatemque morum conformandis ».



VARIA

Felix est parvo contentus

Felix esse cupis? Quae possides bonorum utilitatem agnosce et gaudere illis addiscas; desideria, cupiditatesque coercentes; qui enim plura desiderat, pluribus eget. Necessario esto contentus. Omnibus fortunae thesauris est modestia praestans, et dives opum plerumque est pacis inops.

Quidam philosopho Menedemo olim dicebat: Oh, quam pulcrum id quod quisque exoptat habere! « At pulcrius, - graecus reposuit sapiens, - acquiescere rebus suis, quaeque nostrum propriae sunt: tunc enim tranquillitate magna vita vivitur, iis ignota prorsus quos insana urit cupidio ».

Caeco qui ambitu mancipantur atque effrenae indulgent voluptati, continentur insaniunt, nec ullo unquam tempore iucunditatis hora recreantur; vanae spei perpetuo ludibria, veneno dies inficiunt vitae suae inanibus votis, quae illos con-

ditionis suaee causa maiores torquent in modum eosdemque inhibit officiis implere suis et commoditatibus inservire. Quod a felicitate fortius avertit, bonorum huius temporis audit libido. Crescit habendi fames dum ipsa pecunia augetur. Minus contenti sumus iis, quae possidemus, quam de aliorum bonis solliciti, adeoque continue maiorum avidi. At Salomon ait: « Qui preepropere ditescere studet aliisque invidet, ignorat improvisa iri se pauperie interceptum. Saepe nimium inhiantem, nihil manet ».

Tres incolae Balkii magna in urbe apud Tauricos una simul iter aggressi, thesaurum invenere; illum sibi diviserunt, itemque viam carpentes multis disputabant sermonibus, quidquid de tot aureis agerent.

Deficiente eosdem annonam, consilium ceperunt ad proximiorem civitatem mittendi ad escas sibi comparandas. Sorte delectus operi iunior, dum seniores nummum acervo custodias obeunt. Festinus abiit ille et gradiendo, haec secum: Si pretiosum solus aes invenissem! Binas mei obtinent comites partes. Ecur mihi portionem quoque eorum auferre non dabitur?... Scienti, serioque volenti nil arduum, quid ergo?... Veneno rem geram. Toxicum perferendas epulis iniiciam; dicam autem, dum redeo, me in civitate iejunium fregisse. Ipsimet a qualibet suspicione remoti, epulis sese onerabunt et extinguentur. Modo non nisi triens mihi est auri, postea auri argenteique pondus possidebo totum».

Interea duo sub umbra mussitare exspectantes: « Nos, o stulti, quid egimus? Imberbem illum nobis socium adscivimus, ideoque cum illo dividendum nobis est aurum. Quod ipsum contingit, poterit ad nos quoque pertinere, nosque reddere opulentiores. Iam, iam redditurus pugionibus manuum nostrarum, lucis splendore simul aurique privabitur». Rediit iuvenis ipsumque, structis insidiis, homines perdidere. Inde quum de allatis epulis accepissent, et ipsi veneno perierunt.

Hinc factum est ut ibidem, ubi inventus fuerat, intactus atque incolmis thesaurus restiterit.

Quod nimis divitiarum avido satis esse deberet, plerumque illius acut sitim acrius. Auro refertus avarus inopi continenter invidet, seipsum enim vincendo impotens, haud par est cupiditatibus suis imperare, neque gaudio aliquando exsilire. Sapiens, e contra, moderatus homo divitiis assidue, quamvis parvulis, satis abundat, nobilis semper, liberalis semperque contentus. « Hominem vere divitem si vis te fieri, vetus philosophus aiebat, - non bona tibi augenda sunt, sed potius desideria restrin-genda. »

Ex • Schola morum • BLANCHARDI latine reddidit

HERM. M. IACOBELLI.

* *

Iocosa.

Tuccius in schola.

MAGISTER. - Quaenam opera vocantur postuma?

Tuccius, prompte. - Quae ab auctore post mortem scribuntur!

Tuccius ex immoderata cibi abundantia stomachi crudite laborat. Accedit medicus, qui, ut linguam inspexit, idoneum medicamentum praescribit.

Quum vero e cubiculo exiit, noster matri:

- Ecquid medici genus istud? Acerri-um molestumque ventris dolorem conqueror; is autem linguam probat, quae nihil prorsus dolet!

* *

Aenigmata.

I

Littera terna mihi; villam, nemus arvaeque [signo].

Unam praefigas: pars ego magna pedis. Nec cunctare mihi subnectere denuo ternas

Litterulas: dulcis nascitur esca tibi.

II

Syllaba prima iuvat largos, deterret avaros; Altera bestiola est, in toto saepe latescens.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Sal via*; 2) *Corbis, Orbis*.

Libera a pittacis responsa.

SOCIORUM ITALORUM in mentem revocamus, a mense Ianuario pretium annuae subnotationis fuisse pro Italia constitutum lib. 15, non 12. Qui igitur minorem summam miserunt, eamdem velint per supplementum rite exaequare.

Cl. v. RIC... CAYS, *Bukalasu*, in *Ugandia*.

- Praeter libros, quorum indicem in secunda cuiusque fasciculi operculi pagina reperies, alii a nobis minime editi sunt.

R. p. NIC... GRUND..., *Curityba*. - Ob novos istic acquisitos *Almae Romae* socios amplissimas gratias et habemus et referimus. Fasciculos speciminis gratia distribuendos hisce diebus ad te misimus.

Cl. v. IAC... TAS..., *Tonnerre*. - Scripta quae recens misisti obscura nimis visa sunt...

Cl. v. BEN... PALL..., *Florentiae*. - Nimia desideras, quam ut tibi satisfacere possimus!

Rev. LUD... CHAR..., *Trois Rivières in Canada*. - Pretium annuae subnotationis est trium dollarorum, non unius!

Cl. v. VINC... LAK..., *Keszthely*. - Tibi morrem gessimus, ut vidisti. Subnotationis pretium accepimus.

Cl. v. ANT... BAR..., *Czerwinski*. - Subnotationem tuam incepimus a mense Ianuario 1926; quos vero misisti nummi vix italicas libellas sexdecim exaequarunt.

Rev. FR... LEWAND..., *Posen*. - Wojciechowskianas litteras nunquam accepimus; tuas utique cum adnexa syrapha, quam non sine difficultate exegimus, quia non Romae, sed Mediolani iussa fuerat.

A SECRETIS.

PANCRATIUS

[11]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit Andr. Haberl)



HYPH. Quia is nequaquam passus est. Recedens ego portendo lanceam. Ille nescio qui extortam ex meis manibus, contorsit, quo vides, abhinc ulnas quinquaginta. Hu, quam ille terribiliter torquebat oculos igneos! quam fervidum vomuit vaporem!

CORV. Satis est! Quid deinde factum?

HYPH. Longa umbra postea processit ex adversa parte pilae. Priusquam inspicerem accuratius, evaserant omnia!

CORV. Sed cur non clamavisti? Cur non ad persequendum concitasti alios?

HYPH. Primum ob eam rem, Corvine, quod, ut libenter pugnamus cum homine quolibet, ita umbras persecui omnino displicet: deinde, quia suo loco pendente adhuc tabula, nequaquam visum est necesse longius subsequi.

CORV. O monstrum stolidissimum et execrandum! Res tibi fatalis erit, capital fecisti.

HYPH. Nam quid narras? Quid est hoc: capital?

CORV. Quod passus es tecum loqui, qui non dixisset tesseram.

HYPH. Placide, Corvine, iudica! Nam quis non dixisse tibi dixerat?

CORV. Quae fuit eius tessera?

HYPH. Nomen imperatorum.

CORV. At imperatorum numen fuerat!

HYPH. Quasi vero multum differat *numen* dicas, an *nomen*.

CORV. Id te latet, asine, quae horum sit vis verborum? Numen imperatorum divinam sonat imperatorum naturam. Hoc quoniam nemo Christianus dicturus erat, a me consulto erat positum. Imperatorum nomen secure oines dixerint. Non igitur plurimum interest?

HYPH. Id ego non eram odoratus. Postea ipsi vigilabitis (*Abit*).

CORV. O me captum mente, qui inculti hominis statura motus non potius taurum ad pilam posuerim! Ille certe suum fecisset officium. Sed ego fisis eram ferocis robore, ardore oculorum, hirsuta barba, quae sola sunt nihili. Stultus homo etiam leone fortior ad nihili prorsus aptus est. Intream, nisi hoc fecerunt Christiani, homines perditissimi! Statim illi huius insanii stultitia in rem suam abusi sunt. (*Mora facta deliberat*): Papae! Quo mens abripitur? An membranam furatus est Pancratius? Hoc si comperissem, noctu et interdiu id agerem, ut odium explorerem meum eius sanguine (*Incedit huc illuc quasso capite*). Quantus is motus erit, quum luce prima cives Romani huc venerint! Suspident naso Corvinum, qui nocte proxima vigiliis praefuerit. Iniqua sane et sinistra haec sunt auspicia venationis! Si postea gratia Caesaris omnis nubibus abducta erit, totus extinguetur tui splendor sideris! At duo mihi supersunt canes venatici, in quibus iam spes reliqua posita est. Torquatus fideliter meam indagabit feram, dolus meus irretiet. (*In mobiles parietes*): Heus, Torquate, huc ades! Datam exsolves fidem! (*Torquatus tristis intrat*). Deduces nos in catacumbas: hoc enim vos caecos talparum cuniculos vocatis nomine. Sed ubi primum conatus eris nos decipere, perieris!

TORQ. Ah me absolve isto, Corvine, mune re! Et quem satis divexasti, tandem cum bona pace missum fac! Persensi vim tuam affatim. Homo Romanus iam ostende animi magnitudinem, dignus tuo ut sis nomine, generosae gentis dignus nomine.

(*Ad proximum numerum*).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*
ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina col-
loquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae
fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae
lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyloina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Sin-
gulae lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integral ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque trumite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE SCHOLARUM OFFICIIS

In veterata opinio est, unicum scholae munus esse scientia adolescentes erudiendi; mores autem fingendi, animos ad virtutem formandi, parentibus. Atque hoc liberenter paterni maternique nominis reverentiae omnes concessissent, nisi perditimores, nisi lues illa ad suum commodum quaecumque aguntur referendi tum familias tum rempublicam pariter vulnerarent. Quum vero cavendum sit ne quid hominum universitas detrimenti capiat, duplex attribuendum videtur scolis officium, erudiendi scilicet, atque educandi.

At educatio triplex facile appareat, civilis nempe, politica et religiosa. Velim etiam quartam addere speciem, familiarem utique, ut singularum societatum speciei, in quibus naturaliter versatur homo, cultus respondeat idoneus. Quadruplicem dicamus igitur educationem scholae credendam; non enim illis assentior, qui moralem tantummodo et civilem tenentes, aut imperfectum quoddam, aut confusum proferunt, in quo «nec pes nec caput uni reddatur formae», dum, inter civilia iura et officia, illa quae sunt politica ebulliunt; dum in ea quae politica et moralia struis, religiosi convenient inopina, inexspectata ac tamen suprema. Quid leges sine moribus? Et quid absque religione mores? Angusta inno-

centia est ad legem bonum esse; sibi fides probitas et humanitas vindicant, quae omnia extra publicas tabulas sunt; neque ipsa lex aliquid, praeter terrorem presentem, callido facile cuivis vitandum habet, nisi et iusta et aequa sit, et a numine deorum rationem traxerit.

Dociles effingat schola filios, matres deinde et patres egregios, optimos cives, integerrimos magistratus, austeros iudices, pios milites, remotis inquis imperiis, necesse est; secus dissidium, quod anteac tempibus comprimi non valuit, immo etiam, acuens aestu contentionis, longius disagregavit atque disiecit eos, qui paulo ante proximi disserebant.

Quaestiones vero huiusmodi non absolvendae et resolvendae modo, sed omnino aptandae sunt ad usum vitamque nationum, ad bonum civitatis atque familiae, ut illa generi humano sternatur via ad ea tantum sentienda, quae recta, bona iustaque sint, ad ea omnia superbius reicienda et respuenda, quae societatem, cuiusvis nominis et generis illa sit, — nos autem nihil praeter bonum et honestum praesumimus — quomodocumque possint labefactare.

Quippe tunc erit optimum omnibus, quum quisque, pacata republica, et optime agat et beatissime vivat: tunc erunt generis humani deliciae, quum terra erit sermonis unius et labii eiusdem; non quod

omnes eodem loquuntur idiomate, sed quod omnes prius illa quaerant, quae universis, non quae sibi prosint; tunc erit pax et felicitas temporum, quem non una lex erit Atheneis, alia Romae, alibi alia, sed eadem interminabilis utique et perpetua, unusque legis moderator, qui rerum hominumque est Pater et Auctor, Deus. Scimus enim, historia teste, eas praevaluisse maxime gentes, quae tali sunt usae concordia; et videmus nunc Europam nostram, Asiae et Africæ hac ipsa de causa praestare, itemque eas gentes exhibere, quae, ab Europa deductæ, unitate magna et foedore in Americis imperant.

Hic enim operæ pretium est, atque hic omne pondus, ut ita inter se concilientur iura, ne iura aliena concilcent; ita inter se diversa conserantur officia, ne aliud proximum implicant vel remotum; et amice inter se coniurantia bonum tam in singulos quam in universos aequo cornu plenoque diffundant, ne, dum flumen conflicit, rivus arescat.

At quo ritu haec adstrui possint, ego, potiusquam ab obscurissimus conjectationibus et acribus disceptationibus, deducendum ex historica animadversione puto, quae inquiratur undenam populus ille latrex, qui terras omnes possedit in consilio et patientia, illud assequutus sit, quod quingentis annis obtinuit, neque amisisset, nisi privatorum civium ambitione, nisi luxu, vitiisque asiaticis punicisque, Romanæ contabuissent virtutes.

Atqui, si Horatio credimus, omnia in moribus, quibus imbuuntur adolescentes, posita sunt; non enim aliud in illo saeculari carmine ad Romani imperii incolitatem is precatur, quam unum hoc:

Di, date mores facili iuventae!

Mores autem iuventae inserere scholiarum disciplina potest ac debet: quae enim teneris ab unguiculis didicimus, altius haerent animo, nec facile oblivione teguntur primo, nec inde delentur. ROMANUS.

Eucharisticum Prodigium Senense

Adventante Eucharistici Internationalis Conventus celebrationē, quae mense Iulio, Chicagine in urbe Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis fiet, magna opportunity atque utilitati fore duxi mentionem in nostro commentario revoare Eucharistici Prodigii Senensis, perfectae scilicet et absolutae conservationis Ss̄mi Sacramenti sub specie panis; quae ab anno millesimo septingentesimo trigesimo ad nostros dies Senis perdurat, in Sanctae Catharinae ac Sancti Bernardini gloria illa patria.

Nihil enarratio historicis documentis, iisque summa fide dignis, destitutum. Ipse met in pertractando argumento omne meum studium ac diligentiam adhibui, ut haec Historica disquisitio numeris omnibus absoluta evaderet.

Quaestio autem est de prodigio, quod tale est, non solum propter suam causam efficientem, sed etiam propter modum et circumstantias, in quibus evolvitur et perficitur. Est enim prodigium, seu miraculum, *id, quod divinitus fit* (ideoque non humanus); et *fit praeter ordinem particularē communiter servatum in rebus*.¹ Quapropter *miraculum* voco, ut ait S. Augustinus, *aliquid arduum, aut insolitum supra spem vel facultatem admirantis.... ad aliquid divinitus annuntiandum nostris sensibus*.²

Itaque Senis, in Italia, in templo S. Francisci, quod, ut decet, regunt Religiosi ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, die xiv mens. Augusti, an. MDCCXXX, furto ablata fuit Pyxis, continens plus quam tercentas «Particulas», consecratas ad sacram convivium frequenti populo dandum die festo Assumptionis

¹ S. THOMAS, III, Q. XXIX, art. 1, ad 2.

² S. AUGUSTINUS. *De Trinitate*, lib. III, cap. IX.

Beatae Mariae Virginis. Post tres dies sedulae et anxiae inquisitionis, Particulae inventae fuerunt in quadam eleemosynarum capsula, exstante in proximiori templo, et quidem immixtae inter pulverem, araneas et patredinem. Juridice demonstrata *ad evidentiam* ipsarum identitate, praeseatae Sacrae Particulae, ad memoriam Ecclesiam translatae, a fidelibus civitatis Senensis, et ab incolentibus pagos et oppida viciniora, certatim ad sacrilegam expiandam iniuriam, speciali et assiduo cultu venerantur.

Deus ipse, qui tales cultum remuneratur, efficit, ut Sacrae Particulae nullum corruptionis signum exhibeant, et Sacerdotes nonnisi minimam earum partem consumant. Conservationis perdurantis factum, quod vulgo fuit miraculo adscriptum, prouti tale, anno MDCCCLXXX, primum a Ministro Generali memorati Ordinis, deinde a Ministris Provincialibus, usque ad annum MDCCCLXXXVII fuit canonice recognitum.

Sequuntur formales requisitiones ab anno MDCCCLXXXIX usque ad annum MCMXIV ab Archiepiscopis peractae: qui simul cum Theologis, Medicis et Peritis perfectam et absolutam Sacrarum Particularum incorruptionem in tot temporis periodis, circa gustum, tactum, consistentiam, luciditatem et colorem iure, meritoque confirmant.

Peculiarem mentionem merentur experimenta physico-chimica, quae, in recognitione peracta anno MCMXIV, athenaei Doctores, quorum praecipuus Syrus Grimaldi, nuper, proh dolor! morte abreptus, honoris ergo recolendus, sub vigili direktione Archiepiscopi Senensis, Prosperi Scaccia, adhibuerunt.

Unius Sacrae Particulae fragmentum, immersum in aqua distillata, visum fuit post breve tempus tumescere, instar panis: additis vero duabus guttis *lucnis mucoscentis*, color ruber-pallidus producitur: argumentum *tenuissimae acidae reac-*

tionis, quae est propria ordinarii azymi panis, atque ordinariae farinae.

Aliud praeterea Sacrae Particulae fragmentum, duabus infusum *tincturæ iodii* guttis, visum fuit vehementi caeruleo colore affectum, ad ostendendam amyli praesentiam, quod est praecipuum ac potius panis elementum.

Dignum est, quod maxime consideretur, in hac scientiae pervestigatione prolatum iudicium: Sacras nempe Particulas classicum exemplum exhibere illius conservationis, in quam ne tempus quidem visum est sua iura exercere.

Quod iudicium, continua et quotidiana experientia, usque ad nostros dies amplissime confirmatur. Quare Senis, in Ecclesia S. Francisci, summa cum admiratione animadvertisimus, elapsis fere bis centum annis, plusquam ducentas Sacras Particulas incorruptas et absolute integras adhuc asservari: videlicet Ss̄mae Eucharistiae Sacramentum sub panis specie conspicimus per duo circiter saecula perstans, praeter omnem naturae legem, et omne quotidianum experimentum. En prodi-
gium, *quod divinitus fit, praeter ordinem communiter servatum*; en singulare fac-
tum, vel, ut melius dicamus, unicum inter eucharistica prodigia, sive in se ipso con-
sideretur, sive in longa eiusdem diutur-
nitate, ita ut non modo praesens tempus respiciat, sed etiam futurum amplectatur.

Nunquam dici auditum fuit, vulgares noctras Particulas, confectas et consecratas ut intra breve temporis spatium ad distribuendam fidelibus sacram synaxim adhibeantur, neque ea diligentia, Sacris Speciebus debita, custoditas; continuo obnoxias aëri, humiditati, pulvri, e quibus efficacissima exoritur corruptionis propaga-
tio, etiam unius anni spatio in Ciboriis Ecclesiarum nostrarum, in Pyxidibus inte-
gras asservari. Quid vero dicendum erit,
si huiusmodi temporis spatium ad duo fere saecula producatur? Si vel ipsi doctis-

tissimi viri pro certo habeant absolutam hanc conservationem infra praesentis temporis limites non circumscribi, quum Sacrae Species, Senis veneratae, nullum omnino corruptionis indicium praeseruant?

* *

Quo posito manifesto prodigio, veluti puerilia habenda sunt, quae ordinario obiciuntur: « *Curnam Sacrae ipsae Particulae non fuerint suo tempore consumptae, vel adhibitae pro sacra Christifidelium communione* ». Si, prouti animadvertisimus, miraculi auctor est Deus, ab eius utique numine repetenda sunt omnia eiusdem miraculi adiuncta. Si Dei fuit voluntas, ut istud miraculum fieret, numquid homo potuissest inanem reddere divinam hanc voluntatem, consumendo Sacras Particulas, quas incorruptionis munere a Deo ipso donatas, hodie cernimus, atque admiramur? Nonne homines et tempora divinae subsunt voluntati?

Suspiciose vero cogitantibus aliquam Particularum suffectionem vel substitutio nem, temporum decursu, respondemus, in rebus historicis rationem habendam factorum, minime vero suspicionum. Atqui circa rem, de qua agimus, nullimode dubitari potest, Sacras hodiernas Particulas easdem omnino esse, atque illas quae anno MDCCXXXI confessae, consecratae, im pie abreptae ac divinitus repertae sunt.

Abstineamus comparationibus, quas eucharisticorum prodigiorum historia supeditare potest. Sed tamen quia inter miracula in genere reperiuntur differentiae, et quidem notabiles: ideo exaggerata dici nequit assertio, Senense prodigium reliquis praestare, eo quia diuturnam conservationem respiciat unius e duobus sensibilibus elementis, quibus Iesus Christus, Dominus Noster, veram, realem atque substantiam praesentiam suam adnectere, et subordinare voluit. Quod si haec deficit

per elementi alterationem, eodem integro manente, eucharistica et Sacramentalis praesentia Iesu Christi indeficiens perseverat. Iamvero variae recognitiones perfectae, quotidiana experientia, sensus ipsi absolute integras nobis ostendunt Sacras Particulas, Senis veneratas, quae iam ab anno MDCCXXXI consecratae fuerunt. Igitur historia, fides, scientia nos omnino tutos reddunt, nullam praeter temporis differentiam reperiri inter Sacras Particulas recenter consecratas, et illas a duobus fere saeculis, consecratas pariter Senis.

* *

Eucharisticum proinde Prodigium Senense suapte natura se commendat non modo fidelium venerationi, verum etiam studio Theologorum, Historicorum, « Apologetarum », nec non eorum omnium qui catholicam doctrinam exponant atque illustrant.

Eucharisticum Prodigium Senense admirationem Summorum Pontificum, Benedicti XV, immortalis memoriae, nec non Pii XI, feliciter regnantis, vehementer excitavit, pariterque plurium Eminentissimorum Purpuratorum Patrum aliorumque virorum dignitate praestantium, qui per tantum temporis spatium, praesentes rem cognoverunt.

Eucharisticum denique Prodigium Senense summis laudibus extollitur ab innumeris fidelibus ex omni ordine, qui ad illud contemplandum Senas frequenter se conserunt.

Ita etiam fit ut Eucharisticum Prodigium Senense in omnibus Eucharisticis Conventibus, tum unius gentis tum plurius, ampliore mentionem mereatur, quum eorumdem finis, sicut miraculi nostri, sit fidei, venerationis et cultus augmentum erga illud augustissimum Mysterium, quod nobis omnibus est fons vitae, integræ vitae, aeternæ vitae.

AUGUSTINUS RUELLI O. S. A.

QUI FUERUNT ...

Desideratus Mercier.

Duobus abhinc mensibus, a. d. x Kal. Febr., universa hominum societas infasto feralique nuntio perculta est, Patrem purpuratum Desideratum Mercier, Meclinensis Archiepiscopum et Belgicae Primatorem, iam dudum infirma valetudine laborantem, sanctissime diem supremum obiisse. Qui vir quum tot ingenii animique dotibus excelluerit et in nostrum Praecolum benevolum usque sese ostenderit, huic non immerito nos, postremi forsitan, laudibus prosequemur.

Nobilis Belgarum natio ei patria fuit exeunte anno MDCCCLXI. Post philosophiae et theologiae studia, anno MDCCCLXXIV sacris initiatus est. Ab a. MDCCCLXXVII ad a. MDCCCLXXXII philosophicas disciplinas tradidit in Mecliniensi Minore Seminario, cuius regimini interim praefectus fuerat, veteri Moderatore Dourussaz ad episcopalem dignitatem evecto.

Ea tempestate immortalis recordationis Pont. Max. Leo XIII philosophiae thomisticae instaurandae validissimam navabat operam litteris encyclicis per orbem missis. Ipso itaque suadente, quum a. MDCCCLXXXII in Lovaniensi studiorum Universitate instituta esset nova philosophiae thomisticae disciplina, eiusdem titularis doctor est renuntiatus amplissimus Mercier, qui plures annos optimo cum successu docuit.

Sed ad altiora provehendus erat. Leone XIII volente iterum et suffragante, novum, quod vocant, Philosophiae Superius Institutum anno MDCCXCII sollemniter Lovani est apertum, cui idem Mercier scopus formamque constituit prosequenda, asserens christianis philosophis ad studium directum S. Thomae Aquinatis esse redeundum, nec patiendum iam ut traditionalis philosophia ab hodiernae scientiae

incremento et evolutione prorsus aliena maneat, et, ut ita dicam, quasi adverso flumine remigetur; nobis scilicet esse ad eundos, imo et pacifico certamine aggrediendos omnes illos philosophos, qui christiane doctrinae principiis sint infensi, eosdemque in nostram sententiam esse adducendos sanae rationis validis argumentis; sin minus, illos eo usque perstringi debere, ut communis sensu repugnantia et absurdia quaeque admittere deprehendantur. Quod quidem ipse primus, pluribus de re philosophica editis voluminibus, egregie praestitit.

Superius Philosophiae Institutum, Mercier ipso moderante, brevi tempore floruit; nec exiguum laudem apud omnes sibi promeruit tum magistrorum peritia, tum disciplinarum gravitate et amplitudine, tum denique hodiernis necessitatibus apta accommodatione.

In horum omnium facinorum remunerationem, Mercier doctor, qui iam anno MDCCCVI episcopali insula decoratus fuerat, inter Purpuratos Patres subsequenti anno omnibus plaudentibus adscitus est.

Nec solum tamen palmis in scientiae campo pulchre relatis egregisque scriptis operibus magnam nominis existimationem consecutus est clarissimus iste Romanæ Ecclesiae Princeps; sed et boni pastoris partes optime explevit, ultimo praesertim saeviente bello, quum patriae oppugnatores acriter reprehendebat, suisque civibus, amantissimi patris ad instar, in aerumnis aderat et continenter opitulabatur. Ad haec, dogmatum integratatem contra Modernistarum errores validissime asseruit atque tuitus est, proque sua in aberrantes a dominico ovili commiseratione Romanaeque Ecclesiae inexplebili amore, Anglicanis cum eadem reconciliandis apostolico animo non sine successu studuit, publicis disputationibus inter utriusque fidei propugnatores opportune excitatis.

Denique sacrorum alumnis bonis mo-

ribus excolendis varia opera conscripsit, doctrinam pietatemque mirifice redolentia.

Liceat ergo nobis tanti Nominis obitum luctuosissimum recolentibus, illud Vergili usurpare, tenue animi nostri solatium:

Semper honos, nomenque suum lauesque manebunt!

H. DEGL'INNOCENTI, O. P.

Ioannes Cagliero.

Moestissimus haec scribo. Ioannes Cagliero, Cardinalis, idemque Episcopus Tuscanus, amicus meus carissimus, quocum per septuaginta et amplius annos, et per diversas rerum et temporum vices, coniunctissime vixi; Romae, omnibus flebilis, in suorum complexu, sanctissime cessit. Quot uno ictu acerbissima vulnera!

Natus Castronovi in Astensisibus, anno millesimo octingentesimo octavo et trigesimo, pie altus est, et mox sub disciplina Ioannis Bosco Augustae Taurinorum vel a teneris unguiculis iam certos nec poenitendos fructus retulit. Vix decimum sextum aetatis annum ingressus, rerum humanarum levitatem despiciens, pietate in Deum et caritate in pueros docendos entescens, constanti iudicio, nomen Piae Societati, tunc primum incipienti, dedit, quae a Sancto Francisco Salesio dicitur; et in ipsa solatia vitae quaesivit. Mitisissimo ingenio et moribus sanctissimis praeditus, omnibus muneribus fungens, egregiam operam Patri navavit, atque a curis publicis vacuus, ingentem in proximum liberalitatem virtutibus cumulavit.

Sacerdotio auctus, in sacris concionibus assiduus, disertus, pugnax, mirum in modum enituit ac primus inter aequales facile habebatur.

Artem musices, cuius fuit scientissimus, quo commodius suis inserviret, ab adolescentia impense coluit, et miris ac suavissimis numeris animos Italorum de-

vinxit. Atque adeo sic docta laboriosaque volumina in re musica apud vulgus editit, ut eius nomen longe lateque facile percrebresceret.

Ad altiora vero Deus eum advocabat.

Ioannes Bosco, Salesianorum legifer, quem divinitus sacras expeditiones populis ad pietatem excolendis componere diu multumque mente volutasset, hasce, duci tamquam supremo, Ei committere fas esse credidit. Hoc sane fuit immortale monumentum quod sibi et suis aere perennius Ioannes Cagliero exegit.

Mirum est quo consilio et qua integritate, quibus curis munera quaeque complevit, ut subito inter sacros missionarios princeps facile diceretur. Rem enim siti demandatam aequo administravit imperio, et Patrem sese in omnibus exhibens, rexit dictis animos, et pectora mulxit.

Nullius infortunium a se alienum pugnauit. Vir frugi, pius, rarissimae fidei, animi constantia Petrum, ardenti religionis studio Paulum retulit. Ad Patagoniam, quae vasta erat Argentinae reipublicae regio, Christo acquirendam electus, ea diligentia et caritate provinciam exornavit, ut ipse *Namuncure*, strenuissimus turmarum agrestium dux, qui alter Abd-el-Kader exstitit, Gallorum nomini in Africa olim infensissimus, pacem ab hostibus peteret et se se ipsis modeste traderet.

Episcopus renuntiatus, nihil de quotidiano cultu immutavit, et sacram sobolem per ardua ad omnem virtutem indulgenter instituit.

Post triginta et amplius annos, quasi miles rude donatus, Italiam merito petiit, et opimis spoliis exornatus, iure apud suos Romae aliquantis per quiescere putavit.

Nec vero diu mansit. Quietis enim impatiens, auctore Pio X. P. M., in medium Americam profectus, prudentia, consilio floruit, integratatis laudem cum animi benignitate cumulavit. Hoc in munere maxime rerum et hominum prudentia eluxit. Pla-

cuit, quod non hominibus inserviret sed religioni, et ius fasque ex animi sententia libero ore defendaret. Atque adeo ita sese rerum publicarum rectoribus probavit, ut voluntati eius obsistere nefas esse putarent. Et qui paulo ante eius consiliis obluctari in deliciis haberent, in obsequium proni, facile patiebantur, ut omnia ad eius voluntatem fluenter.

Hunc tam prosperum rerum cursum voluntas Benedicti XV P. M. interceptit, qui eum inter Purpuratos Patres adsciseret.

Ipse vero, si tot meritorum fructum purpuram romanam est assecutus, invictum a cupiditatibus animum exhibens, *Noster semper omnis manere voluit, nec unquam alio cognomine vocari est passus.*

Ingravescente aetate, sed firmo et integro corpore, ad Tuscanam sedem evectus, in omnibus singulari fuit prudentia, navus, laboris adeo patiens, ut diem saepe totum rebus gerendis continuaret. Cultum Virginis Opiferae impense sovit, receptus pueris exercendis tutandisque aperuit, atque, exemplo Patris, re et consilio iuvit.

Antiquae virtutis imaginem expressit, et quum integre vixisset, ad extremum tempus ita singulari floruit acumine et memoria, ut vix aliud esse possit beatioris senectutis exemplum.

Utinam vero nimio fortasse at non iniusto pudore detentus, medicis in tempore locutus esset! Neque Roma et universa Salesianorum domus illius praesentia carent, neque ego suavissimum amicum desiderarem!

Sed quando illum Deus nobis intercepit, neque alia ratione iam licet nostram ei benevolentiam testari, illius interitum sic feramus, ut nunquam de Eminissimo Viro cogitemus, quin egregias ipsius virtutes meritis laudibus complectamur.

Deo defixus, sanctissimis religionibus pluries rite perfunctus, pridie Kal. Martias, mortalem vitam cum immortali placide commutavit.

Vale in Christo, anima dulcissima, et sodales tuos moerori relictos, in contemplatione virtutum tuarum tantummodo conquiescentes, a Superis identidem resipice!

I. B. FRANCESIA.

CHRISTO REDEMPTORI REGI SAECULORUM TRIUMPHANTI

« *Vicimus! nostris superatus armis
Pendet ex atra cruce Nazarenus;
Vicimus! quis iam memorabit ultra
Nomen Iesu?* »

*Sic triumphabant Stygiae cohortes,
Sicque Iudei, Stygis administri,
Diva cum tandem moreretur ultro
Victima, Christus.*

*Tune vicisti, Satana, rebellem
Quem poli civem Deus, induendus
Carne mortali, pepulit sub ima
Tartara vinctum?*

*Pone custodes, Miser, obseratum
Qui suis cingant gladiis Sepulcrum:
Milites ridet Redivivus; ictos
Fulmine calcat.*

*Nec putes, Christo repetente caelos,
Posse te regnum populare Christi:
Dux suos agros recreat, leonum
Viribus actos.*

*Orbe fac toto rabidi tyranni
Saeviant; saevos patienter agmen
Martyrum lassat, teneris ab annis
Vincere solers.*

¹ Post datas a Pio XI P. M. encyclicas litteras de Christo rege et Christi regis festum quotannis institutum, placuit in nostris hisce paginis revocare carmen, quod de Christo rege saeculorum triumphante, ineunte saeculo XX, canebat noster nunc desideratissimus Franciscus Xav. Reuss.

*Martyrum sanguis nova Christiano
(Mira res!) Agro sata, fusus, addit;
Tuque « Vicisti Galilae! » clamans,
Abiicis arma.*

*Integras bellum tamen et, reiecta
Vi, per offusas tenebras, dolosus
Hostis, oppugnas Fidei nitentem
Eminus Arcem.*

*At dolos frusta struis: haud movendo
Insidet Moles scopulo: Petrusque,
Lectus a Christo moderator Arcis
Excubat usque.*

*Saepe, dum currit rota saeculorum,
Impius clamor sonuit: « Superbum
En ruit templum! » Stygis at ruebat
Nitus inanis.*

*Quamdiu tellus steterit polusque,
Stabit et Christi, violata nunquam,
Arx; nec avellet Crucis inde quisquam
Nobile signum.*

*Saecla viginti tua, iam Redemptor,
Sceptra senserunt: ter et o beati
Qui tibi sese populi tribusque
Sponte dedere!*

*Quippe nolentes, domitos flagellis,
Obsequi cogis; penitusque duros
Conteres olim cruce, cum redibis
Arbiter Orbis.*

FRANC. XAV. REUSS.

COMMUNIA VITAE

Diurni temporis distributio.¹

DAMIANUS, PHILIPPUS.

DAMIANUS. Non te studiorum, non temporis taedet, Philippe? Quoties relegenda est eadem semita!

¹ EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PHILIPPUS. — Nunquam me capit taedium temporis.

DAM. — Me autem in dies singulos magis ac magis.

PHIL. — Tu sectaris otia; ego fugio.

DAM. — Atqui, otio nihil est iucundius.

PHIL. — Contra, nihil est otio magis triculum.

DAM. — Fateor, tu nullum remittis tempus; nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi domum revertor, quin te conspicier scribere aut mandare memoriae, aut aliquid facere denique.

PHIL. — Vis occupationem meam diurnam omnem a capite exponam tibi?

DAM. — Pervelim.

PHIL. — Cubitu surgo primo diluculo, et comparo ad scholam necessaria. Ut octava sonuit, salutatis parentibus, sine mora confero me ad ludum litterarium, sed sic, ut per templum, quemadmodum bonum Christianum decet, mihi sit transitus.

DAM. — Ut te geris in schola?

PHIL. — Modis omnibus do operam, ne merito obiurger; ne quid dicto factoye vel praeceptorem offendam, vel socios.

DAM. — Probus es, quum ista cogitas.

PHIL. — Quum autem scholae finis si gnum datum fuerit, vasa colligo silentio. Inter eundum curo, ne qua de via declinem, aut aliter perturbem ordinem.

DAM. — Reversus e ludo domum, quid agitas?

PHIL. — Si quid est obsequii praestandum parentibus, obeo; quod si quid etiam superest temporis, mecum aut cum sodali aliquo repeto quod praelectum est in schola; denique praelectionis pomeridianae memoria refrico.

DAM. — Nae, tu parcus admodum es temporis!

PHIL. — Nec mirum, si parcus sim rei, ut multo pretiosissimae, quippe, quum periit, irrevocabilis.

DAM. — Sapis; sed quid deinde rei geritur?

PHIL. Instructa mensa, eidem cum meis accumbo. Postea, si quid vacat, lusu quam honesto laxo animum, usque dum hora revocet in ludum a lusu.

DAM. — An rursum a te aditur templum?

PHIL. — Adeo, si commodum est; sin, aut non sit tempestivum, aut non pateant aedes sacrae, tamen praeteriens, mente et cogitatione Deum saluto. Rursus in ludo, postea dormi idem ago, quod ante prandium. A coena, suavibus fabulis memet oblecto cum domesticis ante focum. Mox, pervoluto Deiparae cum parentibus rosario, prospiram noctem ipsis precor et rogo ut mihi bene dicant; sic mature me ad quietem confero.

DAM. — Laudo institutum. O, si queam assequi!

PHIL. Poteris, velis tantummodo. Ubi assueveris pauculos menses, erunt haec etiam suavia, atque adeo vertentur in naturam.

Selecta ex bibliothecis et archivis

De quodam hymno in honorem

S. Thomae Aquinatis.

Hymnus, quem subnectimus, in honorem S. Thomae Aquinatis est antiquissimus, et repertus est lustris abhinc quinque,¹ in municipali Bibliotheca Burdigalensi a quodam Ordinis Praedicatorum sodali. Quis carminis fuerit auctor nescimus, sed ex duabus primis strophae versibus haud dubie conici potest eumdem a quodam Dominiciano sodali fuisse compositum.

Quum igitur festum Angelici Doctoris in hunc incidat mensem, non ingratum lectoribus « Almae Romae » erit hymnum hunc singularem perlegere; qui, licet metricae latinae leges plerumque negligat,

alterius tamen celeberrimi hymni ipsius Aquinatis ingeniosa est et pulchra imitatio:

Pange, lingua, gloriosi
Dogmatis mysterium,
Et Aquini² pretiosi
Quem in lucem mentium,
Instar solis radiosi
Rex accedit gentium.

Nostro datus, nostro natus
Thomas est in Ordine,
Et in scholis conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui palmam doctoratus
Miro tulit omne.

Nam cum sacrae Corpus coenae
Descripsisset fratribus,
Panis, vini substans plene
Solis accidentibus:
« De me, Thoma, scriptum² bene »,
Crux afflavit auribus.

Verbo vitae, verbum verum
Thomas semper efficit;
Eius stilus dulce merum,
Nec a fide deficit;
Ad docendum cor sincerum
Solus Thomas sufficit.

Tantum, ergo, nos portentum
Venèremur cernui;
Et Aquini documentum
Nostro dispar sensui,
Praestet nostrae supplementum
Virtutis defectui.

Genitori Genitoque
Laus et iubilatio;
Procedenti ab utroque
Compar benedictio;
Aquinatis scriptis quoque
Sua sit laudatio.

Amen.

H. D. I.

¹ Pro Aquinatis.

² Intellige; « est a te ».

EX ITALIS URBIBUS

Sollemnis Athaenaei Catholici Conventus studiis auspicandis.

Ante diem IX Kal. Febr. huius anni, Mediolani, in sacello Athaenaei, Iesu Cordi Sacro, Augustinus Gemellius O. F. M., Rector Magnificus, hora nona sacris operatus, Doctores litteris bonisque artibus tradendis et discipulos omnes, oratione gravissima et ardentissima, ut studiis et pietati operam darent efficacissimis verbis adhortatus est.

Hora autem decimaquinta, quum in maiorem aulam convenissent et docentes et auditores, itemque frequentissimi ii qui dicuntur Athaenaei *amici*, quorum stipe collata necessariae opes copiaeque quaeruntur, Rector ipse Magnificus, qua pollet doctrina, tum de iis rebus quae ad religionem referuntur, tum de rebus humanis, in densa hominum corona luculentissimam studiis auspicandis orationem habuit.

Nempe is, cuius consilio, industria, virtute Athaenaeum exortum est et publico iure acceptum agnatumque, dignissimus quidem erat, qui brevem historiam rerum hucusque gestarum in hac studiorum Universitate enarraret, et pro eius futura prosperitate atque fortuna vota saceret; quibus omnes qui aderant plaudentes assensi sunt.

Huius orationem Ambrosius Ballinius, doctor Indorum linguae et litteris tradendis, excepit, commentationem legens, docetam quidem eandemque elegantem, qua quantum inter Indorum sapientiam et Europae intersit, aliquot etiam poëtarum locis allatis, disputabatur.

Postea Felix Ramorinus, Praeses Ordinis Philosophorum et Philologorum, nomine omnium in Atheneo docentium, scionem quemdam eburneum et argenteum, aere collato, ab insigni artifice perfectum,

quasi signum auctoritatis et potestatis, opportunis verbis usus, Rectori Magnifico detulit, omnibus et donum admirantibus et rem manifesto plausu probantibus.

Denique praetereundum non est, antequam conventus dimissio fieret, XX milium italicarum libellarum summam, Athaenaei Rectori, grati animi atque amoris documentum, aptissimis cum verbis, ab alumno quadam omnium nomine esse datam, ut discipulus, paupertate laborans, qui in hoc Athaenaeo humanioribus litteris iurisve doctrinis vacet, in studiis suis iuvetur.

Utinam, ut Catholici orbis Pater idemque Pontifex Maximus abhinc annis quinque est ornatissime locutus, Athaenaeum hoc nostrum pro rei publicae, pro civium salute, in dies vivat, crescat, floreat!

ALOISIUS DE SANCTO.

EX HISPANIA

Antonius M. Claret.

Postridie nonas Ianuarias huius ineuntes anni Summus Christi in terra Vicarius decretum sollemniter legit heroicas declarans virtutes Venerabilis Patris Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi olim Sancti Iacobi de Cuba, Elisabeth II, Hispanorum reginae, confessarii, duarumque Congregationum religiosarum egregii Conditoris.

Tanti eiusmodi diei sollemnitas, etsi luculenta, compluribus fortasse fuerit, non Hispanis, praeterlapsa. His vero actus ille Pontificius maximum momentum induit. Prelo praecone longe lateque per orbem commentatus est, neque adeo ut oportuit, nostro quidem iudicio. Episcoporum enim Hispano-americanorum agitur de capite adeo nobili, ut iure merito omnia necesse sit gratulatione et gloria resonare quod corona, eaque omnium clarissima, sanctitatis, inquam, in gradu heroico, tanti tam-

que eximii praesulis tempora ab Ecclesiae Universalis Principe cincta tandem contueamur. Quotquot eum cognorant, totidem sanctum praedicarunt. Ea nihilominus fuit calumniarum in paeclarissimum virum colluvies, inque integerrimam eiusdem honestatem, ut ex eo nobis exspectandi ius adasset publicam ab Ecclesia satisfactio nem, quoniā Venerabilis ille Episcopus atque Fundator nunquam sese defendere voluit, illud sibi proponentibus immutabiliter respondens: « Scit Deus mihi quid expediat ».

Novum Venerabilem (id quod erat iam ex iure vetere), posteaquam Pater Sanctissimus decretum legerat, in amplissima oratione prodidit quasi Praelatorum exemplar et preli Apostolum. Nihil de Exmī P. Claret operositate, idoneo quidem argumento, perstringam, sed humannissimos *Almae Romae* socios certiores facere malo strictis calami ductibus de mirabili vita Conditoris Congregationis Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, cuius is feliciter sum membrum, qui hos versus exarabam.

Antonius Maria Claret in Hispania apud Catalaunos Sallenti natus est, in oppido fabricationi admodum dedito Vicensis dioecesis, provinciae Barcinonensis, decimo Kal. Ian. anni millesimi octingentesimi septimi.

Initio, sicut parentes, textrinae arti operam navaverat, sed postea ad partem hereditatis Dei sese intellegens vocatum, fabricationem statim amandavit et Vicum in urbem se contulit, ubi optimis studiorum morumque censuris sacerdotale curriculum absolvit.

Sacris initiatu anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto, parum diu curam animarum exercuit quam subinde cum Missionarii titulo mutatam voluit. Eo igitur consilio Romam migravit ut Congregationi de Propaganda Fide nomen daret. Hoc tamen ideo non perfecit, quod

exercitiis spiritualibus vacans in Societatis Iesu tirocinio, novum se militem ad castra Ignatiana sensit allectum. Eo servum suum Dominus vocabat, non ut ibi aetatem degeret, sed quo melius in animo ipsius noarentur lineamenta novi Instituti, quod idem Venerabilis paucos post annos erat conditus.

Etsi in tirocinio Societatis Iesu tamquam in proprio versabatur elemento, eam pacis mansionem ex ignoto quodam in cruce aperto vulnere relinquere habuit. Quod quidem vulnus tam ei accidit divinitus, quam quod olim Societatis Iesu Conditori acciderat in arce Pamponensi

Ergo rev. Claret Hispaniam repetivit et quasi ex incantamento ille morbus evanuit. Protinus eum videris perlustrans indefessus Ibericae peninsulae populos, insulas deinde Canarias, lactos in vinea Patrifamilias colligens ubique fructus. Formam interim novi Instituti operariorum Apostolicorum mente concepit. Ex insulis in Hispaniam iterum reversus quinque secum congregavit iuvenes sacerdotes eodem quo ipse aestuentes ardore, et cum iis anno millesimo octingentesimo quadragesimo nono Vici in oppido Congregationem instituit Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Mariae, quod his nostris diebus tria circiter sociorum numerat millia cum centum et quinquaginta domibus.

Paullo post Congregationem conditam Archiepiscopus Sancti Iacobi de Cuba creatus, sex annos ibi versatus est dioecesim continenter peragrans, incolarum semper se praebens patrem, quos e ruina morali in qua iacebant erexit.

Illiis autem virtutum fama usque ad reginam Elisabeth II pervenerat, quae eum Matritum arecessivit ut sibi a confessionibus esset et a conscientia. Quo quidem munere Venerabilis usque ad infortunatae Regiae exilium perfunctus fuit, nec enim paternus ei animus permiserat difficilis illis temporibus missam facere Regi-

nam. Id nempe acciderat anno millesimo octingentesimo sexagesimo octavo. Anno vero in sequenti adstitit Concilio Vaticano, in quo omnium animos atque oculos ad se convertit propter eam mentis fortitudinem, qua infallibilitatem asseruit Pontificiam. Dogma hoc vix definitum exstitit, iterum in Galliam exsul revertit, apud suos se recipiens filios qui Pratis (*Predes*) in diocesi Perpignanensi domicilium habebant, quo paulo ante seditio popularis Hispanica eos pepulerat. Neque tamen in eo orbis terrarum angulo eximio Praesuli nequitia hominum pepercit, indeque paucis post diebus discedendum ei fuit ad abbatiam quae Fontisfrigidi (*Fontfroide*) monachis Cisterciensibus erat, ubi nono Kal. Nov. anno millesimo octingentesimo septuagésimo sanctissime vita decessit.

Ex dotibus eam Magnus Pontifex in novo Venerabili praecipue commendavit, quod sit preli recentis Apostolus. Huius ardentissimo erat accensus amore; quinimo, acri suopte ingenio in longum prospiciente, quanto in honore esset futurus scriptorum calamus in apologeticis rebus feliciter hæriolatus est, et quamquam erat indefessus divini verbi operarius, adeo ut decies milles habuerit ad populum concionem, plus centum edidit libros atque innumeritas volantes plagulas.

Ipse « librariam religiosam » instituit, editorialem scilicet tabernam, quae ex eius operibus multa prodidit volumen centena milia. Ei debuerunt Hispani et « bibliothecas populares » et scriptorum « academiam a Sancto Michaële » nuncupatam, opus quidem novis rebus postea frustratum, quod tamen paucis illis quibus exstitit temporibus uberrimos attulit fructus. Animum plane propagatorem Venerabilis Patris Claret patefacient omnino duo nobiles actus. « Plus quam semel postremis vitae suae annis – ait eius a secretis admodum illustris D. Philippus Rovira – mihi commonefaciendus fuit ut

diutius in lecto remaneret, namque cognitionis alicuius adnotandae aviditate, haud sentiens duabus vel tribus post cubitum horis surgebat atque, scripto iam aliquo libello, dies illucescebat ». Vincentius autem La Puente historiographus summe eruditus ex sese adiunxit: « Erat in ipso ea piorum disperendi librorum cupiditas, ut in itineribus cum regina habitis illos in stationum *prostaculis* (*andén*) distribueret atque per *trahaculí* fenestras in eos deliceret, qui secundum ferriviam forte transirent ».

Nunc dicendi locus esset de Venerabilis Viri virtutibus, sed hac in re seligere arduum est, ideoque silere malumus, ne deficients videamur. Aestimationi autem lectores benevolos haerere iuvabit quam apud Pium Nonum meruerat in una ex audiencie quae illi fuerat concessa, prout Hispanorum Regina ab eodem Pontifice certior facta est: « Vidi D. Claret; in eum hominem Dei intuitus sum ».

Pro tanta ipsius sanctimonia tantisque laboribus homines, iniqui nempe, conviciis atque omnis generis contumeliis eum insectati sunt. Calumnias si legas quarum terminus erat, ipse cohorresces. Vita vero eius et mors fuerunt quod lapideum, sub quo sepultus est, prodit epitaphium:

DILEXI IVSTITIAM

ODIVI INIQVITATEM

PROPTERA IN EXSILIO MORIOR.

De Patris Claret erga Mariam pietate ob quam et Ligerius Hispanus et Apostolus Mariae a compluribus vocatus est, deque auctore cogitans libelli *De vera devotione*, cuius ille adeo est similis, ad eumdem etiam transferre ausim Beati Grignonis de Montfort lapidem sepulcrem:

Quid cernis viator? Si vitam quaeris, nulla integrior;
Si pietatem in Mariam, nullus Bernardo similior.

Cervariae in Hispania, Kal. Febr. MCMXXVI.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.¹

Summitas - Fastigium.

Superbire - Efferre se; Inflari.

Superficialis - Levis; Brevis.

Superficies - Extremitas.

Superfluus - Supervacaneus.

Superior (alicius religiosae sodalitatis) - Magister; Praepositus; Praeses.²

Supernaturalis - Vires naturae superans.

Superscriptio - Titulus; Inscriptio.

Supplere (aliquem) - Partes alicuius sustinere.

Supplicatio - Supplices libelli.

Supponere - Pro certo ponere (sumere).

Supradictus - De quo supra dixi; Quem supra commemoravi.

Suprahumanus - Humanum fastigium excedens; Supra humanam sortem elatus.

Supraintendens - Curator; Procurator; Praefectus; Praepositus.³

Suprumerarius - Supra numerum; Adlectus supra numerum.

Suspensus (a divinis) - A sacris abstinere iussus.

Symmetria - Partium congruentia et aequalitas.

Sympathia - Naturae cognatio et quasi concentus et consensus; Naturae (Ingenii) convenientia (coniunctio; similitudo); Rerum (Naturae) concordia.

Sympathizare cum aliquo - Cum alicuius natura et moribus congruere; Cum aliquo natura et moribus convenire.

Symphonia - Musicus concentus.

Tabarrum - Paenula.

Tabefacere - Consumere; Confiscere.

¹ Cfr. fasc. sup.

² *Superior generalis*: Summus Magister. - *Superiores Ecclesiastici*: Christiani nominis proceres.

³ Itaque: Curator sumptibus coercendis; Cur. operum publicorum; Praefectus operi perficiendo; Praefectus annonae; Procurator a rationibus, etc.

Tabernaculum - Sacrum; Opertum. *Tactica (militaris)* - Belli artes; Ratio ac disciplina belli.⁴

Taediose - Moleste; Aegre.

Talcum - Lapis specularis.

Talentum (donum naturae) - Ingenita facultas; Insitae dotes; Naturae dona egregia; Dotes animi singulares; Ingenium; Ingenium et virtus.⁵

Tam bene quam poteram - Pro viribus; Pro virili parte; Pro rei copia.

Tangibilis - Sub tactum cadens.

Taram facere - Deducere (pondus, nummos, etc.).

Tardatio - Mora; Tarditas.

Tardivus - Tardus; Serus; Serotinus; Lentus; Plumbeus.

Taxa - Tributum; Decuma.³

Taxare - Aestimare; Exagitare; Vituperare; Reprehendere.

Taxative - Definite; Aperte; Nominatum.

Technica - Ars; Ratio.⁴

Tegmentum - Tegumentum; Tegmen.

Temerarie - Temere; Audacter; Inconsiderate; Imprudenter; Leviter.

Temperamentum - Ingenium; Natura; Animus.

Temperies - Temperatio.

Tempista (de cantu) - Mensurae diligentissimus.

Tempora gravia (mala) - Temporum iniquitas (acerbitas).

Temporalis - Caducus; Fluxus; Brevis; Ad tempus.⁵

¹ Hinc *Tacticus*: Bellicae artis (Rei militaris) peritus.

² *Talentum oratorium*: Facultas et copia dicendi.

³ *Taxa iuxta focos*: Tributum capitisi; Capitatio; Capitularia - *Taxa singulis attributa*: Tributum virtim impositum - *Taxa additionalis*: Accessio - *Taxa progressiva*: Tributum ex censu - *Taxa indirecta*: Vectigal.

⁴ Hinc *Technicus*: Artifex - *Technica vox*: Artis vocabulum - *Technice*: Artificiose - *Institutum technicum*: Artificum scholae - *Technologia*: Artium studia et doctrinae.

⁵ Hinc *Temporalitas*: Possessio ad tempus.

Tempus Paschale, Natalicium, etc. - Feriae Paschales, Nataliciae, etc.¹

Temulentia - Ebrietas.

Tenebrositas - Tenebrae.

Tenere - Amanter; Pie; Piissime.

Tenetur hoc facere - Oportet; Munus eius est; Partes eius sunt.

Tenor - *Tenor vitae*: Vita; Vitae ratio (cursus, institutio). - *Tenor litterarum*: Exemplum - *Tenor sermonis (verborum, cogitationum)*: Sententia - *Tenor (in cantu)*: Vox media.

Tentamentum - Tentatio.

Tentare (aliquid facere) - Conari; Operam dare (studere) ut...

Tentio - Contentio; Certamen; Alteratio; Iurgium.

Tepiditas - Tepr.

Terminus - Constituta (Certa) dies.²

Terra firma - Terra continens; Solum.

Terrefacere - Terrere; Terrorem inferre.

Terreus - Terrenus.

Terrigenus - Terrigena; Terrae filius; Terra ortus.

Terrorismus - Saeva (Atrox) dominatio.

Terroristae - Qui omnia terrore ac metu agi volunt.

Testimoniales litterae - Consignationes.

Textus (auctoris) - Verba (Sententia) auctoris.

Thaumaturgus - Miraculorum actor.

Theatrum (belli) - Belli sedes.³

Theismum - Rationalis Dei cognitio.

Thema - Res (Quaestio) proposita; Disserendi (Disputandi) causa.⁴

¹ *Quattuor tempora*: Ieiunia verni, aestivi, autunnalis, hiberni temporis - *Recto tempore*: In tempore; Tempestive.

² Barbarice quoque adhibetur pro «Vox; Vocabulum».

³ *Theatrum anatomicum*: Schola anatomica - *Musices theatrum*: Odeum.

⁴ Inde: Ponere de quo quis disputet - *Thema evolvere*: Locum tractare - *A themate exire*: A proposito egredi (aberrare) - *Ad thema redire*: Ad propositum reverti.

Therapia - Medendi ars; Curatio. *Thesis* - Lecta sententia; Quaestio, Res proposita.

Theoria - Ratio; Ratio et disciplina (doctrina) - Disciplinae formula; Contemplatio et mentis agitatio; Cogitatio; Ars Artis pracepta; Dictamina.

Thesaurarius - Quaestor aerarii; Mensarius.

Thesaurizare - Aurum (Argentum; Pecuniam; Divitias) congerere; Pecuniam cogere (coacervare); Nummos construere.

Tigratus - Varius.

Tisana - Ptisana; Sorbitio; Medicata potio.

Titubantia - Titubatio; Haesitatio; Dubitatio; Animi fluctuatio.

Titulus - *Tituli honorum*: Nomina (Vocabula) honorum. - *Titulus libri*: Libri inscriptio. - *Benemerentiae tituli*: Iura. - *Commendationis tituli*: Commendabilia. - *Amoris (Observantiae, etc.) titulo*: Amoris (Studii) caussa, etc. - *Eo titulo*; *Alio titulo*; *Lucri (et sim.) titulo*: Eo nomine; Alio nomine; Lucri nomine.

Tolerabiliter - Toleranter; Patienter; Aequo animo; Moderate.¹

Tonus (vocis) - Sonus vocis; Vox.²

Tormentare aliquem - Aliquem cruciare (excruciare; discruciare; torquere; vexare; angere); Suppicio aliquem afficere; Omni crudelitate (cruciatu; tormentis) lacerare; In aliquem crudelitatem exercere (adhibere); Tetos cruciatu alicuius; Ad verbera cruciatu in aliquem descendere.

Torrentialis (pluvia) - Imber maximus (immodicus; effusus; praeceps).

¹ Cicero adhibet «Tolerabilius».

² *Tonus elatus*: Sonus excitatus - *Tonus intermedius*: Vox mediocris - *Tonus naturalis*: Vox inclinata (depressa) - *Tonus minor*: Sonus flexus - *Tonus pateticus*: Naturalis quidam dolor - *Musicae toni*: Modi - *Tonalitas*: Concertatio - *Tonum dare chorus*: Adspirare chorus.

Tortuositas - Flexio (Flexus); Inflexio; Obliquitas;

Tortura - Quaestio; Tormenta; Cruciatu.

Totalitas - Totum; Universum; Tota (Universa) res; Rerum universitas.

Trabaculum (Navis genus) - Myoparo.

Trabeatio - Contignatio.

Trachea - Arteria aspera; Arteria; Spirandi meatus.²

Tractatus - Liber; Disputatio; Disceptatio; Foedus.³

Traditio - Fama; Memoria; Sermo; Vetus opinio; Opiniones vulgi; Veterum fabulae.⁴

Traditor - Perduellis; Parricida; Proditor (patriae).⁵

Traducere (in aliquam linguam) - Reddere (Interpretari) aliquid (graece, latine, etc.); Vertere (Converte; Transferre) in sermonem (graecum, latinum, etc.).⁶

Transactio - Compositio; Pactio; Conventum.

Transatlanticus - Transmarinus.

Transcurate - Incuriose; Negligenter; Solute ac negligenter.

Transfigurare - Aliquid in aliam formam convertere; Alicuius rei formam mutare.⁷

¹ Itaque; In quaestionem abripere; Aliquem dare tormentis (in tormenta); Quaerere tormentis de aliquo; Alicui tormenta admovere. - *Torturare se*: Sese adfligere.

² *Trachealis* - Arterialis.

³ *Tractatus elementaris*: Scientia literarum - *Tract. rhetorices*: Artes rhetorum - *Tractatus pacis*: Pacis conditiones; Pax.

⁴ *Traditio scripta*: Litterae; Monumenta litteratum - *Tradionalis*: Antiquitus traditus; Usu perceptus; More institutoque (Ex instituto) maiorum.

⁵ *Traditrix* - Quae prodidit.

⁶ *Traductor* - Interpres.

⁷ *Transfiguratio* - Conversio; Mutatio - *Festum transfigurationis Iesu Christi*: Festum D. N. Iesu Christi in Thabor effulgentis; Solemnia quod hac die D. N. Iesus Christus insigni luce coruscus tribus Apostoli visus est.

Transitorius - Fluxus; Caducus; Brevis; Ad tempus.

Translatio - Conversio; Interpretatio; (Cfr. *Traducere*).

Transmodate - Immoderate; Immodice.

Transmutatio - Immutatio.

Transparere - Perlucere.¹

Transverse - Transversum; Ex transverso.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

¹ *Transparens* - Perlucens; Perlucidus; Perspicuus.

ANNALES

Gallicae res.

Civiles res in Gallia inquietae atque incertae manent, quum inter publici coetus legibus ferendis animos et senatorum consensus de rationibus ad rem oeconomicam valide restituendam reperiri non potuerit. Quod si Briandus, administratorum collegii praeses, post diutinam sessionem per integrum noctem productam, absque socialistarum suffragio, a popularium assensu pecuniarias a se propositas leges combatutas vidit, dubium est an eundem successum apud senatum sit consequuturus; quin etiam num necopinata causa intercessura sit, per quam supremo munere sibi sit abdicandum.

Interim Romae praecipuarum tum Europaearum tum Asiae et Africæ nationum delecti viri congregati sunt, ut Gallici in Syria mandati conditions perpendent, habita ratione descriptionis rerum gestarum a Gallis exhibatae, cui vehementes Syrii petitiones opponunt.

* *

Nationum societas.

Primis huius Martii mensis diebus Nationum Societatis Genevae sumnum consilium habebitur, ut de Germaniae ad-

missione et in ipsum statuat, postquam eamdem nationem in foederatarum numerum adsciverit. Huiusmodi factum quaestionem movit de amplificando in Societate ipsa Consiliariorum numero. Locum enim in ea repetunt et Poloni et Hispani et Brasilienses... Quid inde? Angli et Galli mentem suam pandere hoc usque renuerunt, anticipitesque haerere evidenter. Dicunt Suevos difficultatem, ad tempus saltem, soluturos, opinatos non Consilio, sed sociorum tantum Comitiis licere sententiam in arguento dicere, quippe cum rei natura idem sit penitus coniunctum. Eventus docebunt.

**

Italorum Africana colonia amplificata.

Tradito, ut suo tempore nunciavimus, praeter Iubam flumen Italorum territorio, hi ut tutam sibi sedem compararent, locum in regione desertissima habitabilem occuparunt, in quo reliquiae Senussitarum patris servantur, septuaginta chilometra latum, et quasi centrum viarum inter Cyrenaicam et Aegyptum.

Res absque sanguinis effusione facta est: incolae Italorum imperio aequo animo sese subiecere.

Kal. Martii MCXVII.

POPULCOLA.

VARIA

De suimet victoria.

Inter cetera quibus Deus pro infinita bonitate sua hominem ditavit, praeclarissimum illud cum divo Alighero dicendum est, quod *Libertas* appellatur. Hanc, primo flore iuventae, somniant adolescens; huic studet sapiens; hanc requirit negotiosus homo; hanc sequitur grandaevus aetate vir.

HERM. M. IACOBELLI.

¹ Or. pro Marco Marcello, cap. III.

Sed undenam illam exquirunt? In auro forsan, in profusis dapibus atque conviviis, in vino et in probris. At sunt haec prorsus libertatis inimica. Vere liber est non qui mulcet, sed qui suas refraenat cupiditates atque in servitatem redigit. Quemadmodum enim pacem appetenti, bellum parandum est; ita homini ad veram libertatem nitenti illius propriam, qui vestigia sequitur Christi, implacabile sibi bellum suisque est voluptatibus indicendum.

Haec animis hominum principia altis a natura insculpta inveniuntur, ut ethnici quoque magno opere senserint atque extulerint. Sanctiorem ex rei Christianae Patribus mihi audire videor, quum Tullium audio: « Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem; haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo sed simillimum Deo iudico ». ¹

Nosce te ipsum - in fronte sua gerebant scriptum fana veterum deorum, - quisquis es, antequam appropinques ad aram numinis. Et sacrae litterae altius etiam hominem monent: « Qui sequitur me (Christum Dominum) non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae ». Ipse enim via, veritas et vita vocatur; semita bonorum omnium, aeternae lucis sol et splendor qui nullo unquam tempore restinguetur; in terminatae et vitae origo atque possessor.

Ad Ipsum igitur eamus, Eius vestigia sectemur corde magno et animo volenti, Eius amplectamur Crucem, in qua salus invenitur, vita, et nostra ab inferis revocatio, per quam mortalis homo aeternis in caelo gaudiis perfretur, et, dispulsis tenebris, indeficientis vitae lumine coruscabit.

Gallus de luctis monet.

In altum feram quod natura caput Superbus admodum dico per compita: Ita me perfide profani reputant; Caput sed flecto tantum pro violentia, Id est quum cogor receptare pabulum. Ita tunc aptos oculos adhibeo, Ut unum vertam penitus ad epulas, Ad caelum callidus vortam sed alterum. Solus ego avium prodigi in publicas Scenas Athenis in urbe saepissime. Proh pudor! Quisnam tetricus non memorat Me tunc pugnare duriter ad incita? Qui virum fremitus, foeminarum favor, Ut unus alteri necem compelleret! Ea est pugnandi voluntas in cordibus, Ut unus abeat nostrum superior. Est tolerandus modus hic in bestiis, Non inter homines consilio praeditos! In cunctis esto semper execrabilis! Mecum tu morem condemnabis maxime, Apud profanos improbe qui invaluit, Suas ut rixas dirimant cum sanguine. Illi improbandi et mea sunt sententia Testes intersunt pravo qui in certamine; Hunc morem dicam barbarum tantummodo? Felinum potius dices molossicum. Hanc ego gallus sententiam profero, Et omnes invoco caelum respicere, Vel inter positos multas molestias.

SUBALPINUS.

Iocosa.

Tuccius in schola.

MAGISTER. - Euge! Si ego te tribus nummis donavero, quinque autem addiderit pater tuus, quot nummos in sinum ingeres?

TUCCIAS. - Decem!

MAGISTER. - Vae!

TUCCIAS. - Apprime quidem; duos enim iam possideo.

MAGISTER. - Numera binas res easque potiores, quarum altera superiore iam saeculo extaret; altera autem nondum esset.

TUCCIAS. - Tu et ego, magister optime!

Aenigmata.

I

Fons vitae *primus*, sensus qui novit amoris; Frigore brumali candidus *alter* adest. Imbris nuncia saepe, volucris provida fati Est *totus*, saeclis vix moritura novem.

II

Vox prior antistes venerandus Christicolarum, Altera vox anni tempora grata notat. Has voces miscere subit tua corda cupido? Fac cito: nasceret planta soporifera.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Rus*; *Crus*; *Crustum*. - 2) *Do-mus*.

Libera a pittacis responsa.

Cl. v. ANT..... BA....., Czerwinski. - Auctor, quem indicasti, opera quisnam ediderit prorsus ignoro.

Rev. GU....., LEN...., - Pistorii. - Subnotationem tuam a mense Ianuario MCMXXVI adnotavimus.

Cl. v. AL..... BAR....., Gerace Marina - Ignoscas mihi: tot sum curis oppressus, ut humanissimis litteris tuis nondum responderem quiverim. De novo certamine Ruspantino nullus ad hosce dies nuntius.

Dnae. DE BOIS....., St. Brieuc. - Ex tuis litteris mense Octobri missis neque nomen neque domicilium explicare valimus. Itaque exspectavimus dum iterum clarius scriberes, et nunc subnotationem inivimus cum mense Ianuario huius anni. Annuum vero pretium subnotationis est italicarum libellarum triconta; reliquias igitur pro tua humanitate mittas.

Cl. v. IO.... FAL....., Saluggia. - Paravianum accepi, quamquam, ut scis, formae illi assentiri non possunt. Librorum elenchum ad temittendum ab Editore illo sollicitavi.

COLLEGIO JOSEPHINO, Bonn. - Querimonias vestras Taurinensi bibliopolae exposui.

A SECRETIS.

PANCRATIUS

[12]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND - (Latine reddidit Andr. Haberl)

CORV. Torquate, an tu coeptum iter interrumpes? Odi ego dimidium facinus, sive bonum id, sive malum est.

TORQ. Nimium quantum proditione iam contaminor! Nunc vero improbitatem me iubes absolvere. Quam mihi bene erat, in Christianorum quum essem numero! Multa in eorum coetibus tuli beneficia. Hos ego sordide nunc tradam gladio? Non possum.

CORV. Facies tamen, ignavissime! Aut enim mihi obsecutus ad salutem humani generis Christianorum necum progeniem delebis, aut in carnificinam te dedam illico. (*Ad car. nifices*) Accedite! Expedite compedes!

TORQ. Ergo nullus iam mihi ex hoc interitu relinquitur exitus? Longis cruciabor noctibus conscientia sceleris. Et omnes aurae in aures susurrabunt proditorem. Postremo actum est. Christianus fui, sum electus ex Ecclesia. Ecquem misereat proditoris? Sive pergam ire, quo nunc iter est, sive in via consistam media, occidi, interii. Et si consistam, quid mihi accidet? Diei, quo ego natus sum ilicet in malam crucem! Occidimus. Proinde extremis accumbamus epulis! Proh, Deus immortalis, quantum unum peccatum est exitii!

CORV. Agedum, procedendum, proditor; sero est!

TORQ. Ah! Abi in malam rem! Proditorem vocas? Enervati hominis atque imbellis uterus opera. Sequor. (*Milites cum Torquato abeunt*).

CORV. (*gestiens*) Ad anguum nidum subterraneum procedimus. Iam, Pancratii, glabra vipera, quantumvis caveas, non effugies manus meas. Te, rursus si convenero, hoc sit dictum: Caput tuum decidet! (*Abit, et demittitur siparium*).

EXPLICIT ACTUS II.

ACTUS III.

Scena est locus catacumarum subobscurus. Muri ornantur signis disciplinae arcanae et habent loculorum opercula picta.

Ad laevam accessus per tres quattuorve gradus. Media est ara humilis, sed simplex, in gradu posita. Adest magnus numerus Christianorum. Ad aram est CAIUS pontifex et REPARATUS diaconus. Adest TARCISIUS puer; SEVERUS cum sarculo, PANCRATIUS. Clausa adhuc scena, psalmi XC versus canuntur.

SCENA I.

CAIUS. Res Divina peracta est. Manete in fide Christi! Diligenter thesaurum in vasis fragilibus, quem accepistis, servate. Pressurae instant tempora. Portaene omnes clausae sunt?

SEVERUS. Custodes positi sunt ad omnes aditus. Nemo non initiatus huc accesserit.

CAI. Quousque, Domine, quousque in terra cruenta haec saeviet discordia? Feroce in aureis palatiis bacchabunt libidines, quum princeps pacis, rerum Dominus, ne unam quidem casulam possideat, alte reconditus in caecis terrae latebris? Sed haec, fratres, ne vos terreat! Deus et Dei iussu Angeli vos protegunt. (*Mora*). Novae caedis edictum contra Christum a Caesare audio esse editum. Sebastianus id ante ipsum sacrum cursu fere examinatus detulit. Post ad officium statim revertit. Cavete igitur! (*Movetur turba*). Hac ipsa nocte ratum erit.

REPARATUS. Pater Sancte, misereat te etiam miserorum, qui anhelant panem caeli.

CAI. Quorumnam, fili?

REP. An te latet, quod his horis multis factum est fratribus? Qui adhuc nocte in somnis oppressi, vinci catenis detrusi sunt in carcерem, iam Petri praesentia consecratum? Illic exspectant martyrium. (*Movetur turba*).

(*Ad proximum numerum*).

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina col-
loquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae
fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ
lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Sin-
gulæ lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotatio*nis* an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia paelectiones¹

III. Aliud carminum genus et memoratu dignissimum est eorum carminum, quae milites ducum triumpho, non sine iocis et dicacitate, canere solebant, quaeque *triumphalia carmina* vocabantur. Apud rerum scriptores horum carminum saepe mentio fit. Perlege Livium in prima librorum decade: multa occurrent exempla, quae iuvat h̄ic numerare:

In tertio (29) triumphum L. Quinctii Cincinnati dictatoris describens a. CCCCLVIII ante C. n., ait: «Epulae instructae dicuntur fuisse ante omnium domos, epulantesque cum *Carmine triumphali* et solennibus *iocis* comisantium modo currum secuti sunt». Habes h̄ic memoriam festivarum epularum seu comissionum in triumphantis ducis honorem, et epulantes ipsos vides eius currum sequi cum carmine et iocis, qui dicuntur sollemnes, h. e. more solito dicti vel cantati.

In quarto (20) – Devicto bello contra Veientes Fidenatesque an. a. C. CCCXXXVII: «omnibus locis re bene gesta, dictator (Mamercus Aemilius) senatus consulto ius suque populi triumphans in urbem rediit. Longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus (A. Cornelius, tribunus mili-

tum) spolia opima regis interfecti (Tolumnii Veientis) gerens. In eum milites *carmina incondita* aequantes cum Romulo canere ». En carmina militaria, quae certe non exquisita arte composita, sed incondita et prope ex tempore fusa laudes victoris celebrabant, cum Romulo aequantes.⁴

Item in quarto (53), de bello sermo est an. CCCXL a. C. n. ab Aequis Volscisque in Romanos illato. Quum C. Valerius Potitus consul dilectum habuisset, frustra impedito M. Menenio tribuno plebis, agrariae legis latore, et exercitus, quamquam invisus infestusque consuli, impigre primo statim adventu Carventanam arcem iam ab hostibus occupatam recepisset, quumque consul praedam in aerarium totam redigisset praedicans exercitum participem solum fore, quum militiam non abnuisset, aucta inde plebis ac militum in consulem ira, accidit ut quum consul ex senatus consulto urbem ovans introiret, *alternis in conditi versus militari licentia* iactarentur, «quibus consul increpitus, Menenii celebre nomen laudibus » esset, atque «ad omnem mentionem tribuni favor circum-

¹ Cfr. fasc. mens. Ianuarii.

⁴ Prima spolia opima (h. l. spolia quae dux duci detraxisset), ut notum est, Romulus ipse Iovi dicaverat. Cossus secunda spolia opima prope Romuli spolia in aede Iovis Feretrii cum sollempni dedicatione dono fixit. Merito igitur eum Romulo cum aequabant milites.

stantis populi plausuque et adsensu cum vocibus militum certaret».

Habes hic rursus inconditos versus, at primum *alternis*, i. e. alterno sermone, dialogi more (*amant alterna Camenae*, dicit Vergilius in *tertia Ecloga*); dein non in laudem ducis ovantis, sed contra iocosa quadam licentia, qua ducem severum et acerbum increpant, Menenium contra tribunum laudibus celebrarent. Loquitur ipse Livius de *sollemini militum lascivia*; erat enim in more positum ut in triumphalibus carminibus iocarentur milites et in duces ipsos opprobria funderent; quod quidem a militari disciplina haud alienum videbatur.

In quinto (49) venimus ad celebrem Camilli triumphum post Gallos a Capitolo an. cccxc a. C. deiectos et castra eorum capta et illos ad unum caesos, ita ut ne nuntius quidem cladis relinquere. Tum, ut ait Livius, «dictator recuperata ex hostibus patria triumphans in urbem reddit, interque iocos militares quos inconditos iaciunt, Romulus ac parens patriae conditorque alter urbis haud vanis laudibus appellabatur». Hic erant inconditi ioci sed sine probris, ut videtur, immo cum insigni eodemque merito debitoque praeconio.

In septimo (17) narrat Livius, bello adversus Faliscos Tarquinensesque gesto, anno ccclvi a. C., terrorem maximum Romanis militibus fuisse, quod sacerdotes hostium facibus ardentes anguisque praelatis incessu furiali insueta eos turbassent specie. Sed M. Fabius Ambusius consul legatus ac tribuni eos irridere coeperunt et increpare, quod vana miracula puerorum ritu paverent; unde repente animos vertente pudore, in ea ipsa quae ante fugerant velut caeci ruere, et ita discusso hostium apparatu, in ipsos armatos se inferre et totam aciem avertire. Quum victores reverterunt, ut historicus idem monet, *militaribus iocis* cum apparatum hostium tum suum ipsi pavorem

increpabant. Ioci hic non in laudem neque in opprobrium ducis, sed in ludificationem ipsorum militum versi erant.

In septimo pariter (38), quum Campani auxilium impetraturi adversus Samnites, urbem atque agros suos populo Romano dedissent, bello inde Romanis cum Samnitibus exerto an. cccxlii a. C. n. A. Cornelius Cossus consul in Samnum profectus, exercitum incaute in saltum cava valle pervium circaque ab hoste insessum induxit; tunc in tanto discriminis versantem servavit P. Decius Mus tribunus militum, occupato colle super id iugum in quo Samnites conserderant, quod occasionem consuli in aequiore locum evadendi dedit. Victoria denique parta «consules ambo de Samnitibus triumpnarunt, sequente Decio insigni cum laude donisque, cum *incondito militari ioco* haud minus tribuni celebre nomen quam consulum esset».

In libro decimo (30), quinquaginta post annos, idem ferme accidisse legitur. Nam in bello contra Gallos Etruscisque ac Samnites, quum alter P. Decius se morti devovisset, et qua confertissimam viderat hostium aciem concitato equo se intulisset, ita ut infestis undique telis interficeretur, postea quum Q. Fabius Rullianus consul plenam victoriam reportasset, hic anno ccxcvii a. C. in urbem rediens triumphavit. Ac «milites triumphantem secuti sunt», celebrantes *inconditis militaribus iocis* non magis victoriam Q. Fabii quam mortem praeclaram P. Decii; «et excitata memoria parentis aequata est eventu publico privatoque filii laudibus».

En habes, lector, quinque triumphorum memoriam, ad vetustiora Romae tempora pertinentium.¹ Semper sermo est de militum carminibus duces triumphantes prouidentium, deque *inconditis iocis* quos

¹ Alia exempla Liviana leges XXVIII, 9; XXXI, 73; XLV, 38 et 43, etc.; sed ad tempora posteriora pertinent, de quibus non est hic locus sermocandi.

sollemini lascivia gratulationibus laudibusque miscere consueverunt. Desunt hucusque exempla huiusmodi carminum; sed haud abs re erit conicere, vetera carmina haud ita multum differre ab iis, quorum exempla insequens aetas protulit, veluti illud est, quod in Caesarem de Gallis triumphantem iactaverunt:

Urbani, servate uxores;
*moechum calvum adducimus.*²

mulierosum nempe hominem carpentes; aut illud quod in Lepidum Plancumque fratres suos proscribentes compositum est:

De Germanis non de Gallis
*Duo triumphant consules.*³

duplici sensu vocis quae est *Germani* in iocum adhibito.

Quid continerent igitur triumphalia carmina appetat manifestissime; celebrabant interdum sinceras imperatorum laudes, sed plerumque laudibus miscebant inconditos iocos vel ad vituperandum, vel ad mordendum. Bene Appianus in Libycis dicit (66): *Tῶν ἀρχόντων οὐς μὲν ἐπανύσσουν, οὓς δὲ σκώπτουσιν, οὓς δὲ ψέγονται.* Et Martialis noster Domitianum alloquens quarto primi libri Epigrammate ait:

Consuevere iocos vestri quoque ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet esse ducem.

Quod ad componendi genus attinet, conjectare licet Romanos milites populari rhythmo, praesertim Saturnio vel trochaico, quiddam epigrammati simile effusisse; saepe autem alternis versibus usos esse, vel choro laudum vituperationis verba, vel irridentibus facetiis facetias acerbiores opposentes. Confirmat Plinius senior, qui de Caesarianis militibus loquens, qui apud Dyrrachium cibi penuriam passi erant, ait eos in triumpho Divi Iulii, alternis versibus exprobavisse, quod olere quodam silvestri, h. e. lapsana, vixis-

sent, simul praemiorum parsimoniam cavillantes.

Haec omnia, quae huc usque de triumphibus carminibus exposuimus, perpendenti, fortasse quaestio in mentem venit, quoniam pacto huiusmodi militaris licentia apud eum populum toleraretur, cuius erant tam severae leges in eos, qui infamiam flagitiumve fecissent alteri. Nimurum notum est lippis et tonsoribus, iam in duodecim Tabulis de ea re sermonem esse, «Nostrae XII tabulae, — refert Augustinus *De civit. Dei*, II, 9 (ex Cic. *De rep.*, 4, 12), quum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis *occidentavisset*, sive carmen condidisset, quod iniuriam facheret flagitiumve alteri». Cur igitur in triumphis licebat militibus acerbioribus iocis opprobria in duces fundere? Ad hanc solvendam quaestionem, sunt qui credant, militares iocos inter artes illas enumerandos esse, quibus ab imperatorum capite fascinum avertere veteres conabantur. Nempe, quum persuasum haberent, fortunatos viros Nemesi vindici obnoxios esse, et praesertim Imperatores insigni gloria circumfusos facile posse superbiam efferri atque malae linguae malive oculi fascinationi obici, ad haec pericula arcenda decreverant, ut servus publicus post currum triumphantium comes adhaereret, per singulas civium acclamations dicens: *Respic post te, hominem te esse memento.*⁴ scilicet ut ad tantum fastigium evecti mediocritatis humanae admonerentur.⁵ Praeterea usu ve-

¹ V. *Fontes iuris rom. anteiustiniani*. edid. Riccobono Baviera Ferrini, Flor., Barbera, 1909. pag. 43. In mentem revoca Hor., *Ep.*, 2, 1, 152, *lex poenaque lata mala quae nollet carmine quemquam describi*.

² V. TERTULL., *Apol.*, 33; HIERON., *Ep. XXXIX ad Paulam*; cfr. ARRIANI in *Epict. Diss.*, III, 24, 85: Ο' τοῖς θριψθεῖνοσι ἔφεστῶτες ὅπισθεν, καὶ ὑπομνήσκοντες ὅτι ἀνθρωποί εἰστιν.

³ ISID., *Etymol.*, XVIII, 2, 6. Hic laudandus est locus PLIN., *N. H.*, XXVIII, 34: «Fascinus imperato-

¹ SUET., *Div. Iul.*, 51.

² VELL. PAT., II, 67, 2.

nerat ut triumphantes bullam quamdam gestarent «inclusis, ut Macrobius ait (*Sat.*, I, 6, 9) intra eam remediis quae crederent adversus invidiam valentissima». Nec id satis; sub curru enim triumphantis pendens fascinum sive phallus affigebatur, cuius conspectu mali oculi averterentur, in eius salutem qui curru vehebatur.

Quae cum ita sint, id nunc quaeritur, num ioci etiam militares tamquam ad arcendam fascinationem idonei aut necessarii, contra legem tolerarentur. Hanc opinionem sequitur inter alios, Stampinius noster, qui in *commentatione* cui titulus: *Alcune osservazioni sui Carmi trionfali romani*, docta quidem et a studiosis harum rerum legi dignissima¹ multa de hac recollecti, explanavit, disseruit. Non omnia mihi tamen probavit; quum adfirmat Stampinius «ioci militares erano indispensabilmente richiesti nella solennità religiosa, civile e militare del trionfo quale mezzo efficacissimo a preservare tanto il capitano quanto la repubblica dalle disgrazie...», praetergredi sane veritatem videtur. Nonne ad arcendam fascinationem bulla et fascinum pendens et monitus servi medicinam linguae adhibentis cum necessaria tum satis erant etiam sine iocis? Quid demum differt militaris licentia a fescennina procacitate, de qua supra loquuti sumus? Nonne in priscis agricolarum fescenninis versibus idem mos alternis opprobria fundendi invaluerat, qualis in carminibus triumphalibus

rum quoque, non solum infantium custos... qui Deus inter sacra romana a Vestalibus colitur et *curros triumphantium* sub his pendens defendit medicus *invidiae*, iubetque eodem respicere similis *medicina linguae*, ut sit exorata a tergo Fortuna gloriae carnis». Quae verba perpendenti manifestum est illud «*medicina linguae*» ad formulam a Tertulliano prolatam «respic post te», etc., referri. Errat igitur Prellerus (*Röm. Mythol.*, I, p. 280, n. 4), interpretatus *medicina lingua = die Spottlieder der Soldaten*.

¹ Cfr. *Rivista di fil. ed istr. cl.*, an. XXVI (1898), fasc. II.

animadversus est? Nonne haec omnia dicitati et Italo aceto accepta sunt referenda? Iocos militares *non necessarios* igitur arbitror ad fascinationem arcendam sed *non inutiles* concedo.

Sed de triumphalibus carminibus hactenus.

FELIX RAMORINUS.

DE FURTIVIS LITERARUM NOTIS

Furtivas notas politioris litteraturae viras literas appellarunt, quae artificio huiusmodi confictae erant, ut non possent ab alio, quam ab eo, cui literae destinarentur, interpretari. Quod si recte animadversum fuerit, id nomen cum illa scriptura congruere satis videbimus quam *cifrata* Itali, aliisque huiusmodi nominibus alii appellant.

Has igitur furtivas literas, si maiorum nostrorum monumenta percurrentibus licet quicquam animo coniectare, nihil aliud nisi notas esse dicemus, quibus vel occulte vel breviter aliquid rei gnaris, quibus rem exploratam volumus, manifestamus. Notas autem dicimus, quod literas, syllabas et dictiones praefixis characteribus notent, et legentium animos ad significationum notitiam revocent; quo fit, ut qui eas scriberent, *notarii* nuncuparentur. Si denique earum usum perspexerimus, iis tantum rebus eas inservire dicendum erit, cuiusmodi sunt sacra occultarumque rerum scientia, ideoque antiquitus ad sacras disciplinas fuisse adhibitas, ne a prophanis, neve a sacris illis mediocriter initiatis illae violarentur, neve abdita detergentur mysteria. Itaque haec saepe ignorabilibus characteribus et symbolicis quibusdam figuris maiores tegere et occultare conseruerunt. In arduis quoque rebus magnisque negotiis, ut pone civitatum ob-

sitionibus, arcium expugnationibus, pontificalium suffragiorum comitiis, aliisque id genus, ad securitatem usi sunt, quemadmodum et hodie in politicis rebus civitatum administrati, ipsique nos quum occulti nostri animi consilia exponere volumus, ne scripta intercepta occulta nostra detegant, ad eorum usum, ut nobis cautionem praestent, nonnunquam confugimus. Praeterea brevitatis causa inductae sunt, tum in scribendo ne mentis cogitata praeterfluerent, tum ad aliorum sermonis textum referendum; cui sufficiendae rei nostris diebus ars illa comparata est, quam graeco vocabulo *stenographiam* appellamus.

Undenam vero furtivae notae manarent? Qui primi eas edixerunt?

Aegypti sacrorum antistites, ut Cornelius Tacitus ait, veriti ne sacra locum inter prophana sortirentur, aenigmaticis illa quibusdam sculpturis et characteribus contegebant; invisibilia enim per visibilia rerum mysteria significantes, ncas arbitrabantur facile sic ea literis committere, ut possent a communi et indigna plebe viali. Unde suas literas communes habebant, quas omnes perdisserent, sed quas appellabant sacras, soli noverant sacerdotes, a parentibus privatum acceptas.

Apud Aethiopes quoque iisdem omnes utebantur figuris, cuius generis literae *hieroglypha grammata* vocantur, quod iis notis sacrarum rerum mysteria tradarentur. Sunt tamen qui putent quum per animalium figuris sensus mentis Aegyptii effingerent, nondum usitatissimam literarum et scripturae rationem exstisset. Verum sic mos hic scribendi antiquissimis temporibus invaluit, et vetustatis monumenta omnia in columnis, quae in Deorum templis erant positae, huiusmodi notis signarentur. Unde Aegyptiorum theologiae aenigmata propter obscuritatem Iamblicus ait divinæ sapientiae musa ut solverentur indigere. Hi namque in huiusmodi mystagogia universi naturam ac Deorum archi-

teturam imitati, myticarum et latentium intelligentiarum quasdam imagines symbolicis nutibus aperiunt; et antiquissima etiamnunc vetustatis monumenta immannibus impressa saxis cernuntur, quarum multi viri docti omni tempore interpretari contenderunt. In hanc sententiam Lucanus ita breviter cecinit:

Phoenices primi, famae si creditur, ausi Mansuram ruditibus vocem signasse figuris. Non dum flumineas Memphis contexere libros Noverat, et saxis tantum volucresque feraeque Sculptaque servabant magicas animalia linguis.

Quosdam sibi etiam Magos characteres effinxisse et reperisse vidimus, quibus suam disciplinam ab usu et vulgarium lectione vindicarent. Apuleius de his notis sic meminit: «De operis adyti profert quosdam libros ignotis literis praenotatos, partim figuris huiuscmodi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggestentes, partim nodosis et in modum rotae tortuosis capreolatimque condensis apicibus a curiositate prophanorum lectione munita ».

Sed veteres, quo etiam in scribendo celeritas in promptu esset, sibi vulgares notas quasdam praefigurarunt ex arbitrio, ut quum in senatu adessent, illis usi, sic brevitatis causa scriberent. Ciceronis aetate scimus ab agnitis epistolas et orationes scribi, ut ne verbum quidem excideret, et quidquid per contentionem in iudiciis dicerent, librarios complures vel manuenses excipere; eos enim his nominibus vocabant, quorum ministerio a manibus utebantur, idque diversis inter se partibus. Non solum in Senatu sed etiam in scholis olim pleraque dictabantur discipulis excipienda, ita ut, licet incommodo, notulis tamen et lineamentis compendiose scriberent.

Haec de furtivis literarum notis satis sit hodie dixisse; fortasse alias in argumentum redibimus.

DE MANICOMIIS APUD MAIORES

Quae sum narraturus, ea per obscuros antiquitate annos minime graduntur, sed, quae atavi abavique nostri viderunt, in medium referunt, et vix a saeculo abeunt, quod excedit.¹ Non enim pluribus memora-
randam verbis puto veterum sententiam, quae dementes et maniacos divino flamine agitatos praedicabat, quae numinum compotes et futuri praenuncios admirabatur in illis, quasi hi praeverident melius qui rationis usu, qui intellectus lumine caruis-
sent, et participes deorum fierent qui iam belluina, praeter vultum, induissent, qui ab humano more rituque penitus defec-
sent.

Huiusmodi vel nunc hi miserrimi apud barbaros habentur, immo inter Mahume-
tanos non exigua veneratione coluntur.

O inversi mores, diversaeque mentes, quot a veritate recedunt!

Aevo illo, quod medium dicitur, non consciī caelestium, non religione colendi, sed ignibus, cruciatis exterminandi du-
cebantur, veluti maligno pleni daemone, a quo per transversa quaeque traherentur. Haec erat opinio gentium, quae propius ad deos accedere putabant eos, quos aliae tetricimis suppliciis expiatos, veluti aver-
santes caelestibus, capitali poena plecte-
bant, tartareis furiis infando foedere sociatos. At bono totius humani generis vir ille sanctissimus, Vincentius de Paoli, emicuit in Gallia, cuius nomen insigne fere omnia continet, quae caritas laeniendo, medendo, largiendo, benefaciendo potest. Hoc igitur pro iis deprecante, constitutum est ut a consortio civitatis removerentur, et pro iis esset asylus, quo continerentur. Primum itaque nosocomiis crediti sunt domibusque

publicis egenorum solatio extuctis. At quia et aegrotis et pauperibus molesti plerumque, et furiis dementiae suae praecipites interdum dira patrabant, in vincula conicebantur et carceres, in latebris, in obscuris detinebantur saepe crudelibus dati custodibus, qui in miseros verberibus et multiplici tormento saeviebant.

Expedit enarrare, quae tradita sunt.

Nonnulli viminea cavea induebantur a collo ad poplites ita disposita, ut nec manibus nec pedibus ad inferenda iniurias et vulnera uti possent. Abeundi autem in atrisi pro lubitu potestas erat, circumeundi per porticus; quo tuti et incolumes essent, cavea tuebatur.

Erant et alii, qui in maleficia proni, qui furoribus agitati atrocia tentabant. In hos omne tormentorum genus pree manibus ut resipiscerent, ut a criminibus abstine-
rent, in quae furiantes ruebant.

Hinc alii, manibus pedibusque constrictis, in quoddam patens armarium sedentes compellebantur. Armarium autem ferro innixum ita dispositum erat, ut facile im-
petu maximo in orbem circumvolveretur; quo facto patiens tali afficiebatur vertigine capitis, ut vomitu, resolutis corporis viribus, quasi vitae nescius, languens tandem proiceretur, morti aliquando et obnoxius.

Alii et ex miseris in quadam rota intus vacua concludebantur, quam duo, vel e custodibus plures manu valida super axe ferreo convertebant, eo ferocius, quo ferocior demens inclusus.

Denique tormenti genus erat, quo demens impositus et alligatus naviculae exiguo natanti in lacu, machina desuper agente lintrem, in orbem celerrime agebatur. Quid plura? Curationum omnium fundamentum erat in hac repentina et rapida circumvolutione, qua vel sanus aut efficieretur demens, aut omnino necaretur.

Dicit aliquis: Quorsum haec dira? Nempe uti pavere, ut bruta, scirent, qui parere nesciebant.

¹ Scripsit E. Toulouse in commentario cui titu-
lus; *Revue Encyclopédique Larousse*.

Multos praeterea penitus includebant in capsis, fenestra tantum relicta, qua spirare, qua videre possent.

Silentio premimus relatu horrenda de cubilibus situ squalentibus, foetore non adeundis, omni animalium turpissimorum populo scatentibus, quae concipi possunt animo, sermone aequari non possunt. Vincentius illē, quo vivo et advigilante nemo infanda haec ausus fuisset, a vivis excesserat, resque omnis a Christi caritate urgente ad mercenarios abierat.

Verum anno MDCCXCIII Pinel, medicus in nosocomio Bicetreensi, primus petuit ut catenae, nervi, funes, quibus miserorum quamplurimi solo, parietibus, lectulis adstringebantur, omnino auferrentur; liber-
tas praemium placidis constitueretur; carcer infirmis aequum, non latronibus compar turbidioribus compar decerneretur, si iuvantia, si mulcentia verba, si humana quaeque ad placandos animos inutilia redirent. Couthon, tunc temporis municipio praefectus, rem proprius aspicere voluit antequam assentiretur. Rem Pinelii medici periculorum plenam putat; sed enixius roganti concedit. Nec mora. Tolluntur catenae, vincula laxantur, removentur compedes. Dementes, quos Pinel bona saepe loquutus molliverat, laeti assurgunt, et, mirabile visu, medico pacati, quieti ac laetabundi quasi parenti carissimo frequentes adstant. Brevi, quamplures ad amissum rationis usum, ad mentem redeunt, et sani a manicomio dimittuntur.

Curationis hoc genus uberes attulit fructus, haeseruntque in illo tum Pinel tenacior, tum discipulus eius Esquirol, qui anno MDCCXL decessit. Exinde autem, ipsius Pinel ab incepto, manicomia ita commutata sunt, ut nostris temporibus non carceres ad bellugas humanas coercendas torquendasque, sed saluberrima domicilia aegrorum, fortassis etiam iucunda, videantur. Munda illic omnia, squalor nullus, non vincula, non fustes, non verbera,

non minae truculentique vultus; non de-
nique esurie, non venarum incisione infirmi curantur; sed exemplo quietorum, persuasione, blanditiis, musica, quae tan-
tum in placandis animis potest; sed opportuna electione alimentorum, potionibus suaviter medicatis, omni prorsus abrogata vi, omni iniuria. Plurimos in dementiam infortunia egerunt; ecquid addere vulnera vulneratis?

Quin imo, quum interdum ii sint, qui sibi consilium effingant, ut omni abstineant cibo et confecti fame moriantur, non adest plagosus, ut olim, custos, qui ferro in os dementis immisso, cibum paene suffocans ingerat, sed fames in aegroto excitatur, stimulis augetur epularum delicatissi-
rum, quibus actus, amens tandem ali-
quando naturae altius flagitanti obsequi-
tur, et sponte et voluptuose vescitur iis,
quae antea respuerat, quum paveret ne,
occulto per epulas veneno inserto, maligna
fraude necaretur.

Haec omnia in melius nunc in mani-
comiis habentur. Caritati plaudamas, quae
vincit in bono malum, et per quam bona
coniurant in optimum.

P. A.

BREVIS FLORIBUS HORA!..

Divites pictis foliis renident

Flosculi dono charitum, iocosco

Cum sinum pandunt zephiro et decenter
Arva colorant.

At vices aevo fugiente mutant:

Protinus carpit brevis hora florem,

Quo sibi vellet redimire crines

Blanda voluptas.

*Quid suae frustra rosa delicatum
 Purpurae iactat decus; atque plebem
 Ceteram florum tumet arrogante
 Spernere fastu?*

*Illa florenti sociata ramo
 Inchoans rubros aperire honores,
 Atque lascivam recreare odoris
 Frondibus auram,*

*Gratiis dudum meditatur audax
 Texere insertas apio coronas,
 Divitum et luxu cupid invidendo
 Spargere mensas.*

*Heu nimis vana specie superbit!
 Adspicit quam sol oriens hiantem,
 Occidens pronam videt immerentes
 Ponere frondes.*

*Splendidum rerum tenuare vultum
 Fata vi certant avida impotenti:
 Optima ignaris bona quaeque nobis
 Invadet aetas.*

*Ergo cur fucata oculos decoris
 Decipi forma patimur? quid aegras
 Allicit mentes, animosque mendax
 Fallit imago?*

*Heu tuis frustra illecebris, iuventus,
 Credis imprudens: caput impedita
 Flore quid gaudes pede dissoluto
 Pellere terram?*

*Antequam laetum tenuetur aevum,
 Asperum discas metuisse fatum,
 Iam satis docta arbitrio potentis
 Floris iniquo.*

H. N.

CHICAGO URBS¹

Omnium urbium, quae tam magnitudine quam opibus ubique terrarum vigent, Chicaginem rerum abundantia et operibus censeo esse florentissimam. Origo urbis atque eius opera aequ singularis. Inter omnes constat, has vastas regiones, quae nullis ferme finibus saepta tenentur, ab Indis, qui dicuntur, primis fuisse habitas; deinde, ubi primum esse Americas percrebuit, ab Europaeis, qui auri desiderio ardentes, patria et suis relictis, huc se reperant, vel foedere icto vel armis esse occupatas. Id tamen, quod hoc urbis loco, in quo centum ante annos Indorum tabernacula posita sunt, immensa aedificiorum moles in caelum minatur, negotia interiore quasi motu tument, ingenia omnibus artibus et disciplinis finguntur, quam pro hominum viribus et robore, maius habetur atque mirabilius.


Urbis situs, quo non alter opportunior locus, in agris Illinois iuxta lacum Michigan iam a priscis indigenis interdiu cultus et habitus est. Urbs autem est tripartita; una pars, quae ad septentriones vergit, septentrionalis vocatur; altera rivo, cui nomen «Chicago» interiacente, ad meridiem versus, australis dicitur; tertia denique, quae longius ad occasum spectat, passim occidentalis appellatur.

Cives, quum omnia ferme negotia non in diversis vicis, sed in urbis paene visceribus quotidie obeant, medium urbis partem, altissimis exstructis aedificiis, praecipuam rerum venalium sedem fecerunt. Quo, paulo post primam diei lucem, ad obeunda negotia ingens hominum multi-

¹ Qui a Patre Purpurato W. G. Mundelein Chicaginem hoc anno vocati sunt, ut in gentium concilio de augusto Eucharistiae sacramento intersint, ii sciant, velimus, hoc de urbe Chicago scriptum sibi ipsis esse dedicatum.

tudo, ex variis quasi fontibus quum emanarunt, tamquam inflati amnes non tam influunt, quam nescio quo impetu inferuntur; unde ad vesperam, negotiis confectis, eadem, qua venerunt, festinatione se do-

quidem, sed ob aedificiorum altitudinem angustae, tanta hominum turba saepe sunt refertae, ut undis aestuantibus similes crescere et recedere videantur. In compitis autem et triviis, ne quis viam transiens



mos corripiunt. Plures itaque ad hanc urbis medullam patent aditus; vehiculis enim, quae innumerabilia vel electride vel vapore aguntur, sanguis, si ita dicam, per viarum venas in totum urbis corpus diffunditur; ad hoc, ut cursus prorsus expeditus sit, pontes ferrei, qui viam elevatam, ut aiunt, efficiunt, quasi aliae patulae tres in urbis partes sunt diffusi. Viae latae

sarracis neve ullo impedimento perstrin-gatur, vigiles provident custodes. Transeuntium vero aures plastrorum strepitu adeo percelluntur, ut praeter confusum tumultuantum fremitum vix quidquam clarae vocis accipere queant.

In aedificiis, quae altissima prope a nubibus absunt, vel ostentandi vel empturos conciliandi gratia omnium rerum thesauri

palam sunt collocati. Impluvium, per quod vitro opertum lux late splendeat, in medio aedificio patet. Itaque ex imo impluvio suspiciens aedificii altitudinem, et vicecentarum contignationum compages atque omnium rerum, quae suppetunt copia, ut si in unum locum collata sint, in conspectum cadunt. Eorum, qui pecuniam in rationem inducunt, in quadam taberna mille et quingenti esse dicuntur. Tabernae itaque quantae sint in promptu est.

Quod urbs, divitias comparatis, omnium rerum affluentia fruitur, id viis ferreis quam maxime attribuendum est. Ut agrorum ubertas risis veluti cibo alitur et confirmatur; sic his in regionibus oppida urbesque viis ferreis tamquam fluminibus non tantum aluntur, sed etiam parta paene et condita sunt. In Europaeis quidem terris viae ferreae secundum urbes, iam adulatas ductae sunt, sed his in terris, rebus penitus conversis, urbes secundum vias ferreas conditae et aedificatae. Viarum ferrarum autem his in terris vix ulla est, quin in nostrae urbis ostium ducat aut arctissimo utilitatis vinculo cum urbe sit coniuncta; unde affluit tanta rerum copia, ut urbis granaria quasi arboris rami ubertate incurvescant. Urbs igitur omnium commenantium iure vocatur ostium. Huc accedit ut lacus, quod caeruleum aequor iuxta urbem porrectum est, quem vel rivis vel fretis cum aliis lacubus et cum mari coniunctus sit, multum urbi navigatione afferat utilitatis. Prope lacum autem moletrinae et fabricae, ubi ferrum igni liquefactum variis figuris conformaretur, postquam operariorum multitudo, plures a Polonis oriundi, sedem hic constituerunt magno pecuniae sumptu exstructae et, quum opera prospere cessissent, auctae et amplificatae. Hic nulla laboris opera equae intermissio; fervetque opus semperno igni. Itaque noctu vagae candidi ignis flammæ, fulguris paene aemulae, ut si caelum lambant, erumpunt dispelluntque cir-

cumfusas loci tenebras. Ad triginta millia hominum his in fabricis multo labore sudare feruntur.

At macello, qui non tantum magna hominum celebritate, sed etiam rerum apparatu multum pollet, effectum est, ut urbis nomen, veluti lumen nuper ortum in omnium adspectum ceciderit. Quippe in nostris quae ad occasum spectant plagiis, infinita paene et plana sunt spatia, herbae et frumenti prodiga; quum a paucis advenis incolantur, ad pecuariam collendam aptissima. Quibus in pratis quum innumerabiles pecorum greges vagarentur, a rerum peritis statutum est, ut iidem greges, suo quisque tempore, in unum locum congregati occiderentur eorumque caro civibus terrarum omnibus suppeditaretur. Quum autem urbs nostra, quo pecora congregarentur, destinata esset, multa lanaria opinione celerius orta et in dies sunt amplificata; inventisque, quae ad servandam carnem utiliora essent, gradatim auctis, tanto ardore fervent, ut urbs in terrarum orbe sit nulla, quin carnem et quidquid ex carne capiatur utilitatis ab his officinis accipiat.

Iuvat pauca de quadam officina dicere. Altum est et longum aedificium, extra quod scalae utrinque saepae, qua oves suesque agantur, in supremam partem ducunt. Hic rota, cui extremae eminent clavi, perpetuo motu revolvitur; clavis deinde alligatur sus, quae pede suspensa, dum rota volvitur, cito trahitur ad eum, a quo iuguletur; iugulata in funem moventem delapsa, fertur ad eum, a quo visceribus cultro solutis purgetur; deinde eodem tractu rapitur ad eum a quo rite in frusta secetur; denique postquam ad ceteros lanios allata est, in frigidum conclave, ubi gelu rigida permaneat, conicitur et servatur suspensa. Nihil carunculae perit, sed ex omnibus partibus saltem aliquid percipitur utilitatis. Hoc vel simili modo pecora caeduntur et caesa servantur. Quibus in

lanariis ad quinquaginta millia omnium operi inserviunt.

Urbs autem nostra, quae omnium urbium maxime Americana dicitur, quum cives ea, quae inter se contraria sunt, adversa quasi fronte componere in deliciis habeant, rebus inter se pugnantibus abundare videtur. Hinc locorum squalor et foeditas certant cum munditia et amoenitate: illinc copia confligit cum egestate. In subburris, quarum alia in alia urbis parte sita est, inquinorum sentina fetet; viae, quae circa sunt, asperae et imbri plerumque corruptae; gurgustia rimis dehiscent, et, ut si iam corruant, proclives inclinant.

Attamen horti amplissimi, ut civium voluptati inservirent constructi, pro praecipua habentur locorum suavitate. Hic viridaria arbustis et semitis ornata, sphæristeria pueris ludentibus aptissima; cetera denique, quae ad civium commodum et voluptatem pertinent, nescio quo rerum ordine et splendorie sunt diffusa. Qui horti viis, quas bene stratas Boulevards gallice vocant, inter se coniuncti, quum cespite miri coloris vireant, venustiores sunt, quam quos in Europaeis urbibus viderim. Huc sudo caelo effluunt equi phalerati, rhedae electride vel vapore actae, omnes denique urbis opes, quae narrare longum est.

Quidnam tanta in urbe valet religio? Cives variis disciplinis subacti, quamvis alii Deum esse negent, alii res sacras flocci faciant, quin in religionem sint propensi, negari non potest. Fana igitur et templa veluti excelsae populi tota urbe prosemnata, eaque, id quod maximum est, a civibus eorumque impendio erecta. Quum Catholicci non tantum urbe nascente, sed etiam adulta multum possent, plurima templa nostrae religioni dicata sunt. Plus decies centena millia incolarum signa Catholica sequi dicuntur.

Urbis historiam sunimis saltem labiis attingere libet. Hos agros anno MDCCLXXI

vir quidam, cui Kinzie nomen, Europaeorum primus, casa erecta, excoluit, quem propter loci oportunitatem tot advenae sequebantur, ut brevi mora oppidum nasceretur. Quum vero oppidum, fortuna reflante, anno MDCCCLXXI igni deletum esset; cives, ubi primum respirandi spatium datum est, alteram eamque maiorem aedificandam curaverint. Urbs itaque ad triginta millia passuum longa et ad decem millia passuum lata pomeris ferme immensis circumdata est. Inhabitantium autem multitudo - ad trecentas centena millia hominum - ex omnibus terrarum gentibus conflata. Nunquam post hominum memoriam contigit, ut paucis annis, tanta opera, quae ne cogitatione quidem antea effecta erant, hominum ingenio atque virtute compararentur. Chicago ingenii tamquam imago est; ex qua, quid hominum vires et constantia possint, satis appareat.

Scrib. Romae, mense Martio MCMXXVI.

HILARIUS DOSSWALD, O. C. C.
Chicaginensis.

COMMUNIA VITÆ

Visitur amicus aeger.¹

MANSUETUS, PAULINUS, CLAUDIOUS,
PATERFAMILIAS.

MANSUETUS. - Claudium familiarem nostrum intellexi laborare adversa valetudine.

PAULINUS. - Doleo sane vicem eius. At quando illum morbus corripuit?

MANS. - Non ita dudum. Vin, tu mecum una aegrum visere?

PAUL. - Evidem volo. Ita nobis praeci-
piunt christiana humanitatis leges; obtem-
peremus. Unde autem contraxit morbum?

¹ Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus.
Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

Non ex intempestivo litterarum studiō, opinor, nēdū ex frigore aut inedia.

MANS. - E crudis potius malis, pyris, fructibus: nam horum puer non alter aequē est cupidus, atque ille.

PAUL. - Quid illi dolet?

MANS. - Stomachus.

PAUL. - Laborat ex stomacho? Hinc illae lacrymae, certo certius. At quid cessamus? Quin pulsamus ostium?

MANS. - Resiste. Claudii patrem video per tempus egredi: conveniamus eum. - Mi domine, salve.

PATERFAMILIAS. - Salvete vicissim, adolescentes optimi.

PAUL. - Filius ut valet a stomacho?

PATERF. - Parum ex sententia; tamen minimus a stomacho metus est.

PAUL. - Quo morbo tenetur praeterea?

PATERF. - Ipsi divinant medici. Suspicant tabis esse speciem.

MANS. - Meliora speramus. Febrine quotidiana conflictatur?

PATERF. - Non quotidiana; nunc tertio quoque recurrīt die. - Sed quid tam diu pro foribus vos detineo? Tecto, si placet, succedite.

MANS. - Imo erit gratissimum.

PATERF. - Hac me subsequimini in aegroti cubiculum.

PAUL. - An ergo licet cum illo colloqui?

PATERF. - Rogas? Quidni liceret?

PAUL. - Ne, si quietem interpellēmus, morbus ingravescat.

PATERF. - Interdiu somni nullam partem capit, noctu haud multo amplius: innoxii acceditis; est illi solatio et voluntati consortium.

MANS. - Qui vales in praeſentia, Claudi noster? Nihilodum melius quam heri?

CLAUDIUS. - Nihilo melius; quin aliquanto peius.

MANS. - Sane dolemus; at bono sis animo oportet.

CLAUD. - Et vos quanam valetudine estis?

PAUL. - Prospera certe, quae Dei benignitas est. Utinam propediem tu quoque valeas perinde ac nos!

CLAUD. - Ubi Superis videbitur, fiat; sin minus, aequo animo ferendum est.

PAUL. - Libenter appetet, ut corpori tuo male sit, certe animum valere.

CLAUD. - Quid agam? Impatientia morbus in peiore partem vertitur: contra, multum iuvat animus in re mala bonus.

MANS. - Nondum tibi reddita est cibi appetentia?

CLAUD. - Non nauseat saltem stomachus.

MANS. - Id felix est famis principium.

CLAUD. - Paullatim restituendam orexin spero, quoniam febris intermittere coepit.

PAUL. - Nos autem precibus opitulabimur quoad poterimus.

CLAUD. - Habeo gratiam.

PAUL. - Non est quod habeas; mutua precum subsidia pro iure suo exigunt amici.

CLAUD. - Aliquanto crebrius deinceps commeate intervisendi mei gratia.

MANS. - Adhuc metuimus, visendo, ne molestiam tibi exhiberemus potius quam officium.. Aegris ut plurimum amica est solitudo.

CLAUD. - Nunc illa defecerunt morborum fastidia: grati advenietis hospites.

MANS. - Non patiar me desiderari, si quid meum te oblectat consortium.

CLAUD. - Tua consuetudine nihil est suavius. Verum quid causae est quod tu, Pauline, taceas? Rarius ideo me revises? Ecquid?

PAUL. - Heu! non licebit forte per valetudinem matris.

CLAUD. - Itane vero? An et illam morbus corripuit?

PAUL. - Imo gravissimus. Dies sunt plus minus viginti, quum decubuit.

CLAUD. - Accipio hercle! iustum excusationem, atque eo magis fore ut citius convalescat precor, quo in posterum ad me frequentior recurrere possis,

PAUL. - Et ipse ominor ut quod ea de causa a me neglectum est, crebra consultatione pensem.

CLAUD. - Optato, inquam, adveneris.

PAUL. - Valetudinem vero tu cures ita diligenter, ut te iam ex morbo satis firmum inveniam quum rediero.

CLAUD. - Faustum id sit atque fortunatum. Valete interim vos in proximum congressum.

MANS. - Iterum atque iterum vale.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.¹

Transitorius - Fluxus; Caducus; Brevis; Ad tempus.

Translatio - Conversio; Interpretatio; (Cfr. *Traducere*).

Transmodate - Immoderate; Immodice.

Transmutatio - Immutatio.

Transparere - Perlucere.²

Transverse - Transversum; Ex transverso.

Tribulatio - Afflictio; Calamitas; Aerumna; Res adversae; Mala.³

Tribuna - Suggestus; Rostra.⁴

Tributarius - Vectigalis; Stipendiarius.

Triduanus - Trium dierum.⁵

Triennalis - Trietericus.

Trigesies - Tricies.

Trillus - Sonus intortus (vibrans); Sursum.⁶

Trimestralis - Trimestris; Trium mensium; Quod tertio quoque mense fit.

¹ Cfr. fasc. sup.

² *Transparens* - Perlucens; Perlucidus; Perspicuus.

³ *Tribulare* - Rebus adversis affligi; Aerumnas perpeti; Laborare.

⁴ *Altaris maximi tribuna* - Templi fastigium.

⁵ *Triduana supplicatio* - Supplicatio (Supplicatio; Sollemnia) in triduum (trium dierum).

⁶ *Itaque Trillare* - Susurrare; Vibrare.

Tripartitus - Tripertitus.

Trisavulus - Abavus.

Triticum - Ternae tabulae pictae.

Tritura - Tritus (us).

Triumphator - Triumphans.

Truncate - Praecidere; Abscidere; Amputare; Resecare; Adimere.

Tumefactus - Tumidus.²

Turbina - Rota aquilega.

Turista - In animi oblectationem (Volutatis causa) peregrinator.

Turnus - Alternatio; Per vices successio.³

Turpare - Deformare.

Turpiloquium - Verborum (Sermonis) obscenitas.

Tympanum (in aedificiis) - Fastigium.

Typographia - Officina libraria (libris edendis).

Typus - Forma; Figura; Exemplum.⁴

Tyranna - Dominatrix; Domina.

Ubertim - Abunde; Affatim.

Ubertositas - Ubertas; Fecunditas; Fertilitas.

Ubicatio - Situs; Locus.

Ukasiūm - Edictum imperatorium.

Ultimatum (facere, dare, mittere, etc.)

- Extremas condiciones imponere (et sim.).

Ultionem sumere - Ulcisci.

Ultramontanus - Transmontanus.

Umiditas - Umor.

Umor - Ingenium; Natura; Mores.⁵

Unanimitas - Concordia; Animorum (Voluntatum; Sententiarum) consensus.⁶

¹ *Triumphaliter* - Triumphantium more (ritu).

² *Tumefactio* - Tumor.

³ Itaque *Turnatim* - Alterni; Alterna vice.

⁴ *Typice* - Insignite.

⁵ *Umor laetus*; Animis iucunditas; Hilaritas - *Umor niger (tristis)*; Tristitia - *Umor facetus*; Lepos - *Umor bellicosus*; Spiritus ferox - *Bonus umor*; Vir festivus (Hilaris; Ccmis) - *Umorismum*; Lepores - *Umorista*; Cavillator - *Umoristicus*; Salsus.

⁶ Itaque *Unanimiter* - Omnia (Communi; Uno) consensu; Uno animo; Uno ore; Ad unum omnes; Cunctis suffragiis.

Unctuosus (vir) - Vir blandiens; Blan-

dus; Assentator.

Uncinus - Uncus.

Unguem (ad) - Absolute; Perfecte;

Plane; Omnino.

Unice - Tantum; Solum.¹

Unificare - In unum cogere; Coniungere; Unum et idem facere.

Uniformis - Unius formae (modi; ge-

neris); Similis atque idem; Idem semper.

- *Si de veste*: Insignis (ex. gr. militum, puerorum) vestis.

Uniformitas - Similitudo; Convenien-

tia.²

Unigenitus - Filius unicus.³

Unitateralis (sententia) - Curta sen-

tentia.

Unio - Concordia; Animorum et sen-

tentiarium summa consensio - Societas;

Globus.

Unire se - Coniungere (Consociare) se

cum aliquo; Se applicare ad aliquem; Con-

venire cum aliquo:

Unisonum - Unius sonus; Concordi-

sono; Concordia.

Unitarius - Unitatis studiosus.

Universalis - Universus; Communis.

Universalitas - Universitas.⁴

Universitas (studiorum) - Lyceum ma-

gnum; Athenaeum; Academia.

Unquamquam - Unquam; Nunquam;

Minime.

Uraganum - Nimbus.

Urgentia - Necessitas.

Usabilis - Qui adhiberi potest; Quo uti

licet (possimus).

Usbergum - Thorax; Lorica.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

¹ Bonum est pro singulariter.

² Uniformare se alicui, Sequi aliquem; Parere ali-

cui; Se convertere (Se conformare) ad... - *Uniformi-*

ter: Eodem semper modo; Sine ulla varietate; Aequa-

biliter.

³ Apud Ciceronem una vice tantum invenitur: *Uni-*

gena.

⁴ Universaliter - Universe; Generatim.

ANNALES

Nationum Societas.

Ut in superiore civilium per orbem eventuum recensione nostra nunciavimus, primis Martii mensis diebus Genevae quinque supra quadraginta Nationum Societatis legati convenerunt, qui circa admissionem Germaniae in ipsam societatem decernerent, quam unanimi suffragio fieri oportebat. Id ita futurum omnes putabant; res vero praeter exspectationem cessit. Quum enim Germanorum legati obsisterent ne praeter ipsos natio alia quaevis in coetum reciparetur, stabilemque locum, contra, peterent et Poloni et Hispani et Brasilienses; quumque in varias condiciones, hinc inde a ceterarum gentium legatis propositas, eorum nemo concedere voluisse; Brasilienses denique intercessionem opposuissent, comprobacionis concordia deficiente, ne Germania quidem in nationum societatem cooptari potuit.

Dimissum est itaque infectis rebus concilium, coetusque electus qui de concilii ipsius regulis passim innovandis, ac praesertim de consiliariorum numero augendo ad mensem Septembrem referat. Huius coetus particeps et ipsa Germania erit una cum Polonia, Sinarum et Argentina republica; quae a societate recesserat neque, usque dum scribimus, iterum ad eam rediit.

Ex hisce eventibus dubium passim exortum est de perpetuitate atque efficientia foederis Locarni in oppido sancti; Chamberlanus vero in Anglia, atque Stresemannus in Germania, acribus orationibus dubitationem quamlibet diremerunt. Id autem fauste confirmatum est a novo foedere inter Austriam et Ceco-Slovacorum regnum inito, scilicet iuxta conciliantem animum, qui Locarni praestitit.

Londinensis conventus.

Feliciori vero exitu habitus est Londini Italiae, Galliae, Angliae, Belgicae et Germaniae conventus, ut simul de Washingtonensi rogatione ad laboris horas octo per orbem universum opificibus statuendas, convenienter. Exceptiones quidem motae sunt; non eae tamen, quae rogationis ipsius fundamenta diruerent.

Gallicae res.

Facile praedixeramus fieri posse ut, necopinata causa intercedente, Gallico administrorum collegio a munere esset abdicandum. Revera, dum Briandus Genevae est, Gallicus popularis coetus legibus rendis renuit rata habere consilia de debitorum solutione a Senatu inducta. Timabant inde ne laboriosum discrimen oriatur, eoque gravius, quod, nisi feliciter res absolveretur, Gallia nullam partem iam habitura esset in Societatis nationum disceptationibus. Deficientibus enim legitimis administris, quisnam Galliae personam illic gereret? Sed brevi difficultates victae sunt; summa rerum Briando iterum tradita, qui sibi collegas assumpsit Peret pro oeconomicis negotiis; pro civilibus autem Malvy; quamquam hic tam acerbe ab adversariis suis acceptus est, ut in ipso legatorum coetu animo relictus sit.

Quando navis iu portum adducetur?

Nova flagitiosa vis in Italorum administrum primum facta.

Dum hae notae sub prelo sunt, die vii mens. Aprilis, de novo impetu in Benitum Mussolini, Italorum administrum primum, fama manat: mulierem quamdam, natione Hibernicam, mente fortasse magis quam pravitate captam, manuballistulae glande

euin in Capitolo petuisse, qui leviter in vultu est vulneratus.

Facinus ex animo iterum iterumque exsecramur, Deoque Optimo Maximo grates agimus, quod sospitem virum servaverit. Idque felix, bonum, faustumque siet!

POPULICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Quae de luctis SUBALPINI nostri Gallus in hisce paginis recens cantavit, Anonymum illum meum, qui certe a memoria vestra non decidit, excitarunt, ut auxilium mihi apud vos afferret, nonnulla ad me mittens quibus singulare certamen Barclaius suus descripsit. Pretium est operis ut omnes legant:

Paria - sic igitur ille - arma erant ensesque utrique. Nec dubitaverat Comminдорix ipso impetu iuvenem proteri posse. Itaque spennenti vicinior tamquam ad facilem ruebat victoram. Sed postquam adverso mucrone depulsus est ictus, quem alte paraverat, et Astoristae gladium aegre a iugulo removit, tunc vero diligentius in illum coepit inspicere et ut in iusto discrimine se tueri. Iamque ensis utriusque vanos in ictus bis terque ceciderat, quum tandem Astoristes prior vulnus accepit in capite, qua in supremam frontem capillitum excurrit. Tum vero sudore ac cruento formosior impatienter excanduit. Circuire, accedere, relinquere hostem, artisque et ingenii mutatione lasare. Urgebat nobilissimam mentem victoriae decus et praemium... Ita hostem obdienti tandem dedit se fortuna. Ut apud nos, de veteri more, caesim pugnatur, destinayerat forte ictum in caput inimici, quem cervicis deflexio non in totum frustra est. Incidit enim ensis in aurem, quam cum modica genae parte deiecit in terram. Movit tyrannus caesariem, horri-

dusque indignatione et minis infremuit; furum poenam ac dedecus ille casus inflixerat. Manabat et plurimus sanguis; adauitque hoc ipsum insaniam, quod Astoristes, tamquam hoste contempto satis iocis vacaret, dati vulneris dolorem cumulavit ludibrio. Recruduit itaque pugna, donec visus est Astoristes indignari tanto tempore constare victoram. Felix ictus et Galliae salutaris, qui Commindorigi lacertum eripuit. Quo prolapso institit victor, reclusisque adhuc mori dubitantis vitalia.

**

Ita Barclaius, quem ex certantium nonnibus de barbaris scripsisse arguimus. Num vero aetas hosce barbarorum mores abolevit?

Quamquam humanissimis nobis **pugna pugnis pugnata** nostris diebus magis est in deliciis. Quibus ut morem gereret, amicus meus incognitus et exemplum scriptoris, qui vel abhinc saeculis tribus vixit, suppeditavit, Ferrarii scilicet, qui in « Collocutionibus » (II) haec scripsit:

Ubi harpasti velitatio, alternante plerumque partis utriusque Victoria, inter innoxia sibila et festas acclamations satis prolusit, ad suarum se capita viarum gemina recipit acies, manibus inermibus pugnatura. Etenim sollemne iis pugilibus est, contra quam veteres consueverint, quolibet annolorum caestu exarmatis et nudis compressisque digitis micare. Quin etiam vel casu prolapsi, vel impulsu deiecti surgere permittuntur impunes, ut novi Hercules cum Antaeis ex aequo congregantur. Iamvero sua cuiusque agminis tuba aere bellico viros ciet, mutuisque Martis flamas canoro spiritu accendit. Iam doctae Palladis milites litterati voce, manu et increpante moram tuba hostile agmen invitant et provocant. Iam provocatum raucas minas responsante classico procedit. Iam toto e foro spectatores accurvunt

et pugnae locum densa utrinque serie stiptant. Iam concurritur et fit impetus; iam variis vere modis manus conserunt, sive, ut poëtice dicam,

*Immiscentque manus manibus, pugnamque laces.
[sunt.]*

Mirum dictu visuque! Omnes, quamvis rudes et idiotaæ, sine strepitu, pugnis strictim, solide valideque argumentantur; et hi lividum hostilibus oculis, illi contra cruentum naribus argumentum impriment. Libet, dum illi pulsant, ista concinere:

*Multa viri nequicquam inter se vulnera iactant,
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus, erratque aures et tempora circum
Crebra manus: duro crepitant sub vulnera malae,*

donec utrinque, tundentium efficaci miraculo dextrarum, capita in tubera transformantur. Quod si victrice pugnorum petulantia repulsis praepugnatoribus aggressores irrumptant, opima spolia ex officinis praesertim cibariis atque dulciariis, nisi mature praecludantur, non sine laetabunda sublatorum alte pileorum ventilatione, et victos exsibilante triumpho, ex aggressoribus praedatores exportant, ac veluti bellicam victores praedam, illa in vulgo missilia spargunt. Sin autem Palladii comilitones hostem repugnacibus dentifrangibilis ac denasantibus pugnis retuderint atque repulerint, re infecta indecore abeuntem sonoro sibilorum irrisu prosequuntur. Ita mutuis utraque sese factio aggressoribus incessit, et qua victrix, qua victa, priscum pugilatum instaurat.

Bene, hercle! illis; ... melius nobis!

**

Idque eo magis, si **Galli monita** audiverimus, quae hodie per consuetum SUBALPINUM ipse praebet, **de amicitia**:

Adhuc de gallis sum locutus bellicis,
Sui qui semper se monstrarunt vindices,
Modo virtutem in effundendo sanguine,

Habemus foederis qui et fuere socii,
Imo perenne pignus amicitiae.

Iuvat rem dictis explanare fusius.

Erant duo galli mira pulcritudine,
Rostris et unguibus et pennis aureis,
Eaque aetate commoda ad certamina.
Ergo cum primum sunt in castris positi,
Ut inter dimicent de more solito,
Fit magna probe cunctis exspectatio.
Nam galli incedunt gravitate maxima,
Et ambo laete se salutant invicem,
Alis et voce gracitantes alacres...
Eos ad iram spectatores provocant,
Et ipsi saepius se mirantur, vocibus
Se se quodammodo salutant teneris.

Quid est? Videtur res quasi incredibilis.
Autumat quis dolum vel maleficium,
Ut de re gravi cuncti dant consilium:
Eis tingantur alae tum coloribus;
Sic sibi extranei adparebunt admodum.
At cum mittuntur ad certamen denuo,
Se cognoverunt vel diversis vestibus.
Escam proponunt... blanduli sed divi-

[dunt]
Novum praescribunt animorum speci-
[men]:

Mittantur alii, tunc aiunt, socii...
At, at, perspectis novis adversariis,
Tunc naturalis mos in ipsis nascitur,
Eosque rostris, unguibus sic provocant,
Viribus sed iunctis, consertis animis,
Donec insignem referant victoriam.
Rebus sic prospere gestis, et aemulis
Occisis, redeunt amici ut antea.
Quo facto, cives, omnium sententiis,
Hos gallos statuunt nutriendos publice,
Ut sint exemplum posteris concordiae.

Hanc do mortalibus vitae sententiam,
Velint si in terris vivere suaviter,
Ut ambo galli se gessisse vidimus.
Vivant iuncti corde, vivant et viribus.

*Gallum quis feret sic monentem homines?
Utinam Galli me sentirent placide,
Ut possint prosperam tunc vitam vivere!
Hoc do consilium cunctis mortalibus.*

**
Locosa.

Tuccius Magistro:

— Heu! Nisi a litterarum periculo probatus discessero, in flumen me deiiciam!

MAGISTER. — Sine ullo timore perficias: cucurbitae enim innatant!

Magister multum temporis consumpsit in thermometri compositione, usu, etc., explanandis; deinde Tuccium interrogat:

— Intellexisti ne quae huc usque docui?
— Optime.

— Quid est igitur thermometrum?
Tuccius tacet. Instat alter:

— O me miserum! Dicas saltem quibus elementis componatur.

— Tuccius (post aliquam moram): Ex vitro et ligno.

— Fil... Ad quid eo utimur?
— Ad ornandas domesticas parietes!

**

Aenigmata.

I

Armi potens heros, Aenea stratus ab hoste,
Italiae sparsi rura cruento meo.

Litterulam praefige mihi: cito nascitur ex me
Humanos ales reddere docta sonos.

II

Consona trina datur: lege quamque suo or-
[dine, sodes.

Illis particulam, tempus quae denotat, adde:
Prodibit nulli res simplicitate secunda.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Cor-nix*; 2) *Pa-pa-ver*.

IOSFOR.


Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS

[13]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit Andr. Haberl)



CAI. Pro certo haec dicis, fili?

REP. Pro certo, pater; siquidem his videbam oculis avelli a parentibus liberos.

CAI. Ergo nostri officii est fratres carissimos quacumque ratione ad extremam pugnam erigere.

REP. Ita vero, pater, confirma eos!

CAI. Sed cui hoc tuto committemus, ut ad eos perferat corpus Dominicum? (*Circumspicit*).

TARCIUS (*statim positis in gradu genibus protendit manus*) Da, pater sancte, mihi da ferendum corpus Domini. Ne isto me exclusis honore!

CAI. Filiole, parumper cogita, quanta sit res, mundi Dominum perferre ad carcerem. Tu impar eris derisoribus. Quid vero fiet, si vulgs te agnoverit?

TARC. Nunquam equidem utilis fui Ecclesiae antehac imbellis viribus. Sed puero contemptibili et ignoto, qui transversi viis iturus sit, puerorum amicum tuto commiseris. Proinde, pater, mihi, quæso, ferendum trade!

CAI. Accipe igitur sanctum panem Angelorum! Diligenter tamen cura, ne quid prodas, ne mittas margaritam canibus. Incede celeriter nusquam diu moratus! Maxime vita vicos frequentiores! Igitur perfer fratribus, ut sumant corpus Domini. Hoc repletis cibo, catenae videbuntur deliciae. Suscipe, custodi onus augustissimum!

(CHRISTIANI circum aram ponunt genua.
Caius se demittens Tarcisio inter turbam occultato complicatum tradit linteum, quod hic statim sub veste abscondit. Curetur, ut ipsa traditio maneat tecta et nunc et postea, quum reddetur linteum.)

TARC. O panem caeli! (*Surgit*).

CAI. Deus te custodiat et eius Angeli deducant te! (*Omnibus locum dantibus, TARCIUS exit brachiis decussatis, REPARATO usque ad aditum prosequente*).


Nunc, grex pusille, rursus pugnam parcum huius mundi ineundam principe. Ferocium manus brevi aderit sanguinem petens praedamque. Quapropter, Reparate, advocatis pauperibus etiam hodie sacra vasa distribue, aurum et argentum Ecclesiae. Sic enim est melius, quam sacrilega carnificum manu profanari. Adhuc in decem catacumbarum cambris quotidie, post signum vigiliarum media nocte datum, sacra fiunt, sed cavendum, ne unquam plus deni altari circumstent. Sacrum Domini corpus posthac quilibet reverenter secum portabit domum, ne quem ego ipse dare iam non potuero, hoc careatis solatio. Ad diluculum ite domos, quod noctes vobis fortunaverint, custodientes sedulo. Et quum stabitis ante iudices hoc Divinae gratiae acceptum referentes, vincite tormenta! Sed bene cogitate, quod Iesus monuit, ne ira aut odium vobis coronam rapiat. Ah! postremum, Reparate, fratribus, quod apud Matthæum Dominus nos iubet, recita!

REP. (*graviter ex codice*): «Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persecutibus et calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestris qui in caelis est».

CAI. (*post aliquam moram, graviter*). Ut sitis filii Patris vestri, diligite omnes inimicos vestros.

OMNES: Iuvante Deo.

(*Ad proximum numerum*).



[13]

Haberl)

ergit).

ius Angeli de-
antibus, TARCI-
SEPARATO usque

pugnam para
principe. Fer-
guinem petens
rate, advocatis
vasa distribue,
Sic enim est
cum manu pro-
mbarum came-
iliarum media
cavendum, ne
nstant. Sacrum
bet reverenter
tem ego ipse
reatis solatio.
l noctes vobis
culo. Et quum
ae gratiae ac-
enta! Sed bene
ira aut odium
remum, Repa-
atthaeum Do-

« Diligite ini-
ci oderunt vos,
alumniantibus
qui in caelis


graviter). Ut
mnes inimicos

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyloina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. – Sin-
gulae lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30, exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE SEPTIMO SANCTI FRANCISCI ASSISINATIS ANNO SAECULARI¹

Sunt aliquot dies, quin imo, aliquot menses, quum omnis Italia nostra, eiusque innumerae ephemerides, nihil carius nihilque antiquius habent, quam ut quotidie Franciscum Assisiatem in exemplum cum laudibus ponant. Et quod, paulo ante, insanum fuisse atque improbandum sperare, id, praeter omnium opinionem, admirantibus populis, possibile fuit et commendabile. Ille enim ipse, qui, experrecto ingenio atque incredibili audentia, securus ad rerum italicarum gubernacula sedet, tamquam sacram gentis omnis proprium diem magni civis natalem solemniter ac publice celebrari iussit.

Omnes Franciscum colimus!

Et sororio veluti vinculo coniunctae omnes Europae gentes, uno animorum studio atque consilio, Assisiatem laudibus exornant, eum lumen religionis atque ornamentum praedicant, cunctisque saeculis qui tradatur dignum esse virtutibus adfirmant.

Alma Roma nostra, nec ultima neque minori mentis affectu acta, quae iamdiu

suum esse Franciscum gloriose prae certis vocat, arrepta opportunitate, ipsa quoque paucos quosdam flosculos, e tot virtutum cumulis excerpens, colligit, et libentissime « varios nectet flores, sertisque locabit ».

* *

Assisium, quod in praesentiarum nomine undique percrebescit, et omnes facile superat celebriores Italiae civitates, unam propter causam, quod ortum sanctissimo viro divinitus praestitit, parvum est Umbriae regionis oppidum.

Ioannes, Petri de Bernardo, cognomento apud suos Franciscus, – quo nomine ipsi attributo, quod apud Francos fuisse altus et Francicam linguam expedite loqueretur, aeternitate florebit, – natus est anno centesimo secundo et octogesimo supra millesimum. Adolescens, plus aequo genio indulgens, et corpori unice inseriens, a rebus sacris miserrime recesserat. At divina veluti virgula excitatus, ad meliorem frugem se convertit, et paupertatem professus, vitae anteactae caelitus paenituit, duriterque sese exercuit. Severum vivendi admodum genus amplexus, sanctissimum se omnibus magni-

¹ De solemi hoc eventu per orbem celebrando Pius XI P. M. encyclicas litteras his diebus dedit; de quibus ad proximum numerum.

fice exhibuit. Assidua ac perpetua in egenos liberalitate conspicuus, patris iracundiam propterea in se concitat, eiusque furorem laetissime ferens, ipsas ei vestes restituit, atque rebus omnibus abdicatis humanis, ad caelestia et immortalia liberrimo pede cucurrit, dilecta paupertate defixus.

Hic sublimia Aligherii carmina exaudire iuvabit:

*Nam puer invidiam genitoris sustulit almam
Ob dominam, cupidis quae est odiosa viris.
Et coram patre est ac Praesule iunctus eidem;
quotidieque dein plus adamavit eam.*¹

**

Mirum sane, qui paulo ante, ludis iuvenilibus abreptus, illis unice, citra fidem, inserviebat, nunc in se ipsum, tamquam adversarium crudeliter insaeviens, asperima quaeque adhibet, ut corpus suum in servitatem redigat. Omnis civitas primum commoveri, mox admirari, hunc hominem obrobriis et obiurgationibus premere, hunc demum laudibus ad caelum ferre.

Ille vero, dum « scinditur incertum studia in contraria vulgus » caelesti numine adiutus, haec laetus omnia patitur, gravio remque ignominiam hilari animo suffert.

Totus enim est in ieuniis atque in orationibus, et, quod saevius est et acrius, in flagellis verberibusque; seque admodum negligens, humili ueste indutus, omnia spernit et horret, ac pro nihilo habet, et avis veluti, aequatis pennis, ad sidera tendit.

**

Aetas, quae Franciscum genuit, aspera, rudisque erat, atque ob immanem aliarum gentium adventum, immodica quadam vi-

¹ « Che per tal donna giovinetto in guerra
Del padre corse, a cui, come alla morte,
La porta del piacer nessun dissera.

E dinanzi alla sua spiritual Corte,
Et coram patre le si fece unito;
Poscia di dì in dì l'ami più forte ».

tiorum atque virtutum mixtura laborabat, nec unquam in unum populum coalescere posse videbatur. Omnes enim civitates inter se divisae mirum in modum discordi lacerabantur, et miserrime vivebant.

Roma autem, caput gentium, suorum Pontificum maero, medias inter civium caedes exsultare videbatur. In magna hac rerum perturbatione, opitulante Deo, tot omnium mortalium infirmitatibus remedium Franciscus adstitit, qui, oculos deiectus, macilentus, ab omni uestium ornamento abhorrens, saeculo superbo pacem praedicat, animos ad caelestia rapit, et mutuam inter se caritatem commendat.

Omnia statim circa, divino veluti lumine, mutantur. Et ipse, omnis prorsus scientiae expers, at caelesti sapientia imbutus, audientium mentes mirum in modum retinet, pectus pervadit, voluntates quo velit impellit.

Viri nonnulli, laeti, libentes, omni substantia sua in miserorum solatium transmissa, eius vestigia persequi volunt, atque divinis rebus unice servientes, ab ipso humilitatis uestem postulant et novam vivendi rationem, admirantibus omnibus, amplectantur. Quam rapide ei adsunt et sapientissimi viri, doctores, philosophi, at in primis Deo devoti, qui tamquam sanctitatis rivuli hunc illuc dilapsi, Italianam primum pietate virtutibusque exornant, mox ad exteris nationes progressi, mirum in modum, magistri vitam effigentes, ad sanctitatem adsurgunt! Verum, dum tot miracula flunt, eum dum sanctum undique proclaimant, ipse simplicem animum in omnibus semper exhibit, et se ut puer gerere continue videtur in iis quae ad se unice pertinent. Dei autem gratia, ut homines ad se facile convertat, quos ad caelestia perducat; omnia ei animantia obediunt, ad immitia usque et immania.

Interea iam multi adnumerantur, qui ex singulari eius exemplo atque consilio, paupertatem alacres profitentur, poeniten-

tiam agunt, et omnibus fere curis humanis vacui, Franciscum tamquam magistrum audiunt, et novae vivendi rationis auctorem colunt ac patrem legiferum persequuntur. Quo nomine, Assisium undique celebratur, quod in ipsa urbe parvula initia foecundaque rerum semina Franciscus iniecerit, quae nunc in immensum iam arborem creverunt.

**

Hoc vero fonte, qui, mox in fluvium conversus, non utique in ruinam, sed in salutem potius ad omnes Italiae regiones praeceps invadit, animis ex improviso ad sanctitatem adductis, pax undique inter cives praedicatur, concordia inter adversarios incipit, et caritas in omnibus principes constituitur.

Quo facto Francisci nomen per ora huminum alacriter ultiroque volitat, et complures ad eum tamquam ad portum salutis sese recipere invitat.

Verum ipse simplex semper atque ingenuus, nullius veluti sibi commoditatis avidus, omnia quaeque vel humillima quaerit, et maximo in pretio collocat, si forte irato vultu reciperatur, si ex aedibus rustice expellatur; atque insimulationem passus atque calumnias, exsultans atque summam consolationem reputans, omnia pro nihilo habere consuescit.

Iam Sanctum

*Innumerae comitantur acies, stipatque volentum
Atituum suspensa cohors.*

Iam laetis eum cantibus accipiunt, sequuntur, et more suo salutant; alii in humeris sistunt, alii in capite; quos blandule ipse accipit et summis in digitis libenter refert. Eis confidentissime loquitur... Et aves dociles sapienterque auscultant... Hos fratres vocat sororesque. Tadica sub nocte stellas oculis contemplatur, et lunam comiter salutat. At prae ceteris est immortalitate dignum meritoque per ora hominum usque recens volitat *Car-*

men ad Solem. Mirum enim et singulare ab omnibus commendatur ob egregiam verborum sinceritatem ac sententiarum amplitudinem.

Sic enim vir plane unicus meliori alite ad se peccatores facile trahit, qui criminum poenitentia pressi, ad eius pedes procumbunt, lacrimisque confecti, admisorum confessione abluti, candide mores mutant et castissime in posterum sese victuros esse promittunt.

Sed paulo altiora canenda; quae alias adgrediemur.

I. B. FRANCESIA

DE COGITATIONE in Gymnasiis Hesperiis una procuranda

(*Quaestio Magistratibus proposita, qui Communicationem mentis pro Nationum Societate procurant.*)

Dissimilis in Asia quum sit apud Indos et Sinas, in Europa communis cum populis Americanis est Australibusque animorum provincia. Artes non mutat mercis, agri, navis, officinae mutatum vexillum. Europaeis omnibus in linguis una mens inest eademque ratio; nam pariter anglice, gallice, germanice, hispanice simul legitur ex. gr. Italus Lombroso, Tolstoï Russus, Danusque Ibsen; et oratorum sententias unas viginti gentium recitant ora, translatas commentatasque.

Generaliter igitur animi formas, altas satis et perspicuas, oportet eloquatur homo liberalis, quae ab universis Europaeis gentibus possint intelligi. Cogitationis autem modus ille in gymnasiis discitur. In athenaeis enim militaris iam aevi iuvenes in sacerdotium, ius, medicinam, oratorias rationalesque litteras, eruditis exercitatisque animis incumbunt; puer, e contra, solam linguam patriam in ludis elementariis discit, nec bene cogno-

scere valet, quippe qui mentis adhuc immaturae non quae concipiatur intellectu, sed quae sensibus tangit, ea sola intelligat. Quum denos annos inter et quinos denos est natus, tum ratione demum potest uti, quae manifestari tandem coepit assidua ac pertinaci exercitatione. Quorum finis hic est exercitiorum: ut magna percipientur exemplaria, rerumque subiectae non oculis sed animo notitiae. Adspicit enim puer canes, equos, boves, balaenas, vespertilioes; sed non oculis potest *mammatum genus* videre, cuius demum intellecta natura, mens imagines illas speciesve continent omnes. Quae quidem animi dos collatis inter se linguis potissimum colitur. Ut si magister hunc Homeri versum:

πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἵδεν ἀστεα καὶ νόον ἔγνω.
demonstrat latinum ab Horatio: *Qui mores hominum multorum vidi et urbes;*
anglicum a Pope, et a Leconte de Lisle
gallicum factum.

Cavendum tamen est, ne complurium verborum mole mens opprimatur discipuli. Quapropter Europaeum maxime binis operet uti linguis gymnasium: patria videlicet cuiusque civitatis, et altera, quae sit omnium civitatum communis, latina. Sic unitatem suam perficiet Hesperius animus, uno sermone suo.

Tornoduri in Gallia, mense Aprili MCMXXVI.

JACOBUS TASSET.

De Chicaginensi theatro "Iroquois," eiusque ruina¹

Anno MCMIII, die III ante Kalendas Ianuarias, paulo post meridiem, tristis per Chicago urbem currebat fama, theatrum "Iroquois", quum fabula quaedam iocosa,

¹ Iis, quae in superiore numero de Chicaginensi urbe scripsi, haec, notitiae gratia, addere placuit.

magna spectatorum celebritate ageretur, igni exustum, multosque eorum qui intererant-ad septingentos-aut igni concrematos, aut, spiritu intercluso, fumo esse soffocatos.

Primum horrore torpore civium animi, deinde ut, ex torpore excitati, re viderunt quot corpora igni consumpta fuerint, alii misericordia moti fatum eorum dolere, alii terrore perciti timere, ne quis suorum in theatro adfuissest; plerique qua quisque via potuit, medium in urbem se corripere, ut, quum ad theatrum venissent, viderent et ipsi, quid accidisset, quot et quos flammae combussissent, atque suos, si qui inter exanimis essent, reperirent. Horror me profundit, prohibetque quominus omnia, quae paucis temporis momentis tanto funere acciderunt, rite describam. Rem itaque a principio duco enarrandam.

Theatrum Iroquois, recentiore aedificandi arte nuper exstructum, quum exeunte Novembri MCMIII, ad agendas fabulas traditum esset, ea cura et diligentia aedificatum esse passim proclamabant, ut ignis, si oriretur, a cavea arceretur, et e cavea igni subiecta tot in variis partibus essent exitus, ut spectatores, etiam si essent sexcenti, facile exire et saluti providere possent. In ipsis tesseris, quas spectatores emerant, erat inscriptum: «Cavea igni invia». Alium tamen fortunae exitum tulit spectantium multitudine, quae, quum ostiis plerumque occlusis nulla exeundi copia esset, miserrimam subiit mortem.

Die illa III ante Kalendas Ianuarias, quoniam propter Christi natalem feriae habebantur, multi ex urbe, ex agris nonnulli theatrum illud adierant, ut fieri non posset, quin plures, gradibus in unoquoque cuneo occupatis, in foris starent atque in praecinctionibus. Spectatores, qui numero duo millia fuisse dicuntur, aetate et sexu distincti: adolescentes statura proceri et elati spe vitae; virgines ex honestis familiis natae, quae plurimae et musica et

vestium apparatu affectae erant; pueri et puellae haud pauci a senioribus adducti; magistrae denique nonnullae multis discipulis stipatae; haec maior spectantium pars. Fabula itaque agi coepit; oculi omnium in scenam et in pulpitum coniecti, atque histrionibus, musica comitante, saltantibus magnopere oblectati; quum repente ex proscenii velo emicuit scintilla; extinxitor, qui aderat, spectatoribus nondum commotis statim accurrit, ut, adhibito ad rem instrumento, flamمام extingueret; sed, nescio quo pacto impeditus, non potuit. Turbatus deinde, flamмa crescente, saltantium chorus; verum moderatore impelleente, saltare non desiit. Ignem iam plura lambentem tandem animadvertisunt spectatores, quos ut vidit histrio quidam, clamore orto, tumultuantes sic alta alloquitur voce: "Quid timetis? Nullum vos periculum subitis; sedate, igni brevi extincto, animos." Aulaeum deinde, cui *asbestos* nomen, quod flamas a cavea prohiberet, quum tolleretur, machina invita, medio in cursu constitut, nec scaenam operuit. Quod vix fiebat, quum repente ignis, fracta hominum virtute, immanes evomebat flamas et atras fumi volvebat nubilas; eodem tempore, lumine omni extincto, cavea tenebris obducitur, affulgente nonnunquam flamma, quae vorax cousumptura erat corpora. Spectatores in terrorem coniecti, alii stupore immoti quum flammam spiritu duxissent, vel stantes vel sedentes perierte; maxima pars tanto terrore sunt affecti, ut ad ostia se et ad ianuas rapient, pedibus calcantes corpora, quae multa tanto impetu erant prostrata. Ut flumen, aqua nimia undique suscepta quum tumidum ad ostium ruit, aggere obstructo in excelsum fertur et spuma fremente circumagit, sic multitudo illa, tot eadem via irruentibus, densa atque conferta vi et impetu uno ad exitus contendit et ostiis aut occlusis, aut, quum tot urgerent, obstructis, suum quisque proximum prostravit,

eoque omnes, confusa corporum strue, misere interierunt. Pauci ex superioribus maenianis, nonnulli mirum in modum, plurimi ex ima cavea ignem effugerunt vel sospites, vel aliqua flammea iniuria affecti.

Haec omnia intra quartam horae partem sunt peracta, ita ut extinctores, quum citato cursu advenissent, nihil aliud efficere possent, quam ut muris restantibus corpora igni consupta efferrent. Interea ingens hominum concursus; custodes publici ferme innumerabiles, omnes tanto vitae excidio concitati. Cadavera deinde libitariis, qui prope aberant, tradita, et in eorum atria allata sunt. His locis corpora duobus ordinibus sic utrinque strata, ut via media pateret. Huc omnes, qui ne unus ex suis inter crematos esset, timebant, se contulerunt. Viri pariter et mulieres pallore cerei intrant; nunc trementes inter cadavera progrediuntur corpora velo a capitibus remoto aspicientes; nunc obtutus in corpus quoddam defigunt, et filio vel filia agnita, clamorem tollunt corruuntque fracti dolore. Huiuscemodi spectacula tres per dies duraverunt, mente quam stilo facilius depingenda. Quingenti nonaginta perisse feruntur.

Sic uno die et uno fere momento tot homines dira morte sunt ablati!

Scrib. Romae, mense Aprili MCMXXVI.

HILARIUS DOSWALD
Chicaginensis.

De singulari quodam certamine apud Germanicos tirones

Inter quaestiones quae apud sacras in Urbe «Congregationes» agitantur, ea est profecto digna quae late vulgetur, quam recens Iudices S. Consilii Tridentinis decretis interpretandis recens perpenderunt

atque diiudicarunt, de singularibus quibusdam certaminibus in Germania usitatis.

Scilicet inter tirones Germanicos, atheneorum praesertim, monomachiae quodam genus in more est, quod « Mensura » sive « Congressio academica » nuncupatur. Certantes armis peculiaribus ad modum parvi cultri utentes, vel etiam, nostris praesertim diebus, cuiusdam dolonis per integrum fere longitudinem obtusi, ad mucronem autem breviter acuti (*Schlaeger* sive *Haurapier* eum vulgo appellant) ceteris corporis partibus bene tectis, vulnus, seu potius incisionem in adversarii vultum inferre nituntur, cuius vestigia tamen brevi tempore plerumque obliterantur. Non igitur mors neque mutilatio adversario intenditur, nec, nisi casu, ex imprudentia aliave causa, ex huiusmodi certamine ea sequuntur. Id autem certamen, ut plurimum, non ad ulciscendam iniuriam, vel ad dignitatem, uti dicitur, tuendam committitur, sed potissimum ludi, aut virium animique exercitandi gratia. Inter omnes, catholici ab huius generis « mensuris » abstinent; non tamen semper; ita ut anno MDCCXC Wratislaviensis episcopus, quum ad Sacros Ordines adolescentes nonnullos admissurus esset qui in iisdem « contentionibus » ut committentes vel patrocinantes partes habuerant, a Sacri Consilii Congregatione quaestionem declarandam proposuerit, an, a quibus et ex quoniam titulo « irregularitas » contrahieretur, quando singulare certamen ea ratione iniretur, qua inter Germaniae Studiorum Universitatum alumnos fieri solet.

Responsum est « irregularitatem » utique contrahi « a duellantibus eorumque patrinis *ex infamia iuris* ». Ex quo responso fiebat, ut singularia illa certamina haberentur vera « duella » canonico sensu; atque inde ut certantes poenis a catholica ecclesia constitutis essent obnoxii. Et Sainti Leitner¹ hanc sententiam explicans

scribebat: « Sacra Congregatio Concilii caput Tridentinum authentice interpretata est sic ut sub voce *duellantes* etc., comprehendantur duellantem modo ab alumnis Universitatum Germaniae usitato ». Quam ob rem, quum, Codice Iuris Canonici constito, poenae in « duellantes » iisdem fere verbis enunciarentur atque in legibus Tridentinis, episcopo Ratisbonense quaerenti utrum sententia lata in casu an. MDCCXC adhuc vigeret, proum fuit responsum affirmativum.

Mos vero minime defecit; neque absuit profecto causa a nonnullis scriptoribus, qui discrimen instituentes inter congresiones quae cum periculo gravi vulneris instituantur, et quae nonnisi levis vulneris periculo fiant, contenderunt, responsum Sacri Consilii ad illas, minime vero ad hasce spectare. Inde factum est ut episcopi Fuldae congregati d. xx mens. Augusti MCMXXIV, re in disceptationem vocata, quum iure meritoque recognovissent eam non ad meram doctrinam pertinere, sed et vitae vivendae rationem penitus attingere, Purpurato Patri Wratislaviensi episcopo commiserint, ut definitivam sententiam de singularibus istis certaminibus quaereret; quae post accuratas meditatasque disputationes lata demum est die XIIII mens. Iunii MCMXXV atque superiore mense Aprili publici iuris facta. Scilicet ad dubium: « An declarationes S. C. C. anni MDCCXC et MCMXXIII, quibus « mensurae » in Universitatibus Germaniae usitatae, quae speciali nomine *Bestimmungsmensuren* vocantur, poenis ecclesiasticis subiciuntur, illas tantum « mensuras » respiciant, iuxta nonnullorum recentiorum sententiam, quae cum periculo gravis vulneris committuntur, vel etiam complectantur eas quae sine periculo gravis vulneris fiunt in casu », responsum est:

« Negative ad primam partem; affirmative ad alteram ». Quo quidem sollemni iudicio, devium quodvis iter tollente, rursus appa-

ruit summum Ecclesiae studium homines arcendi ab effera singularium certaminum consuetudine; neque denique restat quam ut et nos cum ea ominemur, morem ipsum crudelē et exprobrandum a societate hominum et coniunctione tandem aliquando prorsus iri antiquatum. ULP.

Latinae adnotatiunculae

De rationum libris.

Non ingratum spero futurum, si iis quae in nostro commentario, mense Februario huius anni, *de adversariis* scripta sunt, pauca nota, in argumenti complementum, addidero de rationum libris, quae tabulae accepti et expensi appellari solent; in quibus si quis pares paginas habuerit, hoc est tantum acceperit quantum expendit, *paria facere* dicebatur.

Nec infrequens erat, ut qui nomina plurium per tabulas accepti et expensi faciebant, utrinque testes adhiberent, et *pariarios*, hoc est *librarios* – (quos cum Plauto *actuarios* fortasse nuncupaveris) – interponerent, qui tabulas, quibus sollemnia interrogationis et responsionis continerentur, certis verbis et certis quibusdam formulis transcribebant, adiectis loco, die et consule.

Iamque si abunde satis factum esset creditori, *pariari* dicebatur obligatio. Et solebat in *pariationibus* huiusmodi pactum adscribi; inde *pariatoris* nomen ei qui eiusmodi rationes administraret; cui *reliquatores* opponebantur.

Rationum autem libris illa *adversaria* opponebantur: tumultuariae scilicet tabulae, prouti abunde commemoratum est in latinis adnotatiunculis in hisce paginis mense Februario editis, aut libelli, sive commentarioli et chartae; quae idcirco summatim et a nobis conscribuntur, ne res memoria excidant, utque ex iis postea aeternae fiant. Indeque iis assentiri nos posse appareat, qui credunt adversaria ita dicta, quod animum et memoriam nostram advertant,

DIGAMMA.

EX ALIIS SERMONIBUS TRANSLATA

Mortis et Satanae dialogus.¹

Mortis nigrique Tartari audivi Ducas de principatu probra disputantium: mortalium uter praevaleret in genus. Laus esto, Fili, Pastor omnium tibi, servas qui ovile fraudolentis a lupis cupientibus vorare, Morte et Satana. Ostentat illa vim, cui nihil restitit, queis iste dicit in nefas, iactat dolos. MORS – Tibi, scelesti, nemo paret, ni velit, sub me, velint, nolintve, tandem omnes [cadent].

SATANA – Unam, tyranni scilicet, vim possides, astus ego omnes laqueis irretio.

M. – Prudens, maligne, franget at iugum tuum, se liberare nemini fas a meo est.

S. – Sed tantum in aegros experiris vim tuam, dum nostra virtus plus in integros valet.

M. – Obiurget at si te quis, haud quidquam [potes], dum nullus est, qui non erit mi sub manu.

S. – Tibi sed illam dat potestatem Deus, adiutor haud est mi, malum dum suadeo.

M. – Prout es misellus, retibus tu captitas; regina, summo fungor ipsa munere.

S. – O stulta, nonne fortior me vides, qui subiugare liberam mentem queam?

M. – Latronis instar impii, clam circuis, leonis instar, cuncta fortis obtero.

S. – Nullus te adorat, vel colit mortalium, tamquam deum me victimis colunt reges.

M. – Ut optimam, me plurimi semper vocant, nemo vocavit te, neque est qui te vocet.

S. – Audisne nunc quot omnibus modis viri ipsum vocant me plurimo libamine?

M. – Odere nomen Satanae, non dant decus, sed quisque iurgat, o tuum abscondas pro-

[brum!]

¹ Carmen ex Syriaco textu S. Ephraemi E. D. totidem eiusdem rhytmī latinis versibus reddidit Ludovicus BÜRGE, O. P.

S. - *Es aure surda, o mors, nec audis urgeant clamore ut omnes temet; hinc procul late!*
 M. - *Veros in orbe monstro conspectus meos, non sum tibi par: absque fraudibus peris!*
 S. - *Si veritatem Dempseris, nec quidquam habes, minus gravem quo te probes mortalibus.*
 M. - *Heram ut potentem, me timent quamplu[m] rimum, sed temet omnes, ceu malignum respuunt.*
 S. - *Et nomen horrent Mortis atque artes mea, etsi abhorrent nomen, optant dulcia.*
 M. - *Amara fit dulcedo dentibus tua, ac poena semper it comes libidini.*
 S. - *Exosa Styx, quae nulla crimina expiat, vorago avara, quaeque degluttit, tenet.*
 M. - *Vivi quot excidere, Styx tot efferet, dum culpa prorsus spem rapit mortalibus.*
 S. - *Do poenitendi copiam, etsi hoc me gravet, tu abrumpis omnem morte spem peccantibus.*
 M. - *Ipse exprobrandus, spes quod illos fugerit, quis emori absque te foret datum pie!*
Laudemus Illum, qui exsecratos invicem bellare servos iussit, ut quo nos nos modo sprevere, contemnatur a nobis mali!
Hoc pignus, ut speremus a nobis eos olim renatis rite sernendos fore.

EX ITALIS URBIBUS

Pionanum coenobium.

Est Piona parvulum oppidum ad Larium prope Comum in Insubria. Eius autem Coenobium antiquissimum est satis celebre, atque adeo dignissimum quod recentioribus memoretur. Verum locus iste, qui olim tot hominum vocibus alacer sonabat, et sacris exsultabat religiosorum canticis, nostris hisce diebus magno suo silentio visitantium animos ad meditandum advocat.

Immensus enim coenobium conditum, ut perhibent, labente saeculo christiano

decimo secundo, a monachis Clunicensibus virtutibus religiosorum brevi in immensum crevit, et diu multumque nomine ac pietate apud homines percrebuit. Ad illud homines tum religionis studio, tum antiquitatis cupidine permoti, frequentiores appellere consueverunt. Ibi enim maxima monachorum religio erat, et quotquot circa pietatem colebant aut umbratili vita delectabantur, illuc se se fidissime conferebant. Sic per tercentos annos!

At vix religiosi Clunicenses, saeculo decimo quinto, ab hoc loco recesserunt, quum statim hominum primum incuria, mox temporis damno miserrime dirutum est. Verum ipsae ruinae amplitudinem veteris Coenobii atque venustatem testantur. Coenobium, exactis Monachis, aliquamdiu sub honoris speciem, Archiepiscopo Mediolanensem permisum est; at magis in dies praecipit ire coepit, et nunc miserrimus est ruinarum acervus. Attamen, licet horribili deturpatum squalore, licet virgultis undique et spinis vepribusque refertum, antiquae pulchritudinis vestigia retinet, quae in pristinum facilea dsurgere possent. Ad sunt enim adhuc columnae miro artificio e marmore, quae temporum iniuriam superarunt atque in aeum manserunt. Aedes sancta et in peiorem modum deturpata, in foenile turpiter redacta, picturis haud contemnendis adhuc nitescit, quae visitantium ignaviam acerbias incusare videntur. Optandum sane ut vel Municipium Comense, vel saltem Collegium antiquis artibus servandis hoc monumentum tamquam publicum reputari iubeat!

Ad ultimum restat, ut vir saltem adsit, qui opibus pollens et ingenuis artibus conspicuus, ipsum exiguo admodum pretio obtineat, et non multo labore neque impensis multis ad pristinam pulchritudinem redigat.

Quod est in votis!

SENIOR.



Sacra super nive acta.

Hoc anno labente, et quo die late in omni terrarum orbe Paschalia sollemnitas celebrabantur, ad collis *Rolle* angustias in agro Tridentino, ad duo circiter millia metra ab aequore maris, coram militibus, qui in finibus hiberna ponunt ne in Italiam res furtiva transferatur, suffragante ipso duce, Laurentius Felicetti, sacerdos et oppidi *Predazzo* curio, ad altare nivibus confectum, sacris est operatus.

« Post hominum memoriam – sic allocutus est ipse curio – nunquam hic inter Rollis angustias et in conspectu perennium altissimarumque Alpium, sacrum factum est. Hodie itaque ad Deum attollere mentem fas est, atque ad hominum rerumque Dominum; Ipsi obsequium atque honorem exhibere, cui firmo pectore pollicemur optimos nos cives fidosque milites patriae ac religioni devotos futuros esse, ut omnes Italorum maximi facere consueverunt. Laus igitur sit iis qui rem istam sacram consilio atque auctoritate adiuvarunt hac ipsa die, quam Alexander Manzoni miris carminibus hilaravit, quae pueri nos canere consuevimus:

*Fratres, ritus sacer gaudium nuntiat,
Dies hic magnum nobis fert convivium;
Matres et omnes vestibus nitentibus
Suos ornare sponte filios solent.¹*

Nos igitur libenter et hic mediis in nivibus, procul ab omni fere hominum consortio, exsulantibus cunctis patriae urbibus atque oppidis, hunc diem honeste memorare iuvabit, et Italiae nostrae omnia fausta auspicari „

¹ O fratelli, il santo rito
sol di gaudio oggi ragiona.
Oggi è giorno di convito...
Non sia madre che sia schiva
della spoglia più festiva
i suoi pargoli vestir.

MANZONI, *La Risurrezione*.

Et nobis licet nostrae felicitatis participes lectores advocare, et omnibus qui rei sacrae ad Alpes interfueret, ut iterum atque iterum id facere possint adprecari.

FR.

COMMUNIA VITAE

Morum urbanitas.¹

PAEDAGOGUS, TIRO.

PAEDAGOGUS – Ingenuum adolescentem decent mores ingenui. Displicet quisquis id aetatis moribus est agrestibus.

TIRO – Usque tibi morigerus fui in rebus omnibus. Etiam instrui humanitatis legibus atque etiam expeto.

PAED. – Moribus, fateor, non es omnino agrestibus; tamen perfici potes. – Quoties alloquitur te quispiam, cui debeas honorem, ut adstas?

TIRO – Assurgo accedenti; compono me in rectum corporis statum: aperio caput.

PAED. – Cetera habeto. Vultus sit hilari modestia temperatus; oculi verecundi, intenti in eum quicum loqueris; iuncti propemodum sint pedes, nec vacilles alternis tibiis; quietae manus, nec gestuosae; nec mordeto labra; nec scabito caput; nec aures fodito digitis, nec nares.

TIRO – Quid si mediter, an capiam?

PAED. – Fac.

TIRO – Siccine satis?

PAED. – Nondum.

TIRO – Quid si sic?

PAED. – Propemodum.

TIRO – Quid si ita?

PAED. – Recte: satis est; istuc tene. – Ne sis inepte loquax aut praecipit. Si quid respondendum, id facito paucis ac prudenter, addito nonnunquam cognomento,

¹ EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

honoris gratia. Identidem modice flectas caput, praesertim ubi responsu breviter absolveris.

TIR. - Placetne speciem aliquod huius rei praebeam?

PAED. - Perplacet. - Quantum temporis abfusti maternis aedibus?

TIR. - Iam sex ferme menses.

PAED. - Addendum erat: Domine.

TIR. - Iam sex ferme menses, Domine.

PAED. - Non tangeris desiderio matris?

TIR. - Non nihil sane.

PAED. - Cupis eam revisere?

TIR. - Cupio, Domine, si id pace liceat tua.

PAED. - Nunc flectendum erat caput. - Bene habet; sic pergit. - Nonne spectas praetereuntem litterarum iudi tui Praesidem? Quin honoras?

TIR. - Non observaveram.

PAED. - Non observare ipsa est rusticitas. Pueri quidam in vivos honoratos vix non incurvant capite, nec reverentur: increpiti, id unum causantur: Non adverteram animum. - Tu deinceps quid actuarius es?

TIR. - Si quem praeteribo natu grandem, aut aliqua causa virum aliquem gravem, meminero caput aperire, nec pigebit obsequenter illi salutem dicere.

PAED. - Identidem facito quam praeteribis aedem sacram, imaginem Crucis aut Virginis Matris. - In convivio sic te praebebis hilarem, ut semper recorderis quid deceat aetatem tuam. Ungues praesecueris ac manus probe laveris. Corpus inter accumbendum in neutram partem inclinet. Cubito super mensam ne innitere. Si nares emungenda, strophiole utens, caput retro vertas, atque insuper tene qui digitos lambunt aut linguant orbes, eos canum more facere. Bibitur, os abstergito, identidem ubi biberis; totum neve cyathum epotes hausto unico. Ne os cibo tam farcias, ut malae turgeant. Ne involes digitis

in fercula, sed postremus omnium admoveto manum patinae.

TIR. - Si quid mihi detur laetus, ut me geram?

PAED. - Recusato modeste; si instabatur, accipe, et age gratias. Mox, decerpta portione, quod reliquum est reddito. Si quis tibi propinet, liberaliter illi bene preceptor, sed ipse bibito modice; si non sitis, admoveto tamen cyathum labiis. Super mensam loquitor pauca, nec fere nisi rogatus. Ne cui obtrectato. Ne cui temet anteponito. Ne tua iactato; ne aliena despicio. Esto comis etiam erga tenuioris fortunae sodales. Ne sis lingua futili. Ita fiet, ut sine invidia laudem invenias et amicos pares. Si videris convivium esse diutinus, salutatis convivis, subducito te a mensa. Vide, horum memineris.

TIR. - Dabo operam, mi Praeceptor: numquid aliud vis?

PAED. - Hoc unum, ut coneris exsequi.

TIR. - Conabor.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.¹

Ustorius - Ad urendum aptus; Causticus.

Usualis - Communis; Usu perceptus (receptus); Pervulgatus,

Usufructus - Usus et fructus.

Usura - Faenus; Faeneratio.²

Usurpare - Occupare; Potiri; Sibi arrogare (vindicare); Ad se rapere (traducere; transferre); In rem suam vertere; In rem (fortunas; possessionem; partes) invadere; Aliquem de suis fortunis (bo-

¹ Cfr. fasc. sup.

² Hinc: Pecuniam faenori (faenerationi; in faenus) dare; Pecuniam in faenerationem transferre; Aliquid faenore occupare; Faenus iniquum exercere; Pecuniam faenori (faenore) accipere.

nis patribus) deturbare; Alienam bona per vim diripere; In alienas, possessiones irrueere.

Usus linguae - Consuetudo sermonis.

Utilitarius - Qui ad suam utilitatem omnia refert; Qui suae utilitatis causa agit; Suis commodis et utilitati modo inserviens.

Utilizare - Commode aliqua re uti; Occasioni non deesse; In rem suam aliquid convertere; Opportunitatem sequi.

Utopia - Vana res; Vanae rei propositio aut cogitatio; Commenticia res; Somnium.¹

Ut plurimum - Plerumque.

Ut quid? - Cur? Quare?

Vacans - Vacuus.

Vacatio - Opera.

Vaccinatio - Vaccini viri translatio.

Vacuare - Vacuefacere; Exhaurire.

Vagabundus - Vagus (Vagans); Errō (Errans); Planus.

Vaiolum - Mala pusula.

Valde sero - Multa nocte.

Valedicere alicui - Valere iubere alium.

Valens - Peritus; Egregius; Praestans; Strenuus; Fortis.

Valere - Esse; Venire.²

Valicabilis - Pervius.

Valide - Recte; Legitime.

Validitas - Auctoritatis; Vis; Gravitas; Pondus.

Vallare - Vallo (Fossa) munire (cingere; circumdare).

Valor - Virtus; Praestantia; Excellitia; Dignitas; Fortitudo; Fortia facta.

¹ Itaque *Utopista* - Somniator.

² Scilicet de pretio, ut: Quantis est (venit) hic liber? - Et etiam: « Hunc librum quanti indicas (quantis aestimas)? » - « Hoc auro expendi iure possit; Sui ponderis aurum exaequat pretium » pro eo quod vulgo dicimus: « Tantundem auri valet, quantum pendet ».

Valutare - Aestimare; Probare.

Valvula - Valva; Operculum.

Vanagloriosus - Gloriosus; Vanus; Ventosus; Levis; Inanis gloriae studiosus (amans; sectator; cupidus; captator); Gloria et praedicatione sese efferens; Umbrarum omnium falsae gloriae consecuator.

Vandalus - Barbarus; Saevus; Cruelis; Ferus.¹

Vanesius - Levis; Leviculus.

Vaniloquium - Fabulæ; Sermunculus; Cantilena - Deliratio.

Vanitas (mundi) - Fluxarum rerum illecebrae (blandimenta; oblectamenta; deliciae).

Vantator - Iactator; Ostentator; Suæ laudis tumidus buccinator; Salaco; Gloriosus.

Vappa - Vinum fugiens.

Varare - Navem in mare deducere.

Variabilis - Mutabilis; Parum sibi constans; Varius.²

Variate - Varie.

Variformis - Varius; Diversus; Multiplex.

Variopictus - Variis coloribus pictus; Discolor; Versicolor.

Vasaricus - Figulus; Fictiliarius; Vasularius.

Vascula - Alveolus; Labellum.

Vassallus - Vectigalis; Cliens.

Vaste - Ample; Late.

Vaticinium - Vaticinatio.

Vectura - Vehiculum.

Vegetativus - Vigens; Vivens et vi-gens.³

Vehementia - Impetus; Acrimonia.

Vela - Velum; Velum nauticum (navale); Navigii velum.

Velocitate magna ire (procedere) - Propere se agere; Magna festinatione

¹ Itaque *Vandalice* - Barbarorum more.

² De aëre: « Interperies ».

³ *Vis vegetativa*: Vis altrix. - *Vegetatio (arborum; herbarum)*: (Arbor um; Herbarum) incrementa.

properare; Magnam celeritatem adhibere (suscipere); Celeri concitoque gressu procedere.

Veltrum - Vertragus.

Velum (monialium suscipere) - Virginis velo inaugurarari (initiari; consecrari).¹

Venenosus - Venenatus.

Venerandus - Colendus; Gravis; Santissimus.

Venerator - Cultor.

Venialis - Venia dignus.

Ventennis - Viginti annorum; Viginti annos natus.

Ventus bonus - Ventus secundus (plenus).

Veracitas - Veritas; Veritatis studium; Fides.

Verbalem processum confidere - Tabulis consignare; In tabulas referre.

Verbigratia - Ut.

Verbositas - Loquacitas; Garrulitas; Verborum volubilitas.

Verbo tenus - Ad verbum.

Verbum suum dare - Fidem suam interponere (dare).

Veridice - Vere.

Verifierator - Inspector; Magister; Moderator; Praefectus (ex. gr. vigilum, viarium, aquarum. etc).

Verisimiliter - Verisimile est ... [cum infinito].

Verismus - Veritatis (Naturae) cultus et imitatio.

Veritas historica - Rerum (Historiae) fides.

Veritatem dicere - Verum dicere (loqui; fateri); Ingenue fateri.

Verticalis - Directus.

(Ad proximum numerum).

I. F.

¹ Itaque *Velum monialium dare*: Virginem sacro velo inaugurarare (initiare); Inducto velo consecrare; Velo obnuptam Deo dedicare; et sim.

² Ex adverso: *Ventus malus* - Ventus adversus (restans; reflans).

ANNALES

Gallicae res.

Tot post dissensiones disceptationesque, legis rogatio de oeconomicis Gallorum negotiis a publicis populi legatis rata tandem habita est; pecuniae vero valor, contra quod credibile erat, immixui perrexit, atque minoris in dies sit, indigno, prout aiunt, quaestus studio ex turpi pecuniarum fide atque ratione, et quamquam Malvy ille, in quem ira multorum saevierat, ab administris munere sese abdicavit.

Res sollecitudinum causa exstitit et exstat adhuc; quibus eae accedunt, quae ex Mauritania manant, ubi induciae quidem factae sunt ad pacem componendam, sed colloquia ad hunc finem inita effectum nullum adhuc reportarunt. Minime enim placuit legatos Mauritanos, cum omni auctoritate ad agendum missos, Abd-el-Krim quoque partes suscepisse, quem Galli ei etiam Hispani disiungere ac dissociare a Risanorum sorte vellent, quum hi arctissimo vinculo cum eovinciuntur, quod dissolvi nullo pacto patiuntur.

**

Ex Africanis Italorum coloniis.

Meliora ex Italorum coloniis, quas Benito Mussolinius, Italiae minister primus, visitavit, fere triumphantium more ubique acceptus. Eventus eo memorabilior evasit, quod non in Italia tantum, sed et apud exteris gentes quaestio agitata sit passim de opportunitate, imo necessitate qua Itali, numero plures quam ut in suis finibus facile contineri possint, premuntur, colonias deducendi tum ad vitam proficuo labore vivendam, tum ad fetus mercesque patriae suppeditanda.

Ex hoc primi administris itinere id etiam processit, ut quae tribus in Somalia

vel Cyrenaica Italorum adhuc imperio obsisterent, vel sponte, vel expeditius subiicerentur.

**

Pactioes inter Europae civitates initiae.

Varia per superiorem Aprilem mensem sancta sunt inter populos foedera atque pactioes. De arbitratu tum Polonia cum Cecoslovakia, tum Polonia ipsa cum Austria feliciter egerunt: alter iuris tantum quaestiones respicit; hic condicioes amplificat iam mense Martio MCMXXV solemniter positas.

Russi et cum Lituanis foedus ferierunt de mutua fide et neutram partem in certis quaestionibus sequendi; et cum Finlandia, Polonia ceterisque Balticis regionibus «de non aggrediendo».

Rumeni cum Polonis convenerunt invicem suam libertatem sui territorii integritatem observare, simulque exterrorum aggressioes viribus unitis propulsare.

Verum maiors momenti, eoque magis quod aliorum populorum animos commovit, foedus illud fuit, quod cum Russis Germani iniisse feruntur. Quamquam hinc inde declaratum est eius finem esse universam pacem firmandi, autem plures per ipsum molem in Europam constitui posse, cuius ponderi haud facile sit reniti. Adde, quod eius modi esset pactio, ut Germania apud Nationum Societatem munus sibi sumeret omni vi obsistendi adversus rationem qualibet, quae in «Sovietorum Russiam» suscipienda esset. Inde fieret, ut Russicum gubernium re Societatis Nationum operi participaret, a quo sese alienum esse velle declaravit; Germania enim, in Russici gubernii commodum, decretis obstituta esset, quae Nationum Societas in unicum universae pacis bonum faceret...

**

Sinense bellum civile.

«Nationalistarum» factio, quae in civili Sinensium bello superior evasit, ad abdicationem et fugam coegerit rei publicae praesidem Tuant-Chi-Jui, et universae militiae magistrum Wu-Pei-Fu, Mancensis dictatoris socium, vocavit ad rem restituendam. Qui quidem, vice sua, nationalistas iussisse dicitur ad ditionem sine ulla condicione venire. Rudis itaque adhuc inordinataeque materiae confusa illic congeries.

**

In Catholicam Religionem bellum apud Mexicanos productum.

At non miserandum minus bellum quod in Mexicana civitate in Catholicam Religionem in dies producitur. Cultus libertas huic acerrime denegatur, eamque gubernatores schismaticae sectae, quam Nationalem Ecclesiam vocant, ulti largiuntur; huius imo quae sacris Romanae Ecclesiae iuribus repugnant initia atque incopta fovent, dum Episcopos reipublicae infestos habent, in eosque, in sacerdotes, in ipsasque sacras virginis sae- viunt. Quin etiam eo deuentum est, ut et Apostolicus Delegatus tamquam homo incolumitati reipublicae nocituru e civitate sit expulsus, licet civitatis summi moderatores aperte polliciti fuerint Pontifici, se illum excepturos deque eiusdem dignitate et amplissimo munere nihil detracturos. Non igitur mirum si Pius PP. XI, per Apostolicam epistolam, miseram hanc sortem publice conquestus sit. Pater vero filiorum salutis studiosissimus, dum Episcopos, Clerum ipsasque catholicorum consociationes monet ut a quavis politicarum factionum studio prorsus abstineant ea quoque de causa, ne catholicae fidei adversariis dent ansam ad religionem haben-

dam pro parte aliqua factioneque politica, — latus enim patet alibi campus, in quo de religione et moribus de animorum cultu ac de re oeconomica sociali sacerdotes sic curent, ut cives et praecipue iuvenes liberalibus studiis deditos et operarios ad catholice sentiendum agendumque instituant atque effingant, — spem fovet fore ut gravissimae aegritudines, quibus tamdiu agitur Mexicana gens, feliciter aliquando residant et conquiescant. Quod faxit Deus!

Kalendas Maiis MCMXXVI.

POPULICOLA.



ROMA SACRA

SSMI D. N. PII PP. XI EPISTOLA AD PATREM PURPURATUM GUIELMUM VAN ROSSUM,
TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM, XVI SAE-
CULO EXEUNTE A S. CRUCE INVENTA.¹

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Regiae Iesu Christi dignitati recolendae cum peculiare festum Nos nuper instituerimus, quasi quandam anni sacri coronam dignissimam, illud auspicato contingit ut de ipsis divini Regis vexillo celebrando cogitemus, saeculo exeunte a salutiferae Crucis inventione sexto decimo. Tradunt enim, Hierosolymis iam eversis, ethnicos Passionis loca depopulatos esse et, christiano cultu deleto, fanum idolis ibidem extruxisse. Jamvero postquam, Crucis visu de caelo admonitus, Constantinus imperator magnam illum de hoste victoriam reportavit, Helena, mater eius piissima, Hierosolymam se contulit; quumque illic tres crucis, operam quidem navante Macario Episcopo, fodiendo in Golgotha inventae essent, divinitus demonstratum est quae vera esset Crux redemptoris.

Quod quidem eventum, praeter plures gestarum rerum scriptores, eximii quoque Doctores Ecclesiae testati sunt; namque S. Ambrosius sic Helenam loquentem inducit: « Ego Crucem eius (Christi) investigabo. Ego ad nostrorum remedium peccatorum de ruinis elevabo vexillum ». Itemque S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui eorum temporum aequalis fuit, in sua epistula ad Costantium imperatorem haec habet: « Tempore quidem Deo amicissimi ac felicis recordationis Constantini, patris tui, salutare Christi lignum in Hierosolymis est repertum ».

Uti est in Libro Pontificali, « eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicam in Palatio Sessoriano, ubi etiam de ligno sanctae Crucis Domini Nostri Iesu Christi posuit ». S. Helena scilicet, ut ait Theodosius, « salutaris Crucis partem palatio destinavit »; et aedes suas Sessorianas quum in ecclesiam redigeret Constantinus, a matre ipsa Reliquias accepit quas illic collocaret, ut simul Imperii sui honor essent, simul fidei suea praesidium. In quo quidem divinae providentiae consilium mirari licet, ut Crux augusta quae apud Urbem Sanctam ex Imperatoris ethnici improbitate in tenebris deluisset, eadem christiani Imperatoris pietate in hanc Urbem, ipsius Imperii arcem et caput translata, velut *maximum Christi potestatis et principatus signum*, in luce populorum omnium praefulgeret. Quamobrem in Sessoriana Basilica, quae idcirco in Hierusalem appellata est, quotannis S. Crucis festum coepit celebrari, et paullatim longe lateque propagari per catholicum orbem universum.

Tum enimvero quod S. Ambrosius praeedicabat, sancte ac sollemniter confirmatum est: « Merito super Crucem titulus, quia licet in Cruce erat Dominus Iesus, supra Crucem tamen Regis maiestas radiabat ».

Nam Christus Dominus non *hereditatis* iure tantummodo, ob hypostaticam unionem, sed iure quoque *acquisitionis*, ob suam redemptionem, Rex est, ut ipsi in Encyclicis literis *Quas primas* nuper declaravimus. At

non alibi quam in ipsa Cruce magnum redemptiois opus perfecit absolvitque « qui peccata nostra.... pertulit in corpore suo super ligno, ut, peccatis mortui, iustitiae vivamus ». ¹ Crux autem, cum redemptiois instrumentum, tum sceptrum pacifici Regis facta est; ex quo solum optatissima et mansura pax est exspectanda, ut Nosmet ipsi haud semel ediximus: « pax Christi in regno Christi ».

Siquidem res omnes per Christi sanguinem pacificate sunt, ut legimus apud Apostolum: « Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans, per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt ». ²

Itaque Crucis ea omnia convenientia praeconia, quae a Patribus de Christo ipso Rege aeterno ac Servatore nostro praedicantur. Quos inter unus ille sufficiat, S. Ephrem, quem nuper successor Noster p. r. Benedictus XV Doctoribus Ecclesiae adjunctum esse voluit. Is enim in sermone *in pretiosam et vivificam Crucem* haec habet: « Omnis celebritas et actio Domini N. I. C. salus et gloria nostra fidelium est: gloriationum autem gloria maxima est Crux... Quamobrem de pingamus et insculpamus hoc Crucis signum et in ianuis nostris, et in ore, et in pectore, et in omnibus membris nostris. Hac ornemur atque armemur invincibili christianorum armatura: quippe quae victrix est mortis, spes fidelium, lux finium orbis terrae, reseratrix paradisi, destructrix haeresum, firmamentum orthodoxae fidei, magna fidelium custodia, salutaris Ecclesiae gloria... ». Hoc signum idolorum errorem pessum dedit. Hoc orbem terrarum illuminavit. Hoc tenebras depulit et lucem reduxit. Hoc gentes ab occasu, et borea, et mari, et oriente collegit, et in unam Ecclesiam, in unam fidem, in unum baptismum in caritate coniunxit. Cuiusmodi ergo os, aut qualis lingua digne laudare poterit hunc orthodoxorum inexpugnabilem murum, victri- cem hanc magni Regis Christi armaturam?

¹ I Petr., II, 24.
² Coloss., I, 20.

Crux, resurrectio mortuorum. Crux, spes christianorum. Crux, claudorum baculus. Crux pauperum consolator. Crux, fraenum divitium. Crux, superborum eversio. Crux, triumphus adversus daemones. Crux, iuvenum paedagogus. Crux, inopum abundatia, desperantium spes, navigantium gubernaculum. Crux, fluctuantium portus, pugnantium murus. Crux, orphanorum pater, iustorum consiliarius. Crux, afflictorum consolatio. Crux, infantium custos, virorum caput, senum corona. Crux, lumen eorum qui in tenebris sedent. Crux, regum magnificentia, barbarorum philosophia. Crux, servorum libertas, imperitorum sapientia. Crux, prophetarum praedicatio, apostolorum comes, martyrum gloriatio. Crux, virginum continentia, sacerdotum gaudium. Crux, Ecclesiae fundamentum, orbis terrarum firmamentum... Crux, imbecillorum fortitudo, aegrotorum medicus. Crux, leprosorum mundatio, paralyticorum erectio. Crux, esurientium panis, sitiensium fons. Crux, monachorum fiducia et nudorum tegumentum... ».

Inde etiam fit ut Crux *signum efficax praedicationis Evangelii* existat; quare ait Apostolus: « Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare; non in sapientia verbi, ut non evanescat Crux Christi. Verbum enim Crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est ». ¹ Atque est etiam *signum efficax propagationis divini Regni*; etenim signum Crucis, ut olim Constantimum, ita deinceps, saeculorum decursu, plurimos alios principes Regni Christi propugnatores effecit: neque illa praetereunda est missionalium constantia, qui, eodem signo roborati, in periculis omne genus terrae marique, catholicum nomen usqueque provehere consueverunt, ut verissime dici possit eo largius divinum regnum patere quo amplius Crucis cultus extenditur. Ad quem quidem apostolicorum virorum ardorem confirmandum, miracula plurima, ut historia refert, divinitus ubique patrata

¹ I Cor., I, 17 ss.

sunt: montes de loco moti, maris tranquillatae procellae vel undae compressae, aedificiorum ruinae prohibitae, venena innocua redditia, cibi in flores mutati, quin immo et mortui suscitati et daemones expulsi.

Merito igitur, dilecte fili Noster, Inventio Sanctae Crucis sollemni ritu mox commemorabitur in Sessoriana Basilica, cuius quidem Titulo tam honorifico tu ipse insignitus es: asservantur enim ibidem augustae illae Reliquiae, quae sunt ceterarum omnium pretiosissimae. Quae Reliquiae et alia Passionis Insignia cum frequentissime semper a piis fidelibus, undique confluentibus, visitari et coli consueverint, tempus iam adesse arbitramur ut locus, deterso squalore, pro dignitate exornetur, quo honestius illae serventur et fidelium venerationi proponantur. Quumque iam pluribus in animo sit novam Reliquiis ipsi parare sedem eamque decore et arte praestantem, Nos de re gratulamur veherementer; tunc enim clarior fiet hominum gratus animus erga redēptionis instrumentum. Interea, ad animarum fructum itemque ad sollempnium splendorem augendum, libenti animo concedimus ut a die tricesimo huius mensis — quo die incipient supplications in triduum habendae ante festum Inventionis S. Crucis — usque ad totum vertentem annum, christifideles qui, rite paenitentia expiati et sacra synaxi refecti, vel Sessorianam Basilicam vel quodlibet aliud templum publicumve oratorium S. Cruci dicatum quinques, vel uno eodemque die, visitaverint et ad mentem nostram preces effuderint, in Urbe Indulgentiam plenariam semel lucentur; extra Urbem vero Indulgentiam Iubilaei bis accquirere possint, primum sibi, deinde animis in purgatorio igne detentis expiandis, modo tamen eas, quas diximus, visitationes loco visitationum ab Ordinario loci praescriptarum et cetera opera iniuncta bis peragant. Atque utinam omnes amore Crucis ardescerent, id considerantes, non posse se Christum in gloria sequi nisi antea cum Christo passi sint, profitente Apostolo: « si tamen compatimur

ut et conglorificemur ». ¹ Nam quicumque se christianum veri nominis praestare cupit, hanc eidem vult esse Christus Dominus praecipuam legem, ut crucem cum ipso ferat continenter: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam cotidie et sequatur me ». ² Non igitur aliquibus tantummodo crucem praescribit Salvator noster, sed omnibus; non vero semel vel transeunter, sed semper et cotidie. Ita Crux instrumentum fiet communis salutis, et quasi pons super mortem erectus, ut S. Ephrem Doctor poëtice Christum alloquitur: « Tibi gloria, qui Crucem tuam pontem extruxisti super mortem, ut per eum transeant animae a regione mortis in regionem vitae! » Atque divinorum munerum auspiciem praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem esse volumus apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili Noster, iisque omnibus qui ad Sessorianam Basilicam quoquo modo pertinent, amantissem in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, feria VI in Paraseve anno MDCCCCXXVI, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XI

VARIA

Venatorum artes.³

Callidissima sane est ars, qua utuntur venatores. Etenim ubi primum ave, quam potissimum cupiant, sunt potiti, cavea inclusam asservant, atque ibi incredibile dictu est, quot laboribus, quot sumptibus non parcent, et quantum studii ponant, ut nullo illa laboret incommodo, ut illi cibus suppetat, ne potu ipsa careat, ut in tempore aere puro recreetur, ut laeta canat non minus quam quum libertate fruebatur.

¹ Rom., VIII, 17.

² Luc., IX, 23.

³ Italice scripsit A. SEGNERI.

At enim cur tantum humanitatem ostentant? Nonne venatores ad exitum semper aves petunt? Quae igitur tanti amoris causa? Ne id miremini: cognita est enim eorum calliditas. Haec praestant, quod per avem cavea inclusam alias multas in eadem retia induci volunt, quibus illa capta est, veluti ibi vita omnino beata peragatur.

**

Leo, Vulpes et Cerva.⁴

In spelunca aegrotabat leo, qui vulpi sibi amicitia et familiari consuetudine coniunctae, ita est loquutus: « Si vis me consanescere et vivere, fac ut habeam pulcherrimam cervam in proxima valle habitantem; illam illaquea dulcibus tuis verbis; desiderio ardeo exta et cor illius edendi ». Vulpes profecta cervam in silvam saltitatem invenit, salutavit atque alloquuta est: « Macte animo! Te non latet me prope regem nostrum habitare; nunc vero tene, illum aegrotare et iam moriturum de successore eligendo cogitare. Aper ingratus, ursus piger est, pardus iracundus, superba tigris. Cerva, secum cogitavit, imperio dignissima videtur, quippe quae pulchra est adspectu, multos vivit annos et cornibus serpentes terret. Quid plura? Electa es quae regnes; quod quidem nuncium gaudeo me tibi primam attulisse. Nunc autem ad ipsum mihi est redeundum, ne, quae ei a consiliis omnino sum, frustra me quaerat. Verum, si vetulæ te alloquentis consilium non aspernaris, mecum venies et morienti aderis ». Quibus verbis cerva obcoecata ad speluncam venit, inculta futuri. Advenientem exceptit leo atque honoribus cumulavit; vulpes magis magisque decepit dolosis verbis atque ad redeundum invitavit. Reversa, opimum edulium leoni fuit, qui ossa, medullas, exta, omnia exsuxit. Vulpes observabat,

atque subreptum interea cerebrum leoni edenti delapsum, in pretium multi laboris manducavit. Leo, voratis omnibus, cerebrum quaerebat. Tunc vulpes procul secedens respondit: « Cerebro haec porro carebat; secus enim in leonis ungues bis non incidisset ».

**

Iocosa

Tuccius in via condiscipulo indicans virum praetereuntem:

— Oh! si scires quantum debeat pater meus homini illi!...

— An vobis ille est multorum beneficiorum auctor?

— Minime gentium: locator nostrae domus est!

Tuccio amicus:

— Quoties te intueor, magis magisque mihi persuasum habeo te scriptorem futurum.

Tuccius (sese iactans): — Equidem litteris delector...

— Non id significatione appellabam; sed aures tuas tam proceras, ut magis idoneas mente concipere nequiverim ad calamum sustinendum.

**

Aenigmata

I

(vulgo *Rebus*)

BINA IV

II

Frigore correptus prior ut flos floribus haeret,
Et sole adverso plus adamante micat.

Ultimus in doctrina alter, qui primus in arte.

Toto laetentur hortus et ora tibi.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent; (1) *S-turnus*; (2) *El-en-en-tum*.

PANCRATIUS

[14]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit Andr. Haberl)

REP. (*libro clauso*). Neophytorum ego maxime saluti timeo. Sunt enim veluti germina vix e terra prominentia, quae vel unius noctis frigora, etiam apertis dura floribus, perdant. Quam ob rem optimum mihi esse videtur infirmorum praesidium, ut celeriter in tutum sese conferant. In montes Sabinos fugiant tectis recipiendi amicorum! Reliqui sint patati dum belli dux ad certamen avocet.

PANCRATIUS (*pudenter*). Mene etiam, pater carissime, oportebit fugere?

CAI. Certe mihi fugies, mi fili; audacius fere fidem profiteris.

PANCR. Pastor fidelis, pater piissime! Primum amice abs te dictum me sollicitat. Vix enim capio, quod Iesus, quem esset Deus, in monte Golgotha acerbissimis tormentis pro me, ignobili Romano puero, discruciatus est: nunc vero, quem data occasio est, ut crucem amplexus ipse grato animo patiar contumeliam, nunc ego fugiam? Non ita, sancte pater; sed me esse patere de numero militum! Postremus fidelium ad tuos me applicabo pedes. Sed ne me abegeris! (*Capsulam ex collo levatam aperiens*): Vides vitem hoc auro tecum spongiam? Patris haec purpurata sanguine est, quem ille, Iesu martyr, fuderat. Filium quamvis indignum tanto honore, certe pugnam fugere dedecet (*Caio procidens*): Itaque, quidquid me iusseris, faciam: id unum ne iusseris.

CAI. Surge, fili! Nam qui resistat hisce precibus? Manebis nobiscum. Tanto patre dignus eris filius. Spongiam patris rubram sanguine in extrema pugna, patris iungendus complexui, tuo quoque sanguine purpura! – Et tu, Severe, hoc ipso die obstructis his

aditibus novos fodies cuniculos, eosque angustiores, praeterquam tibi notos nulli, ne qua proditio ad nos inveniat vestigia.

REP. Sancte Pater, putasne proditionem esse timendam a fratribus?

SEV. Date mihi hanc veniam, ut meam vobiscum communicem sollicitudinem. Vilis opificis oculi apud mortuos severo assuecent vultu. Non omnes fidos esse ego angor animi.

CAI. Et cuius fidem infidam vides, frater? Equis nostrum tibi animum sollicitat?

SEV. Torquatus.

OMNES (*Stupidi*). Torquatus?

CAI. Id ego, Severe, non credam.

REP. Quippe qui saepe et cum studio Di-vino intersit mysterio.

SEV. Heri vidi deditum aleae.

CAI. Proh, Deus optime!

SEV. Calebat frons, ardebat oculi, manu tenebat scyphum. Non fido homini. Sed utinam me fallat animus!

CAI. Speremus, fratres! Nunquam mihi persuadebo meum Torquatum... Esse non potest. Fugiat cum reliquis neophytis in montes! In illa solitudine eorum fides convalescat! Nos interim oremus Deum (*suspiciens*), ne ulla gregis ovis depereat. Sed quoniam dilucescit, discedamus!

QUADRATUS (*exanimis irrumptens*). Tarscius occisus est!

QUIDAM (*turbatissimi*). Sancte Deus!

ALII. Egregiis ille moribus orphanus?

ALII. Occisus?

ALII. Trucidatus? (*Hae voces simul proferantur, et iterato, et variis motibus, ut vera videatur perturbatio*).

(*Ad proximum numerum*).

[14]

(berl)

eosque an-
s nulli, ne
gia.

rortionem

ut meam
nem. Vilis
ero assue-
ego angorvides, fra-
sollicitat?n.
studio Di-culi, manu
i. Sed uti-n mihi per-
on potest.
ontes! In
scat! Nos
(), ne ulla
dilucescit,

us). Tarsi-

Deus!
ianus?imul pro-
s, ut vera


erum).

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

IOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

IOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyloina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. – Sin-
gulae lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

HORATIANA

Perlegenti mihi fasciculum quemdam illius perutili quidem consilio vulgati omnique laude cumulandi Commentarii, cui nomen *Mnemosyne*,¹ nonnulla occurserunt, in quae iterum inquirendum videtur, non quod qui ea adnotaverit longius a veritate aberraret, sed ut quibusdam ab eo nimium absolute affirmatis temperetur et intra suos terminos, ut ita dicam, definatur quid inter *Carmen Saeculare* et *Catulli* c. XXXIV intercedat.

In primis autem illud contendeo, me prorsus cum Brakmano consentire, qui multa invenit quae iure refutanda abiciendaque censeat in commentatione a Warde Fowler conscripta ad Carmen saeculare illustrandum inque commentarium *Classical Quarterly* relata.² Quum enim Fowler demonstrandum suscepit Horatium voluntate tantum Augusti, non suo peracuto insitoque ingenio permotum esse ad carmen conficiendum - *at any rate the inspiration came from Augustus and*

not from the poet's native genius - quippe quod Augustus iusserit religionem, mores, fecunditatem hominum et animalium versibus celebrari, imperatoris vero nomen omitti, poëtaeque agendum ut omnibus diis invocatis Apollo praesertim laudaretur hymnusque Apollineum quemdam colorem haberet, nemo est qui optimo iure Fowler sententiae possit accedere. Quapropter libentissime nullaque haesitatione Brakmano adstipulor, qui his utitur verbis: «Quae cum ita sint, non magis credo Augustum, viro paene omnibus numeris absoluto, quicquam imperasse, quam poëtam fuisse eum, qui talia praecepta aequi bonique fecisset».

Sienim illud cum Fowler statuimus, Augustum soluta oratione praescripsisse quod vellet celebrari, quodque Horatius elegantiore ornatu ac poëticis modis esset convestitus, facile per se quisque intellegit hac ratione libertati ingenioque horatiano frenos quosdam adhiberi poëtamque dignitate sua quasi spoliari. Licuit vero Horatio, Augusto monente, quodam modo, si ita dici potest, imperatoris voluntati obsecundare, qui ad id contendebat, ut in melius civitatis mores corrigerentur et pristina disciplina restitueretur: sed nemo est qui facile credat poëtam perinsignem, cuius ingenium plane esset singulare, ne vestigio quidem ab imperatoris consilio abiisse.

¹ Cf. *Mnemosyne*, N. S., vol. IXL, p. II: *Horatiana*, scripsit C. Brakman, p. 209 sqq.

² Quae in *Classical Quarterly* (a. 1910) Fowler insertuit, denuo collegit addiditque volumini, quod inscribitur *Roman Essays and Interpretations*. Oxfoniis, 1920.

Legimus apud Suetonium (*Vit. Q. Hor. Flacci*): « Scripta quidem eius usque adeo probavit (Augustus), ut non modo *saecculare carmen componendum iniunxerit*, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Druisque privignorum suorum... ». Quae verba *componendum iniunxerit*, etsi ad Augusti imperium pertineant, non ita accipienda sunt, ut imperatoris sententias poëta prorsus redderet numerisque tantum, qua erat in versibus conscribendis peritia, insinuaret.

Quod si ita est, ecquis iure dicat potuisse Horatium de se praedicare:

... sume superbiam
quaesitam meritis et mihi Delphica
tauro cinge volens, Melpomene, comam?
(c. III, 30).

An illud existimandum est, etiam in carmine postremo lib. IV, in quo Horatius aetatem novam ab Augusto restitutam summis laudibus extollit, quippe quod bella tandem cessaverint, veteres artes revocatae sint

per quas Latinum nomen et Italae
crevere vires famaque et imperi
orrecta maiestas ad ortus
solis ab Hesperio cubili,

vagantique licentiae frenis innectis, civilis furor numquam tranquillitatem gentium perturbatur sit, quae canantur non ex animo effundi, sed obsequi tantum causa dici? Hinc sequitur, ut quae poëta abominaturus de moribus corruptis, de aviditate deque luxuria bacchante senserit, non ex animo sincero promanarint, sed temporibus accommodata, imperatoris voluntati unice obsecuta sint. Atqui quam sunt illa communia Tibullo Vergilioque! Pervulgata enim erat nobilissimorum ingeniorum opinio, quae pacem vehementissime appetebat, quem metus ruinaque, etsi omnino ab oculis remota, nondum ab animis optime sentientibus abierint: inter quae ingenia Horatius, quam maxime futura praesentiens patriaeque suaue incolu-

mitati prospiciens, carminibus suis operam dabat ut res Romana antiquis moribus staret.¹

Bene igitur opportuneque Brakmanus, adversatus est Fowler, non solum Horatium extollens ut vere poëtam, sed etiam qui cives excitaret ad virtutem priscosque mores colendos; quod autem vere propiusque ad *Carmen saeculare* spectat, facile ille concedit vatem fortasse ultro cum quindecim viris vel cum Augusto, eius collegii praeside, de ritu ludorum tam infrequentium in universum disseruisse, sed minime statuendum esse eum de singulis rebus in carmine commemorandis legi frenove paruisse. Ad quae videntur mihi apte hic quadrare quae afferit Plessis: « Pour nous le chant séculaire est avant tout un poème, beau par sa simplicité élégante ET PAR LES SENTIMENTS PROFONDS ET GRAVES QUI NOUS TOUCHENT ENCORE, et dont il demeure la très digne expression ».²

Non possum vero cum Brakmano consentire in illis, quae auctor habet de carmine saeculari cum catulliano XXXIV comparato. In qua comparatione instituenda id sibi conatur evincere, Horatium non modo totam fere rationem carminis Catulli, sed etiam inde multa verba in suum usum convertisse. Scribit enim: « Nihil refert Catullum in cantoribus Euphorionis esse habendum, verum Horatius intellexit auctorem hymni in Dianam in maximis poëtis numerandum esse: quatenus in carmine saeculari Horatius Catullum sibi imitandum proposuit, voluit ut *discipulus magistrum colere et venerari* ». Quae postrema verba, prout sunt, non omnino videntur accipienda, quem haud parum a veritate abhorreant. Inqui-

¹ Vide, sis, quae de hoc arguento habet Pascoli in suo perdocto elegantissimoque volumine, quod inscribitur *Lyra Romana, praef.*, p. 75.

² Cf. PLESSIS, *La poésie latine*, Paris, Klincksieck, 1909, pag. 332.

ramus igitur parumper in Catulli hymnum ad Dianam.

Carmen, ut iam vidit Bentley (*Praef. ad Horat.*, p. xxvi), poëta conficit in festum Diana, sibi a pontifice demandatum, et revera a puellis puerisque integris cantatum est. In primis Latoniae origo celebratur,

*quam mater prope Deliam
depositiv olivam,*

deinde eius variae proprietates, quibus multo nomine appellata est: quae πολυωνύμη aperte ostendit eius cultum quam latissime per orbem patuisse. Postremo precibus exoratur ut bona ope sospitet gentem.

Quae sint hymni virtutes, quanta qualive arte commendetur in sensibus poëtae obumbrandis, non est hīc inquirendi locus: si meam tantum sententiam licet exprimere, non multum vero probatur, quum nescio quid demandati negotii et parum sinceri sapiat. At, hac re praetermissa, videamus potius an recte Brakmannus iudicaverit de utriusque poëtae versibus similibus inter se comparatis.

Orelli, Kiessling aliique iam viderunt versus Horatii (c. III, 12):

*Montium custos nemorumque virgo
quae laborantes utero puellas
ter vocata audis adimisque leto
Diva triforis*

mire cum Catulli c. XXXIV congruere:

Montium domina ut fores...

Non infitior talem inesse in utroque carmine consensem sive conspirationem; sed ecquis ignorat Dianam etiam apud Vergilium nemorum custodem appellari: *nemorum Latonia custos* (*Aen.*, IX 405); *nemorum cultrix*, *Latonia virgo* (*Aen.*, XI, 557)? Versus: *Quae laborantes... adimisque leto*, nonne evolvunt ac fere complent meliusque efficiunt quod meminit Catullus, proprietates deae recensens: *Tu Lucina dolentibus*, etc.? Quodque vero

putat Brakmanus, quoniam Catulli quoque carmen cantatum sit a choro puerorum puellarumque, neminem mirari posse si id Flacco fuerit exemplo, prorsus abiendum est. Exstabat memoria carminum a choro iam pridem recitatorum; et menti occurrit illud Andronici in Iunonem confessum, de quo sic edocemur a Livio (lib. XXVII, 37, 7): « Decrevere... pontifices ut virgines ter novenae per urbem euntes Carmen canerent ».¹ Vere, Catulli hymnus a *puellis puerisque integris cantatus* est, ut Horatii a *virginibus lectis puerisque castis*: sed nullo modo mihi persuadetur, a Catullo unice pendere, quod iam esset apud Romanos in more. Utcumque se res habet, pergamus in comparationem institutam inquirere.

(*Ad proximum numerum*).

M. GALDI.

De Sancto Francisco Assisinate²

Quum primum vir Dei vidit magnam hominum turbam ad se, tamquam ad magistrum vitae, alacrem itemque cupidam confugere, optimum factu putavit Romanum petere, Pontificem Maximum aditus, ut supraemam ipsius auctoritate sanctum de moribus institutum probaret, quod sibi suisque alumnis confecisset.

¹ De hoc carmine ita scribit C. CICORIUS (*Römische Studien*, Teubner, 1922, Leipzig): « Auf Grund der im vorstehenden erzielten Ergebnisse werden wir in Livius Andronicus nicht nur einen Vorläufer für Horaz und sein Carmen saeculare gewonnen haben, sondern zugleich auch in seinen Chorus Proserpinæ die überhaupt frühesten zeitlich und hinsichtlich der Person ihres Verfassers genau bestimmbare lateinische Dichtung ». Censet autem Cichorius non ab a. 240 a. Cr. sed potius 249, latinarum litterarum historiam incipiendam esse.

² Cfr. fasc. sup.

Verum inusitata eius vestis, inulta caesaries, et, praeter omnium opinionem, macerimus oris adspectus, animos Romanorum exhorruit: quo factum est, ut illico ex lateranensibus aedibus veluti sordidus egenus depelleretur. At minime animo fractus, diem suum tacitus ac fidenter expectat. Ad suprema rerum gubernacula sedebat tunc temporis Innocentius III, qui, divino numine monitus, carissime eum exquisivit, accepit optimumque ecclesiae fulcimen reputavit.

Quo facto, recenti veluti spiritu afflatus, Franciscus ad suos est regressus, eosque ad sanctum animarum certamen verbis et exemplo excitavit. Hi omnes caelestis suae sapientiae alumni «sortiti ingenium divinorumque capaces», omnes late Italiae regiones atque Europae animo sunt complexati.

At postquam suis provincias sapienter divisit, improbum sibi munus audacter suscepit, quod omnium tetterimum ab omnibus reputatum est. Difficillimis illis temporibus, Saladinus, armorum impotens, omni prope Asia imperitabat, omniaque obtinebat. Quo commodius Christi sapientiam inter illas gentes diffunderet, ipsum tyrannum, in sede honoris sui, Franciscus adire non dubitavit.

Qui, ut primum virum, pietate insignem, nec iam meritis notum adspexit, silet ad rectisque auribus adstat. Et sanctissimus vir eius regit animum dictis, et pectora muleet. Procul dubio, ni aliena peccata hominumque perversitas prohibuissent, illa die religio iterum christiana in sanctissima loca victrix rediisset. Vicerat amore, vicerat et virtutum magnitudine. Atque Saladinus «obstupuit varia confusus imagine viri», et, admirantibus omnibus, ut publice de Christi praeceptis franciscales sodales dissererent, permisit. Quae facultas, nihilo obstantibus difficultatibus, per tot tempora viguit semperque vigebit. Hanc vero animi fortitudinem immortalibus versibus

Alighieri more suo hilaravit, et, ut sancti prudentiam extolleret, adiunxit:

*Ne tempus terret nimium cum gente rebelli
Italam redit, messis ubi umerior.¹*

Quo commodius rebus suis inserviret, et largior in populos suorum sapientia effundetur, Deo equidem nutu, iterum Romanum petere cogitavit, ut ad Pontificem Maximum iterum se conferret.

Tum non rheda ductus peregrinatur aut carpento, sed pedestre semper, quodque caput est, victimum ostiatim quaeritans, omnibus exemplum ob animi simplicitatem et prope sui abiectionem factus. Is vero a se omnino prope avulsus, nihil magis cupit et quaerit quam Christum reddere.

Suum eo tempore Pontificatum gerebat tertius Honorius, qui mira eum benevolentia accepit, eiusque consilia divinitus ex desiderio comprobavit.

Multa enim, ex omnibus dissitis regionibus, egregia Franciscalium facinora ubique patrata mirifice ad Pontificem Maximum ferebantur. Populi enim divina sodalium eloquentia ad sanctiorem vivendi rationem turbatim accurrebant, peccata sua confitebantur, quiete se victuros pollicentes. Et ipsi principes, mutatis mirum in modum moribus, non iam superbe se se gerunt, sed armis depositis, in eorum exemplum Christi vestigia ingressi, castissime vivere coepere, paterno more suos populos regunt, et, opibus relicitis suis, ad religionem humillimis animis contendunt.

Quod olim Vergilius cecinit, Francisci opere confectum videbatur:

Magnus ab integro saecolorum nascitur ordo.

Omnes Deo gratias maximas referunt, quod parvulus rivus, nuper obscuru fonte in Umbria natus, nunc iam in plures am-

¹ E per trovare a conversione acerba
Troppo la gente e per non stare indarno
Redditissi al frutto dell'italica erba.

nes divisus, ubertatem rerumque copiam latissime disseminet. Et Pater, nulla prorsus inani gloriola adfectus, quod sui superiores de hostibus redeant, quod sodales propemodum sint apud omnes gentes advecti atque ita Christi regnum proferatur, apud Umbros veluti in provincia sibi divenitus permissa, laetus, alacer, humiliisque versatur.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

EX HISPANIA

De novis itineribus aëriis.

Si nostra aetate degeret poëta Venusinus, quid non haberet conviciorum in audaciam gentis humanae, quae maiore quidem fortuna quam Icarius «pennis non homini datis vacuum operitur aëra?» Nunc vere «nil mortalibus ardum est», neque «stultitia» tamen, sed magna sollertia «caelum ipsum petimus», idque non semel aut uno in loco, sed cotidie et ubique terrarum.

Menses abhinc aliquot populus Hispanus oculis continenter in caelum suspicentibus exstat vel potius in aëra, quod nonnulli sint, qui eousque assurgere non valeant. Quidquam insolitum in altum extulit animos, nec licuit indifferenter magna contemplari facinora.

Nihil dicam profecto de duabus itineribus ab eximio aéronauta Hispano Ignatio Jiménez proxime paratis, quorum in altero uno tantum volatu Matrito-Parisios atque Parisiis-Matritum permeare suscipit; in altero autem volatibus quatuor totam Europam circumdare audet; neque de eo loquar, quod etiam prelum his diebus vulgavit ineundum ab nostra peninsula ad Guineenses possessiones Hispanas. Iam partos dumtaxat canam triumphos.

Ad finem vergebatur superior annus MCMXXV, quum La Cierva machinator insignis «autogyrum» suum auspicatissimo exitu palam prodidit. «Autogyrus» igitur laudati inventoris Hispani productione externa vulgato aéroploano similis est, sed constat praeterea rotatili quodam axe in altum directo cum quatuor magnis alis industrie dispositis, quae minore velocitate ac proinde minore etiam discriminé patientur ascendere. Contra autem, descensus fere fit ad perpendicularum, neque est machinae opus nimis aptato descensioni loco. Ergo hoc aéronavium genus primo apparatum Wright ac deinde «elicopterorum» Ouiche et Marchionis de Pescara incommoda corrigit.

In aérodromo Matritensi, cui *Cuatro Vientos* inditum est nomen, «autogyrus» prima subiit pericula benebole atque vehementer excitans animos technicorum tum nostratum, tum exterorum. Auctor suo subinde apparatu ad Angliam se contulit, ibique rogatu aëris, quem vocant, administrari, in aérodromo Farnboroughensi vel feliciore fortuna iterata sunt experimenta. Postremus autem probationum dies ex analibus aéronauticae nunquam delebitur. Courtney gubernator postquam quindecim volaverat minuta, quibus ad altitudinem metrum trecentorum venit, motorium cessare coegerit et miro ordine atque mensura continuo in terram descendit.

Dum resonat adhuc aëther laudum clamoribus ab tenaci illo machinatore Hispano concitatis, atque Gallia se accingit etiam ut Parisiis experimenta similia repeatat, tres viri florente iuventa fervidi, et virtute et audacia et religione pares, iter adornabant Palis-Bonas Auras, Columbique Genevensis aemuli trans Atlanticum adpetebant.

*Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impigre
Non tangenda rates transiliunt vada,*

Orbis totus hoc incepto itinere summa affectus est admiratione; postea tanti facinoris fata anxie persecutus est, et tandem coram auspiciatissimo exitu in plausus adeo vehementes prorupit, ut pluribus inde iam transactis hebdomadis attonitas tenent aures, ne cum hodieque cessasse videntur. Franco, Ruiz de Alda, Rada: tria nomina, quae aureis litteris in aeronauticarum rerum historia perpetuo insculpta manebunt. « Plus Ultra » hidroavionis eorumdem lemma, deinceps heroicae virtutis erit symbolum.

Ab eo die quo tres illi aeronautae Hispani ad Bonas Auras aequorati sunt,¹ in Europa atque in America multi pulularunt aemuli, quod quidem credere suadet fore ut, si aeronautica res etiam conflagrante bello magnos obtinuit progressus, orbe tandem pacato, non minores nanciscatur laudes.

Quum patriam redeentes hidronavis « Plus Ultra » vectores obsequia accipiebant, quae virtute et patria caritate sunt emeriti, tres alii iuvenes, Gallarza, Loriga, Estévez non minore quidem animo ac sui contemptu iter aérium Matrito-Manilam adoriebantur, quod tandem ad finem feliciter perductum est. Eorum quidem extremus ex infortunio in deserto Syriaco ad arenas descendere coactus est, indeque praecipientibus superioribus, iisque militibus, audiens, infecto itinere, una cum mechanico incolumis in patriam se recepit. Reliqui autem duo post octo et viginti dies sexdecimque volatus, dimensis in aëre spatio omnino nonaginta circiter horarum, chilometrum quindecim et triginta millibus ad Aparrium in Luzone, insula

¹ Aequorari ab aequore novaveram, idque in forma quidem deponenti, quae, ut asservant Grammatici, apud Graecos vocis mediae respondet. Aequor autem, ait Forcellinius, interdum dicitur de planicie terrae seu agrorum, saepius de mari. Aequorari igitur vocabulum mihi sonat quasi: « ad planitem terrae seu agrom » et magis « ad mare se recipere ».

Philipina, bono alite demum aequorabantur ut insequenti die, in festivitate nempe Ascensionis Domini, inter insularium clamores, ut factum est, Manilam ovantes ingredenterur.

Quum iter Asiaticum tum maxime trans Atlanticum perfecerunt, de progressu et de religione optime meruerunt. Utinam haec in tanta aëris expugnatione princeps ordine procedat! Pietas erga Deum, cuius tot signa aeronautae Hispani prodidere, manifeste docet religionem doctrinæ progressui nec adversari, nec heroum legitimas audacias cohære; quin immo Ecclesiam Catholicam his rebus recenti scientia comparatis omnia semper fausta precari, ut impertita benedictione hidronavis *Plus Ultra* gubernatoribus, Pius Papa XI, quem Deus multos annos sospitet, luculenter commonstravit.

Scrib. Cervariae Lacetanorum, mense Maio MCMXXVI

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Eucharisticum Vulsiniense Prodigium

Dum festum Divini Corporis Christi iterum redit et Eucharisticus Chicaginensis conventus tanta pompa comparatur, quantum fortasse nemo viderit, quumque de Senensi eucharistico prodigio scriptum recens in hoc Commentario fuerit,¹ iuvat alterum illud Italicum Eucharistiae miraculum celeberrimum revocare, ex quo non solum praefati festi institutio manavit, sed amplissimum Urbevetani templi monumentum, quod per saecula omnium gentium admirationem excitavit, atque perpetuo commovebit.

Anno scilicet MCCLXIII, Bohemus quidam sacerdos, qui Vulsinii sacra ad aram sanctae Christinae martyris peragebat,

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Martii.

quum sanctissimis conceptis verbis Christi Corpus et Sanguinem confecisset, sed tanti mysterii veritatem in dubium adduceret, ex improviso sanguinem ex divina hostia erumpere vidit, quo linteolum seu *corporale* conspersum est. Mirari qui sacro adstabant, horrere; horrere in primis ipsum presbyterum, altisque vocibus inclamare et rogare veniam dubitationis admissae...

Eventi rumor longe lateque brevi percrebuit, reique miraculum eos ipsos obstupefecit, qui novis philosophandi commentis imbuti, quidquid sancti est in templis audacter irriderent. Ocius ad Romani pontificis aures quoque nuncius pervasisit, qui tunc ob temporum acerbitatem Urbevetanis invictis moenibus sese tuebatur. Erat is Urbanus, ordine quartus, qui statim inbet ad se linteolum deferri ab oppido Vulsinio – non enim longe abest – et sollemini pompa, comitantibus utriusque loci populo populisque finitimus, madens adhuc Christi sanguine suscipit, veneratur et summa religione maximo S. Mariae Urbevetano templo, tuente arce inexpugnabili, thesaurum credit asservandum. Quid ultra? Insequenti anno ad prodigiū recordationem decrevit ut sacri eucharistici mysterii sollemnia quotannis, feria v post octavum a Pentecoste diem, ubique gentium semper celebraretur. Quin etiam, quum gliscentem Berengarii haeresim, qui verae Corporis Christi sub speciebus panis et vini praesentiae refragari audebat, opugnatam inde vidisset, atque religionem devicto hoste iterum triumphare, paeana voluit triumphali canere hymnum, cui virorum tunc temporis cruditissimi et sanctissimi, Thomas Aquinas Angelicus et Bonaventura Seraphicus, certatim vere angelicis seraphicisque rhythmis operam dederunt, omnium expectationem vincentes, quippe qui tum sententiarum vi, tum verborum gravitate, tum denique religionis singulari dulcedine id omne exhauste

visi sunt, quod de tanto mysterio dici unquam posset.

At nec viciisse, nec triumphasse, nec paeana cecinisse sat erat. Triumphantium in moribus est monumenta erigere, quae pugnis victoriisque suis consona sint, et vel ea repraesentent quae debellarunt, vel illa ostendat quae triumphis obtainuerunt. Ad hoc fuit monumentum, quod « Urbevetanum templum » toto terrarum orbe laudatur.

De quo aedificando Urbevetani cives mirabiliter consenserunt, praesertim quum S. Mariae aedes vetustate fatiscerent et novo impares miraculo viderentur. Parantur igitur lapides, caementa, arenæ, lateres; et fundamenta mirabilis molis, universo populo adlaborante, ita foduntur, ut vigesimo et septimo anno a Vulsiniano prodigio, d. XIII mens. Novembis MCCXC, Nicolaus IV pontifex lapidem operis primum manibus collocaverit suis; qui dies Urbevetanis adhuc est sacer. Anno MCCXCVII, Bonifacius VIII, Urbeveteri degens, quum iam ita muri crevissent, ut ad aequum pavimenti hodierni devenissent, ligneo exstructo altari in area templi, sacrum publice fecit.

Itaque opus augebatur in dies caput nubibus conserturum, cui manus industres felicissime admoturi erant Cosmates, Andreas et Nicolaus Pisani, Laurentius Mai-tani, Andreas Orcagna, Angelicus Faesulanus, Lucas Signorelli, Michael de Verona (vulgo Sanmicheli), Simon et Franciscus Muscae, Hyppolitus Scalsae, Raphael a Montelupone, Caesar de Nebulis, Sangallus, Pomarancius, uterque Zucari...

Sed ut ad linteoli reliquias, signa adhuc divini portenti proferentia, redeamus, verba usurpabimus Odorici Raynaldi, qui in suis *Annalibus Ecclesiast.* (an. MCCLXIV, num. 26 et seqq.) de eo scribit: « Haec tamen et alia omnia [in Urbevetana civitate] conspicua a supernaturali illius sanctis-

simi corporalis prodigio superantur, quod mihi summa in contemplando felicitas fuit; nam Superioris permisum, nedum diu illius maculas (in quibus Christi figurae replicatae conspiciuntur in actu *Ecce Homo* iuxta formam hostiae illius saeculi) observaveram, sed etiam mihi licitum fuit quandam concavitatem introspicere, aperiendo scilicet quoddam operculum ferreum clavis firmatum, ubi quaedam telae fragmenta sanguine conspersa et involuta inventa sunt, in quorum medio erant aliquae chartulae literis gothicis lectu difficultibus, in quarum una erat scriptum: "Corpus Christi sparsum fuit super hoc corporale; cum summa diligentia debet custodiri"; et in alia scriptum erat: "Benda, in qua involuta fuit pars corporis et corporale cum guttis Sanguinis Christi et figuris". Quae theca erat in eodem armario, in quo miraculosum corporale conservatur et non immodica difficultate aperta fuit: nec mediocrem pariter circumstantium admirationem haec reliquiarum inventio attulerauit, quarum nulla inter incolas exstabat traditio".

Quid de hisce particulis deinceps fuerit, fatemur nos prorsus ignorare; certe nunc, in pretiosissima custodia distentum, sacrum et venerabile illud «corporale» in proprio eoque magnifico sacrario asservatur, a cornu evangelii aiae maxima, super solio, ad quod aptae scalae ducunt, ita ut per vitrum, illud tegens, cuique patet illud apprime intueri atque contemplari. In festo autem Corporis Christi ipsum linteolum in sua theca per Urbevitanæ Urbis vias sollemni pompa quotannis deducitur.

X.

*Eodem animo beneficium debetur.
Eripere telum, non dare irato decet.
Excelsis multo facilius casus nocet.
Fortuna usui dat multa; mancipio nihil.*

P. SYRIUS.

EX ITALIS URBIBUS

Exhibitiones Taurinenses

Tres sunt in praesentiarum, in antiqua Subalpinorum civitate principe, rerum exhibitiones, quae Italorum oculos animosque ad nos convertere student. Est prima *Aedilitatis* expositio, quae in meridionali urbis parte, atque in ipsis regalibus olim aedibus se se explicat, quibus est nomen *Valentino*, ubi variae aedificiorum formae in exemplum proponuntur et auctorum nomina, et quaeque ipsis studiis provehendis apta reputantur.

Hic maxime equidem Italorum virtus nitescit, atque licet invisentium concursus exiguis esse videatur, virorum tamen intelligentia visitantium numerum longe compensat.

At quae longa exemplarium series, quae alta mentis cogitatio! Et virorum clarissimorum numerus est minime contemnendus; quo facto complures patriae hospites atque exterarum nationum, praeclarissimas res illas expositas conspicientes, multum tum patriae gaudent nobisque gratulantur, et laeto animo, citra invidiam, omnia quaeque fausta in aevum ominantur.

Verum in hac aedilitatis exhibitione ad ingenii certamen una quodammodo Subalpinorum ratio ingreditur: eorumque potentia ita splendescit, ut, ni amor regionis nos nimis decipit, de principatu inter alias Italiae provincias contendere possit. Si quis dubitat, veniat, perspiciat et credet.

Alia est Taurinensis exhibito, et licet exiguis in rebus, haud exigua gloria atque animorum aemulatio. Haec mea verba, quae rotundo veluti ore pronuntio, ad florum exhibitionem explendam spectant, quae abhinc triginta et amplius annos incopta, maiori in dies incessu ad sublimem nunc pulcritudinis atque amplitudinis apicem pervenisse putaveris.

Atque in hac quoque re, quae ingeniorum varietas atque excellentia! quae animorum fiducia! Olim apud nos plurimi aestimabantur sodales arvales, qui agris colendis ac foecundandis in regiam societatem cooptati, flores equidem colebant, sed pro divitibus scienter fovebant... At in praesentiarum res in immensum ita crevit, ut admiratus in clamare cogar: *Quod cupio meum est, inopem me copia fecit.*

SUB.

Victor conspicies hic celebris choros pompa, quae niveis te feret abditum sub velis segetis, Deus!

Felix hora venit, cum mala tristia mutem perpetui munere gaudii!

Fido, Christe, tuo denique militi pandas ostia lucida!"

L. BÜRGE O. P.

NERONIANI MARTYRES

*Discurrens rapidis curribus areas
circi christiadas cum Nero luderet,
quos mandarat atrox unguine conlitos
diris fulgere noctibus,
caeli ad regna senex iam morientia
Petri discipulus lumina sustulit,
pandens fatidico pectore condita
venturis bona saeculis:
«Humani generis ferrea desinit
aetas, cum dominis impia concidit
eversa et Babylon; iam populi feris
solvunt brachia vinculis,
quos at sponte sua postmodo deditos
Christi lege reget Roma potentior;
ex hoc et dabitur dedecoris loco.
sceptrum tendere gentibus.
Hic templum video surgere maximum,
summi quo niteat gloria Principis,
ducendas stabili cui vice creditit
Christus progenies novas.
Olim tempus erit, cum, modo qui rubet
humanis facibus, supplicii locus,
lychnis mille, piis ignibus, emicet,
nostrum qui recolant decus.
Tu, qui me miserum nunc ita roboras
Divi prodigio corporis, ut tuam
semustus valeam dicere gloriam,
qui me sidereo vocas
regno, pollicitus praemia fortibus,*

CERTAMINA POËTICA

Certamen poëticum Hoeufftianum.

De quinquaginta carminibus ad certamen poëticum Hoeufftianum missis an. MCMXXV, ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit HERMANUS WELLER, qui *Venerem et Martem* cecinat; sumptibus legati in volumen recipientur carmina, quorum tituli *Deliciae ruris* et *Harundo bellica*, si poëtae eorum scidularum aperiendarum dederint veniam.

Ecce index titulorum ceterorum carminum: *Salius*, *Ad puerum mortuum*, *Convivium*, *Quiesce*, *puer*, *Ad congressum eucharisticum amicum proficiscentem votis prosequitur poëta*, *Carmen saeculare*, *Ignoto militi*, *Dei provida mens*, *Via aetheria*, *Iephiae filia*; *Certamen*, *Stultus pro Christo*, *Iulia*, *Ad vitam resurgens*, *Ad pium Aeneam Africam linquentem*, *Paphnuti monita*, *In Amundsen*, *Romuli apotheosis*, *Hortulus meus*, *Sacellum Veneris*, *Carmen de quinto et vicesimo anno regni Victorii Emanelis III*, *Ad lusciniam*, *Ecloga*, *Lesbiae dolor*, *Lydia*, *In sepulcrum ignoti militis*, *Nox Thallusae*, *Tuscus et Siculus*, *Commentariolus vitae humanae*, *Athenienses post Salaminiam pugnam Athenas redeunt*, *Cyllarus victor equus*, *Vergilius rurus possessor agelli*, *Pueri*

ludentes, Corsonna, Extremum vale, Myrtilus, Amata, De caede sanctorum puerorum innocentium, Eucharisticon, Crepundia, Russo Tucullio, Umbra poëtae, Mars et Iria, Manto, Prima Mnemosyna, Dulcis pueritiae memoriae, Rusticatio.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa, nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXXVII mittantur ad *het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis Amsterdam*, munita sententia, item iscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portable prelum britanicum (*type writer*) adhibuerint. ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperiedae venia dabitur. Id autem ante Kal. Jul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Haec d. xviii mens. Maii proximi elapsi Amstelodami dabat

J. J. SALVERDA DE GRAVE,
Ord. litt. acad. reg. Nederl. ab actis.

Certamen poëticum Ruspantinum alterum

Romanum athenaeum certamen alterum poëticum latinum recens indixit, ex legato Theodorici Ruspantini, Italis exte-

risque patens, legibusque quae sequuntur subiectum:

Qui in certamen sit descensurus, is *unicum* carmen producet, *dactylographice* scriptum, constans non minus versibus quinquaginta, illudque suis impensis mittet ad Praesidem Facultatis Litterarum et Philosophiae in Romana studiorum Universitate, additis verbis: « *Praemium Ruspantinum* », *ante diem IV mensis Novembris huius anni MCMXXVI*; qui terminus fatalis erit.

Carmen non auctoris nomine, sed singulari sententia distinguetur, super involucro, sigillis obsignato, repetita; quod quidem involucrum schedulam continebit, in qua nomen et domicilium auctoris indicabuntur.

Iudicans coetus tribus membris constabit a supra memorata Facultate delectis; qui involucrum carminis sententiae respondentis palmam victoriae assequuti aperiet, carminumque, post hoc, quae singulari mentione digna reputata fuerint: hac ratione una, auctorum horum, minime quidem ceterorum, nomen cognoscetur.

Praemium, unicum et individuum, erit libellarum Italicarum 1600, dabitusque tantum si auctor eo dignus habitus sit.

Coetus iudicium sine ulla provocatione erit, etiam si plurimum, non omnium sententia prolatum.

Coetus denique optimorum carminum editionem curare poterit.

Certamen poëticum Hieracense

Dum hic ALMAE ROMAE numerus sub prelo est, comperimus et certaminis Hieracensis - (de quo cfr. fasc. sup. mens. Ianuarii, pag. 8) - victorem renunciatum fuisse HERMANNUM WELLER.

*Duplex fit bonum, simul ut accessit celeritas.
Gravior inimicus qui latet sub pretore.*

P. SYRIUS,

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Lexicon quaeritur

ANDREAS AVENARIUS sociis *Almae Romae* humanissimis salutem.

Fuit quondam ad manum mihi lexicon Fabri cuiusdam Latinum saeculo XVIII editum, quo proponebantur ordine alphabetico non vocabula, sed vocabulorum etyma, ita ut simplicibus verbis et derivata et composita alphabetice adicerentur. Magnam mihi videtur ea ratio habere utilitatem ad cognoscendas verborum familias et ad assequendam linguae proprietatem. Quo etiam magis doleo, quod talium vocabulariorum tanta in hac Europa sit paucitas, ut quadraginta annis solum illum codicem, non habilem magnitudine, ex eo genere viderim, quem quod ex pristino domicilio discedens huic ferre non potui, iam diutius eo commodo careo. An fortasse inter lectores *Almae Romae* est, qui vocabularium ea ratione instructum non nimis antiquum noverit? Qui si mihi indicaverit, ubi et quanti veneat fecerit pergratum.

* *

Apud Polonus seditio.

Vis alia, eaque repentina, in Polonorum gubernium evenit, quae, contra, feliciter Pilsudzkj, militiae magistro, eius molitori, cessit. Quidquid de ipsis causa fuerit, utrum civitatis regimini principis dominatum vere necne sufficere studeret administratorum collegium, cui Witos praeerat, certe Pilsudzkius hoc iussit ab imperio recedere; quumque administristi illi abnuerint, milites sibi fideles in gubernii copias misit. Bellum civile Varsaviae exarsit, in quo trecenti cives et ultra misere vitam amiserunt, et mille circiter vulnera passi sunt. Tum administristi muneribus suis sese abdicarunt, atque cum iis ipse reipublicae praeses, Wjciecowski; quibus novum administratorum collegium victor suffecit, in quo is bellicas res gerendas sibi reservavit, et comitia ad civitatis novum praesidem eligendum indixit. Hinc ipse maxima suffragia obtinuit, sed honorem detractavit.

* *

Mauritanum bellum.

Mauritanum illud bellum, iamdiu a Gallis Hispanisque contra Riffanos actum, ex improviso occidit, Abd-el-Krim, rebel-

leges tentata. Severa haec fortisque agendi ratio atque cognoscendarum fossorum postulationum repulsa, donec ceteri opifices ad munia sua non rediissent, effecerunt, ut post aliquot dies amplissima illa desertio, quae sine sanguinis effusione fortunate acta est, sensim cessaret. Restat vero adhuc quaestio solvenda, quae ei causam praebuit, neque facile dirimenda videtur: inique enim non agunt fossores stipendia sua tutantes, neque vicissim fodinarum domini, quorum industria non fructuosa facta est, talisque manebit, quoadusque machinae ad metalla extrahenda ea ratione non renovatae fuerint, quam nostra aetas poscit.

lium duce, ad dditionem perpulso, quem hostes captivum nunc tenent, quum vero ei promiserint sese eius familiam opesque protecturos.

Nationum Societas.

Genevam societatis nationum delectus legatorum coetus convenit, qui tum de nonnullis societatis regulis mutandis, tum de conditionibus legatorum omnium proximo conventui ferendis circa discessum ab armis, dissererent. Partem illam viciisse dicunt tenentem ad novem usque instabiles magni consilii legatos proferendos esse, trinos trinis annis renovandos; et in dies ceteras quaestiones distulisse, scilicet stabiliendi numerum diuturnorum legatorum, atque examinandi a Brasiliensibus, Sinis, Hispanicis, Suebis, Polonis petita ut et eorum cuiusque natio in concilium ipsum admittatur. De deponendis armis ratio nulla inventa adhuc fuisse videtur...

Kalendas Iunii MCMXXVI.

POPPLICOLA.

ROMA SACRA

SS. D. N. Pii PP. XI Litterae Encycliae de Sancto Francisco Assisiensi septingentesimo ab eius obitu exeunte anno.

Sub die XXX superioris mens. Aprilis, SS. D. N. Pius PP. XI, uti nunciavimus, *encyclicas* dedit litteras de S. Francisco Assisiensi ob eius obitus septuagentesimum annum exeuntem. Revocatis in primis sollemnisbus Iubilei magni, in quibus ad perfectioris vitae institutum excitati plurimorum animi sunt, iam ad maximas utilitates, vel quaeasitas inde vel speratas, cumulus quidam Pontifici videtur accessurus ex ea quae ubique gentium apparatur de Francisco Assisiensi com-

memoratio sollemnis, septimo exeunte saeculo ex quo terrestre exsilium ille cum caelesti patria feliciter mutavit. Hominem, non tam turbulentae aetati suae quam christianaem omnium temporum societati emendandae divinitus datum, quum Actioni catholicae, quam vocant, Benedictus Papa XV caelestem Patronum attribuerit, eos sane decet filios, qui in ea provincia secundum Pontificia precepta desudant, ita, cum creberrima Francisci subole concinentes, eius et acta et virtutes et spiritum revocare atque extollere, ut, commenticia illa Seraphici viri specie reiecta, quae aut recentiorum errorum fautoribus aut urbanis lautisque hominibus ac mulieribus arridet, quam ipse in se rettulit sanctitatis formam, ad evangelicae castitatem simplicitatemque doctrinae compositam, christifideles omnes eandem imitentur atque induant. Huc enim et sacros ritus et publicas ferias et recitationes et contiones, per saecularis anni decursum, spectare cupit Pontifex, ut, qualis ex naturae gratiaeque donis, ad absolutissimam sui proximorumque perfectionem mirifice adhibitis, Patriarcha Seraphicus exstithit, talis omnino, nec alius aut dissimilis, germanae pietatis significationibus celebretur. Quodsi temere facit quisquis adscitos in caelestem patriam sanctitatis heroas inter se comparat, quorum alias ad aliud Spiritus Paraclitus munus ad aliamque causam apud mortales obeundam delegit - quae quidem comparatio, ab incompositis animorum motibus plerumque profecta, omni est fructu vacua inque Deum ipsum sanctitatis auctorem iniuriosa -- videtur tamen nullus fuisse, in quo Christi Domini imago et evangelica vivendi forma similior, quam in Francisco, atque expressior eluxerit. Propterea, qui se ipse appellavit *magni Regis Praeconem*, idem recte *alter Christus* nuncupatus est, quod se quasi reviviscentem Christum aequalium suorum societati et saeculis praestit futuris: unde consecutum, ut is vivat hodie ante oculos hominum in omnemque victurus sit posteritatem. Quod ipsum iam quis miretur, quando ii, qui primi ex

aequalibus eius temporis de vita et rebus Patris sui Legiferi scripsere, hunc paene maiorem augstioremque quam pro humana natura existimarunt: quando Romani Pontifices, in populi salutem Ecclesiaeque praesidium a Deo illum providenter missum agnoscere non dubitarunt? Cur vero, tam diuturno a Seraphici viri obitu intervallo, catholicorum in eum pietas atque ipsorum acatholicorum admiratio novo quodam ardore effervescit, nisi quod eius forma haud minore hodie, quam ante, claritate mentibus collucet, eiusque vis ac virtus, ad medendum populis cum plurimum adhuc possit, in id advocata desideratur? Etenim emendatrix ipsius actio ad humani generis universitatem sic pertinuit, ut, praeter restitutam late fidei morumque integritatem, evangelicae caritatis iustitiaeque rationes communem ac socialem, ut aiunt, vitam multo interius pervadendo temperarent.

In comperto est quam difficilis quamque acerba Francisco aetas contigerit: eam in summam, sed perlucide, Pius XI describit, ita ut facile quisque sibi persuadere possit illi societati cum illustranda, tum ad incorruptam evangelicae sapientiae speciem reducenda, divino consilio Assisiensis apparuisse idemque effulisse Solis instar, quemadmodum cecinit Alighieri:¹ quae ipsa demum est Thome a Celano sententia, scribentis: « Radiabat velut stella fulgens in caligine noctis et quasi mane expansum super tenebras ».² Litterae Franciscum memorantur adulescentem uberiore quodam et vehementiore ingenio latum, pretiosis indutum vestibus, delicatis ac iucundis, quibus uteretur, comitibus, caenas apponentem lautissimas et inter hilariiores cantus urbis suae vias obeuntem, integritate tamen morum, castitate sermonum divitiarumque contemptu commendatum. Qui, post Perusinae captivitatis ac morbi cuiusdam molestias quum se interius immutatum non sine admiratione sensisset, nihil secius, ut ex Dei veluti manibus elaboretur, heroicis

¹ Par. XI.² Leg. I, n. 27.

oppetiturus casus in Apuliam contendit. Verum, quum iter faceret, haud ambiguo Dei monitu Assisium redire iussus est, ubi, quid sibi agendum foret, doceretur; postquam vero dubitationibus diu aestuavit, et divino afflato et auditu inter sacram sollemne illo Evangelii loco, qui ad Apostolorum missionem vitaenque genus pertinebat, intellexit, se « ad formam Sancti Evangelii » vivere et Christo servire oportere. Iam tum, igitur, cum Christo coniungi arctissime eique omnino similis effici aggressus est; et « totum viri Dei studium, tam publicum quam privatum, circa crucem Domini versabatur; et a primaevi temporis, quo Crucifixo cooperat militare, diversa circa eum crucis mysteria praefulserunt ».¹ Vere bonus is miles et eques Christi, pro nobilitate et generositate animi, fuit; qui, ne qua in re cum Domino suo et ipse et discipuli sui discreparent, praeterquam quod evangelicum codicem, oraculi causa, adire ac consulere inter deliberandum solebat, legem Ordinum, quos condidit, cum evangelio ipso itemque religiosam suorum vitam cum apostolica vita unus adaequavit. Quapropter in Regulae fronte recte inscripsit: « Regula et vita Minorum fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare... ».²

Hinc Pontifici aditus ad ostendendum, quam praeclara perfectissimarum virtutum exercitatione se Franciscus ad inserviendum divinae misericordiae consiliis parat idoneumque publicae emendationis administrum praestiterit.

Et primum evangelicae paupertatis, quam si mente facilius fingi licet, describere tamen est omnino perarduum. Ad rem sanctus Bonaventura: « Nemo tam auri quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi sollicitior ullus quam iste huius evangelicae margaritae ».³ Ac Franciscus ipse, quum in lege Ordinis propria singularem prorsus eius virtutis exercitationem suis commendat ac

¹ TH. A CEL., *Tract. de mirac.*, n. 2.² *Reg. Fr. Minorum*, initio.³ *Leg. mai.*, c. 7.

praecipit, quanti eam ficeret, quantopere adamaret, perspicuis profecto verbis ostendit: « Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, haeredes et reges Regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra;... cui... totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Cristi in perpetuum sub caelo habere velitis ».¹ Atque idcirco Franciscus paupertatem amavit praecipue, quod eam consideraret Deiparae familiarem et Christi Iesu non tam familiarem quam Sponsam in ligno Crucis adscitam, et ab hominibus deinde obliteratam et mundo valde amaram atque importunam. Quae quum secum ipse reputaret, mirum quantum consueverat lacrimarum edere ac ploratum. Iam quis insigni isto hominis spectaculo non commoveatur, qui ex paupertatis amore pristinis laetitiarum suarum sociis aliisque non paucis insanisse visus est? Quid quod posteros, vel ab evangelicae perfectio- nis captu usque alienissimos, huius tanti paupertatis amatoris auctior in dies admiratio perculit et nostrae homines aetatis percellit? Cui quidem posteritati omnino Aligherius praeivit, cantu illo² de sponsalibus inter Franciscum et Paupertatem initis, in quo nescias utrum magis mirere, granditatemne elationemque sententiarum, an carminis molitudinem ac venustatem.

Cum tanto paupertatis amore necessario humilitatis virtus coniungebatur, per quam Francisco fuit curae potissimum, ut, tamquam omnium minimum ac postremum, submisse se gereret. Itaque, inde ab inito emendatioris vitae curriculo, cupere is vehementer ludi- brio ac risui esse hominibus; etsi Conditor Paterque Minorum Legifer erat, unum tamen aliquem ex suis sibi moderatorem ac dominum deligere, a cuius nutu penderet; vixdum licuit, nullis suorum precibus fletibusque de- victus, sumnum Ordinis magistratum depo- nere « ad servandam humilitatis sanctae vir-

tutem », et permanere « exinde subditus usque ad mortem, humilius agens quam aliquis aliorum »;¹ oblatum saepe a Purpuratis Patribus primoribusque civitatis liberale magnificantissimumque hospitium abnuere ac recusare; reliquos homines aestimare quamplurimi et omni honoris testimonio prosequi, factus « inter peccatores quasi unus ex eis »; privilegia et charismata, quae hominum existimationem ac laudem parere sibi possent, atque in primis Stigmata Domini Iesu in suo corpore impressa divinitus, omni oculere contentione studere, si quando autem privatum publiceve dilaudaretur, non tam se putare ac fateri contemptu contumeliisque dignum, quam incredibili quodam maerore, non sine gemibus lamentisque, angeri. Quid quod se indignum adeo existimavit, ut sacerdotio iniciari noluerit? In hoc ipso igitur humilitatis quasi fundamento Ordinem Minorum nisi voluit ac consistere. Longum sane est singula persequi; hoc unum commemorare sit satis: Franciscum ex Christi exemplis ac verbis² in suos, quasi peculiarem Ordinis notam, humilitatem derivasse; fratres enim suos « voluit vocari *Minores*, et praelatos sui Ordinis dici *ministros*, ut et verbis uteretur evangelii, quod observare promiserat, et ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad descendam humilitatem ad scholas humiliis Christi venissent ».³

Sed quisquis semet non abnegat, nec arbitrium abiicit suum, non is profecto dicendus aut se quibusvis rebus despoliasset aut demissi fieri animo posse. Atqui Franciscus voluntatis libertatem, munus ceteris praecellentissimum a Deo Creatore humanae naturae tributum, Iesu Christi Vicario per obedientiae votum ultro addixit permisitque totam. O quam faciunt inepte, quam longe ab Assisiensis cognitione recedunt qui, ut suis commentis erroribusque serviant, Franciscum quemdam fabricantur ac fingunt - incredibile

¹ Reg. Fr. M. in., c. 6.

² Par. XI.

¹ Th. a CEL., Leg. II, n. 143.

² Matth. XX, 26-28r Luc. XXXII, 26.

³ S. BONAV., Leg. mai., c. 6, n. 5.

dictu - cum ecclesiasticae intolerantiores disciplinae, tum de ipsis fidei doctrinis nihil omnino curantem, tum etiam praecursorem ac praenuntium multiplicis illius, quae ab recentioris aevi initio iactari coepit, ementitae libertatis, unde tanta Ecclesiae civitatisque exsistit perturbatio. Iam mirificis exemplis ipse suis, quam arte cum Ecclesiae hierarchia, cum Apostolica Sede et cum Christi doctrina cohaereret, Praeco magni Regis catholicos doceat acatholicosque universos. Etenim, ut e litterarum monumentis illius aetatis, iisque fide dignissimis, constat, « venerabatur sacerdotes, et omnem ecclesiasticum ordinem nimio amplexabatur affectu »;¹ « hoc... ipse vir catholicus et totus apostolicus in praedicatione sua principaliter monuit, ut Romanae Ecclesiae fides inviolabiliter servaretur, et ob Dominici Sacramenti, quod ministerio sacerdotum conficitur, dignitatem, in summa sacerdotalis ordo reverentia teneatur. Sed et divinae legis doctores et omnes ecclesiasticos ordines docebat summopere reverendos »,² et, quod hoc in genere caput est, quum primum propriam sui Ordinis legem condidisset ac conscripsisset, nihil paene morae interiecit, quominus eam Innocentio III, coram cum prioribus undecim discipulis sistens, adprobandam subiiceret; cui quidem Regulae paulo immutatae, testis historia est Honorium III, Francisci rogatu, confirmationis robur addidisse. Regulam autem et vitam Fratrum Minorum Seraphicus Pater huiusmodi vult esse, ut iidem « Domini Nostri Iesu Christi sanctum Evangelium » observent, « vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate », non ad arbitrium quidem suum suamque interpretationem, sed ad nutum Romanorum Pontificum, qui canonice electi sint.

Nec silent litterae de illa, quam Seraphicus vir « diligebat praecipue pulchritudinem et munditiam honestatis », scilicet de ea spiritus corporisque castitate, quam acerbissimis

¹ Th. a CEL., Leg., I, n. 62.

² JULIAN. a SPIRA, Vita S. Fr., n. 28.

sui ipsius omnis generis macerationibus ita custodit ac tuitus est per vitam omnem, ut ne postremis quidem vitae sue annis, quum, factus Christo simillimus, per Stigmata quasi cruci affixus esset et multiplici morborum vi torqueretur, ne tunc quidem corpori suo aliiquid solaci indulgeret ac quietis.

Haec autem omnia ex uno eodemque divinae caritatis fonte ac capite fluxisse quis pro manifesto non habet? Divina autem eiusmodi caritas ita in proximos redundavit, ut inopes homines, in iisque miserrimos leprosos, a quibus ante, quum adolesceret, natura abhorrebat, sui ipsius victor, praecipua sit benignitate complexus, horumque servitio et curationi se totum suosque addixerit ac manciparit. Nec minore voluit alumnos suos fraterna inter se caritate diligere; quare franciscalis familia, quasi quaedam « caritatis nobilis structura surrexit, in qua vivi lapides, ex omnibus mundi partibus coacervati, aedificati sunt in habitaculum Spiritus Sancti ».¹

« Libuit - Pontifex scribit - in hac quasi contemplatione altissimarum virtutum aliquanto morari diutius, quia, per haec quidem tempora, plurimi, quos laicismi pestis infecit, heroas nostros germana sanctitatis luce ac gloria exuere consueverunt, ut eos ad naturalem quandam praestantiam inanisque cuiusdam professionem religiositatis deprimendo, tamquam de disciplinarum optimarumque artium processu, de beneficentiae institutis, de patria sua, de universo hominum genere praecclare meritos dumtaxat praedicent atque extollant. Ac mirari nunquam desimus, quidnam talis Francisci, quem dimidiatum atque adeo simulatum dixeris, admiratio recentioribus eius amatoribus profutura sit, quotquot aut divitias lautiasque aequipantur, aut compita urbium, choreas, spectacula munduli ac concinni celebrant, aut in voluptatum caeno voluntantur, aut Christi Ecclesiaeque disciplinam ignorant, reiiciunt.

(Ad proximum numerum).

¹ Th. a CEL., Leg. I, n. 38 et seqq.

VARIA

Astrolabium.

Ioannes II, Lusitanorum rex, peritissimus ea tempestate mathematicis Rhoterico et Iosepho, medicis suis, itemque Martino Bohemo, qui se Ioannis Montereigii alumnum ferebat, negotium dedit, aliquid communis consilio excogitarent, ad cursum navium in pelago, quamvis ignoto, regendum; ut vel abductus a conspectu familiarium sibi siderum nauta, quam tamen caeli plagam, quam remota ab orbe nostro loca teneret, aliqua posset ratione concire. Ii, quam acerrimo studio, re diu multumque agitata, *astrolabium* denique instrumentum, quod antea ad colligendos stellarum motus dumtaxat astronomi adhibere consueverant, praeclaro sane invento ad usum rei maritimae transtulerunt, ac pari solertia declinationum tabulas confere, quibus hodie naucleri ad explorandam locorum (quemadmodum cosmographi appellant) latitudinem utuntur.

Quod si ut latitudinis, ita etiam longitudinis facili negotio rimanda regulam prodidissent, nullo proponendum errore perpetuum maris ac terrae cingulum continuo circumactae viatores periti conficerent. Sed quia ab ortu in occasum, vel, contra, ab occasu in ortum nihil est in perpetua caeli conversione certum ac stabile, quo dirigere cursum, accessusve aut recessus emetiri possimus (namque illa ex errantium siderum oppositu subtilis ac perobscura collectio, nequaquam est ad hanc quotidiani usus rationem accommodata), idcirco nec ullus longitudinis gradus notari, nec plane perspecta potuit esse ratio itineris, in quo navium rectores periculosisse saepe falluntur: credo eisdem, in hoc, ut plerisque aliis humanis in rebus, ad mortalium vel acuendam industriam; vel coercendas cupiditates, hac tanta diffi-

cultate divinitus interposita. Verumtamen eius instrumenti beneficio mirum, quanta nauticae rei accessio facta sit.¹

Canis, Gallus et Vulpes.²

Canis et gallus, inita amicitia, simul iter faciebant. Superveniente nocte, in silvam progressi, gallus arborem ascendit, et inter ramos recubuit; canis vero ad radices arboris excavatae obdormivit. Quum autem lucesceret et gallus de more cantaret magna voce, vulpes accurrit voratura, et stans inferius inclamavit: « Oh quanta tua est praestantia et in homines utilitas! Descende, quaeo, ut una matutinum cantum laeti canamus ». Cui Gallus: - « Amica, ad arboris radices accede et evoca ianitorem ». Vulpem progressam ad illum vocandum, canis, repente exsiliens, prehendit atque ianiavit.

De germana S. Alyosii effigie.

Olim pictores Alyosii imaginem Piam dabant, humi defixamque oculis, Et os confectum misera sic macie, Ut illi foret soror coniunctissima. Putabant ita recte se se gerere, Et Alyosium commendare optime. Nihil magis falsum, nihil sed ineptius. Nemo sanctitatem ferret tam incommodam! Eum nam, pudor! aetas corruptissima Corrosum turpiter simulavit vitiis! Quid non mortalium cogitat malitia? Fuit puer bellus prima sed aetatula, Fuit decorus et venustus admodum, Et incedebat elegans in vestibus, Sicut nempe decet sanguinem regium! Et gladium gessit principum de ordine, Et acres pugnas somniabat vigilans! Sed puriorem postulabat aërem!

Se tum severa cruciat poeniteta,

Gravat perpetuis cum se ieuniis, Pulcher adspectus lente sic evanuit! At usque in ore permanet impervius Regalis vultus, verecundus, nobilis!

Placet versantem contemplari in miseris, Et inter languidos laborantes lue... Dat huic epulas, et illi dat solatium, Mira laetatur cunctos sed dulcedine, Suis modo verbis, sua vel presentia. Egregie miscet personam principis Cum religiosi maiestate nobili! Quin ipse quaerat, pugnet e contrario, Deus, futura quam manebit gloria Illi videtur velle resplendescere. Sic Aloysius depingatur posteris!

SUBALPINUS.

Iocosa

Magister Tuccio:

— Quanam anni tempestate natura tibi pulchrior et carior videtur?
— Feriarum mensibus!

Magister de piscibus loquitur: — « Piscium stirps eius singularis generis nobis apparent, ut unica muta sit... ».

Tuccius (murmurans) — « Papae! Ipsum te magistrum videre velim sub aqua loquentem!

Aenigmata

I

Haerentem mihi non, Aquilo, non, Eure, [potestis.

Impete sed potis es tollere, Phoebe, tuo.

II

Est instrumentum, quo occulte vulnera [dantur;

Et pars corporis est, mortiferum illud [huic.

Ordine perverso si stabit nomen utrumque, Terra erit incolae ubi, ex more, priore [necant.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) (vulgo *Rebus*); *Bis bina quattuor*; 2) *Ros-a*.

Libera a pittaciis responsa.

Rev. ANG... LAN..., Adernò — Per summam recens missam rationes cum administratione nostra exaequasti usque ad mensem Iunium 1925.

Rev. ANDR... HAB..., Bad-Driburg. — Ante tuas litteras nullus pervenerat nuncius de amico illo tuo Brasiliensi, ad quem fasciculos hoc anno editos mittere sategi. De opusculis vero « Communia vitae » inscriptis ne exemplar quidem unum iam superest. — Acceptistne fasciculum huius anni primum, quem pro te iterum publico diritorio commisi?

Cl. v. RAPH... PA..., Neapoli — Perpoliendi operis labor etiam nunc tibi adhibendus est!

Rev. v. CAES... MAMBR..., Mediolani — Quos desiderabas fasciculos ad te misi; ob munus acceptum gratulor; de ceteris, plurimas tibi gratias ago et refero.

Rev. p. JOAN... I. CASS... Jersey — Summa ad excludendum subnotationis annum 1926 erat doll. 20,40; eamque regulariter exigimus. Sint tibi debitae gratiae.

I. F.

Libri recens dono accepti.

I Fioretti di S. Francesco d'Assisi da un codice della biblioteca reale di Torino, a cura del P. Francesco Sarri dei Minori. — Florentiae, ex off. Vallecchi. (Ven. lib. 2).

AUGUSTO HERMET. *Le regole e il testamento di S. Francesco* — Ex officina Paravia (Augustae Taurinorum, Mediolani, Florentiae Romae, Neapoli, Panormi), ven. lib. 7.

Saggezza cinese. Scelta di massime, parabole, leggende, a cura di Giuseppe Tucci. — Indidem. Ven. lib. 7.

Crux Capitolina. Carmen FRANCISCI BRIGANTI. — Anguillarae Sabatiae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

¹ Italice scripsit SERDONATI; latine MAFFEIJUS.

² Ex Italicis fabulis N. TOMMASEO.

PANCRATIUS

[15]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit Andr. Haberl)

QUADR. Iam apportant corpus. Oculis aspicite! (*Duo afferunt corpus in feretro partim tectum, coetu significante tristitiam*). Ecce, pater, primum veris florem! Primus Christo consecravit sanguinem. Puer innocentia decorus modo feroci manu trucidatus est! (*Deponitur feretrum*).

CAI. Bone Iesu!

QUADR. (*ablato velamine*): Aspicite heroem puerum! Modo, iubente certe Angelo, descendeo ad forum de palatio. Extemplo fero- cium video globum hominum imbellem puerum misere pugnis petentium. Hic perfusus usque sanguine stat medius adpressis ad pectus brachiis. « Concidite insolentem puerum Christianum! Christianorum in pectore fert sacrum (*Signa terroris adstantium*), quod ille obstinate occultat. Fac ostendas, puer! » Sic illi conclamat avidis similes doemonibus. Ego, illo iam corruente, accuro, ira motus scelestos disicio, et ad puerum demissus: « Vehementerne, mi puer, laesus es? ». Ille contra subridens: « Quid illud, Quadrate, refert? At vero mecum porto, quod fratribus ferrem in carcerem, corpus Domini ». Ego summa reverentia amplector puerum. Ille, martyrum primitiae, subridens efflat animum. (*Omnis circum flectunt genua ita dispositi, ut corpus totum occultent*).

CAI. (*voce deppressa*). Corpus Domini?...

REP. (*gavisis*). Est integrum, illaesum! (*Et clam spectatoribus linteum tradit pontifici, qui illud occultat*).

CAI. O ter beatum puerulum, qui Dominum defendens ab iniuria, pro Domino innocens sis mortuus! O mortem beatam, regem si cui contigerit, ut supra pectus tutans tutantem, occidat! Noli igitur, martyr Christi, tuorum oblivisci fratrum, qui te cruenta, qua-

praeisti, via subsequentur ad patrem, ad regiones illas aethereas, ubi palmae strepunt signa victoriae, ubi perpetua sonant epinia!

SCENA II.

CORVINUS, TORQUATUS, HYPHAX,
QUATUOR MILITES et DICTI.

SEV. (*ad scalam prospiciens*): Ah, fratres! Gentiles video! Sumus proditi!

REP. Abite, salutem petite! (*Corpus Tarscisi portatur ad remotiorem scenae locum*) Sed servate mysterium!

SEV. Nulla iam spes salutis reliqua!

ALII: Actum est! Adsunt.

ALII: (*Genibus circum pontificem flexis*): Benedic nobis sancte Pater!

TORQUATUS. (*fusce*): Ecce eos!

CORVINUS: Attatatae! In verum nidum incidimus!

QUIDAM CHRISTIANI: Facta est proditio!

ALII (*simul*): Eheu nos miseros! Adest tentatio. (*Torquatus ad pilam adnixus manu tegit faciem*).

CORV. Imperatorum nomine, sequimini! Accede, Hyphax, cito immitte vincula! Duo hunc servate exitum, ne quis ex reti mihi iam effugiat. Io! Etiam sacerdos captus est. Insanientem vetulum! (*Admovet manum Caii humeris*)

SEV. (*Corvinum prohibens*) Recede, sceleratissime! Nobis ut maledicas, sed...

CAI. (*Severi retraens brachium*): Omitte, frater, ista! Placide perfer pro Iesu contumeliam, ut ille pertulit pro nobis.


SEV. Non possum adspicere, mi pater, ita te ...

(*Ad proximum numerum*).

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus.** Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI **Francisculi prandium.** Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyloina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Sin-
gulae lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integral ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romanum, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

HORATIANA¹

Scribit Brakmanus: « C. S. 2-3

*o colendi
Semper et culit*

respondent Cat. XXXIV, 21-22:

*sis - quocumque tibi placet
sancta nomine . . .*

nam *sancta* h. l. participium est valens idem atque *culta*».

Hic nullo potest comparatio institui, ni volumus lunam in puto ostendere, vel «os inlinere officiis»: ut minime comparandum est inter illam pulcherrimam suavitatisque plenam apostrophen, qua nemo est quin penitus commoveatur *flagretque totus amore*:

Almae sol, curru nitido diem qui...

et Catullianum illud:

*Tu cursu, dea, menstruo
metiens iter annum...*

« Consilium et vis stropheae C. S., 29-32, -
addit Brakmanus:

Fertilis frugum pecorisque tellus ...

.....

Et Iovis aurae
eodem respiciunt quo versus Catulli
XXXIV. 12.20;

*Rustica agricultae bonis
Taste, form, colour, &c.*

Nihil congruentiae sive rerum sive verborum duobus his locis invenio: nempe Horatius precatur ut Ceres *nutriat rura* (ut est in C. IV, 5, 18), coloni eam donent spicula corona ob messem uberrimam acceptam, fruges pecusque aquis et auris salubribus nutritantur; quum contra Catullus nihil aliud affirmet nisi quod Diana agricolarum tecta bonis frugibus implet. Quot enim insunt vel minima adiuncta in Horatii versibus, quae desunt apud Catullum, quaeque rem venustissimo fuso exornant oculisque subiciunt!

Quodque ad illos Horatii versus attinet, quibus ad lunam hymnus attollitur:

*Siderum regina bicornis, audi,
Luna puellas!*

equidem nescio quid ex his versibus derivari possit ad similitudinem quandam cum Catullianis instituendam:

*Tu potens Trivia et notho es
dicta lumine Luna.*

Apud enim utrumque poëtam lunae pariter mentio occurrit, et in hymno, quo caelestia numina invocabantur, Luna, vel Trivia, vel Diana nullo modo omitti poterat, quum id fere divinis legibus vel rite sanctum esset; at, quum apud Castellum nostri luminis mentio sit, melius apud Horatium lunae species se exhibet, quippe quae bicornis sit *siderum regina*.

¹ Cfr. fasc. sup.

Neque arctiorem nexus, sive similitudinem, invenio inter vv. Horatii:

*bona iam peractis
iungite fata,*

quibus Horatius praecatur Parcas ut rebus romanis pergant obsecundare, et Catulli:

*Antique, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.*

Censet enim Brakmanus illud *bona fata*, ex catulliano *bona ope* expressum, vestigia eius insecurum. Quod quam distet a vero, nemo est qui, vel tantum litteris latinis imbutus, communique, qui dicitur, sensu ductus videat. Aliud est enim *bona ope*, quod eodem sensu intelligi debet atque *felix, adiutrix*; aliud *bona fata*, id est *prosperas res*, fortunae viribusque Romanis oblatas.

Non nego Horatianum *Romuli gentem* Catullianum illud *Romulae genti* sapere; at, praeterquam quod nullo modo statui potest verborum contextum illum a Catullo originem primam ducere, ecquis illud negaverit facile hanc dicendi rationem Horatio poëtae occurrisse, non alio fonte depromptam, nisi ex suo ipsius ingenio? Aequa ac, quem Carmen saeculare illis verbis desinat:

*doctus et Phœbi chorus et Diana
dicere laudes,*

quis iure affirmaverit postremos illos versus initium fere Catulli carminis reddere:

*Dianam pueri integri
Puellæque canamus?*

Quumque apud Horatium Diana *potens* appelletur, id minime inducere potest ut credamus epitheton illud a Catullo derivatum esse (XXXIV, 15), ut *sospite cursu* nullo modo, mea sententia, ad *sospites* (CAT. XXXIV, 24) referri potest. Si ea enim est imitationis vis, ut vel *rerum minutalia* (liceat mihi vocem hanc Tertulliani in rem meam convertere) ut alieno fonte deprompta consideres, tamquam si

imitator, aut qui talis habetur, non potuerit eodem verborum contextu uti, eamdem sibi dicendi rationem usurpare, vel maximis ingeniis ob hanc rem nonnihil gloriae detrahitur. Scribit enim Brakmanus: « Quid est imitari nisi hoc est? In promptu est Horatium non modo totam fere rationem Catulli, sed etiam multa verba in suum usum convertisse. Nihil refert Catullum in cantoribus Euphorionis esse habendum, verum Horatius intellectus auctorem hymni in Dianam in maximis poëtis numerandum esse. Quatenus in Carmine saeculari Horatius Catullum sibi imitandum proposuit, voluit ut discipulus magistrum colere et venerari ».

Rursus attuli Brakmani verba, non iterationis amore, sed ut inde eruam neminem esse qui ea susque deque ferre possit. Praeterquam quod nonnihil de latinitate reprehenderim, qua utitur Brakmanus quaque aliquid elegantius accuratiusve desideratur, non inter cantores Euphorionis Catullum stricto iure adnumeraverim. Utcumque vero se res habet, non is sum qui censeam cum auctore Horatium proposuisse sibi Catulli exemplar, discipuli more, qui pressis vestigiis magistrum sequatur, eumque veneratione obsequioque dignum recolat. Non is erat Horatius, qui posset alicuius vestigia strikte premere eiusque in exemplo immorari. Qui enim de se sic scribit (C. IV, 6)

*spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
carminis nomenque dedit poëtae;*

qui de se sic profitetur (IV, 8):

*dignum laude virum Musa vetat mori,
caelo Musa beat;*

qui etsi *apis Matinae more modoque* dicat operosa carmina parvum fingere, se ipse praedicat quod *princeps Aeolium* *carmen ad Italos deduxerit modos* (III, 30); qui se ipsum laudat *Dauniae decus Camenae* (IV, 6, 27) et Apollinem precatur, ut sit sibi propitius ac tueatur; qui

aliis compluribus locis carminum affirmat se per ora virorum volitaturum - si id licet dicere de eo quod de se *Calabriae Pierides* praedicabant - non poterat, quin ipse sua famae poëtaeque nomini aliquid detraheret, Catullum sive quemquam alium fideliter serviliterque imitari. Insunt vero quaedam Catulliana vocabula hinc illinc deprompta, quae in Horatianum opus irreperserunt; et Brakmanus laudabilis sane acri-que consilio locos similes quosdam utriusque poëtae colligit et adfert, ut Cat., LII, 1: *Quid morari cessas?* = Hor. C. III, 27, 88. *Quid mori cessas?*; Cat. XLII, 24: *Pudica et proba, redde codicilos!* = Hor. *Epos.*, XVII, 40: ... *Tu pudica, tu proba*, etc.; at quid inde? Dicas, ob hanc quorumdam verborum fortuitam conspirationem, Horatium discipuli more Catullum sequuntur esse in carmine saeculari confi- ciendo?

Vel nimis autem videtur mihi putidus fuisse Brakmanus quem illius Horatiani:

*daturus
phura relicta*

fontem in Isocr. Panegyr. 36 viderit: *Toῖς δέ πλεισταῖς ὑπας Χούσης ἐπόρισαν* « ubi rhetor de viris coloniae deducendae praefectis eadem dicit, quae poëta Latinus de Aenea, qui cum Troianis in Italiā profecturus est ». Quantum ipse scio, nemo id ante Brakmanum vidi; sed, si licet gratulari Brakmano ob suam ingenii felicitatem, quod remotam hanc affinitatem primus inspexerit, dolet vero dicere non solidis eam argumentis inniti. Vix enim inducor ut credam illum Isocratis locum tantum ab Isocratea lectione erupisse ut in carmen saeculare illaberetur!

Quum hoc pervenerim, non illud contendo vitiosum esse et prorsus utilitate destitutum alicuius scriptoris fontes velle aperire; supervacaneum vero censeo et contra id ipsum quod demonstrandum suscipitur, in illo immorari, in fontibus sci-

licet eruendis vel illinc unde nullo modo erui possunt. Ut ipsa emendandi ratio, nisi intra terminos certos et iustos definiatur, valde vitiosa est, quippe quae eo usque, tamquam libido effrena, emendamentum arripiat ac ferat, ut quicquid corrigeret et immutare velit, vel quod in optima scriptoris consuetudine versatur.¹ Ceterum, quantum attinet ad imitationem, multum interest inter illud imitandi genus, quod paene dicendum est *servile*, et illud alterum, liberum, quod vere summorum ingeniorum dixeris.

Quid si nonnulla Horatius in suo carmine saeculari conscribendo vel a Catullo desumpserit? servileme in modum imitatus est? Id nemo, qui recte opinetur, dixerit. Ecquem enim latet quod Goethe canebat:

*Original, fahr hin in deiner Pracht!
Wie wurde dich die Einsicht Kränken:
Wer kann was Dummes, wer was kluges denken.
Das nicht die Vorwelt schon gedacht?*


Neque illud Horatio obici potest, quod furatus sit Catullum; quod aliud est *furrari*, sive *subripere* (id quod Graeci dicebant *κλέπτειν* et *κλοπή*), aliud quaedam *palam mutuari*. De verbis autem subreptis placet hīc mihi, ut finem faciam, breviter referre, quanto derisui fuerit Seneca philologus ille, qui laetissimus erat si posset aperte ostendere Vergilium versum suum

*Quem super ingenis Porta tonat caeli
(Georg. III, 271).*

¹ Ad quod apte quadrant, ut opinor, quae iam R. HILDEBRANDT (*Eine römische Gigantomachie*, in *Philol.*, 1907, p. 539 sq.) expressit: « Wogegen ich mich wandte, war der ungezügelte Subiectivismus, der in eine wilde kontekturenhascherei ausartete. Die Notwendigkeit von Änderungen habe ich nie gelenkt; das wäre absurd gewesen. Ich forderte nur, dass die Kritik schonend und in engen Anschluss an die Züge der Überlieferung eingreifen sollte ». Etiam P. MAAS (*Griechische Metrik*, fasc. 7, vol. I, *Gercke u. Norden*, Einleitung, Teubner, 1923, p. 32) in eo quod attinet ad poësim, admonet iure primum

ab Ennio mutuatum esse, qui vero sententiam illam vel imaginem ab Homero depropserit: «Ennium hoc ait Homero subripuisse, Ennio Vergilium» (*ep.* 108, 34).⁴

M. GALDI.



De latinarum litterarum historia paelectiones²

IV. Post triumphalia carmina, nobis vulgaria poëseos genera quaerentibus occurrit quae antiquitus *nenia* (*naenia*) dicebatur, hoc est, — Festi verbis utamur, — carmen quod in funere laudandi gratia cantabatur ad tibiam. Adiungit Nonius Marcellus³ id carmen, ineptum et inconditum, a conducta muliere quae *præficia*⁴ diceretur, iis quibus propinquui non essent mortuis exhiberi. Idem, locum profert Varronis *de vita pop. Rom. lib. III*: «Ibi a muliere quae optima voce esset [perquam] laudari, dein *nenia* cantari solitam ad tibias et fides». Denique Cicero in secundo de *Legibus*, de rebus funebribus loquens apud anticos, memorat honoratorum virorum laudes in contione factas, et cantum ad tibicinem, cui nomen *naeniae*, «quo vocabulo, — ait — etiam a Graecis cantus lugubres nominantur».

De graeco vocabulo huius vis equidem nihil scio; nisi si Pollucis locum in men-

sensu communis standum, quam metri causa corrinda in medium afferantur.

¹ De hac re nuper fuse disputavit WILHELM KROLL in suo optimo libro, eruditio pleno: *Studien zur Verständnis der römischen Literatur*, Stuttgart, 1924. Adi, sis, cap. VII: *Originalität und Nachahmung*, p. 139 sqq.

² Cfr. fasc. mensis Aprilis.

³ I, p. 212, ed. Lindsay.

⁴ *Praeficiae dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quae dant ceteris modum planendi, quasi in hoc ipsum praefectae*, Festus. *Praeficia* igitur a praeficiendo, quia prior femina plangebat, scidebat capillos etc. (Cfr. *praecinere*, *praetire verbis*, etc.)

tem revocemus, ubi dicitur (*Onomastici*, IV, 79): τὸ δὲ νηνίατον ἔστι μὲν φρύγιον, ἡππωναξ δὲ αὐτοῦ μημονεύει. Nempe Phrygium quadam cantilenae genus exstisset conici potest, ab Hipponeacte etiam memoratum, cui νηνίατον nomen esset; phrygium, ideo ad tibiam cantatum; nec abs re erit suspicari, hunc morem mortuorum laudes ad tibiam canendi ex Tuscis derivatum fuisse, a quibus etiam tibiarum usus Romanum venit.

Vocis autem *neniae* etymon quale sit, iam veteres dubitabant. Aiebant alii, ut legitur in Pauli Excerptis, *neniae* ductum nomen ab extremi intestini vocabulo, quem Graeci extremum νέατον dicant (item, cordarum ultima νήτη est), ideoque extremam cantionis vocem *neniam* esse appellatam; alii ideo *nenia* dici volebant «quod voci similior querimonia flentium sit», quasi syllabis *ne ni* lugubris lamentatio fletusque et eiulatus exprimi videatur, et vocabulum *nenia* per onomatopeiam fictum sit. Qua de re nihil certi etiam recentiores affirmare valent.

Ad funebrem *neniam* redeentes, illud, addere iuvat, Naeniam quoque Deam a veteribus excogitatam esse, ut a Varrone scimus, quem laudat Augustinus in sexto *De civitate Dei* (c. 9), inter sescentos minutulos Deos in singulos humanae vitae actus effictos, Naeniam Deam numerans «quae in funeribus senum cantabatur». Paulus ex Festo admonet etiam huic Deae sacellum extra portam Viminalem fuisse dedicatum.

Nec priscis tantum temporibus *nenia* funebris in usu fuisse dicenda est, nam huius moris non desunt testes etiam apud recentiores scriptores. Lector in mentem revocet Horatium, qui in extremo libri secundi carmine, de futura gloria nominis sui securus, ait, Mecaenatem alloquens:

... *Absint inani funere neniae*
Luctusque turpes et querimoniae
Compescere clamorem ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

Nenias igitur recusat, ut quae in funeribus non deessent tempore etiam suo. Ovidius quoque in sexto Fastorum (v. 667) de tibicinibus loquens anno trecentesimo undecimo ante C. n. ab omni cantu abstinentibus, scribit:

Quaeritur in scena cava tibia, quaeritur aris
Dicit supremos nenias nulla toros;

nempe tacebant tibicines tum in scena tum in sacrificiis,¹ tum denique in funeribus, et sine tibicine tacebat *nenia*.

Ceterum exemplum *neniae* pulcherimum nonne legi licet in ludo Senecano de morte Claudii? Quamquam enim omnia per iocum ibi dicuntur, non est dubium quin omnia ad veritatem exponantur. Funus igitur formosissimum esse dicitur per viam sacram descendens; tibicinum, cornicinum omnis generis aeneatorum magna turba; ingenti autem μεγάληροπλα nenia cantabatur anapaestis. Et sequitur vera *nenia*, cuius primos versus revoca, lector, in mentem:

Fundite fletus;
Edite planctus;
Fingite luctus;
Resonet tristi,
Clamore forum,
Cecidit pulcre
Cordatus homo
Quo non alius
Fuit in toto
Fortior orbe

et cetera.

Nonne huic *neniae* similia funebria carmina etiam priscae aetatis suspiceris?

Denique Suetonius proferendus est, qui capite centesimo Augusti vitae ait, illo mortuo nonnullos senatores censuisse ut porta triumphali funus transire deberet «canentibus *neniam* principum liberis utriusque sexus». De *nenia* funebri igitur omni aetate adhibita quis dubitet?

Quam rem ad confirmandam, iuvat etiam nonnullas plautinas locutiones me-

¹ Cfr. *Liv.*, q. 30... adeo ut nemo in urbe esset qui sacrificiis praecineret.

morare, quae ad neniam funebrem, paulum immutato sensu, pertinent. Nam in *Truculento* ancilla quaedam heterae inducit ita loquens: «Huic homini amanti mea hera apud nos *dixit neniam* de bonis»; hoc est bona omnia ei subripuit, pauperem reddidit; more nostro dicemus: «ha cantato il Deprofundis a' suo beni». In *Pseudolo* autem servum inducit poëta ebrium et ludentem, qui iterum iterumque saliens misere cadit; itaque *nenia*, ait, *id ludo fit*, hoc est: illius mieri casus ludi finis fit. Hisce exemplis *nemiam* funebrem translato quodam sensu accipi manifestum est.¹

Hactenus de lugubri *nenia*. Sed nondum de hoc argumento satis dictum; non est enim praetereundum, hanc vocem Augusti aetate per syncedochen pro cantione in universum acceptam esse. Hoc sensu Horatius, in prima secundi libri Ode, Musam suam procacem deprecatur ne iocis relictis *Ceae neniae* munera retractet, i.e. ne Simonideas lamentationes imitetur; et in XXVIII libri tertii Noctem vult *merita neniae* dici, nocturnam quamdam cantionem in mente habens. Idem poëta alibi (*Epist.*, 1, 62) *neniam puerorum* memorat quae regnum recte facientibus offert; denique in decimo septimo epodo cum Sabellis carminibus mentionem initit *Marsae* cuiusdam *neniae*, qua caput dissilire dicitur; quam magicam cantionem plus semel memorat etiam Ovidius, tum in Arte amatoria (II, 141), ubi ut vivat amor nihil efficere dicuntur Medeides herbae «mixtaque com magicis *Nenia Musa sonis*», tum in sexto Fastorum libro, ubi sermo est de diris strigibus, quae aut nascuntur aves aut carmine fiunt «*neniaque* in volucres *Marsa* figurat anus». Quis autem ignorat

¹ Huc pertinet etiam *nenia soricina*, i. e. eiulatio soricis a fele deprehensi, Plaut *Bacch.*, 4, 8, 48: «... nobis vervina est domi, qua guidem te faciam si tu me irritaveris, confosstorem soricina *nenia*».

Phaedrum fabellas suas *viles nenias* appellasse in prologo libri tertii?

Habes igitur, lector, nenias ut cantiones varii generis; addere liceat apud Arnobium et Apollinem in simulacris figuratum cum plectro et fidibus, citharistae genus servantem cantaturi et *nenias histrionis* (VI, 12), et Deos somni quiete solutos *lenibus neniis* (VII, 32); apud Prudentium autem in XI *Cathemerinon* leges de caeca mortalium vi, *inanis neniae* venerante, et aera vel saxa vel ligna Deos esse credente. Iam extremis Romani Imperii temporibus neniam reperies ad funebrem usum quodammodo redeuntem, quum hac voce utatur Ausonius in Parentalibus et Professorum Burdigalensium commemoratione, et Sollius Apollinaris Sidonius hoc nomine appellet epitaphium in honorem Claudiani Mamerti compositum (*Ep.*, 4, 11). Denique hanc syllogem claudere liceat memoria Paulini Nolani, qui in epist. XXXIII ad Sulpitium Severum data¹ excusat se de nonnullis versibus in basilicis eius inscribendis, eos appellans «insipientiae meae neniae».

Vide quae sit huius vocabuli historia, a funebri carmine initium sumens, in viles futillesque cantiones desinit; quod quam saepe fit in rebus humanis, in quibus quod in communem vitam et vulgarem hominum consuetudinem descendit, id ab altiore sensu desciscere cogitur et in vile quiddam vilesceret! «Quamvis clarus honor vilescit in turba!» exclamabat Hieronymus in quadam epistula (66, 7).

(Sequitur).

FELIX RAMORINUS.

¹ Ed. de Hartel (Vindob., 1904), p. 267: *De meis ineptis erubescet et poenitentib[us] te desiderii et exactio[nis tuae, cum aedificia quae immaculata adhuc operis tui gratia splendent obscurata neniis insipientiae meae et, ut dingo meis versibus verbo utar caccabata ridentibus multis vel nauseantibus confusus adspiciens...*

De Sancto Francisco Assisinate¹

Venio nunc tandem ad hominem effigendum, qui virtutibus, benefactis, atque miraculis praeditus, universum late orbem occupat, victorque virum volitare per ora pergit.

Novissime dum Itali laetitia gestientes, summis laudibus Franciscum extollunt, et externi nobis hunc virum maxime invident; et alii alia causa eum ad sidera ferunt, Pius XI Pontifex Maximus, solemnis caeremoniis indictis, immortalem hominis memoriam Christianis tradit, eumque omnibus insignem virtutum magistrum indicat. Ipse enim in Umbria sua permanens, omnes pene vicos praedicando iustravit, et civitates memoria sui atque operibus decorare passim consuevit. Totus ipse est in populis ad virtutem excolendis, in aegris sibi oblatis divinitus sanandis, et totus in corpore suo macerando, populos ad poenitentiam suorum criminum revocat, ad sanctitatem omnino reducit. Quemadmodum ipse ad caelestia unice spectat et mortalia quaeque contemnit, invictum a cupiditatibus animum exhibet, itemque nullius infortunium a se alienum reputat. Quot enim domos moribus instituendis aperuit, quot etiam receptus plebi exercendae consilio auxit! Mitissimo ingenio per Italiam pertransiens, mira animi constantia, prudentiae laudem et consilii cumulavit.

In immensa suorum fratrum et civium benevolentia conquiescit. Itali primum et omnes mox late populi auspicatissimo Chatalogi Nominis vindici obsequium testantur. In summo Itallicarum rerum discrimine, ipse patriae adsertor virtutibus appetet, et suos cultores atque clientes, bonorum

exempla prosequi ac vitam spectatissimam in moribus usque referre iubet.

Adspectu oculisque humi defixis, multitudinem devotorum ad se advocat. Sunt viri, qui admissorum poenitentia adducti in eius vestigiis inhaerentes, singulari pie-tatis testimonio, eum patrem, eum religio-nis adsertorem uno ore profitentur. Sunt et mulieres, quae levitatis naturalis obli-tiae, ad sanctiorem morum integritatem conversae, novam vivendi rationem ample-xantur. Sunt et pueri denique, qui man-sueto hominis vultu allecti et candidissimis moribus, turmatim ad eum undique adcurrunt, ipsumque patrem appellant et magistrum sibi decorandum praedi-cant.

Et ipse, (sicuti historicus narrat, ineleganti quadam ratione dicendi), «exinde cum magno fervore spiritus et gaudio mentis coepit omnibus poenitentiam praedicare, verbo simplici, sed corde magnifico aedificans audientes. Erat verbum eius si-cut ignis ardens, penetrans intima cordum, et omnium mentes admiratione replebat. Quot in cives beneficia protulit! Quibus ab infortuniis eos tuebatur; et dum spectare ad caelestia unice videtur: singulis quoque patriae vulneribus remedium praesentissime adfert».

Hinc factum est ut plurimi, divino veluti spiritu afflati, rebus omnibus mortalibus reiectis, eum andacter sectantur, eiusque novum rigidumque vivendi genus ingrediuntur. Hos non patrum avaritia, commodis suis omnino servientium, non clamores amicorum prohibuerunt, quominus Christum crucifixum summo studio sequerentur, eique voluntaria pauperitate sese addicerent. Et alii, quum multi, ea aetate, magnam auri vim in res ludicas et voluptuarias profunderent, tamquam sibi religio fuisse vel ad honestam animi remissionem descendere, omnia in pauperum commodum ad eius pe-des deponebant.

Interea christiana patientiae atque invictae lenitatis exemplar eluxit. Ad haec, summa animi simplicitate Deo inserviens, suis omnibus admirantibus, verbo atque auctoritate imperium vel super bellugas protulit. Pietas enim eius erga Deum et sanctos ea fuit, ut nedum homines ei inser-virent, sed ipsae belluae, instinctu modo naturali adstrictae, in eius obsequium ac voluntatem pronae, mirum in modum ad eius pedes demissae provolverentur. Nunc aves circum caput advolantes suis quodammodo cantibus salutant et pilant, in humeris amice insidunt, ab ipsis eius manibus dulciter cibum accipiunt. Ipse eas sororio modo salutat et suavi advocatione nutrit. Pro ceteris autem admirandum narrant, improbam lupi famem praecavisse, qui puerum faucibus arripuerat, et mox facti poenitens, eius imperatu, praedam deposuerat, et cibos ultiro sibi oblatos in posterum accipiens, a naturali vivacitate, quoad vixit, mire abstinuit. Si Horatius, qui ferit *Ausonia carmina culta lyra*, et Roma vel a pueris digito signabatur poëta, attamen admiratus quaeritat: «Cur ego, si nequeo ignoroque, poëta salutor?» magis equidem et iustius Franciscus a suis quaerere possit, cur eum inter poëtas adnumerandum censeant, eumque primas referre adjudicent!

Inter praestantissima carmina omnes intelligentis iudicii viri, Assisinatis *canticum ad solem* ponere haud dubitarunt, eumque amplissimis adnotationibus illu-strarunt vel ob nativam dicendi rationem vel quoque ob elegantem suavitatem. Ipse unum admodum quaerit, unumque ab suis aequalibus postulat, ut sibi operibus sanctis beatam felicitatem comparent. Ad ultimum quo melius Christi Crucifixi magistrum referat, postulat enixe et obtinet, ut ipsa Christi stigmata in corpore portare queat.

Quam quidem diurni morbi acerbitatem biennio patientissime tulit. Vitae

¹ Cfr. fasc. sup.

puriter actae hoc etiam documentum dedit, quod morbo correptus adventantem mortem in unius divinae misericordiae conspectu, suis patriaeque omnia fausta adprecatus, placidissime quievit, maiora de Ecclesia feliciter pollicitus, si in paupertate persistant.

Haud aliter Dantes Aligherius eius memoriam integrat et morientem in exemplum hominibus exhibit:

*Ipse suos fratres haeredes rite relictos,
Commissam sponsam iussit amare suam.
Illiis in gremio voluit mori ad astra revertens,
Diversum tumulum non voluitque sibi.¹*

Ne ulla laus Ei desit, qui omnes sacro caritatis vinculo sibi adlexit, ipse Pius XI Pont. Maximus insignibus laudibus eum illustrare voluit, ut, saeculo nostro plus aequo commodis suis inservienti, in praelarum potissimum de christianis virtutibus exemplum omnibus elucesceret.

Quae quum ita sint, precaminor ut, tali magistro et duce, Itali in primis, mortalia contennentes atque in contemplatione summi Viri virtutibus unice quiescentes, aeternam beatitatem alacres adpetamus!

I. B. FRANCESIA.

Hesperis gentibus pax curanda

Societatem civitatum, quae sinus Mediterranei fuit ante Christum, D. Iulius ad Oceanum produxit. A cuius provinciis Galli, Britanni, Germanique orti milites cruce signati Saracenos atque Turcas lon-

¹ Ai frati suoi, siccome a giusta erede,
Raccomandò la sua donna più cara,
E comandò che l'amassero a fede;
E del suo grembo l'anima preclaro
Muover si volle, tornando al suo Regno,
Ed al suo corpo non volle altra barba.

(Par. c. XI)

ga per saecula, veteribus deletis moribus et litteris, mari Mediterraneo potitos, oppugnavere. Horum bellorum duces Caroli duo, cognomine alter Martellus, alter Magnus, primi fuere, qui Mohamedanos a Gallia Pyrenaeisque montibus prohibent. Classes autem Ricardus a Corde Leonis, Anglorum rex, et Francorum Philippus Augustus adversus hostem per fretum Gaditanum iuxtere. Aucta deinde navigatione, trans Atlanticum mare, et Afri circum terras, ad Occasum simul et Ortum, imperii promovere fines, et per mare Pacificum Philippinasque insulas, Americanos cum Seribus et Indis iungere conati sunt Europaei. Ptolemaica mundi recessit facies, amplius multo caelum apparuit Copernici.

Sed veteres nunc transierunt navigandi species. Velivolarum obsolevit illa forma: mille capax amphorarum, tribus erecta ternarum malis antennarum, quam Baco Verulanus *Organo Novo* describit; et quae vagari solitae erant veloces, aut constitui maiores in acie. Centum et vinti fere abhinc annos haec navigationis est in diario descripta imago, quae Petrum Loti allexit puerum: «Tranquillum id orbis Austrini punctum fuisse, quo celocem circumvolabant aquilae».

Non sequitor iam mangonem iubet sonitu ballistae ad sistendum armamenta componere, captivi sint aethiopes in caverna quaeritans, necne. Nunc carbo naphthave remo versatili sulcat aequora; Orben terrae ferro navique continuus ambit cursus; imminet sublimis navigatio, neque subnatanti insidiari licebit hosti.

Iam tuba caelestis, tanta militia fessos, maris ad Occasum spectantis homines curare corpora, et componere ad quietem noctis, imperii membra iubet.

Tornoduri in Gallia.

JACOBUS TASSET.

Invidiam ferre aut fortis aut felix potest.

P. SIRIUS.

“Speciosa in campis,,

*Virgo, quae nobis Rodii vocaris,
Colle cui dulci domus alma surgit,
Quanta Vestini, duce Te, patrarunt
Inclita gesta!¹*

*Quis canat caeli bona quanta stirpi
Fuderis nostrae, simul alloquuta
Numen? exsurgunt monumenta mille
Splendida signis.*

*Colle dum nondum Rodiano ab alto
Rite spectabas, aderas in omni
Arce turrita, viridique pagis
Valle remotis.*

*O dies felix, recolenda fastis,
Cum iubet condi Fridericus urbem!
Ecce de castris veniunt locantque
Limina prima.²*

*Mira sed patrum pietas! priusquam
Moenia et turres et amica tecta
Conderent, saxo meliore tollunt
Templa Mariae.³*

*Caecis vis terrae quatit et ruinis
Plura subvertit? Nova mox resurgent
Mole sublimi; veluti corona
Undique cingunt.⁴*

*Forsan est Matri titulus, quin exstet
Dulce par templum, tabulis et auro
Fulgidum? sacra populi canorum
Laude perenni?*

*Ecce turmatim monachi propinquant;
Protinus fervent opera et labores,
Edocent, orant vigiles, egeno
Brachia tendunt.⁵*

¹ Prope urbem Aquilam, in summo colle ad meridiem templum *Beatae Mariae Virginis* dicatum, quem de *Rodio* appellant, ob vetustum simulacrum Virginis in Apulia a pastoribus prodigaliter inventum atque ad Vestinos delatum, magna cum veneratione finitimi celebrant.

² Fridericus II, regni Siciliae Imperator, anno MCCL ex concursu pagorum Vestiniae regionis Aquilam florentissimam urbem excitari iussit.

³ Intra et extra urbis moenia multa et magnifica tempia Deiparae dicata, a maioribus exstructa, adhuc superstant.

⁴ Urbs Aquila non semel terrae motibus concussa et partim diruta tenaci virtute civium potior et magnificenter exstitit, addita sententia patrii insignibus: «IMMOTA P. H. S. MANET».

⁵ Plurima monachorum asceteria, collegia, nosocomia et scholae in urbe floruerunt.

*Bella quid tristis meditari hostis?
Arma, Vestini, capite arma fortis;
Braccius frendens properat superbo
Milite pugnax.*

*Stat diu contra truculentus urbem,
Diripit castella prius, supremo
Marte Vestinos petit! At repente
Irruit omnis*

*Civitas portis; inimica castra
Disicit; campis medius cruentis
Ipse confossus celeri sagitta,
Lumina volvit.¹*

*Ite nunc cives, pueri et puellae,
Ite quae stravit tumidos canentes;
Templa, vexillis positis ad aram,
Cingite lauro.²*

*Parta libertas et opes et artes
Protulit; patrum viguere leges;
Saecla post septem micat urbs Apruti
Inclita princeps.*

*Virgo, tu praesens trepidis fusti
Rebus et laetis; Tibi tollit hymnum
Vallis et collis, loca celsa Saxi,
Fluminis undae.*

*Ecquid hoc culmen Rodii petisti,
Appulum linquens nemus et quieta
Tecta pastorum, renuente asello
Tendere gressum?*

*Ista Vestinis domus alma Matris
Arx erit, nunquam quatienda nimbis;
Ista subiectam per acuta rerum
Proteget urbem.*

*O domus tutrix, niteas ocellis
Tristium; lassis opera bubulcis;
Dum cadunt umbrae recinuntque turres
Virginis omen.*

Aquila postrid. Kal. Iul. MCMXXVI

ANGELUS NARDIS.

¹ Braccius a Montone urbem obsidione clausit, castella finitima diripiuit; extremum impetum in cives faciens, telo confossum obiit.

² Victoria non solum civium virtuti, sed etiam Caelesti Prodigio tribuendam plura monumenta testantur.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

ANDREAS AVENARIUS EMMANUELI Iovè
fratri.

Quid dicam obortum tibi admirationis esse atque aegritudinis, qum in menses exspectares, et frustra exspectares, responsonem aliquam Avenarii, qui se ante simulasset tam avide cupere litteras tuas? « Num quid ei dicam accidisse? ». « Num morbo graviore defixus in lectulo est, ut vires desint ad respondendum? ».

Non illa fuit litterarum mearum tarditas, mi Emmanuel, neque ego imitaturus eram tuam ante postremam epistolam procrastinationem, sed rem omnem statim accipe. ALMAE ROMAE primus huius anni fasciculus, casu nescio quo, in manus non pervenerat meas, quod primo admiratus, postea novis aliquibus Fornarii Romani rationibus adscribere coeparam: fasciculum ideo non datum ad me, quod nihil mearum illic esset expressum litterarum. Sed tamen illud quoque fieri potuisse cernebam, ut vel non consulto praeterirer in dandis ad socios fasciculis, vel in via excideret. Haec igitur quum ita se haberent, quum nuper in quadam negotiolo ad Fornarium darem litteras illud quoque addidi, me dolere neque leviter dolere, quod tua tam diu ab ALMAE ROMAE abesset manus, et ut si placuisset, mitteret quem non accepsem mensis Ianuarii fasciculum. Non intercesserat hebdomadae integrae spatium: redditus erat fasciculus, in quo explicando, quum mei incidissent oculi in litteras ad me datas, datas abs te, haud facile statueres, utrum maior esset laetitia, quod tandem tuam nobis reddidisses suavitatem, an maior esset dolor, quod tamdiu tu frustra suavitatis tuae a nobis exspectasses mercedem. Nunc vero iam responso dato et doloris eius remota in Creticum mare causa, sola superesse videtur laetitia. Ergo

tu quoque ex antiqua sede translatus es Cervariam: haec nostra omnium plus minus sors est, hoc in me iam eo usque hos quattuor annos expromptum est, ut in quodam libero a pittaciis responso Fornarius ad peregrinum Germanicum scribebat, neque iniuria. Et quis scire potest me ad finem anni huius hic futurum esse? Hoc tamen illi, qui vel in Sinas, in Iaponiam, in Guineam, in Americam ire paratus esse debeat, non nimium potest esse molestum.

Legenti autem de pluteo et de rubris crucibus in tuis litteris subiit illud: « Norunt initiati ». Nam qui nunquam tali operi incubuere, simpliciter nesciunt, quid sit tormenti pensa examinare discipulorum. Illis similes fere sumus martyribus, qui in vitreis volutabantur testulis; et utinam patientia nostra partem eorumdem martyrum capiat mercedis!

Quomodo usque valuisti, inquies? Non male; sed circiter Pascha adeo coepi rauicare et tussire, ut non modo quas habitum pollicitus eram sacras homilias cedere cogerer, sed ut ne prophetiam quidem Sabbato Sancto canere possem, quum iam hiulco ore starem ad librum. Sed video nimium spatii meis absumi litteris, si ita, ut institui, pergam singula, praesertim quum quaedam vocabula tuo sim propositurus iudicio. Persuasti de omnibus quae respondisti de meis verbis neque videor non multum consecutus, quod ita tibi probantur mea.

Pneumaticae tamen soleae iamiam absentes. Licet enim sollerter sit excoxitatus earum usus, gummei tamen toruli inflatio saepius impeditur. Ineunte igitur hoc anno quidem lixa ad nos venerat novam et simplicem pedum fulturam venditans. Eius autem rationem Wizardus quidam, medicus Americanus, invenit. Est solea ex corio facta tres plantae tegens partes. Ex inferiore parte complures facti sunt sinus, in quos lamellas. item ex corio

vel ex gummi sectas, immittuntur quotquot necesse fuerit.

Tantum ea res praebet commodi, ut brevi, me auctore, nemo, cui latior pedis sit planta, pneumaticas, sed illas *sinuosas soleas* emant omnes.

Nova autem vocabula maxime comparabit, qui assidue fere de cotidianis rebus vel cogitet, vel scribat, vel loquatur. Noli autem credere me, cuius in tot res semper distrahatur animus, eum hominem esse. Fuit, quum sperarem me aliquando industria et usu tantum assecuturum, ut Latine vere loquerer, sed occupationum varietas eam spem fessellit omnem. Stant libri – Ciceronis et Plauti – ad parietem conversi, et, tamquam doleant, quod raro sibi liceat hanc lucem aspicere, capita lugubribus conspersa pulveribus. Interdum tamen Latina quaerimus. Coepi anno proximo scribere brevem vitam Anzeri episcopi, popularis mei, eius, qui Shantungiae meridianae missionem condidit. Latine scribitur liber, sed nunquam prodibit in lucem, quia typographia non invenietur, quae opusculum mandent typis. Sed res ipsa tam est pulchra, ut totos incubare, si liceat, possim dies. Itaque, quum hauriendum sit ex fontibus Germanicis, non pauca scilicet Latine reddere nunc inter ceteras « delicias » meas est. Res interdum non tam facilis, quia hic sermo non nihil differt a Latino. Subiit nuper vox *bravade*, cuius ego significationem quum fere attigissem, explicato meo Larousse, sic reddidi: temperavimus nos a *turpibus illis clamoribus* missionariorum Americanorum. Secutum illud est: *Unsere Tagespresse solle sich schämen*, vel ut Gallice dicam: *Que la presse du jour aie honte*. Hic cum bis terve gemuissem, posui: *Qui acta diurna edunt nimium sese abiciunt*.

Hodie, summo mane, ea machina est avecta, qua iam compluribus diebus in reficienda atque comprimenda via ante fenestrarum nostras strepente quorundam tillitati

nervi erant. *Cylindrum vaporarium* respondi nomen esse, quum praeteriremus colloquentes Latine et minitantis pluviam nubibus querentes quod reliquissimus in diaeta *tectum pluviale*. An quid dicas illud tectum, quod, qui invenerunt *parapluvium* appellarunt? Satisne tibi videntur indicari res, si dicatur *pluvial?*

Post domum nostram collis est, post collem area, puerorum palaestra nostrorum. Ea, quod declivior est, ex superiori parte terra avehitur in inferiorem. Ferreæ igitur iacent trans viam orbitae, quibus ferreorum vehicularum genus rotatur, quod quid esset interrogantibus in colloquio pueris me nescire respondi, me de ea re in Hispaniam scripturum. Postea vidi in Larousse, perfugio meo, ea vehicula a Gallis *wagonnets* appellari. Quam vero bene de humano mereatur genere, qui tale vehiculum in ALMA ROMA, omnium partium nobis impertiens nomina, describat!

« Sacristanum » dicere coepi: *rei Divinæ apparitorem*.

Est super aedium nostrarum, quâ ad meridiem vergunt, tecto, filum radiatum, quo voces vel Italia datas excipimus. Quando Latina radiabuntur acroamata? Si in collegio vestro *statio missoria* est, me fac certiores, quae sit undarum illarum longitudo, et adde, quo tempore ad *acceptorium* me oporteat assidere. Nam sessurum certum est. Sed, ne diutius te a tuis abstraham negotiis: vale! Nostro Fontio per occasionem significabis magnopere delectari me eius postremo munusculo poëtico.

Ex Aquis Driburgensis Westfaliae, pridie Idus Junias MCMXXVI.

In opere beneficium bis dat, qui dat celeriter.
Honeste parcas improbo ut non careras probo.
Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum.

P. SYRIUS.

COMMUNIA VITAE

Peregrinatio per cubiculum¹

Nuper aegrotavram; at sat agentibus una medico, me, adstantibus, ex infirmitate convalueram. Non tamen ita, ut penitus refectus viribus possem extra progredi, et impune per Urbem versari. Erant adhuc in pectore reliquiae morbi, quas nondum apollinea prorsus exterminaverat ars, et sicut ignes suppositi cineri doloso possent excitare rursus incendium. At interea et volupe erat; nam sole zephyrisque iucundi invitabant me verni dies; volupe erat et videbatur futurum si meridianus me deambulator per Urbem ferrem amicorum quaerens recursum, quaerens alloquia, quippe triste erat semper eodem in loco esse, et plerumque solitario. Medicus lamentationibus meis, nescio utrum fessus an miserans, ratus est belle curare corpus et animum, vetuitque rursus omnibus minis me exire domo, iussitque potius me domi ambulare. - «Et quoniam - inquit - me latina delectant, rusticatum i per cubiculum, singula notans in quae incurras, et videbis et senties plus et rusticationis et delectationis haberi domi, quam foris. Quaeque autem notaveris, mihi visuro asserva, idque utile utriusque fiet».

Nil moror, et praescripta sequor ... En, domi sum, et quasi omen preferentibus bonum, non quatuor, sed quinque claudio parietibus, *pentalpha* illud Alexandrinum,

¹ In meis chartis nuper forte inveni nonnulla scripta collegae quondam, mei Hyacinthi Pieralice De Vecchi, iam viginti circiter annos magno cum latinarum litterarum luctu vita functi. Respiciunt haec quotidianae vitae argumenta, in quibus facundissimus ille scriptor per narrationes, per dialogos novissimas nostri temporis res iucunde, facile et acute Latina lingua, suo more, exprimebat. Sit exemplo haec descriptio hodie, cetera passim in futurum persequemur.

aut, si velis, Aegyptium designantibus. Luci diurnae tres per fenestras est aditus, nec sine mysterio fausto prima duo clauduntur impari numero; quinque scilicet, ac ter. Si « numero Deus impari gaudet » mea fruatur domo necesse est; habitaculo meo quid enim numeris insignius? Quinque paries, tres fenestrae, porta una, sellae septem, scalarum ordines novem... Secundis dñs omnia mihi conspirant in bonum, neque ultra convaluisse miror. Imparia haec me sanum potius fecere, quam medicus, qui tot scalarum gradus quotidie diris devovit.

Modica me circum supellex: utensilia intra commodum et usum; omnino extra ostentationem et luxum. Quid hac *scriptoria mensa simplicius?* *Vitreum atramentarium* quasi dominus eminent, cui proxima, quasi nutrix fida, *atramenti ampulla*, cui adstent, veluti aulici, multifomes *calami*, partim ex chalybe, partim ex pennis; cui deserviant et *chartarum scapi*, et scluta quaedam *chartarum folia*, et *epistolarum involucra*, et *chartae bibulae*, et *sigillum*, et *assula*, et *hispanicae regulus seu fusulius cerea*, et *commentariolum*, in quo notentur, pro opportunitate memoriae, sive quae certo die agenda maneant, sive quae digna notatu videantur, ne oblivione depereant. En, coram me, *pluteus*, dispositus per *tabulata libri*, a fragmentis Ennii ad Claudianum, a Catonis re rustica et Apicis re culinaria ad Macrobius et Petronium, a Cicerone ad Lactantium Firmianum. Eminent Varrois quae casus vicere barbaricos et saeculorum iniurias, tum recentiora per saecula scriptores.

Sed curnam gravibus hisce impleo caput? Levia quaeram aptiora saluti. Frons aestuat et refrigerio eget. Ad *malluvium* accedo, et *sapone* puram in undam immisso, confrico manus, quibus *aqua recenti* emundatis et hac in *conchulam* proiecta, *pollubrum* Marcio fonte compleo, et vultum

gelidis undis recreo ac reficio. Inde *mantergio* ora sicco madentia; et quoniam tempus postulat, barbam lino *magnate*, et si qui sint pili, *novacula* per *cotem* deducta deleo. *Spongia* in genas admota, ne quid humoris dentes dolore afficiat, *spadice*, *peniculo* cuncta detergo, curaturus *forficulis* unguis, curaturus *axicia* propexam in pectus barbam et capillos, ipse mihi tonsor, et barbitonsor, et tonsus. Quantae in uno homine me sunt, et quot artes! Certe potiori iure quam Nero moriturus dicam: « Qualis artifex pereo! » *Fuco* non utor, neque ullo *unguine* capillos, ut bene oleant, inficio. Sat curae, munditiae sufficit... Prosequear deambulationem susceptam.

Mensam unicam habeo, in qua modo cum amicis ludam, modo dispositis *patellis* coenem, prandeam. Ah! quid dixi habere me? Antequam aegrotarem habui, nunc habeam necne, incertum est. Nil ultra. Siquidem nec *lusoriae* sunt ibi *chartae*, neque *scrupi*, neque *latrunculi*, neque *albi nigrique lapilli*, neque *tesserae*. Mensa haec, subita mutatione fortunae, conversa est in *vasarium liquorum*, quo palatus reficiatur et stomacus; conversa est in promptuarium quoddam omnium suavitatum... Ne credas, et « nimium ne crede colori » Dic! potius *pharmacopolea mensam*, dic emporium amarissimum pharmacorum. In hac ampulla *ricinorum oleum* (ricinos placuit medicis appellare baccas, quae a « palma Christi » nascuntur); in illa est *oleum amygdalinum*. In alio vase *casiae pulpa*; in isto *indicae palmae* (sic enim Tamar indus interpretatur) *obtritae uvae*; in illo *peruviani corticis* (quem dicimus « china ») pulvis, cum *quassio ligno* commixtus...

Abite in pestem, amari advenae! Nil moror: singula vascula, singula involucra, singulas *pilarum* thecas per fenestras abreptus impetu non facienda patraram. Nihil iudicis, nec iudicii inter nos opus esse. Res inter benevolos arbitros expeditur. Annuit ille; sed haec de damno;

restituere honorem et locum satago... Exhinc dulcia vini pocula, grata obsonia palato, bellaria, ludi, risus et ioci mensam hanc obtinebunt, ut antea, eritque ara non Aesculapio dicata, sed Gratiis atque laetitia!

Sic ego reciperata salute laetans iactabam, et in pharmaceutica omnia furiamente ferebar.

Drin, din, din!... Drin, din, din!... Drin, din, din!...

Quis portae tintinnabulum pulsat? Cur festinatione tanta urget et instat? Abeo visum. Di boni! Municipii duo... milites dicam, an accensos? Utrumque. Tum senior ex Duobus: - « Tu ne hic aegrotus? » Et ego: - « Aegrotus eram; nunc fere convaliui, ut vides. Tu ne medicus? » - « Minime - inquit ille; - sed venio tibi multam irrogaturus ». - « Ecur? - ego... Numquid aegrotare non licet, aut a convalescentia prohibeor? » - Utrumque pro libito tibi licet - ille respondit; - sed medicamenta, quae domi habes, et horum reliquias de fenestra in viam torquere, nec tibi, nec cuipiam est licitum, praesertim conclusa vitreis ampullis, praesertim si constent oleis maculosis, praesertim in nos contorta. Ecce vides quos nos modo foedaveris! »

Dixit ostendens sui tunicam socii ab humero ad renes pectusque oleo illo ricinorum nequissimo sordidatam. - « Ergo nomen tuum dabis ut, multam irrogantes, diem tibi dicamus, quo ad praetorem damnaturus devenias; inde damna nobis illata maculatis pro vestibus repensurus ».

Quid facerem? Num negarem? Mendacium ne dicerem turpe? Fassus aperte sum et me fecisse, et quo indignationis abreptus impetu non facienda patraram. Nihil iudicis, nec iudicii inter nos opus esse. Res inter benevolos arbitros expeditur. Annuit ille; sed haec de damno;

circa irrogatam mulctam cum municipio componenda omnia facili negotio dicit. Quidquid vero sit et futurum fuerit, nomen ut notet, postulat.

Tunc ego: - Appellor

HYACINTHUS PIERALICE DE VECCHI.

ANNALES

Nationum societas.

Dum nationum societatis delectus legatorum coetus Genevae non sine multo labore disceptat de argumentis, quae in superiore eventuum recensione nostra re-coluimus, en Brasilia declarat sese ab ipsa nationum societate recedere. Causa nota est: vexata illa quaestio stabilium legatorum in supremo societatis consilio. Abscessio vero huius nationis in utilitatem Germaniae cedet, cui obstaculum ita subtrahitur, quominus et ipsa locum in eodem consilio sit habitura.

Ceterum qui nunc convenerunt legati recognoverunt aerarii inspectionem in Austriam esse tollendam; qui quidam consultus Hungaros movit, ut et pro se idem repeterent.

Nunciant nunc proxime esse pertradandum de Gallorum mandato in Syria.

Anglos inter atque Turcas pactio.

Interim, Anglos inter atque Turcas pactio inita est feliciter de Mossul civitate. Turcarum gubernium prudenter ab obstinatis postulationibus suis recessit, a Mossul regionis possessione abscedens, finium correctione contentum. Mossul itaque Irak civitati relicta est, et cum ea petrolei fons immensa circum; foedusque annorum decem sanctum inter Angliam, Turcarum civitatem et Irak, per quod Turcae, ut alii populi, facultatis petrolei ab illis puteis hauriendi participes facti sunt.

Gallicae res.

Dum Gallorum oeconomica res semper incerta permanet, publicaeque rei administrari alter alteri succedit - (nunc rediit ille Caillaux, in quem, ut suo tempore retulimus, publici legati acriter saevierunt) - Lutetiae Parisiorum congregati sunt legati Gallici atque Hispani ad res Mauritanas componendas. Quum vero de Riffanorum provinciae administrandae rationibus, potius quam de politicis instauracionibus agetur, necesse non erit nationes convocare, quae Algesirensibus de Mauritania disputationibus quondam interfuere et communicatis consiliis diuidarunt.

Lusitani motus.

In Lusitania ob intestinas discordias Machado, reipublicae praeses, munere sese abdicavit. Qui pro tempore res moderandas suscepit, Cabeçadas, supremus copiarum dux, quum novum gubernium constituere aggressus esset, bellica rei ministerium Gomes de Costa obtulit, qui primo assensus est, paulo post vero renuit, atque, exercitu suo instructo, Lisbonam usque contendit. Cabeçadas inde et ipse recessit, Gomesque de Costa eius locum occupavit, quamquam Lusitani ne eo quidem esse contenti videntur ...

Regalia funera.

Romae, ubi quietem agitatae vitae quae situra iam aliquot annos privatum domicilium posuerat, vita functa est Olga, Graecorum quondam regina, vidua Georgii, Hellenum regis primi, Thessalonicae d. v mensis Maii MCMXIII nefarie interempta.

Kalendis Iuliis MCMXXVI.

POPPLICOLA.

ROMA SACRA

SS. D. N. PII PP. XI Litterae Encycliche de Sancto Francisco Assisiensi septingentesimo ab eius obitu exeunte anno.¹

Tum encyclicae litterae ad harum virtutum uberrimos fructus recolendos descendant tum ex Francisci apostolatu, tum a religiosarum familiarum institutione, cui flagrante Dei hominumque amore is intendit; in tertii Ordinis regulis late insistentes, ex quibus nova, idest ad evangelii formam penitus immutata, societatis fundamenta iacta sunt, privatae scilicet communisque vitae ordinationis, quae non modo ex civili consortione fraternalum quoddam foedus, sanctimoniae officiis copulatum, efficeret, sed etiam ius miserorum atque impotentium contra divites potentesque, nullo ordinis iustitiaeque detimento, tueretur. Tertiarii enim cum clero consociatis, sequi auspicato oportuit, ut, quibus hic vacationibus atque immunitatibus frueretur, easdem novi sodales nanciserentur. Itaque iam tum Tertiarii nec sollemne vassallitii, ut aiunt, ius iurandum iurarunt, nec, ad militiam bellumve inferendum convocati, arma cuperunt, quum obiectae legi feudali, quam vocant, ipsi ex adverso Tertiii Ordinis legem, obiectae vero condicioni servili quae sitam sibi libertatem opponerent. Ab iis interim magna affecti molestia, quorum in pristinum res revocari ac restitui vehementer interesset, patronis defensoribusque usi sunt Honorio III et Gregorio IX, qui vel poenis severe latis, hostiles conatus fregerunt. Quamobrem saluberrima rerum conversio in societate hominum excitari; in christianas nationes novum Francisci Patris legiferi institutum, inducitum cum potentiae studio morum innocentia, late propagari et increbescere; nec solum Pontifices,

¹ Cfr. fasc. sup.

Cardinales, Episcopi, sed ipsi reges et dynastae, quorum nonnulli sanctitatis gloria florerunt, Tertiii Ordinis insignia inflammatis suspicere animis et evangelicam sapientiam cum franciscali spiritu imbibere; lectissimum laus decusque virtutum in civitate reviscere; demum « facies terrae » renovari.

Enimvero Franciscus « vir catholicus et totus apostolicus », quemadmodum fidelium emendationi mirifice prospexit, sic ethnicis ad Christi fidem legemque deducendis et dedit ipse operam et dari a suis laboriosissimam iussit.

Nullus propterea miretur, praeterito hoc septingentorum annorum spatio, memoriam tantae ab homine vis beneficiorum profectae nec unquam deleri nec usquam oblitterari potuisse. Immo ipsius vitam atque operam, caelesti potius quam humano, ut Aligherius scripsit, canendam paeconio, altera videtur aetas alterius aetatis admirationi et venerationi sic proponere ac commendare, ut is non modo ob insignem sanctitatis laudem in luce catholici orbis sit collocatus, verum etiam civili quodam cultu gloriaque splendescat, Assisi nomine ubique gentium pervagatissimo. In Seraphici enim Patris honorem, haud multo post quam obierat, populorum scitu aedes sacrae passim excitatae sunt, lineamentis operumque ornata mirabiles; certavere quidem artifices summi, quis eorum aptius pulchriusque Francisci imaginem eiusque res gestas pingendo vel sculpendo, caelando vel tessellando referret; ad S. Mariae Angelorum, ea in planicie, unde Franciscus « pauper et humilis, caelum dives » ingressus est, itemque ad gloriosum in clivo Assisiensi sepulcrum, ut tanti viri memoriam, cum spirituali beneficio, recolant et perennia artis monumenta suspiciant, advenae, singulatim gregatimve, undique convenient ac confluunt. Assisiensem praeterea cecinit, ut vidimus, laudator nulli comparandus, Dantes Aligherius, nec defuere postea qui hominem, italicas peregrinasve nobilitando litteras, efferent. At nostra potissimum aetate, franciscalibus rebus

per eruditos homines subtilius investigatis, scriptis editis vario sermone quamplurimis et ad opera atque artifia non parvi momenti excitatis peritorum ingeniis, ingens, quamquam haud recta semper, Francisci admiratio plerosque recentiorum incessit. Intueri enim alii hominem ad sensus animi poëtice exprimendos nativa ingenii celeritate inclinatum, cuius Canticō illo, vetustissimo nascentis patrii sermonis specimine, erudita posteritas delestat; alii quidem talem mirari naturae amatorem, qui non modo rerum inanimarum maiestate, astrorum fulgore, Umbriae montium valliumque amoenitatibus, animalium pulchritudine suavissime afficeretur, sed etiam, veluti innocens Adam in paradiſo terrestri constitutus, animantia, quibuscum quasi quādam fraternitate copulari sibi videbatur, alloquendo suis faceret mandatis obsequentissima; in eo alii patriam dilaudare caritatem, quod Italiam nostram, felicitate ortus sui honestatam, ampliore, quam ullam e nationibus ceteris, beneficiorum copia locupletarit; alii denique eum praedicare cum omnibus hominibus singulari prorsus amoris communione coniunctum. Vera ista quidem, at minora, at probe intellegenda: quae qui aut praecipue ante oculos proposita habeat aut ad sua excusationem mollitudinis, ad sua opinionum commenta vel ad sua studia fulcienda detorqueat, iam his vera Francisci lineamenta corrumpt. Etenim ex illa heroicarum universitate virtutum, ex illa vitae austereitate et poenitentiae praedicatione, ex multiplici illa operosaque emendandae societatis actione, integer Franciscus, christiano populo non tam admirandus, existit; qui, quum esset Praeco magni Regis, eo spectavit ut homines ad evangelicam sanctitatem et crucis amorem conformaret, minime vero ut florū et avium et agnorum et piscium et leporum tantummodo cupitores et amantes efficeret. Quod si in res creatas ipse teneriore quadam amore ferri videtur easque « quantumlibet parvas fratris vel sororis » appellat « nominibus » — qui quidem amor, modo ne ordinem excedat,

nulla lege reprobatur — haud alia de causa, quam sua in Deum caritate, ad res ipsas diligendas permovet, quas « sciebat... unum secum habere principium »¹ et in quibus Dei bonitatem cernebat: nam « per impressa rebus vestigia insequitur ubique dilectum, facit sibi de omnibus scalam, qua perveniat ad solium ».² Ad cetera quod attinet, quidnam Italos prohibit quominus de Italo gloriantur, qui « Patriae lux »³ in ipsa ecclesiastica liturgia appellatur? Quidnam viros plebis studiosos impedit, quominus Francisci praedicent caritatem, ad universos homines, pauperiores potissimum, pertinentem? At alteri caveant ne, immoderato suae amore gentis abrepti, ardantis eiusmodi, quo nationem prosequeuntur, studii quasi indicem ac signum « virum catholicum » deminuendo iacent; alteri, ne praecursorem ac patronum errorum confingant, unde tam procul aberat quam qui maxime. Ii, alioquin, omnes, qui minoribus hisce Assisiensis laudibus, non sine aliquo pietatis sensu, delectantur et saecularia sollemnia provehere amanter contendunt, utinam, quemadmodum sunt digni praeconio, ita ex hac ipsa eventi faustitate ad germanam maximi huius Christi imitatoris imaginem subtilius dispiciendam atque ad aemulanda charismata meliora plurimum capiant incitamenti.

Itaque ex hoc praeclara incidit iucunditatis causa, quod concordi bonorum omnium conspiratione ad agendam beatissimi Patriarchae memoriam, per annum septies ab obitu centesimum, sacra ac civilia apparantur ubique terrarum sollemnia, at in iis potissimum regionibus, quas sua is vivens praesentia et luce sanctitatis et miraculorum gloria nobilitavit: qua in re praeire Episcopos clero ac gregi cuiusque multo iucundius conspicimus. Animo autem Pontificis, immo oculis paene eius creberrimae iam nunc observantur peregrinorum multitudines, qui aut Assisium et proxima per viridem Umbriam sanctuaria,

aut praerupta Alverniae iuga, aut sacros clivos in Reatinam vallem spectantes adituri ac celebraturi sunt: quorum ex pia salutatione locorum, ubi spirare adhuc Franciscus videotur virtutesque ad imitandum exhibere suas, fieri non potest quin ii domum franciscali plenus imbuti spiritu redeant. Forte dicat quispiam, alterum societati christianaē reparanda Franciscum in terris hodie existere oportere. Verumtamen fac, renovata animorum studio, homines Francisco illo uti pie-tatis sanctimoniaeque magistro; fac, ipsos quae is reliquit exempta, quum esset « virtutis speculum, recti via, regula morum »,¹ imitari atque in se referre universos; nonne id satis haberet vis atque efficientiae ad sanandam exsecandamque horum temporum vitiositatem?

In primis igitur insignem Patris sui Legiferi similitudinem pree se ferant oportet frequentissimi e tribus Ordinibus filii. Atque religiosis e Primo Ordine viris, quicumque franciscali demum nomine censemur, ex animo se cupere fatetur Pius XI ut, poenitentiae humilitatisque sua exemplo, in tam late diffusam concupiscentiam carnis superbiamque vitae altius quasi expostulent. Ipsorum esto ad evangelica vivendi praecepta proximos revocare: quod minus difficile impetrabunt, si sanctissimam illam ad unguem servaverint Regulam, quam conditor « librum vitae, spem salutis, medullam evangelii, viam perfectionis, clavem paradisi, pactum aeterni foederis »² vocabat. Seraphicus vero Patriarcha mysticam, quam suis ipse manibus consevit, vineam respicere et fortunare a caelo ne desinat, et multiplicem quidem propaginem sic fraternae humore ac suco caritatis alat ac roboret, ut facti omnes « cor unum atque anima una » in christianaē familiae renovationem studiosissime incumbant.

Virgines autem sacrae e Secundo Ordine, « vitae angelicae quae per Claram inclaruit »

participes, quasi lilia in dominici horti areolis consita, et olere optime et niveo animarum candore placere Deo pergent. Quibus utique deprecaticibus contingat, ut ad Christi Domini clementiam rei multo plures confugiant, et gaudia Ecclesiae Matris ob restitutos in divinam gratiam aeternaeque spem salutis filios mirifice augeantur.

Tertiarii denique, sive in regulares familias coiverint sive in saeculo degant, appellantur, ut spiritualia christiani populi incrementa apostolatu quoque suo maturare studeant. Qui quidem apostolatus si dignos initio fecit, quos Gregorius IX milites Christi et Machabaeos alteros nuncuparet, at potest hodie haud minoris ad communem salutem momenti existere, modo ipsi, ut per totum terrarum orbe percrebruere numero, sic, forma Francisci Patris induiti, morum praeferant innocentiam atque integritatem. Cum decessore igitur suo Leone XIII Episcopos Pontifex hortatur ut Tertium franciscalem Ordinem quoquo pacto foveant, gregem edocendo quo is saecularium hominum mulierumque Ordo pertineat, quanti aestimandus, quam expeditus ad Sodalitatem aditus facilisque legum observatio sanctissimarum, quae veniae et privilegiorum copia Tertiarii fruantur, quantum denique e Tertio Ordine in singulos atque in communitatē recidat utilitatis. Qui nondum dederint, dent praeclare eiusmodi militiae, hoc anno, nomen; quibus adhuc dare per aetatem non licet, ii chordigeros candidatos se scribant, ut vel pueri sanctae huic disciplinae assuescant.

Litterae altissimis hisce paternis sensibus concluduntur: « Quandoquidem vero, oblati tam crebro salutaribus ad celebrandum evenit videtur benigne Deus velle, ut Pontificatus ne praetereat Noster nisi partis catholicō nomini laetissimis fructibus, saecularia haec Francisci sollemnia, qui in vita sua suffulsi domum, et in diebus suis corroboravit tempulum,¹ apparari periucunde cernimus, eoque

¹ Brev. Fr. Minorum.

² Th. a Cel., Leg. II, n. 165.

³ Brev. Fr. Minorum.

¹ Eccl., L. 1.

libentius, quod eum ab aetatis flore summa Patronum religione coluimus atque in ipsius filiis, pie insignibus Tertii Ordinis acceptis, numerati olim sumus. Hoc igitur anno, ab obitu Seraphici Patris septingentesimo, talibus affluat catholibus orbis, talibus gens nostra, Francisco deprecatore, beneficiis, ut idem sit annus in Ecclesiae historia perpetuo memorabilis ».



VARIA

De Tocco iaculatore.¹

Iaculator quidam Danus, nomine Toccus, diu apud Aroldum regem stipendia fecerat, quumque militaribus exercitacionibus operam navaret, eo praestantiae pervenerat, ut nemo, praesertim in iaculando, ei par esset. Qua in arte quum se, ut reapse erat, plane singularem existimaret, commilitonibus dixit se pomum vel minimum, idoneo spatio impositum baculo, primo ictu percussurum.

Hoc ab invidis regi nunciatum non modo honorem et gratiam viro non periperit, sed illi ex virtute invidiam ac periculum conflavit. Quum enim rex id experiri constitisset, hominem, quod verbis esset pollicitus, se perfidere coegit, palam testatus, si ars eum falleret, capite illum linguae manusque erroris poenas esse daturum. Nec hisce contentus, tantam virtutem in eius filio experiri voluit, iubens pomum non baculo, sed filio capitū imponi.

Toccus ad tam crudele experimentum adactus, quando id necessario erat agendum, peramente puerum admonuit, ne se tantillum moveret; illi enim consistenti nil damni aut molestiae fore; patri vero gloriam inde esse accessuram.

Quo postea illi minus esset timendum, noluit eum sagittam venientem adspicere, sed aversum collocavit, atque ad locum

constitutum progressus, tres sagittas e pharetra eduxit, unaque ex illis arcui imposita, incolumi filio, positum signum, rege et cunctis qui aderant stupentibus, deiecit.

* locosa

MAGISTER Tuccio in via:

— O Tucci, ecquando civilem cultum disces? En, frater tuus, natu minor, ut me conspexit, pileum e capite obsequenter detraxit; tu vero...

Tuccius - Papae! Ipse ego eum monui ut hoc faceret!

Tuccius aeroplanum conspiciens:

— O mirabile quidem inventum, quod ad astra admovet, tamque longe removet a schola!

* Aenigmata

I

Prima nent vetulae; Graecis est *altera* num[mus;

Summa clarus honor: templā, theatra vi[gent.

II

Sume caput, curro; ventrem coniunge, volabo;
Adde pedem, comedes; sed sine ventre bibes.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Penula*; 2) *Corsica*.

Sociis monita.

Fasciculi mensis Augusti et Septembri ob annuas ferias in unum, de more, prodibunt, qui primis Septembri mensis diebus edetur.

Socios rogamus, qui nondum consociationis pretium solverunt, ut moram interrumpere tandem velint. Meminerint nos unis nostris viribus vivere!

Pretium annuae subnotationis nunc est pro Italia libell. 15; pro Septentrionali America doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas libell. 30 exaequans.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.


¹ Ex historiis PETRI FRANCISCI GIANBULLARI italicice scriptis.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

G. DEL VECCHIO.



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo^d sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus**. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI **Francisculi prandium**. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores**. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyloina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA **Euplius**, **Ad Romam**, Actiones dramaticae. – Sin-
gulae lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-
lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

AD NATIONUM SOCIETATEM

Societatis Nationum legati rursus Genavam conventuri sunt; iamque per diaria et colloquia insanabiles aemulationes novaeque difficultates, obstantes quominus in verae pacis viam Europa restituatur, ita passim dispiciuntur, ut orator quidam, apud recentem catholicorum coetum in Gallia habitum, non immerito affirmasse dixeris, Genavam, potius quam sacram esse sedem, ubi extinguantur dissensiones, controversiae componantur, eximiaque humanae germanitatis forma effulgeat, aciem, ex adverso, apparere, in quo, rerum civilium peritorum calliditate, immanis postremi belli reliquiae inter varias nationes contenduntur, imaginesque futurarum conflictionum adumbrantur.

Undenam haec? Profecto, quod Genavense institutum, nobile quidem origine, christianis sensibus, christiano animo prorsus caret, cui proprium esset ad spiritum, acta, iudicia, finem, vel inter politicas formas publicasque tabulas, illud informare.

Si enim internationalis futurae pacis futurorumque Europaeorum rerum quaestio cultu atque humanitate solvenda est, profecto nisi cultu atque humanitate latina id fieri, idest Graeco-Romana, ex qua civilis Europeorum populorum cultus, humanitas

duxit originem; hinc autem, tamquam rei capite, christianum nomen seiungi non potest. Christi namque ecclesia, Christi in terris Vicarius, post imperii romani occasum barbarorumque incursiones, novos Europae populos unus ad eam fixit atque efformavit.

Falso, inquam, quisque de cultu, de humanitate latina loquetur, nisi ea ad catholicae fidem remulceat, nisi sensum historicum ethicumque proprium ipsis attribuat. Id perfectae iustitiae verbum est, ius est, neque tangi potest, quo Pontifex Summus omnes totius orbis gentes alloquitur, quo Benedictus XV atque Pius XI in omnium rerum recenti conflagratione primum, deinde autem in Versaliensi et Genuensi conventu, nationum rectores populosque monuere, ut in christiana iustitia fundamentum rationesque quaererent universae pacis, quae vera durabilisque esse nequit, nisi ab humanergermanitate derivetur, tamquam divinae paternitatis repercussione, cuius officio Christi Ecclesia fungitur, personamque gerit supremus eius minister.

Verum summa haec auctoritas Genava abest, ut a pacis conventu absuit; non igitur mirum quod aequum absit examen illud, cuius defectio saepe nimis in nationum societate palam nunc ostenditur, atque civilium peritorum Genavensis collegii, conatus, labores inanes reddit.

Atqui Wilsonii doctoris mens, quae Nationum Societatis actor evasit, erat catholicae mentis, licet remotus, repercussus; Genavensis societas, ut quondam Hagenese tribunal, ex christiana mente pro manavit, quam liquidis doctisque formulis Taparelli D'Azeglio, sacerdos e Societate Iesu, in classico suo iuris internationalis opere, expressit. Sperandum itaque est fore ut Genuensis conventus tandem aliquando ad genuinam naturam vimque suam sese adducat.

Fidenti hac exspectatione, magis ex lociae christiana certis progressionibus, quam ut hodie apparent, nos in Nationum Societatem oculos intendimus. Vel vitiis suis, iisque neque paucis neve levibus, ea christiana doctrinae reapse obsequitur; obsequitur Pontificiae menti, quae, per Carolum cognomine Magnum imperium romanum instaurans illudque sacrum vocans, amphictyonicum magistratum instituere videbatur, qui de latinarum, francogallorum germanicarumque gentium, a barbarica ruina ereptarum, ac per Christianam fidem ad humanitatem accendentium, Romano adhuc splendore obrutarum, certaminibus decerneret.

Meminerit Genavensis coetus se invanum laborare, nullamque tutam pacem, imo exitium Europae allaturum, nisi ad romanum catholicum verticem navem suam convertat.

ROMANUS.

DE CHRISTO SACERDOTE

SS. D. N. Pius Papa XI eodem festo recens coli voluit Christum *universorum Regem et Sacerdotem aeternum*, oleo exultationis inunctum, ut seipsum in ara crucis, hostiam immaculatam et pacificam offerens, redemptionis humanae sacramenta perageret, et, suo subiectis imperio omnibus creaturis, aeternum et universale

regnum, immensae suae traderet Maiestati.¹

Quum de regia Christi dignitate iam plura prodierint scripta,² satius erit nonnulla de illo sacerdotio disserere.

Sacerdos dicitur qui legitima auctoritate deputatus est et consecratus, ut sit mediator inter Deum et hominem, tradendo sacra, ac praesertim sacrificium offerendo.

Quia enim non proprio nomine, sed nomine societatis agit et personam publicam sustinet, non a seipso vel ab aliquo privato, sed a legitima auctoritate debet deputari; et, quia ordinatur ad res supernaturales tractandas, debet ab ipso Auctore ordinis supernaturalis vocari. Quae quidem vocatio consecrationem quamdam internam in electo requirit; nam oportet ut ille qui sacra dat et ministrat, sit ipse sacerdos et consecratus. Dicitur quippe sacerdos proprie, quia dat sacra: *sacerdos, sacra dans, nempe sacra Dei hominibus, sacra hominum Deo.*

Haec quidem omnia Christo egregie competit. Imprimis est mediator inter homines et Deum, vi ipsius Incarnationis, quia utrumque extremum, scilicet naturam humanam et naturam divinam, tangit et in uno supposito coniungit, ac proinde homines cum Deo reconciliare valet, cumulatissime pro ipsis uberrimeque satisfaciendo, praesertim quum in ara crucis seipsum obtulit.

Vocatio Christi divina asseritur a S. Paulo: « Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te ».³ Magna vi et emphasi effertur in Ps. CIX sub nomine iuramenti: « Iuravit Dominus et non poenitebit eum:

¹ Missae Praef. de eodem festo.

² Opusculum de hoc ipsi nos edidimus: *La Fête speciale de Jésus-Christ-Roi*, Paris, Téqui; Rome, Desclée.

³ Hebr., V, 5.

tū es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech ». Verum actus ipse quo Deus incarnationem decrevit est idem quo Christum ad aeternum sacerdotium vocavit; nam decretum quod intendit Deum Hominem necessario intendit mediatorem.

Inde quoque liquet Christum esse consecratum et unctum a Deo: gratia quippe unionis, qua Christus constituitur mediator, est illa eximia *unctio*, qua fit sanctus et sanctificator, sacra dans, verusque sacerdos; quia eo ipso quod persona divina naturae assumptae communicatur, illam divinitatis unguento condit, speciosissimam ac sanctissimam efficit.⁴

At gratia illa increata necessario nexum secum trahit gratiam creatam habitualem, ut Christus tamquam caput *homogeneum* in nos, tamquam membra, influat, merendo et satisfaciendo *de condigno*, per gratiam quae sit *eiusdem rationis*, et gratia quae nos meremur et satisfacimus. Itaque Christus est iam substantialiter sacerdos per gratiam unionis, qua et mediator constituitur; sed ut fructus omnes sacerdotii suaviter eliciantur, accedit gratia habituialis creata.

Hinc colligitur tria in Christi sacerdotio includi, et *gratiam unionis*, ut radicem et formam; et *vocationem* a Deo, quae quidem habetur in ipso decreto, quo Deus et Incarnationem et gratiam unionis intendit; et *gratiam sanctificantem*, veluti sequelam, ut nempe sacerdotium omnes suos effectus et fructus suavi processu producat et explicet.

Christus porro dat hominibus *res sacras* Dei, scilicet doctrinam revelatam,

¹ Quam doctrinam sic expressit Pius XI in familiari quadam allocutione d. 28 Decembris 1925: « È unicamente perchè l'*Omoousios* di Nicea si è incarnato... che si effuse e si effonde, inesauribile ed infinita, in Gesù Cristo quella che i teologi chiamano *unione sostanziale*, che lo consacra sacerdote in eterno ». Textus habetur in *Bollettino per la Commemorazione del XVI centenario del Concilio di Nicaea*, n. 6, pag. 195.

quum sit noster Doctor et *Paedagogus*, et gratiam atque remissionem peccatorum, utpote omnium divinorum munierum auctor et distributor; datque Deo res sacras hominum, scilicet orationem et sacrificium, quatenus interpellat pro nobis et offert in cruce verum sacrificium, cuius Missa est incruenta renovatio et efficax applicatio.

Quibus intellectis, triplici sensu sacerdotium illud dici potest aeternum: 1) ratione personae sacerdotio fungentis, scilicet Christi qui manet in aeternum et ea propter non habet successores, sed solum *operis sui vicarios*; 2) ratione officii seu functionis, quia non solum interpellat semper pro nobis, sed etiam iugiter sacrificat, utpote principalis offerens, ministerio sacerdotum; ⁴ 3) ratione effectus, quia sacerdotium Christi est nobis causa salutis aeternae.

Eodem fine innotescit quibus rationibus sacerdotium illud dicatur *secundum ordinem Melchisedech*.² Aeternitas nempe sacerdotii Christi figuratur a Melchisedech qui *ex modo loquendi* S. Scripturae introduceitur sine patre, sine matre, sine genealogia. Praestantia indicatur; nam Abraham pater Levi, decimas dedit Melchisedech et fuit ab eo benedictus. Inde sequitur Melchisedech et Abraham et Levi superiorem, eo quod a superiore tantum aliquis decimetur et benedicatur; quae excellentia sublimitatem Christi sacerdotis effert et praenuntiat. Ratio praeterea est ex modo offerendi: obtulit enim Melchisedech *panem et vinum*, quae sunt elementa sacrificii novi, seu eucharistici. Est denique ex nomine: Melchisedech enim dicitur rex iustitiae, et erat rex Salem, seu rex pacis; ea quoque apprime convenient Christo, qui est Dominus Iustus noster et Princeps pacis.

EDUARDUS HUGON, O. P.

¹ Cfr. Conc. Trid., sess. XXII, cap. 2.

² Genes., XIV; Ps. CIX; Hebr. X.

DE AUGUSTEIS NAVIBUS IN LACU NEMORENSI SEPULTIS

Novorum, post bellum feliciter actum, Italiae fatorum auspicium felix deducere licet ex renato veterum cultu et in antiquam sapientiam studio atque religione. Hinc antiquorum monumentorum novae per Urbem effossiones, ex quibus Imperialia fora iam late oculis subiiciuntur, et theatri Marcelli a circumstantibus nunc aedificiis separabitur, et Neptuni templi ingens porticus a fundamentis restituetur, aliaque, quae singula, suo tempore, enucleare singulis articulis in hoc nostro commentario nobis proposuimus.

His autem diebus novum facinus agitatur, in quod plures a saeculis intendeunt, a profundo scilicet Nemorensi lacu Augusteas naves extrahere, illic sepultas. Navesne dicamus an navem? Quomodo et quando demersae? Qui conatus et quo tempore adhibiti ut eae iterum emergerent? Quae nunc ad optatum effectum perficiendum consilia? Hisce hodie respondere contendimus.

Notum cuique est, Caium Caligulam Augustum, in quo enormia quaeque fuerunt vitiis, luxu, potentia, amentia, divinis inhiantem nuptiis, Diana thalamum quum parare vellet, constituisse ad hoc ei magnificissimas apparare aedes in lacu Nemorensi, qui Diana speculum tum appellabatur, quo in speculum suum libentius illa succederet. Aedes autem haeduabus, ut traditum est, constabant navibus mirifice exstructis, sacellis, simulacris, aere, auro, argento, purpura rutilantibus; quin etiam lapidibus pretiosis, ultra quam credibile sit, lauris floribusque per tabulata viridiorum instar viridescentibus, suavique umbra, suavique halitu quaeque circum afflantibus, ut pulcherrimae deae

quam nemora iuvarent, nihil nisi gratis sumum obiiceretur.

Ex iis quae relata sunt a Flavo Blondo, viro a secretis Pontificum, qui saeculo xiv post Chr. nat. vixit,⁴ Leone Baptista Alberti Satagente, mathematico viro, qui Vjtrivius novus excellentia nuncupabatur, et Cardinali Columna praecipiente, dicens naves illas larice ligno esse confectas, tabulisque ita per latera et carinas dispositas, ut plumbeis laminationibus clavisque aeneis cubito productis haererent costis et continerentur; perligne vero et plumbea camentum exterius, quasi gluten, deductum habuisse flavum atque purpureum colore, contra quod nec aqua nec ignis aliquid possent. Interius autem aliquid mirabilius; nam creta primum per lignum omne perlata, dein super hac ferri liquentis quasi rivus diffusus, digitum crassitudine aequans; iterum autem super ferream hanc faciem caementum illud protendebatur. Haec autem ferri cretaeque admixtio ita apparebat, ut eodem tempore quo ferrum liqueceret super molli caemento inferiori, caementum superius ferro imponeretur, quippe quia ita haererent, ita copularentur, ut nonnisi mollibus utrisque et cereis, ut ita dicam copulata esse omnia viderentur. Quod autem exspectationem exsuperaret, habebatur in clavis aeneis, qui adeo coruscantes recentesque apparent, ut oculis fidem facerent, se non tota saeculis fuisse conflatos, sed vix hesternos a fabro artifice editos.

Quum autem Albertius² certiores nos faciat fistulas plumbeas, quibus per viridaria navigiorum aquae ad fontes montanis de rivis deferebantur, Traiani imperatoris nomine, stigmate inscriptos sese invenisse, asserendum non incongruum est mirabiles naves illas, quasi excellens artis

¹ Cfr. eius opus, cui titulus: *Roma restaurata et Italia illustrata*.

² *De re aedificatoria*, lib. V.

et magnificentiae opus, diu super aquas ad Caesarum delicias stetisse.

Qua igitur vi, qua calamitate descendere in profundum, ubi tot saeculis quieverunt? Quieverunt, nec tamen ignorabantur. Quippe, traditione avorum edocti, et pagi Nemorensis incolae et oppidi saepe inter se, saepe cum advenis de illis navibus loquebantur; in hoc uno diversi, quod apud nonnullos de duabus navibus percrebuisse opinio, nonnulli unam tantummodo adesse profiterentur. Sunt qui putent naves repentina infortunio demersas; sunt qui existimant hominum scelere a tyrannide Augusti alicuius intra tolerabili saevientis abhorrentes; sunt qui iudicent patratum aliquid gravius in eas atque demersas, ut superstitionis turpissimae sanctuarium aboleretur; sunt denique qui dictitent indignantibus a Romanis submersas, ne in barbarorum potestate venirent. Profecto non procellae impetu, qui in Nemorensi lacu esse nequit, aquis obrutae sunt; non quassatae, non fractae; ergo industria, cuiscumque is fuerit, sepultae.

In Nemorenses Augsteas naves describendas mathematicus deinde De Marchi XVI saeculo incubuit, qui et visendi miracula illa desiderio incensus, et auxiliante quadam Wilhelmo Magistro Lotharingio, aedicula usus, ubi fas impune esset aërem respirationi necessarium duas circiter per horas ducere, nec semel nec bis in lacum descendit. Supervacaneum ducimus modum aediculae huius portatilis enarrare; habetur enim fusius in opere eius, quod inscribitur *De architectura militari*.¹ Aderat comes descendenti Wilhelmus ille, homo promissae densaeque barbae, quam, ne oculos perscrutantis importuna velaret, ... circum caput intextam adduxisse dicitur. Hic non modo de aeneis clavis lucentibus, de caemento illo, deque pluribus mirabilibus narravit, sed

¹ Cap. LXXXII.

etiam raptis et relatis inde partibus tum lateritiis, tum aeneis, tum aliismodi suis verbis fidem fecit. Is non navem, sed palatium nominavit, aeneis trabibus magnificisque artis operibus insigne.

Anno MDCCXXVII Fusconius, mathematicus et ipse, iterum in rem conatus est, et si praedam species citra notitias, felicius; nam tulit capitellum aeneum, et porphireticas, et serpentini laminas, et septuaginta abiegnas tabulas metra quinque circiter longas, latas cm. 40, ad conficiendam nobilissimam quamque supellecstile aptas, et quadraginta laminationes lateritias excellentes et pulcas visu, quas ad pavimentum conclavis cuiusdam Alexander Torlonia, princeps Romae, comparavit. Tunc etiam nunciatum est ab iis, qui conducticiam operam Fusconio dederant suam; se vidisse statuas in intimis navigii, columnas, trabeationes aeneas et mira sexcenta, quae auferre non potuerint mole, pondere, et rigoribus nimium, adventante hieme, aquis.

Post haec, per aliud fere saeculum silentium iterum de Nemorensibus navibus factum est, donec necopinatus intercessit eventus, terrae motus scilicet, qui noctu Albanos montes late quassavit. Tum vir quidam V. De Benedictis, qui in vico Nemorensi imminentibus ex rupibus in lacum morabatur, narravit quum insomnis, irrequietus ex fenestra per tenebras despectaret lacum, scintillantia sidera tremulo fluctu, caeruleumque caelum oculis redentem, sibi repente caerulam superficiem albescere visam esse, quasi supposito igne candesceret, candidumque vaporem assurgere, et rumorem veluti ebullientium aquarum auditum, ac duo navium iacentia corpora, quasi duo nigricantia monstra apparuisse. Dum stupet, omnia moveri, nutare, intremiscere ... Fueratne territae per terrae motum mentis error, allucinatio? Lucescente die recte eum vidisse compuerit; nam piscium ingens multitudo

supina fluctuabat ad ripas examinis, tantaque erat, ut quisque manibus ea potiretur et fisci, lintea, canistri onerarentur.

Sic recordatio Caesareae navis, ut ita dicam, recruduit et Elisaeus Borghi, a dynastis Ursiniis, lacus finitimorumque agrorum dominis, facultatem petiti inquirendi, si qua Diana Nemorensis templi rudera manerent. Quam quum a publicarum rerum moderatoribus obtinuisse, Borghius subsidiis praeditus omnibus, quibus urinatores in profundis pelagi perscrutandis utuntur, opus grande adortus est, et Septembri mense an. MDCCCXC, satagente urinatore non idoneo tantum, sed aptissimo ac diligentissimo, quaesita primum navis, cuius notus erat locus, de qua paullo ante eruditus vir Constantinus Maes plurima scripserat preloque vulganda dederat. En apparent et extrahuntur aeneae thecae referentes animalium ora, rostra, pendentesque ex iis annuli aenei, quibus funes et anchorae alligarentur, et Gorgonis anguicrinitum caput, et pars aenei arcus, et transenna clathrata, et capitella, et columnulae ex aere pariter, et multicolora marmora, et sexcenta longe maius pollicentia; denique plumbei tubi, ex quibus patet C. Caesaris Aug. Germanici, Caligulae scilicet, opus omne fuisse.

Post haec, mora non fuit quin et altera navis inquireretur, quae post mensem fausto alite reperta est, altioribus ad meridiem aquis submersa; atque ex hac mirabiles pariter emersere reliquiae tum aeneae, tum cupriae, tum fictiles, tum marmoreae, figuris, meandris distinctae, decoratae; haec autem navis longe grandior altera, quippe uno super septuaginta metra in longum producatur, quattuor et viginti metris pateat. Ingruente hieme, vestigatio omnis circa Decembres idus relicta. Tum procurante Guidone Baccellio, supremo studiorum tunc moderatore, marinis addictus rebus et muneribus vir mathematicus Victorius Malfatti, mariti-

morum administro iubente, sententiam suam aperuit de reciprandis navibus, ita ut sursus innarent, ac restauratae, refectae, specimen mirabile ostenderent.

Hic tria proposuit, nempe: I si fiat circum ex tabulis paries aquis cingentibus impervius, interiores vero machinis, quas udrovoras vocant, siccentur; II si catenis et funibus corpora iacentia circumdendentur et constitutis superius ergatis eleventur; III si fodiatur cuniculus, per quem lacus aquae defluant, inferior navibus ipsis submersis, quo non modo redimerentur naves, sed, quod egregium est, quaecumque pretiosa in submersione cecidissent hinc indeque, praesertim quum in declivi pronoque sint, et in latus non mediocriter inclinentur. Prima et altera conditio periculorum plenae, difficilesque, laboriosae nimium apparent, et nullus relinquitur locus ad ea recuperanda, quae semel dilapsa sint. Tertia mediocri impensa perficietur, et effossus cuniculus 1800 metris tantummodo producetur.

Sed *caveant consules*; nos unum manet, ex animo ominari ut omnia tandem ad optatum exitum perducantur. Atqui sollertia difficultumque rerum susceptio ex parte eorum, qui nunc ad Italici regni gubernacula sedent, magnam faciunt fidem.

X.

De Certamine Poëtico Latino Locris in Bruttii constituto¹

Accepimus, et libenter edimus:

IV Idus Iunias iudices de LIII carminibus, quorum tamen quattuor (*Tecum tibiique mater*; *O nova Italia*; *Io triumphus*; *Feles et mures*) ad certamen admitti non potuerunt, sive quod manu scripta, sive quod iam edita, ita retulerunt:

¹ Cf. ALMAE ROMAE huius anni fasc. I et IV.

Duo statim seposita, vel potius abiecta sunt (*Resurgente Roma*; *In Terentium Varronem*) utpote omni prorsus indigna iudicio.

Minus improbanda erant XXIV quae sequuntur; sed tamen propter formae et rerum debilitatem non satis placuerunt: *De Aeneadum reditu*; *Mi requiesce puer*; *Mons Psiti bellum*; *Etona*; *Ad Poloniae patronum*; *Iuturna*; *In morte Margaritae*; *Goëthe*; *In virginem Mariam in caelum assumptam*; *Mira Lourdensia*; *In sepulcrum Ignoti militis*; *Cales*; *Miles ignotus*; *Archimedes et Sancta Lucia*; *Latina virtus*; *Ad fortē vigilemque Bataviam*; *In Militem ignotum*; *Latravit acris*; *Alba deleta*; *In ducem*; *Laus paupertatis*; *Speciosa in campis*; *Benito Mussolinio*.

Aliquanto meliora sunt III carmina: *Larium optimus*; *Aviae munusculum*; *Patris votum*.

Nonnulla inerant quae plus placerent in XI carminibus: *Pio sub almae Virginis praesidio*; *Ad Maecenatem*; *Vergilius in avitum herediolum restitutus*; *Fiat Pax*; *Urbis primordia*; *Lydia*; *Arria maior*; *Libellus Properti*; *Maja*; *Parva Camena*; *Occasus*.

His longe praestabant quattuor multis numeris se commendatia, quae tamen laudem tantum mereri visa sunt et per gradationem e minoribus ad maiora sic disponenda: *Primus Amor* (Iosephi Morabit); *Transitus beati Francisci* (Aldi Grossi); *Ad sodales* (Vincentii Polidori); *Pro captivis ad Sciara-Sciat barbare interfectis* (Friderici Principe).

Quattuor vero *magna laude* cum diplo mate ornanda, lectu iucundissima carmina habita sunt, quorum tituli sic enumerantur, ut quo quodque est praestantius, eo posterius nominetur: *Calamus et cyathus*; *Corsonna* (Vincentii Polidori); *Amor Mors* (Aldi Grossi); *Sarnulus equus in Circo triumphator* (Vincentii Polidori).

Omnium vero optimum patuit *Hospes Tarentinus* carmen inscriptum, quod HERMANNUS WELLER, Ellwangensis, cecinit; itaque illi praemium aureum decretum est.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur, his legibus;

I. ne carmina L breviora neu CCC versibus longiora sint, neve prius edita aliove ex sermone translata.

II. ut Britannico portatili prelo, seu machina ad scribendum, nitide impressa, sententia munita, quam obsignata scidula carmini adiuncta, poëtae nomen et domicilium continens, prae se ferat, hac inscriptione: *Al Direttore del Collegio Principe di Piemonte Gerace Marina, Calabria (Italia) prid. Kal. Apr. MCMXXVII mittantur.*

Tres viri poësis latinae quam qui maxime peritissimi, de carminibus tempore missis, post tres menses referent, omnium optimo praemium decernentes aureum numisma MILLE ITALICARUM LIBELLARUM egregio artis labore perfectum, et pariter magna, quae dicitur, LAUDE digna, si qua videbuntur, addito insuper diplamate, ornabunt.

Iudicibus autem facultas erit poëmata sive praemio sive laude insignita, typis nullo scriptorum sumptu expressa, in volumen recipiendi.

Datum Locris in Bruttii pridie Idus Quinti. MCMXXVI.

ALVERNA MONS

Sollemnia ad centenariam commemo rationem Francisci Assisiensis habendam ubique per orbem proximis kalendis Augustis coepta sunt celebrari, atque apud Italos nos in urbe praesertim ubi sanctus vir ortum et occasum obtinuit, et in Alverna monte, in cuius recessu vulnera in eius artibus miris modis inusta fuere, quae *stigmata* vulgo audiunt.

Quanam in regione Alverna mons?
Quae de eodem notitiae? Haec facile, per
occasione, percontantibus respondere
aggredimur.

Ex plurimis iisdemque diversis iugis,
quae a continuo Appennini montibus,
media Italia, diducuntur, unum exstat,
quod ex Serrae alpibus in Aretina pro-
vincia digrediens, post chilometra viginti
ad Arni ripam prope vicum, cui nomen
Rassina, sese demittit. Ad medium circiter
praedicti iugi Alverna mons eminet.

Tiberis flumen ad orientem, Arnus ad
occidentem, hinc et illinc, defluunt, sua-
rumque lympharum murmure locum re-
creare videntur.

Nomen «Alverna» a dea Laverna,
furum patrona, factum autumant, Venusini
verbis innixi:

*Labra movet metuens audiri: «Pulcra Laverna,
Da mihi fallere, da iusto sanctoque videti,
Noctem peccatis et fraudibus obice nubem».*¹

Hanc opinionem, quam inter aniles
fabulas pueris enarrandas alii amandant,
refert Franciscus Mauri, O. F. M., in suo
Franciscoidos lib. IX; ubi postquam mon-
tem hisce versibus descripti:

*Stat capita attollens praeruptis ardua saxis
Undique mons campis longe conspectus Etruscis;
Utilis umbrosis tantum mihi saltibus, et quae,
Lanigerique greges nobis, armentaque late
Tendent, dumetis herbisque virentibus aptus.
Exserit unda pater primo Tiberinus in auras
Fonte caput superans; qui postquam cornua fronti
Aptavit gemina et famularibus auxerit undas
Annibus adscitis flavas, mox obvius austro,
Iliadae petit aurato sacra moenia cursu,
subiungit:*

*Hunc fama est, veteros olim de more profano
Praedonum, furumque deae sperasse Lavernae.
Et primum horrenti luco tunc nomen ab illa
Fecisse, indigenum vulgus quod rite minorum
Servat adhuc.*

Haud multum a veritate distare videtur
quod poëta cecinit, deae nempe Lavernae
lucum fuisse sacrum, quem et Romae

apud portam, ex deae nomine Lavernalem
dictam, et lucum et templum habuerit,
cuius cultores «Laverniones» dicerentur.
Neque cultus huiusmodi in hoc monte
decerat; noster enim sive id fando audiret,
sive ex monumentis quoquo modo col-
legerit, prosequitur canens:

*Exin raptorum huc agmina suerunt
Magna coire simul, nigroque in culmine montis,
Solis inaccessas radiis celebrare cavernas.
Ergo hic non laeti cantu, tenuique cicuta
Pastores mulcere greges, non carmine lites
Altensis miscere leves, non ponere ludos;
Sed spoliis tantum praedatrix turba cruentis,
Et convictatis simul exultare rapinis.
Caedibus hinc, taboque atro, sanieque tepebant
Speluncae horrentes, hominunque avulsa sub altis
Ilicibus semper pendebant ora, volucrum
Dirarum foedae rostris immanibus escae.*

Quidquid olim fuit, nunc Alverna mons
hospitium non quidem latronibus, qui re-
bus vel vitae hominum insidentur, sed
Francisci legiferi filiis gratissimam se-
dem praebet, qui contra pravos animi
motus depugnantes, regnum caelorum ra-
pere contendunt.

**

Alverna mons a ceteris propinquis
montibus disiungitur; et quamvis maris
aequor amplius mille ducentis octo et
sexaginta metris non excedat, longo tamen
intervallo cernitur, atque veluti nigrum
signum Apennino innixum appetet.

Sphaericam formam praesefert, diversis
licet prominentiis, ad modum arcis dis-
tinctam; ast nihil fortasse ipsius formam
melius exprimit quam cometes, cuius cauda
meridiem versus producatur. Resane vera,
rupes immanis, praerupta, saxis penden-
tibus horrida, quae ad metra ducenta in
altitudinem sese extollit atque montem
circumcingit, eiusdem nucleum, ut ita dicam,
efformat, dum scopulosa lingua, metra
circiter trecenta in latitudinem patens,
mille autem in longitudinem, caudam re-
fert, ad cuius extrellum Clusium iacet.
Castrum hoc vetustissimum in potestate

Orlandi Cattanii comitis quondam fuit, qui
quum ipsum Alverniam montem possideret,
ea qua erat benevolentia erga beatum
Franciscum, huic ipsum dono dare con-
stituit.

Idem castrum, hominum potius quam
temporum iniuria fere omnino dirutum,
hanc exiguum nactum est nomen, tum
quia saepe sanctum Assisiensem virum
fovit hospitio, tum quia in eo Michael
Angelus Bonarotius ortum habuisse vi-
detur.

Consulto dixi «videtur»; praetereundum
enim non est vicum, cui nomen Ca-
prese, in valle Tiberina, gloriam hanc
Clusinis invidisse, cuidam veteri docu-
mento innixum, quod Clusini commenti-
cium affirmant.

*

Montis superficies est exiguis veluti
implexa minoribus montibus, suis quibus-
que valliculis, inter quas pluvius imber
eousque decurrit, donec aut frequentibus,
iisque profundissimis, cavernis absorbeatur,
aut in unum denique collectus, in
Rassinam torrentem, ac deinde in Arnus
flumen sese effundat.

Quodsi ad immania saxa respicias, alia
aliis incumbentia, rimosa, disrupta, vix
humo inhaerentia, iisdem caelum pluisse
dicas. Coecas voraginum fauces ubique
cernis late hiantes, sinuosus flexibus hor-
rentes; quare nisi attentissime circumspec-
tes, in praeceps fallente vestigio laberis,
vix in frusta colligendus.

At quamquam solum saxis implexum
est, umbrosa tames abies alto vertice cae-
lum percellit; patula fagus late extendit
cacumina; durum iuvenescit acer; pul-
cherrima fraxinus opimis ramis frondescit;
quare dum ceteri qui circumstant montes,
nullam vel fere nullam arborem susten-
tant, Alverna mons, arboribus undequaque
consitus, omnium oculos ad se trahit, atque
animum incredibili incunditate perfundit.

Quin etiam eiusmodi est montis huius
conspiclus, ut ad meliora incitetur pere-
grinus, qui si a Patribus Franciscalibus
hospitium petat, accipiet; accipiet et con-
tubernium; quae omnibus adventatibus,
cuivis religione addictis, summa humani-
tate praebere illi semper consueverunt.

A. E.

In ortu B. Mariae Virginis

*Est caelo Pietas: hominum miserata labores
Ulterius lentas noluit ire moras.
Expectata diu, Virgo, has in luminis auras
Advenis, ut Vates praecinuere sacri.
Longa quidem spes, non fallax: optata tueri
Ora licet nobis, risu hilarante frui.
Nunc taceat nemo: vos casta accedite cunis.
Pubes, voce animi promite laetitiam.
Post alii subeant: «Salve Regina», vicissim
Conclament matres, «Salve» iteranto viri.
An Dominae rerum quisquam detrectet honores,
Conspicit hoc quoniam sub lare grande ni-
hil?*

*Si regum, unde orta est, abiit fortuna priorum,
Marmore nec vario splendet avita domus;
Si non argenti, non vis hinc cernitur auri,
Davidis ingentes nec Salomonis opes;
Ast illi, pretiosa magis, sunt munera caeli,
Omnibus est potior gratia divitiis.
Orbis nullus erat: niveo candore Columbam
Hanc secum noster finixerat ante Pater.
Non modo avernali vetuit caligine tingi,
Sed penitus prisca labe vacare dedit.
Compellat tandem divina voce: «Voluptas
Nostra et delicium, nascere, tempus adest:
Exoriare caput Mulier domitura draconis:
Colla det ille, supra pes inimicus eat.»
Sic erit, inferno sic hoste potita Virago.
Evadet merito maxima Caelicolum.
Subdat se tellus, submittat cornua luna
Victrici, frontem sidera circumeant.
Dicte Io, pueri, laeto simul ore, puellae,
Gaudiaque angelicis iungite vestra choris.*

¹ Epist. XVI.

*O quas despondet tali Victoria Natae
Palmas! quot virtus laurea sarta parat!
Integra sit quamvis, quamvis impervia culpae,
Illa tamen metuens improbo ab angue dolos,
Absistet nunquam vel longe pellere fastus,
Quidquid vel puris moribus officiat:
Nam Domino devota suo sacrabit amores,
Servabit florem candida virgineum.
Dicite Io, pueri, laeto simul ore, puellae,
Lilia fundentes atque ligustra manu.
Nominis humani quanam sit gloria maior?
Mirata hoc tantum secla futura decus
Virginis obstupeant: intacti certa pudoris,
Intus spiranti nubere digna Deo,
Gentibus est miseris posthac paritura Salutem...*

*Plaudite: fundantur lilia mixta rosis.
Felices qui Te macula genuere carentem!
Quod mille optarant, contigit, Anna, tibi.
Sed mage Tu felix, unam Te quando puerilis
Praestantem cunctis praetulit Omnipotens,
Aeternum ut nata in terris effundere Lumen
Mortales tenebris tristibus eriperet.
Cresce, Infans, propera: fer Solem, Aurora,
[nitentem
Obruat et radiis noctis opaca dies.*

R. MAROZZIUS.

EX ITALIS URBIBUS

Exhibitiones Taurinenses.¹

Tertia denum exhibito, eademque omnium amplissima, me manet. Haec autem ea potissimum continet, quae ad nos identidem retulerunt Missionarii Salesiani. Sed, in primis, qui sunt hi Missionarii, qui in vulgo sic prodeunt et tot de se proferunt?

Hi sunt viri religiosi, qui, sub nomine s. Francisci Salesii, regulam a Ioanne Bosco sacerdote Taurinensi rite latam profi-

tentes, abhinc annos quinquaginta, sacras Americanas expeditiones suscep- runt. ALMA ROMA, anno nuper elapo, quum de Vaticana exhibitione universalis dissereret, et de Salesianis mentionem fecit, eosque laudibus cumulavit.⁴

Sed ipsi, quum annum quinquagesimum ab initis missionibus solemniter et magna suorum laetitia gestientes, celebrare velint, optimum factu reputarunt, si in aedibus, ubi primum eorum societas est exorta, ea quae lata fuerant in Urbem cum ceteris multis Augustam Taurinorum congererent, atque honorifice exponerent.

Hoc sane consilium omnibus intelligentis ingenii viris adprobandum, egregio quoque opere atque artificio confectum esse mecum dixeris, dummodo si libenter ad invisendum veneris. Nec equidem

est rudis indigestaque moles,

Nec bene iunctarum discordia semina rerum;

sed omnia optima cum mente disposita, commode visitantibus adstant feliciterque se cunctis proponunt. Et ipsa conclavia satis ampla, sed idonea, haud confusionem congerunt, sed mirum in modum visum animumque delectant.

Unu verbo, ita omnia placent, ut pro re nata dicas:

Summus nempe locus, nulla non arte petitus!

Tibi vel in primo limine introeunti, ipse aedium dominus Ioannes Bosco, ex statua egregia arte compositus, dulcia dat salutationis verba atque more suo cuncta fausta precatur. Ibi enim est in brevi admodum compendio ob oculos redacta infinita egregii hominis via, quae ab Augusta Taurinorum, seu potius a regione, cui est nomen Valdocco, primum incopta, ad universam prope terrarum orbem pertinet. Nec sane absque intima pectoris commotione perspicitur et humillima paterna casa, in qua, initio saeculi elapsi, natus est atque altus vir ille, cui in praesen-

tiarum amplissimae sunt aedes apud omnes populos. Ipsa manet ut antea fuit, eique quam aptantur optime verba M. Tullii Ciceronis: « Ornanda est dignitas domo, non ex domo tota dignitas quaerenda est »!

Ad Valdocco enim se contulit, postquam sacerdotio auctus Ioannes Bosco, ibique stabiles operis sui radices posuit. Hic scholas popularibus aperuit, iis praesertim qui artem exercent.

Hic, ea tempestate, erant lati campi et horti, et paucula, eademque misera manipalia. Hac in regione haud procul ab urbe, divino veluti spiritu afflatus, aediculam pueris moribus et ludis tutandis indulxit ad diversandum diebus feriatis. Adest adhuc primae illius domus imago gypseo exornata, ut veteris paupertatis testimonium posteris prorogetur. Hic magna nunc condita sunt palatia cum porticibus, ubi complures et varii generis officinae pueris instituendis cernuntur, qui sub magistrorum tutela artes mansuetiores edocentur. Hae vero aetatis notam admodum referunt. Alii litteris incumbunt.

Solus, ut socios sui consilii sibi in opere adderet, in summis rerum difficultatibus, quos acriori ingenio obvios habebat, Ioannes noster exemplo invitabat placidisque verbis, ut militiae sacrae, spretis curis mundanis, nomen aliquando darent. Hinc nova atque uberrima clericorum soboles, quae in omnem Subalpinorum regionem, mox in totam Italiam, postremo in exterias gentes, pietatem instauraret, et Christianorum Nomen inter barbaras nationes renovaret.

Perpetua vero pietate in Virginem Matrem quum eniteret, eius auxilio caelesti fretus, aere collatitio exstruendum putavit templum, multis frusta prohibentibus, qui aegrius omnino ferrent hoc nomine appellari Virginem Matrem.

At ipse, quum de se cuique pertimescendum esset in praesentia, et maiora omnes in aevum manerent, per Virginem

Matrem vere opiferam, cunctis tandem spem salutis adiulgere, divinitus porten- debat. Nunc auro picturisque exornatum et novis additamentis locupletatum, hoc templum est magnum sane Augustae Tau- rinorum ornamentum.

At praecipuam sibi laudem religionis et studii erga gentes Ioannes Bosco quaesi- vit, sacris expeditionibus, populis bar- baris excolendis. Vel puerulus, iam de bar- baris ad religionem atque humanitatem informandis cogitabat. Sacris initiatus, totus erat in eodem consilio: anno tandem millesimo octingentesimo quinto et septua- gesimo rem tamdiu conquisitam pertin- gere potuit.

Primum americanas terras petiit, quae ad meridiem pertinent, eo tamen consilio, ut ex urbibus identidem ad pagos sui se converterent, ad christiana sapientiae ex- pertes erudiendos. Mirum sane dictu est, quo facilis Deus hanc operam propaga- verit. Primum collegium apertum est ad S. Nicolai prope fluvios; mox in ipsa urbe, totius Argentinae reipublicae capite, cui est nomen Buenos Ayres, secundam se- dem obtinendam curarunt. Sed hinc, data occasione atque opportunitate, sacras faciunt Missiones ad incolas, qui in deserto rudes adhuc in culto que ingenio versantur.

Hae priores domus tamquam palaestra patent, unde, veluti a fonte, humanitatis rivuli in omnes americanae diciones par- tes manarunt, hodieque ad omnes terrarum plagas pervenerunt.

Primorum sacrae missionis praefecto- rum caput fuit Ioannes Cagliero, iuvenis adhuc sacerdos, qui praesenti Numine adiutus, omnes propemodum desertos longe lateque perlustravit, et quotquot incolarum turbas invenit, ad humanitatem apprime informavit. Mox ecclesiae munieribus hone- status et inter patres Cardinales adscriptus, flebilis omnibus piissime nuper Romae decessit. Illae enim terrae, in primis fera- ces cultoribus suis amplissime prospiciunt;

¹ Cfr. fasc. mens. Iunii, pag. 98.

⁴ Cfr. fasc. mens. Octobris MCMXXV.

et posteri oculis suis usurpabunt. Quot bona, veluti e fonte suo, ex una Christiana sapientia in populorum commodum atque salutem redundant!

Quae quum ita sint, haud abs re fuit prolixius de Ioanne Bosco disserere, quo auctore, tot mirabilia fluunt. Quoniam ipse, per suae sapientiae alumnos, non modo in urbibus scholam aperit, sed et in pagis ac barbarorum solitudinibus, omnes iis artibus format, quae ad humanitatem pertinet.

Atque adeo non religioni modo bene meruit, sed et patriae. Et quod olim Plinius senior de Italia scripsit, de I. Bosco et de missionariis suis, optime adsignanda esse reputabo. Haec omnia ipsis undequaque convenient:

«Terra omnium terrarum alumna eadem et parens, numine Deum electa, quae caelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret et populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret, colloquia et humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret!»

Hisce dictis, ad secundum conclave progredimor.

SUB.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

ANDREAE AVENARIO observando amico
EMMANUEL JOVÉ s. p. d.

Ubi iterum ad me exspectatae tuae litterae et humanitate et fraterna caritate perfusae, statui cum animo meo quam minimam hac vice tibi moram seu molestiam in rescribendo creare. Obliquum quidem est epistularum nostrarum iter et ut minimum bimestre. Quid si malefida fortuna vel quidquam aliud iis obsistat in via? Annus erit et nihil novi de alterutro scie-

mus. Tu vero animo generosiore quattuor columnarum ALMAE ROMAE impletione litterarum raritatem opipare compensas. Quod quam mihi sit iucundum, haud facile verbis promere possim.

Video te quoque ad populum nonnunquam homilias habere, nisi forte tussis aut raucitas quominus id praestes impedit. Ipse non secus aliquantulum me illis tradere cogitabam, ne lingua quum loqui palam debeat, nimium torpescat. Saepe quidem nobis in hac terra sermone non iam Castellano, sed Catalaunico uti necesse est, et vehementer sum miratus admirationem tuam quam Fontio nostro in privata quadam epistula ostendisti, quum ille folium periodicum vernacula hac nostra lingua scriptum in quo carmen suum edidisset, tibi miserat. Quid putas? Hac nostra aetate idioma illud magno in honore est quod ex eo fere conificies, quod nuper in publicum prodire coepit «Bibliotheca Classica Bernat Metge. Scriptorum Latinorum et Graecorum» interpretatione Catalaunica honestata. Barcinone quotidie diaria typis eduntur et ex quocumque grandiore oppido periodica sexcenta et commentarii et libri; idque quam maxima in dicendo et venustate et cura et diligentia!

Quod non male valueris adhuc, gaudeo equidem; vehementer tamen gaudebo quum me certiores facias te, ut Plautine loquar, pancratice atque athletice valuisse. Mea autem valetudo, etsi illum perfectionis gradum minime attingit, est tamen optima, quam sperare fas est me minime defecturam toto hoc, quod transigo, vacationum tempore. Sed iam novi recentesque gestiunt apud nos discipuli plus quadraginta, quibuscum opus erit ex vi Id. Septembr. aliud vitae curriculum incipere. Vide quam sit necesse pancratica atque athletica uti valetudine!

De clausulis quibus Anzeri popularis tui vitam in Latinum vertis, ego non au-

sim quidquam detrahere; et apposite illius nomen mihi in mentem revocat illud Vergilii:

Nam neque adhuc Varo videor nec dicere Cinna digna, sed argutos inter strepere anser odores.

Age yero: duos habes axes ferreos aequae inter se neque multum distantes binis rotis ferriviae inductis suffultos. Super eos tabulatum aut alveum stricte iungito et vehelam extruxeris. Hoc modico quidem vectaculo ferriviarii et se et sua quotidie transferunt ferramenta, et lapicidae quadratos lapides ad opera component, et vos capsa aliqua, ut conicio, tabulato superimposita, terram ex superiori in inferiorem areae partem adportatis.

Cylindrum illud mirifice complanans vias duos ante menses etiam praeter aedes nostras stridebat, atque lentissime volvatur vaporaria machina, quam dicimus *pavimentarium. Paviculae* vocantur manuales illae clavae, quas soli sternendi gratia usurpare solemus.

Satis quidem mihi videtur si pro tecto pluviali simpliciter *pluviale*, ut nos, dixeritis. Qui de rebus ad cultum divinum pertinentibus in ecclesiis curam gerit, *sacrarius* proprio appellari videtur.

Nulla tandem est in collegio nostro *statio missoria*. Dolendum quidem, nam foret is mihi saepe, ut tecum loquerer, crebrae sessionis locus. *Receptorium* autem apud vicinum est, eumque nostri amicissimum, qui illud nobis praesto habebit.

Vale ut supra dixi.

Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Insanus omnis furere credit ceteros.

Instructa inopia est in divitiis cupiditas.

Invidia id quod videt loquitur, non quod subest.

Amicos res optimae pariunt; adversae probant.

P. SYRIUS.

¹ Cfr. fasc. mens.

² *Mortuorum vespa*: Vespertinae preces admissionis piorum manibus expiandis.

³ Itaque *Vicarius*: Vicaria potestate (Vicario munere) fungens. - *Vicarius Apostolicus*: Legatus pro P. M. per aliquem locum fungi iussus. - *Vicarius Capitularis*: Per interregnum vice sacra autistes. - *Vicarius foraneus*: Praepsitus vicaria potestate. - *Vicarius curatus*: Curio sacra in subsidium administrans. - *Vicarius cappellanus*: Curio minor: Aduitor curionis. - *Vicarius civitatis*: Praetor. - *Cardinalis in Urbe Vicarius*: Purpuratus Pater vice sacra Antistes Urbis (Antistes religionum Urbis; Vice sacra in Urbe fungens).

PRO IUNIORIBUS

Parvum antabarbarum.¹

Vesperum canere - Vespertinas preces canere; Psalms vespertinos (Sacras vespertas) concinere. - *Vesperas dicere*: Sacras vespertas recitare; Horas vespertinas (Psalms vespertinos) legere; Vespertini officii pensum persolvere.²

Vetum - Intercessio.

Viaticum ministrare - Salutare Christi viaticum impertire.

Vicariatus - Vicarii munus; Vicarium imperium; Vicaria administratio (potestas).³

Vice: - Pro. - *Vicecancellarius*: Scribae

vicarius - *Vicecancellarius S. R. E.*: Praepositus a diplomatis Pont. Max. - *Vicesgerens Urbis*: Praefectus iuri dicundo in Urbe - *Vicegovernator*: Vicaria Praefectura fungens. - *Vicelegatus*: Prolegatus - *Vicelocus tenens*: Prolegatus exercitus

- *Vicenavarchus*: Pro classis praefecto - *Vicebibliothecarius*: Pro bibliothecae praefecto - *Viceconsul*: Proconsul - *Vicecuratus*:

Curio minor - *Vicerector*: Pro magistro - *Vicedominus*: Domini vicarius - *Vicedux*: Dux vicarius - *Vicefactor*: Procuratoris legatus - *Vicemagister*: Doctoris munere ad tempus fungens - *Vicepraetor*:

Pro praetor; Propraetore - *Vicerex*: Regis (Regius) vicarius; Regni procurator.

Vice una et altera - Semel atque iterum.

Vicinatus - Vicinia; Vicinitas.

Vigesies - Vicies.

Vigilia - Ieiunium; Praeludium.¹

Vigorose - Fortiter; Acrier.

Vilipendium - Contemptio.

Vilissime - Perdite.

Villanis - Vicanus; Paganus; Villicus; Rusticus; Agricola.

Vincibilis - Superabilis.

Vindemiare - Uvas legere (cogere); Vinearios (vitis) fructus colligere.

Vindicator, Vindicativus vir - Ultor; Iniuriam ultor; Ultionis persecutus; Promptus (Propensus; Proclivis) in ultionem; Ultionis cupidus (avidus; appetens); Ad iniuriam reponendam pronus.

Violinum - Fidiculae.

Violinistes; Violinista - Fidicen.²

Viror - Viriditas.

Virtualiter - Propria vi et natura.

Virtuosus - Vir omni virtute (omni virtutum genere) ornatus (illustris; praeditus; insignis; excultus; excellens; clarus; conspicuus; praestans); Omni genere virtutis florens (nitens).³

Visibilis - Res, quae sub aspectum venit (cadit).⁴

Visitatio - Officiosus ad aliquem aditus; Aditus ad salutandum (ad visendum, etc.); Salutatio.⁵

Visus bonus - Oculorum acies acris et acuta.

¹ Ex. gr.: Praeludium diei Pentecostes; Ieiunium honori Summorum Apostolorum.

² Quod autem musicum organum *Violoncello* italicice appellamus, latine dici potest «Fides maiores»; hinc «Fidicen maior», *Violoncellista*.

³ *Virtuoso vivere* - Ex virtutis disciplina (lege; norma; praescripto) vivere (vitam agere; mores dirigere); Vitam cum virtute (recte atque honeste) traducere; et sim.

⁴ *Visibiliter* - Aperte; Manifesto; Patenter.

⁵ *Visitationem Pastoralem peragere*: Diocesis suae tempa pro potestate praesentem invisere. - *Festum Visitationis B. M. V.*: Sollemnia in memoriam Mariæ hospitiae.

Vitae austerioritas - Victus cultusque asperior; Asperrima vitae ratione uti.

Vituperium - Vituperatio; Contumelia.¹

Vivacitas - Animi alacritas; Vigor.

Vivandarius, Vivanderius - Praebitor annonarius (annonae castrensis); Commeatus militaris propola; Lixa; Caupo.²

Viventes - Illi qui sunt (qui nunc sunt).

Vivere in pace - Quietam aetatem traducere.

Vivere in periculis - In periculis versari.

(Ad proximum numerum).

I. F.

COMMUNIA VITAE

Officium ianitoris scholae.³

LUDIMAGISTER, THEODORUS, IANITOR, ALII.

THEODORUS. - Habeo gratias, quod tu me ianitorem scholae esse iusseris: nullum est officium quod prae hoc malum.

LUDIMAGISTER. - Videsis, obeas sedulo. Quidquid mihi renuntiandum est, latine mihi renunties volo.

THEOD. - Dabo operam.

BALDUS. - Hanc frequentare scholam illum opinor, quem quaerito: pulsabo ostium.

THEOD. - Quid tibi vis, domine?

BAL. - Venitne ad hanc scholam Claudio Ranutius?

THEOD. - Sic existimo.

BAL. - Habeo, quod illi verbo significem. Rogo ludimagistrum ne gravetur potestatem illi facere egrediendi tantisper classi.

¹ *Vituperose* - Turpiter; Nefarie; Per dedecus (ignominiam).

² Foemina: «Copa».

³ Ex ANTONI VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

THEOD. - Faciam; tu hic interim siste, dum rediero. - Magister, est pro foribus vir: cupid verbo agere cum Claudio Rattutto, si per te liceat ut is prodeat.

LUDIM. - Liceat; sed illi in aurem dicas exequenti ut brevis expediat.

THEOD. - Claudi, Ludimagister iubet te paucis absolvere.

CLAUDIUS. - E vestigio hic adero.

THEOD. - Dispensator me misit, domine, ut acceptorum et expensarum tabulas a te probatas recipiam.

LUDIM. - Nondum inspexi. Ipse defram. Interim vide ad ianuam, Theodore. Videris mihi surdaster, et tamen quis per pulit satis graviter fores.

THEOD. - Adest ex tertia classi nescio quis.

LUDIM. - Qua de causa interpellat nos?

THEOD. - Rogat ut lubeat interrogare ex discipulis, num quis per plateam reperebit epistolas Ciceronis; num cui pilei redimiculum exciderit; praeterea an boxeam hanc calamorum thecam quispiam amisserit.

LUDIM. - Quisquamne amisit? Renuntia neminen praesentium reperisse quidquam hodie, aut amisisse.

THEOD. - Habe tibi merces tuas: nihil harum ad pueros hic discentes pertinet. - Rhetoricae professor evocat te, nisi incommodum est. Habet quod verbo communicet.

LUDIM. - Refer illi iamiam me adfuturum.

THEOD. - Quid hoc rei? Nullus est fores pulsandi modus: identidem interpellor.

BENEDICTUS. - Estne ludimagister intus?

THEOD. - Est.

BEN. - An mihi non liceat illum alloquenti?

THEOD. - Nescio an illi prodire sit integrum.

BEN. - Obsecro te ut illi nunties me hic pro foribus consistere.

THEOD. - Quem virum?

BEN. - Roderici parentem, huius scholae discipuli, hodie absentis.

THEOD. - Domine, placetne prodire foras?

LUDIM. - Quis me vult?

THEOD. - Vir est gravis et honestus: venit, credo, excusaturus filium de absentia.

LUDIM. - Nosti illum de facie?

THEOD. - Non de facie, sed nomine: nam se ait parentem Roderici. - Heus, Ambrosi, occludesis ostium ingrediens in scholam; audin? Non lubet mihi profecto continenter surgere. Neque signum est civilis cultus fores patentes relinquere quum transieris. - Ut quid ianuam pulsasti, Paule, quasi externus essem? Quin recta introibas? Familiaris es.

PAULUS. - Qui poteram? Ianuae sera erat obdita.

THEOD. - Non erat; sed pessulus modo.

PAUL. - Ansam vidi, qua attrahatur ianua, non pessulum.

THEOD. - Eadem est ansa et pessuli clavis.

PAUL. - Quo pacto foris hic pessulus attollitur?

THEOD. - Attrahe ostium leniter te versus, et deprime capulum.

PAUL. - Ibo foras, ut experiar.

THEOD. - Viden?

PAUL. - Video. Hoc omnino commodum est.

ANNALES

Ex Gallia.

Ex Gallia hodierna eventuum recensio nostra sumat initium. Ubi novum administrorum collegium a Briand pariter constitutum, qui instaurandi aerarii munus Caillaux reddiderat, videbatur tandem inquietis animis fidem aliquam attulisse.

Quum vero ad facta ventum est, et post enunciata consilia onerum novorum vectigalium imponendorum, et mutuae pecuniae ab exteris gentibus sumendae, potestas requisita est agendi praeter publici oratorum coetus legibus ferendis auctoritatem, fides illa detrectata est, resque in alium rursus proiecta. Neque magis Herriot, qui Briando successit, fortuna arrisit; immo vero ipsa die, qua cum collegis coram populi legatis venit, munere statim se abdicare coactus est. Tum vero omnium factionum mora ad patriae salutem necessaria apparuit, nationalisque concordiae administratorum collegium undique invocatum, cuius, brevi compositi, Raimundus Poincaré, qni Reipublicae Praeses etiam fuit, summam praefecturam obtinuit, variaque officia assumpserunt viri quinque, qui iam Gallicas res moderati alias fuere, inter quos Briandus et novissimus Heriot, alter externis negotiis gerendis, alter publicae institutioni tutandae. Concordia Versaliis celebrata est, ubi publicus legatorum coetus et senatus cautiones a novis administris propositas una approbarunt easque in patriam constitutionem retulere.

Sperandumne est ut res ad felicem exitum sic tandem perducantur?

* * *

In orientali Europa.

Iamque si ab occidente ad orientales Europae gentes nos convertimus, discrimina adnotanda nobis sunt inter Iugoslavoniorum et Bulgarorum populum, alterum accusantem alterum quod fines suos violaverit. Maiora vero in Russia. Quamquam enim Bolscevici illi omnia secreta servare student, militares seditiones negari non possunt discordiaeque inter Bolscevicorum principes, quorum unum, Zinovieffum, dicunt nedum a civilibus rebus, sed ab ipsis Russiae finibus amotum fuisse.

Africæ res.

Post regionem praeter Jubam flumen sibi adnexam, Italia cum Anglia pactio-nes instituit ad oeconomica iura in Aethiopiae finibus occasum spectantibus sibi vindicanda. Ecce autem Tafari, illius regni procurator, per publicas litteras rem queritur, postulatque ut Societatis Nationum Concilium, quod proxime congregabitur, in conventa ipsa animadvertiscat. Videbimus quid consilii illud sit capturum, etiam si futurum sit ut Aethiopum patrocinium, quemadmodum nonnulli putant, a Gallia fuerit susceptum.

Mexicanum civile bellum.

Leges catholicam religionem acerrime in Mexico opprimentes quaeque vim kalendas Augustis obtinuere, civilis belli causa apud illum populum exstitere, qui religionem suam, tamquam aram et focum, strenue nullaque timens pericula defendit. Hinc igitur insectationes, caedes omniaque vexationum genera; inde firma fides, invictus animus, fortissimus ad sanguinem usque renixus...

Succurrat Deus omnipotens, miserabileque spectaculum avertat!

Idibus Augustis MCMXXVI.

POPULICOLA.

VARIA

Puer aegrotus.

Puer quidam gravem in morbum incidit, quumque ad eum medicus venisset, potionem medicatam admodum amaram eum bibere iussit. Huiusc medicine comparandae causa mater de suis famulis ad pharmacopolam mittit, adlatamque filio porrigit, multum inde levaminis illi fore confidens. At ille respuit. Moerore perculta

mater, quae bene speranda ex illa potionē forent, puerō proponit: nummos, ludos et bellaria pollicetur; ea etiam, quae metum facerent, commemorat, dicens, nisi bibat, nunquam profecto fore ut convalescat, sed morbo oppressum iri. Tum orabat, ne tanto dolore peramantem matrem afficeret, eumque osculans et complectens, ut sibi dicto audiens esset, contendebat. Sed ne quidquam iactata verba; pervicax enim puer, ne summis quidem labiis volebat degustare.

Infelix mulier quid sibi capiendum esset ignara, medicum tandem opperiri constituit; et ille tum pulsat fores. Tristis mater occurrit ad imam scalam, eumque de pueri obstinatione admonitum orat atque obtestatur, ut illum parere iubeat. Rem suscipit medicus, si mellis copia fiat. Mel protinus adfertur. Tum in cubiculum pueri morbo laborantis ingreditur; melle extremas calicis oras perlinit, ac Tulliana facundia suadet, ut calicem ore tantum contingat. Ille, tum quod vox, sermo, habitusque medici reverentiam incuterent, tum quod nullo negotio facere posset, quod ab eo quaeretur, poculum ori admovit, et vix dulcedinem sensit, statim amaram potionem biberit. Qua vero hausta, fraudem cognovit, atque expuendo ac tussiendo amarae potionis molestia se affectum significare contendit. Sed quid? Ex tam lepida fraude vitam accepit.

Hinc intelligere licet, saepenumero ea, quorum nos piget, esse, contra, quae nobis afferunt, et allatura sunt maximam utilitatem.

* *

Vipera, Serpens et Ranae.¹

Viperæ fontem, ut biberet, adeunti, serpens, qui iuxta habitat, aspere hoc interdixit, propterea quod alienum invaderet pascuum, suo non contenta. Litem in dies crescentem proelio dirimere statue-

runt, cuius victor terrae et aquae iure gauderet. Die statuta, ranas, serpenti infensae, viperam adierunt animos addentes et opem pugnanti pollicentes. Commissio proelio, dum viperā cum serpente pugnat, ranas fortiter crocitare, quo uno valerent, coepere. Vipera victrix querebatur quod proelio non interfuerint, cui se interfuturas promiserant. Cui ranas: « Nostī, profecto, ideo nos foedus icisse, ut voce tantum te adiuvaremus ».

Iocosa

Tuccius paternum rus ingressus arbo remque fructibus onustam conspicatus, ad ipsos statim pervenire contendit, putans se id facere praeter parentum conspectum. Pater vero eum videt eiusque actionem vultu anxie sequitur. Tum uxor:

— Num times fore ut Tuccius noster inde decidat?

— Immo vero timeo ne non decidat!

Avus acriter Tuccium incusat quod apud eum sit mentitus:

— Octogesimum aetatis annum attigi; neque mendacium ullum me unquam dissemine memini!

Tuccius. — Credo; hac enim aetate facile quisque memoria vacillat!

Aenigmata

I

Sub mea iura voco quidquid mortale creatur; Reddere nec soleo quod semel arripi. Littera prima capit sedem quam tertia liquit, Occupat et vocis tertia principium? Horrida res oritur, metuendo grata Gradivo, Quae me saepe gradus accelerare iubet.

II

A vel dimidium genus est vivens moriensque; O utinam totum doceat, teneatque, regatque. Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Colu-mma*; - 2) *Mus, Musca, Muscatum, Mustum*.

¹ Ex italicis fabulis NICOLAI TOMMASEO.

PANCRATIUS

[16]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit Andr. Haberl)



CORV. Hunc comprehendite! Hic eorum sacerdos, totius sectae caput est. Age, agendum, discedite in cuniculos, veluti furentes canes indagate! Accensis facibus ex nidis exturbate viperas.

HYPH. (*stupens*): En Quadratus, meus centurio, vir optimus, num et is est Christianus?

QUAD. Est, commilito!

CORV. Vinci ergo (*ad Quadratum*). Et tu nobilitatis tuae foedasti ordinem? Phy! Pudeat te, ingratum hominem!

HYPH. Corvine, centurionem suum miles non vincit, praesertim quum is Quadratus sit.

CORV. Fac officium, scelest!

HYPH. Hanc rem ego non faciam. (*Ad alium*): Tu potius id expedi! (*Ille vincit*).

CORV. Di immortales! Rectene video? Est ne meus inimicissimus? Est. (*Irruit, apprehendit Pancratium*): Papae! Pancratius est in meis manibus. Vae tibi! Dies venit ultionis.

PANCR. (*suo brachio posito in Corvini*): Ultionis? Dic, amice, quid ego tibi feci iniuria? Quanam tibi re turbavi animum? Dic, amabo te.

CORV. Recede, simulator vaferime! Nunquam ego tibi amicus fui. Ipse me, si fuisset, contemnerem. Adhuc in ludo iuravi me ulturum esse (*Iridens*): Quam iactavisti caput, quam nos superbe despexit, quod sci-tius simulares, quod bene Graece...

PANCR. Erras, valde erras, quum ego nunquam data opera animum vulneraverim sodalium. Mene potuisse, quod haberem, quae alius vel dare vel auferre posset, vos despicer? Nunquam ea capiar insania. Sed contra id ago...

CORV. Pulchre dictorum satis est! Hunc, heus, in durissimas catenas date!

PANCR. Unum verbum ut audias, te obsecro.

CORV. Vah! Misera mea vitam deprecatus es?

PANCR. Nequaquam id quidem. Sed hote, Corvine, obsecro, obtestor, ne iam discedens tibi amplius sim odio. Si unquam vulneravi, ignosce! Dic, te rogo, verbum optatissimum, quo me fortunes; dic mihi: Non irascar amplius. Hoc si obtinuero, libenter occidam. Redi, redi in gratiam!

CORV. Reconciliationem gratiae ego respuo. Te ignominiose perire, hoc placet, (*Dum loquitur Pancratius, milites varie occupantur in remotione scena. Christiani gestus orationis vel alios faciunt. Hic Corvinus occupatur apud milites omnes examinans angulos*).

PANCR. (*positis in propinqua scena parte genibus, catenas exosculans*): Salvete, catenae pretiosae! Vos enim mea ad postremam pugnam ornamenta estis. Vos cordi Iesu me dulciter adiungetis. Laetus vos feram. Unum vivit in imo vulnus pectore, quod hic adolescentis, liberali praeditus ingenio, furore excaecatus ira abripitur et odio. (*Suspiciens*): Infelicem serva, Iesu; ad amorem tuum molli eius animum! Meam mortem salutis eius sume pretium!

CORV. (*Dum ceteri a militibus vinci ad eundum disponuntur*). Etiam cessatis? Movete vos citius!

(*Ad proximum numerum*).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

[16]

erl)

! Hunce,

te obse-

precatu-

Sed hoc

n disce-

am vul-

m opta-

ni: Non

libenter

ego re-

t. (Dum

upantur

rationis

cupatur

(os).

e parte

catenae

am pu-

su me

Unum

adole-

excae-

(s): In-

molli

s eius

cti ad

? Mo-


isor.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

IOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

IOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII JACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticeae. – Sin-
gulae lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

V. NON. OCTOBRIS MCCXXVI

...In mense sexto ante obitus sui diem, cum esset (*S. Franciscus*) apud Senas pro infirmitate oculorum curanda, coepit in toto reliquo corpore graviter infirmari; et fracto stomacho infirmitate diuturna et vitio hepatis, sanguinem multum evomuit, ita quod visus est morti appropinquare. Quo comperto, frater Helias citissime de longinquu cucurrit ad eum. In cuius adventu sanctus pater in tantum convalevit, ut, relicta terra illa, cum ipso ad Cellam de Cortona veniret. Veniente quoque ipso ibidem, et per tempus aliquod faciente moram, intumuit venter eius, turguere crura, tumueruntque pedes, et stomachi magis ac magis defectum incurrit, ut cibum aliquem recipere vix valeret. Rogavit deinde fratrem Heliam ut eum Assisium faceret deportari. Fecit bonus filius quod benignus pater voluit, et praeparatis omnibus, ipsum ad concupitum locum perduxit...

Interea infirmitate crescente, omne robor corporis eius elanguit, et omnibus viribus destitutus nullo modo poterat se movere... O martyr et martyr, qui ridens et gaudens libertissime tolerabat quod erat omnibus acerbissimum et gravissimum

intueri! Revera nullum in eo remanserat membrum absque nimium passionis dolore, et calore naturali sensim amisso, ad extrema quotidie propinquabat. Stupebant medici, mirabantur fratres, quomodo spiritus vivere posset in carne sic mortua, cum, consumptis carnis, sola cutis ossibus adhaereret.

Enimvero cum videret sibi imminentem diem extremum, quod etiam per revelationem divinam duobus ante annis ei fuerat indicatum, vocatis ad se fratibus, quos volebat, unicuique, sicut ei desuper dabatur, velut olim patriarcha Iacob suis filiis, benedixit, immo velut alter Moyses ascensurus in montem quem constituit ei Deus, filios Israel benedictionibus ampliavit... Erat tunc temporis manens in palatio Assisinati episcopi, et propterea rogavit fratres, ut eum ad locum Sanctae Mariae de Portiuncula citissime transportarent. Volebat enim ibi animam reddere Deo, ubi... primo perfecte viam veritatis agnoverit...

Cum igitur in loco sibi valde desiderato paucis quievisset diebus et cognosceret tempus propinquae mortis instare, vocavit ad se duos fratres et suos filios spe-

ciales, praecipiens eis de morte propinqua, immo de vita sic proxima, in exultatione spiritus alta voce laudes Domino decantare. Ipse vero, prout potuit, in illum Davidicum psalmum erupit: Voce mea, inquit, ad Dominum clamavi, voce mea ad [Dominum] deprecatus sum. Frater autem quidam de assistantibus, quem sanctus satis magno diligebat amore, pro fratribus omnibus plurimum existens sollicitus; cum haec intueretur, et sancti cognosceret extum propinquare, dixit ad eum: Benigne pater, heu absque patre iam remanent filii, et oculorum privantur lumine vero! Recordare igitur orphanorum quos deseris et omnibus culpis remissis, tam praesentes quam absentes, omnes tua sancta benedictione laetifica. Ad quem sanctus: Ecce, inquit, ego vocor a Deo, fili: fratribus meis, tam absentibus quam praesentibus, offensas omnes et culpas remitto, et eos, sicut possum, absolvo; quibus tu haec de-nuntians, ex parte mea omnibus benedices.

Iussit denique codicem evangeliorum apportari, et evangelium secundum Ioannem sibi legi poposcit, ab eo loco ubi incipit: Ante sex dies paschae, sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. Hoc etiam evangelium legere proposuerat sibi minister, priusquam ei praeciperetur: hoc etiam in prima libri apertione occurrit, cum tota et plena bibliotheca esset, in qua hoc evangelium legi debebat. Iussit proinde se superponi cilicio et conspergi cinere, qui terra et cinis mox erat futurus. Convenientibus itaque cunctis fratribus, quorum [ipse] pater et dux erat, reverenterque adstantibus et expectantibus omnibus exitum beatum et consummationem felicem, sanctissima illa anima carne soluta est, quae in abyso claritatis assorta, corpus obdormivit in Domino. Unus autem ex fratribus et discipulis eius, fama non modicum celebris,.. vidit animam sanctissimi patris recto trahite in caelum descendere super aquas

multas. Erat enim quasi stella, quodammodo lunae immensitatem habens, solis vero utcumque retinens claritatem, a candida subiecta nubecula...

**

..Catervatim tota civitas Assisi ruit, et omnis accelerat regio videre magnalia Dei, quae in servo sancto suo gloriose ostenderat Dominus maiestatis... Verumtamen filii lamentabantur tanto patre orbati, et pium cordis affectum lacrimis et suspiriis ostendebant. Sed temperabat moestiam gaudium inauditum, et miraculi novitas eorum mentes in stuporem nimium convertebat. Versus est luctus in canticum, et ploratio in iubilationem. Nunquam enim audierant, nec legerant in scripturis quod oculis monstrabatur, quod et persuaderi vix potuisset eis, si non tam evidenti testimonio probaretur. Resultabat revera in eo forma crucis et passionis Agni immaculati, qui lavit crimina mundi, dum quasi recenter e cruce depositus videretur, manus et pedes clavis confixos habens, et dextrum latus quasi lancea vulneratum. Intuebantur namque carnem illius, quae nigra fuerat prius, candore nimio renitentem, et ex sui pulchritudine beatae resurrectionis praemia pollicentem. Cernebant denique vultum eius quasi vultum angeli, quasi viveret, non sicut mortuus esset, et caetera membra eius conversa in teneritudinem et habitatem innocentiae puerili[s].

Non sunt contracti nervi eius, ut mortuorum solent, non indurata cutis, non rigida effecta sunt membra, sed huc atque illuc vertentia se, veluti ponebantur. Cumque tam mira pulchritudine cunctis cernentibus resplenderet, et caro eius candior esset effecta, cernere mirabile erat in medio manuum et pedum ipsius non clavorum quidem puncturas sed ipsos clavos ex eius carne compositos, ferri retenta nigredine, ac dextrum latus sanguine ru-

bricatum. Non incutiebant horrorem mentibus intuentium signa martyrii, sed decorum multum conferebant et gratiam, sicut in pavimento albo nigri lapilli solent. Accurrebant fratres et filii, et collacrimantes deosculabantur manus et pedes pii patris eos dereliquentis, necnon et dextrum latum, in cuius plaga illius memoria celebris agebatur, qui ex eo loco sanguinem et aquam pariter fundens, mundum reconciliavit Patri. Maximum donum sibi exhiberi credebat quivis de populo, si admittebatur non solum ad deosculandum, sed etiam ad videndum sacra stigmata Iesu Christi, quae sanctus Franciscus portabat in corpore suo. Quis enim hoc videns fletui et non magis gaudio esset intentus, et si fleret, non magis piae laetitia quam piae dolore id faceret? Cuius tam ferreum pectus non moveretur ad gemitum? Cuius tam lapideum cor non scinderetur ad compunctionem, non accenderetur ad divinum amorem, non armaretur ad bonam voluntatem? Quis tam hebes, tam insensibilis, qui manifesta non cognosceret veritate sanctum istum, sicut singulari munere honoratum in terris, sic ineffabili gloria magnificatum fore in coelis?...

**

Fratres igitur et filii qui convenerant cum omni multitudo populorum, quae ex vicinis civitatibus tantis se gaudebant interesse solemnis, totam noctem illam, in qua obiit sanctus pater, divinis laudibus consummaverunt, ita ut, piae iubilationum dulcedine ac luminum claritate, fore angelorum excubiae viderentur. Mane autem facto, convenit multitudo civitatis Assisii cum universo clero, et tollentes sacrum corpus de loco in quo obierat, cum hymnis et laudibus, clangentibus tubis, ipsum ad civitatem honorifice portaverunt. Acciperunt singuli ramos olivarum aliarumque arborum, sacras exsequias solemniter exsequentes, et multiplicatis luminaribus,

laudium munia vocibus altisonis exsolvabant. Cumque, portantibus filiis patrem et grege sequenti pastorem ad Pastorem omnium properantem, per ventum esset ad locum in quo religionem et ordinem sacram virgini et Dominarum pauperum ipse primo plantavit, deponentibus eum in ecclesia Sancti Damiani, in qua dictae filiae suae quas Domino acquisierat morabantur, aperta est fenestra parvula per quam ancillae Christi constituto tempore communicare solent Dominicis corporis sacramento. Aperta est et arca in qua supercaelestium virtutum thesaurus latebat, in qua portabatur a paucis qui multos portare solebat. Et ecce domina Clara, quae vere meritorum sanctitate clara erat, aliarum mater, primaque planta huius sancti ordinis fuit, venit cum reliquis filiabus ad videndum patrem non loquentem eis, nec reversurum ad eas, alibi properantem. Et ingeminatis suspiriis, cum magno cordis gemitu et lacrimis multis suppressa voce clamare cooperunt...

Sed virgineus pudor multo fletui imperabat, et super illum plangere nimis erat incongruum, in cuius transitu concurrit exercitus angelorum, et laetati sunt cives Sanctorum et domestici Dei. Sicque inter tristitiam et laetitiam positae deosculabantur splendidissimas manus eius, ornatas pretiosissimis gemmis ac coruscantibus margaritis, et ablato eo clausa est ianua quae minime ultra vulneri tanto patet...

Pervenientibus denique omnibus ad civitatem, cum iucunditate magna et exsultatione in sacro loco, sed sacrationi de caetero, posuerunt sanctissimum corpus, ubi ad gloriam summum omnipotentis Dei novorum multiplicatione miraculorum mundum illuminat, sicut hactenus eum in sanctae praedicationis doctrina mirabiliter illustravit.

(Ex S. Francisci Assisiensis vita, quam scripsit FR. THOMAS DE CELANO, I, 105-118, passim).

SANCTO FRANCISCO ASSISINATI

**felicissimo ab Eius obitu
septimo exeunte saeculo.**

*Cur te Masseus quondam, Francisce, rogabat,
Cur Tibi consensus, cur Tibi tantus honos?*

*Cur ignarus, egens, vilique induitus amictu
Tantum in Te studium votaque tanta refers?*

*In Te nil pulchri, nil miri splendet, homulle,
Nil quod terrigenis corda movere queat.*

*Simplex, ingenuusque tuus sic ille sodalis,
Cum laus, quae fulgent, undique visa sequi.*

*Verbaque Masseus frater quae protulit hae
renses,*

*Nunc quoque Christiadum forsitan in ore so
nante?...*

*Nec portentum ingens, tamque admirabile men
tes*

*Obstupefactae hominum pandere rite valent.
Certe quod Christi vivissima imago fuisti,*

*Sculpta Crucis affixi vulnera acerba gerens;
Quod sancti exsultans ad celsa cacumina Mon*

*Virtutum explesti more gigantis iter,
Si prima et maior, non haec sunt unica causa,*

*Late qua mundus Te, Pater alme, colit.
Totum namque orbem quod sis complexus*

*[amore]
Ut fuerint frater vel Tibi cuncta soror;
Quod Tibi paupertas fuerit carissima sponsa,*

*Horret quae mundus deliciumque Tibi;
Quod, laeti ut Pueri ardenti in fornace, ca*

*[nebas]
Divinam in laudem cuncta Poëta ciens;
Italicusque in Te perfusus Numinis aura*

*Quod fulsit genius foedera pacis amans,
Haud levis haec quoque, credo euidem, sunt*

*[causa putanda]
Qua, Francisce, vepres has peperere rosas.*

*Eia age!... tam carus populis orbique verendum,
Matri ex quo Italiae gloria tanta venit,*

Dum Tibi septena augentur post saecula ho

*[nores]
Exposce ut pacis sidera dextra micent;*

*Sancta que corruptos renovet tua Regula mo
[res];*

*Orpheus atque sacer saxea corda trahet;
Exposce et longa ut cessent discrimina in*

*[orbe],
Ut fiant gentes mente animoque piae;*

*Te propter Christi in Regno Pax Alma ni
[tescat],*

*Fraterno et populos foedere iungat Amor.
Sic pia Pastoris Summi Tu vota secunda,*

*Et crescat semper Nomen honore tuum;
Virtute et crescat tua triplici in Ordine proles,*

Munera quae pacis, Te Duce, larga ferat!...

Laureti in Piceno

IOANNES FRATINI.

MYSTICA FLAMMA

Multis equidem laudibus ferendum esse
haud dubitaverim Marium Ferrigni flo
rentinum, qui nuper comoediam hoc titulo
conscriptam: *La mistica fiamma*, in vul
gus edidit. Eum Florentini ad caelum att
tulerunt et inter viros adscripserunt, qui
citra fidem, singulari ingenio magnam sibi
gloriam compararunt.

Hic mihi in memoriam revocavit, quod olim
Vergilius, alio equidem arguento,
de Italico scripsit:

*Sermonem Ausonii patrium, moresque tenebunt;
quoniam rem suam ex Italorum historiis
derivavit, atque italicum eloquium mira
nativitate expressit.*

Si summa tantum capita spectantur,
huius comoediae actio sic se habet.

*Catharina virgo Senensis, quae pieta
tem, sapientiam, insigni erga patriam stu
dio cumulavit, caelestia unice spectans,
atque mortalia contemnens, Italorum ani
mos, maximis admodum civilium partium
dissidiis agitatos, divina arte ad pacem
atque concordiam revocat. Ad haec, Pon
tificem Maximum, admirantibus undique
populis, ab humili avenionensi captivitate*

resolutum, in urbem cum omnium laetitia
gestientem advexit.

Sed singulos eius actus intimius com
mentari iuvabit.

Primus actus *Alba* inscribitur, omnis
que ad sancti Augustini Florentiae expli
catur. Nicolaus a Perusio et Lapus Sarac
eni, improbo amore correpti, ut Lisam
sibi puellam popularem comparent, acerb
issime dimicant.

In his en sancta Puella, quae exiens e
templo, eos suavi adgreditur eloquio ac
mira quadam vocis dulcedine eos ad alt
tiora trahere studet. Adstantium animi
in diversa scinduntur, eamque superbam
autumant atque adeo spernendam; ipsa
vero miti serenoque animo, haud aliam
se esse profitetur, et Iesum unice secutam,
eius pacem exhibere.

Quo facto, Nicolaus a Perusio, mirum
in modum mutatus, vitae anteactae mis
eretur, et ad eius pedes provolatus, exclam
at: « Do quod vis, et me victusque vol
lensque demitto! » Hic explicit actus.

Tentatio alter actus vocatur. Laurentius,
Augustinianorum sodalium pater,
Catharinam interrogat de colloquiis et vi
sionibus cum Iesu Servatore; et sanctissime
Puella, caelesti omnino spiritu instin
cta, respondet, longinquas voces ex
audiens, quas accipere nemo potest. Hic
sapienter introgreditur Nicolaus, qui iam
Virginem furens deperit sibique uxorem
exoptat. In Catharinae cubiculum flores
concessit, unguenta vestemque purpu
ream, ut artificio hoc eam decipiat. At Vir
ginis redeunti ipsi ut daemon apparel, quem
signo crucis repellere nititur. Puer vero
etiam atque etiam amorem suum alte pra
dicat, in hoc tantummodo felicitatem suam
hic in terris inveniri posse. At ipsa, verbis
ei inenarrabilibus amorem Christi sua
dendo, praecipit ut Eum divino affectu pro
sequatur, et coram patre et matre, Ipsiusque
sodalibus, se Ei sponsum in Christo pro
fiteatur. Sic seductor ab humili puella mi

rabiliter seducitur, quae in eius pectore
germen conversionis posuit.

Tertius actus et quartus exhibent: *Ros
am inter spinas*.

Dum Puella Florentiae versatur in ae
dibus Alexiae Saraceni, Lapo adamat Li
sam. Interea dum cogitat Pontifex, qui
Avenione in Gallia prave tenetur, de re
ditu in Urbem, Puella, hoc ipso studio fla
grans, illuc ire flagitat. At maximae hic
orientur difficultates. Namque Pater La
zarus imprimit in Catharinam haec nova
huiusmodi molientem invehit, eam insa
nam appellat, atque enixe ab Augustini
anorum rectore poscit, ut Catharinam a
pravo proposito deterreat. Et ipse Floren
tinorum popellus, verbis ita malis excita
tus, in sanctae cubiculum vi tumultuose
illabitur, eamque interficere querit.

Quod vero Pater Lazarus vetat; eam
tamen maxime incurrit et orantem inve
niunt, atque haec Domino dicentem: « Da
mihi, Domine, certum voluntatis signum! »
Et ecce tempestas magno cum fragore ac
tonitrubus cooritur, et nuncius Pontificis
Senis supervenit, qui suo nomine Ave
nionem invitat. Procella tunc abit, sol redit,
cunctisque terrore percussi humi procum
bunt, et una voce clamitant: « Ad Urbem,
ad Urbem! »

Simplex sic puella, inculta, imperita, ad
magna vocatur. Nicolaus iam non suus,
quinimo maxima aestuans laetitia, haec
solemniter a Catharina profectura accipit:
« Quum a Gallia rediero, hic te ad nuptias
me esse ducturam polliceor! »

Nuptiae et titulus actus quinti.

In angustissimo carcere detrusus est
Nicolaus. A Lisa in crimen vocatus, in eo
est ut ad supplicium trahatur. Lazarus,
Deo devotus, ut cum bona spe soveat, pre
catur. Frustra tamen: is improbis etiam
verbis religionem ipsam deamatam asper
nat. Magna est omnium moestitia, et mul
tae devotorum ad Deum sunt pro morituro
supplicationes, ut christiano more, et for

titer occumbat. Tunc vero praesens adest Catharina, quae dulci alloquio furentem hominem ad virtutem revocat, solemniter dicens: «En nuptiae, quas, tu, christiane, ad sidera ascendens, inter immortales celebraveris! Tecum esse me utique vellem, ut tecum aeternis mensis vescerer!»

Nicolaus, hisce verbis commotus, christiana caritate devincitur, adversariis ultro dat veniam, et admissis rite ablutas, hilari vultu carnifici se tradit.

Sic itur ad astra!

Ad veram artis dignitatem hoc opus adsurgit: pro viribus veritati historicae adhaerens, auctor veram germanamque virginem Senensem retulit, quae saeculo decimo quarto virtutibus atque litteris Italorum nomen cum praeclaris gestis immortalitate circumfulsit.

Spectatores magna animorum laetitia hanc comoediam cum plausibus excipientes, auctori studium addere reputarunt, ut in proposito remanens alias in posterum comoedias componat.

I. B. FRANCESIA.

DE CAPITIS TEGUMENTIS APUD ROMANOS

Nemini iam notum non illud est, Romanos, more a Gracis desumpto, aperto fere semper fuisse capite. Verum quoniam certa erant tempora, certaeque causae, quibus et ipsi caput cooperirent, idcirco existitere apud eos, et quidem varia, eiusdem operimenta.

Sed priusquam ad ea capitis tegumenta veniamus, quae ad id unum excoxitata sunt, illam paucis consuetudinem persequi debemus, per quam caput, imposta toga, videlicet superiore eius parte, quae humero

insidebat, sursum allevata Romani obtegebant. Hunc morem indicant plura scriptorum loca. At prae reliquis mirum quantum valet una Plutarchi auctoritas, qui in hanc sententiam loquitur: «Romani, si cui obviam facti sunt, cui honos habendus, et si forte caput ueste iniecta tectum habeant, id revealant».

Hoc autem diversis de causis fiebat. Primum, ut se ab aëris inclemencia tuerentur; deinde ut animi aegritudinem in aerumnosis rebus patescarent, et se quasi lucem perosos significant. Quare Caesar, referente Suetonio (cap. LXXXII), «ut animadverterit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit».

Eodem et illud Horatii¹ referendum est:

*Nam male re gesta cum vellum mittere opero
Me capite in flumen, dexter stetit.*

Huius vero consuetudinis ab Oriente originem repetas licet. In Veteri quidem Foedere² haec leguntur: «Porro David ascendebat clivum olivarum, scandens, et flens, nudis pedibus incedens et opero capite; sed et omnis populus, qui erat cum eo, opero capite incedebat plorans». Neque vero in luctu tantum apud illos populos obnubi caput solebat, sed et ubi probosum aliquod obvenisset. Hac ratione Ieremias (XIV, 4) inquit: «Confusi sunt agricolae: operuerunt capita sua».

Romae vero obtinuit etiam, ut qui gravissimi alicuius criminis damnati essent, iis ad supplicium iam ducendis caput obtegeretur, tamquam quos luce indignos iudicarent. Testantur id verba Tullii in Verr. V, 60: «Capitibus involutis cives Romanos ad necem producere instituit». Quare celebre fuit horrendum illud carmen: «I, lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito».

¹ Quaest. Rom., 10.

² Satyr., II, 20.

³ Reg., 15-30.

Postremo haec ratio in faciendis sacris servabatur; quippe quum ea (nisi quando Saturnum, Honorem aut Herculem spectarent) non aliter quam opero capite peragerentur. Itaque apud Livium,⁴ ubi de pontificatus auguratusque iuribus sermo est, haec habentur: «Conspiciatur cum capide ac lituo; capite velato victimam caedat». Atque hinc Spartanus⁵ unum e mortis Hadriani praenuntiis signis fuisse scribit, quod natali suo ultimo, quum Antoninum commendaret – scilicet diis rem divinam faciendo – praetextam sponte delapsam caput ei operuisse. Sinistrum enim admodum habebatur, si quid inter sacra, aut in templo cecidisset; quod «auspicium caducum» dicebatur.

Huius autem religiosi ritus hanc cum primis causam prodidit Plutarchus,⁶ ne quid sacrificanti occurreret, per quod mens a praesenti muneric functione alio averteretur. Id ipsum declaravit Servius ad illud Vergilii III Aeneidos 405, ubi per eadem sensa sic ab Heleno monetur Aeneas:

*Quin, ubi transmissae stelerint trans aequora classes,
Et positis aris iam vta in litore solvs,
Purpureo velare comes adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat et omnia turbet.*

* *

Sed ad praecipua et singularia capitis tegumenta accedamus.

Inter universa, quae capiti obnubendo adhibuere veteres, primum locum *Pileus* obtinuisse asserendum est.

Ei nomen Graeca vox πῖλος fecit, quum et haec (ducta a πλοῦν, *densare*, origine) coactilia denotaret, et ille e coacta lana conficeretur. Eam ipse formam prae se tulit, ut nec ulla ora ambiretur, et plane rotundus galeae instar esset.

¹ Histor., X, 7.

² Hadrian., XXVI.

³ Quaest. Rom., X.

Hoc capitis tegmen gestare moris erat in Saturnalibus; quod sic indicat Martialis:⁷
Permittis, puto, pileata Roma.

Cuius instituti ea causa fuit, quod per eos dies liberrime viveretur; pileus vero libertatis esset insigne. Propterea servi post obtentam libertatem, detenso capite, pileum sumebant.⁸ Unde est illud Plauti:⁹
«Ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum».

Ex qua sollemni consuetudine ortum habuit illa dicendi formula: «Ad pileum vocare»; quod idem erat ac libertate donare.¹⁰ Eadem de causa pileus pro libertate positus nonnunquam est, ut in Martialis epigr. XI, 48:

Totis pilea sarcinis redemi.

Quo etiam spectavit imago pilei in nummo Cassii Brutique opera post caudem Caesaris cuso, inter duos pugiones posita cum hisce verbis: «Idibus Martiis»; quo scilicet die per illius necem respublica in libertatem vindicata esset.

Ex his habes, pileos tum vulgo ab omnibus per Saturnalia, tum a servis libertatem assecutis fuisse usurpatos. Sed præterea eorumdem usus in conviviis, etsi non perpetuus, non tamen insolitus fuisse videtur. Indicat certe Horatius,⁵ quum canit:

Ne forte sub ala

*Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum,
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.*

Senes quoque atque aegri, ad imbecillae vel aetatis, vel valetudinis praesidium,

¹ Epigr. XI, 7.

² Quare servis in libertatem assertis caput raderos esset, aperit Nonius (XII, 36) quum ait: Qui liberi liebant, ea causa calvi erant, quod tempestatem servitutis videbant effugere, ut naufragio liberari solent». Et certe qui a naufragio emersissent, detonsam comam diis marinis consecrabant, quasi quibus vitam referrent acceptam.

³ Amph., I, 1.

⁴ Liv., Hist., XXIV, 32: «Postero die servi ad pileum vocati».

⁵ Epist., I, 13.

pileos, si non semper, at aliquando adhibuisse creduntur.

In militia denique pileos e villosis ovium pellibus, qui *Pannonicī* dicti, usurpatos esse testatur *Vegetius* (I, 20), eamque huius instituti affer rationem, ut asueto militi caput semper habere opertum gravis inde in praelio galea non fieret.

**

Tegumenti genus alterum *Petasus* fuit quem hac una re a pileo diversum existisse accepimus, quod is ad solem, imbremitaque prohibendam latos circa margines haberet; unde et nomen ei arcessitum, quod est a *πετάννῳ*, *extendo*. Erat hic quidem peregrinantium proprietor; id quod summopere declarat *Tullii locus*,¹ ubi de tabelliorum festinatione conquerens: « Sed petasati – inquit – veniunt: comites ad portam exspectare dicunt ». Eodem porro refer *Mercurii petasum*.

Huic capitī tegmini per omnia, excepto nomine, par fuit *Pileus Thessalicus*. Atque hinc factum, ut folium fabae Aegyptiae, quod a *Dioscoride* (II, 128) petaso comparatur, idem a *Theophrasto*² Thessalico pileo aequiparetur.

Ad eundem quoque usum, ad quem petasus erat, comparatum hunc fuisse pileum patescit *Dio* (p. 645), sic narrans: « Tunc primum... usus pileorum Thessalicorum concessus in theatris, ne solis ardore laborarent ».

(*Ad proximum numerum*).

S. A.

¹ *Epist. fam.*, XV, 17.

² *Hist. plant.*, IV, 10.

MONITUM

Anni fine adventante, iterum iterum que socios rogamus, qui nondum comendarii pretium solverunt – eosque magis, qui non unum huius anni pretium nobis debent – velint quo citius cum administratore nostro rationes suas exaequare.

QUORUNDAM ANIMALIUM VIAE, PUGNAE, INSTINCTUS

Quoniam eo tempore sumus, quo res hae proprius percellant, aliquid adnotare placet in iis, quae ab animalibus miranda offeruntur.

Et haec nos quidem aspicimus potius quam perspicimus, nisi altius oculos intendamus. Causamque rerum potissimum in exiguis etiam fateamur pulcherrime facientem, et minima quaeque opportunissime temperantem ac disponentem.

Prima itaque sunt animalibus praescripta itinera quaedam, alimento eorum et generationi mire convenientia, quae adamassim pariter variarum ornatui tempestatum et conditioni respondent, atque hominum utilitati aptissime inserviunt. In quibus notanda praecipue lex occurre videtur, qua maris et caeli patet his via felicior longe ac tutior illa, quam nos fulti doctrinis, experientia muniti, omnibus denique subsidiis praecincti aggredimur, calamitatibus et infortuniis obnoxiam.

Hirundines enim certo tempore discessurae, quasi e condito simul, singulis turnis per oppida singula nativa, atque, ut ita dicam, patria coactis, ire per aërem, redire, laetitia dices gestientes, ibique morari, diuque interdum innectere quasi moras. Ne credas id absque causa; temporis opportunitatem exspectant, non qua serenus sit aether, et mare placidum, sed qua consentiens afflet ventus in loca pétenda. Ubi instinctu novere haec esse coram, subito consilio, cohorte facta, aciebus instructis, inire volatum, addere sese sociis, quae proximiores litoribus quaerendis exstant, ac demum agmine longo, exercitu magno pennas dare secundis flaminibus, et ex Italicas regionibus in Syriam, in Aegyptum, in Lybiam, in Mauritias geminas tuto procedere.

Absit ut cogites devias ire, errare posse, deficere. Unaquaeque probe noscit unde abeat, quo tendat, qui sint scopuli, insulae, aerae ad requiescendum in via.

Nec una deerit proposito. Revisent ad apicem domos, tecta, turres unde venerunt, unde vere novo migratura in nostra redibunt; nec defuere ex hisce delicatissimis avibus, quae singulis autumnis, quae vere quovis, alligatis ab hospite taeniola et charta sub ala, nunciae fuerint mutuae salutationis inter homines qui Italiā et Afričam incolerent, nec alio modo, nisi per hirundinem hanc, novissent esse eum, a quo salutarentur quotannis.

Numquid unquam fecellit eos ventus? Numquid, iter quum facerent, procella unquam orta est?...

Quae de hirundinibus diximus, haec etiam de coturnicibus dictum volumus, quibus idem iter, eademque quotannis gemina conspicienda sunt litora, praeter unum illud quod plerumque noctu aggrediuntur, diebus delitescentes in herbis et paleis ad litus maris, et palabundae, et vix binae. Idque eo mirabilis; nam non ceterarum exemplum eas movet, nec multitudo similiū trahens, sed quaedam vox, ut ita dicam, interior; quae talis est, ut, quae singulae aut binae tantum evolare ac demigrare videantur, debito spatio interposito, ad oppositum quaesitumque litus pervenire simul cernantur. Quapropter quotannis est iis tum Maio, tum Septembri mense miserrima clades et retibus ad óras pelagi praeparatis. Cur autem insidias anno insequente non vitant? Cur alio non appellunt? De itinere vox illa monebat; de insidiis non admonebat.

Et quid erit scolopax nobis? Aestate nives et frigora quaerens aut Alpium aspera, quae inter Asiam et Europam sunt, atque Urales montes vulgo appellantur, aut si qua habentur inaccessibili gelu loca deserta tenebit, ibique dabit operam filiis; redeunte gelu et saeviente apud nos hieme redibit; nec tamen erit insidiator aut scrutator ex nobis, qui de invento aut reperto scolopacis nido glorietur.

Iam nunc est sermo de iis, quae – mirum! – animantia subdita septem sunt stellis, quas Triones appellant. Ex hisce pleraque, ubi concrevit glacie mare, perpetuoque illo Borea semestri omnia nive obducta et abdita sunt, indumento albo vestiuntur, ne hostibus, uīsis praesertim albis, facile innotescant. Tum ex regionibus illis asperrimis, ubi mitiore aërem sex experta sunt mensibus, ex illa Borealis poli pace descendunt, quasi exsulans inde sex mensibus lumen sequentia, redditura rursus ad Arcticas oras, ubi tempus monuerit.

Quid autem de piscibus ex loco in locum migrantibus? Eorum exodus et vices facto patent, causis latent, redditus non satis notescunt.

Pauca denique addemus de instinctu illo mirabili, quo animalia se suosque tuentur, atque illa praesertim, quae minus ad bella et proelia parata videantur.

Equis enim credit esse Martis et vim et animos columbis humanissimis, quibus non modo in accipitres, in milvios pugnam ineant, sed felici certamine victores existant, et immisericordes, incruenta quidem sed indeprecabili, neque minus tamen horrenda nece mulcent latronem sanguinolentum et exsecrabilem?

Rem ita conficiunt. Vix columbis innutuit milvium, accipitrem, et si quid huius est generis, ter quaterque grassari, ubi illae versentur, et caudem filiis carissimis comparasse, hīc illic in foraminibus rupium altissimarum, ad arborum procerissimarum truncos, quo melius possunt modo abund se, delitescunt, occultantur, acutissimo quo pollent visu longius aërem scrutantes. Ubi hostem viderunt prope habitacula sua inferius ambientem, simul omnes prodeunt a latebris, et agmine facto, consertae super latronem ita ingruunt, ut necesse illi sit, si uti alis velit, propius

terrae volare. Qui impatiens dominium imbellium, non stare, non morari, sed abire in liberum et apertum. Frustra. Cohors aeterna super terga impendebit, quam ipse non unguibus, non rostro valet diffidere. Nulla ad cibum capessendum quies, ad bibendum nulla inimico, dum interea illae, manipulis e grege dimissis, per orbem pascuntur. Sic ille aut fessus ad mortem necabitur, aut, idque saepius, immo plerumque, in flumen aliquod, in mare, in lacum compellitur, prementibus desuper omnibus, admittentibus, neque inrequentibus, nisi prius viderint et calcaverint apertis alis inutilia super aquis mortiferis conantem, et in profunda miserrime descendenter.

At si qua sit inter animal et animal proportio, tunc pugna, tunc proelium aliquid ex epico induit, et vel Homericu dignum carmine videtur. Exemplum afferamus.

Glandibus et castaneis vescuntur maialium greges ad Apenninorum radices. Martii lupi apenninicola, tum premente frigore et pellente nive, tum adidente fame, ex nivoso et nimboso cacumine ad inferiora montosae domus descendere solent, sibi, suadentibus esurie et rabie illa inexplebili, suinos facile patere greges putantes. At vix odor vento innotescit, aut suspicio inimici aliquo signo ingruit, aut, quod facilius est, aliquis e subibus resperxerit, ineffabilem grunnum primus emitit, et fuga salutem, si solus, petit; si plures, terga ad tergum constituant, et classicum grunnum canentes, impetum luporum expectant. Interea silva omnis resonare vocibus illis suinis, quae nescio quid praeferrunt inter iram et dolorem, et eodem tempore undequaque concursus ad locum. Arbuta, vepres, quodcumque patet suriantibus porcis, atque ruentibus, praecipiti cursu anhelantibus ferociter et spumam mandentibus. Momento temporis lupinus manipulus includitur denso circulo suium, qui circulus in momenta arctior fit; nam,

Haec autem satis hodie habeantur.

M. L.

Quae sunt huius temporis oeconomiae conditiones non sinunt, ut commentarii missionem ultra persequamur ad eos, qui ita negligentes se praebent, ut labores nostros, — neque eos herculeos levem captare videantur.

Confidimus itaque fore ut extrema haec vitare possimus.

qui minores viribus ac dentibus, rostrum a facie luporum digredientes retro ferunt, et quasi alterum orbem conficiunt post principes, quibus Ianena commissa est; id enim eo tendit, ut sensim rostra porcorum membra luporum contingant. Suina buccina clangit interdum sine mora, et novi bellatores iugiter adventant. Seu terrore, seu salutis instinctu fiat, lupus et lupi saltum moliuntur, quo integra cinguentium corpora maialium tranent. Hoc Ianenae initium; nam vel principes vel triarri corpora volitantia saltu dentibus et rostro arripientes in oppositos porcos vi magna repellunt, hi in alios, et alii in primos, dum lupino sanguine rubent rostra maialium, dum volitant exta e disseco luporum ventre per aërem, dum tota tellus sanguine redundat. Neque horribilis cessat ludus huiusmodi, qui cum lusu pilarum apud nos commune aliquid habet, nisi prius non lupi, non lupus, sed disiecta ac propemodum comminuta membra occupent aërem; aërem composito dico, quia nunquam terram attingere fas est, solummodo horrentia et hiantia rostra porcorum. Quum autem hisce compertum sit non esse amplius in ludo lupos, sed quaedam avulsa capita, quosdam armos et osseas crates, tunc circumspicientes cauti terram scrutantur naribus, et reliquias illas, si quid adhuc vitae supersit in iis, novo exagitant ludo, donec penitus contritum quid sibi videantur.

Haec autem satis hodie habeantur.

M. L.

EX ITALIS URBIBUS

Exhibitiones Taurinenses.¹

Eamus hinc intro.

Armatos video stantes in timine primo

teterrimos tamquam loci custodes. Sunt duo barbari, qui arcum prae manibus tenent, vultuque horridiores videntur, at statuae vivido colore mitoque artificio compositae, nos minis innocentissime arcessere nituntur. Noli ergo timere, firmo esto animo; sunt enim amici. Quam omnia pulera, quam omnia eximie composita! Multa equidem acceperam auribus multaque scripta antea perlegeram, at, praeter omnium exspectationem, res famam superat longeque supergreditur.

Non semper errat fama, scripsit Tacitus, aliquando et elegit! Ita prorsus.

In primo ergo conclavi, ut modo monui, adsunt duo venatores, qui, quamvis minentur, non utique seriunt; unus est *Feughinus*, ut aiunt, et alter *Onas*; qui hospites tacite docent, quae ibi exhibentur, ex sua regione prolata, hic maxime laudari. In multis enim dactylothes sunt insignes torques ex avium ossibus ingeniose confecti, mitrae, *guanaci* pellibus compositae, ad virorum capita splendidissime ornanda, rufiaque adhuc atque inulta puerorum incunabula, arcus et tela, alisque id genus complura.

Habes ob oculos amplam et commodam de herbis illius regionis scholam. Qui magnus et pretiosus herbarum collectus a longissima illa teliure prolatus, ibique miro ordine positus, una cum avibus cuiuscumque generis suisque cum ovis! In medio stat pro floribus elegans fulmentum ex nodis compositum ligneis fagi, quam docti *Cytarium Darwinii* appellare consueverunt. Ut vides, et barbari illi, qui hesterna

die rudes erant atque inculti, sub ductu praescriptoque Missionariorum, de liberalium artium primatu cum docto quoque populo nunc decertare queunt.

In secunda partitione sunt et complura animantium genera, aves australes, *pinguini* potissimum, atque ova, lutrae, et cetera.

Hic tamquam loci princeps dominatur *puma*, veluti noster leo, cum magni *Cacichi* herma, et *Namuncurà*, qui, Deo adiuvante, opera atque industria Ioannis Cagliero, mox Cardinalis, ad humanitatem excoli passus est cum filiis.

Sed iterum tibi nova admodum rerum series hominumque globus, qui veluti a machina egressi, in tabulis referuntur in amplissimis *Pampa*... Ibi ad sapientiam christianam Missionarius homines erudit; illic paratos baptimate abluit, et passim scholae officinarum artium liberalium pueris instituendis atque exercendis vides... Vides et armigerum, qui ardentes oculos intorquet lumine glauco.

Ne nunc iterum timeas, velim; humanissimus est... atque marmoreus. Eum in sculpsit Cerinius noster, ut oculis discas quae sint equorum phalerae, quique equum mores, cum recentioribus stapedibus apud antiquos affatim ignotis.

Hactenus de iis praesertim gentibus, quae meridionalem Americam incolunt, et paulo ante ad religionem atque ad humanitatem excoli caepta sunt. Ad has enim tota fuit Missionariorum ratio prima atque industria.

Nos brevi marient *Bororos* et silvarum aeterni habitatores, qui ad Brasiliam pertinent atque ad Argentinam rempublicam.

At curnam haec Missionariorum exhibito ab America incipit? Paucis me absolvam. Omnes fere viri religiosi adhuc Asiam petebant vel Africam, et veterum magnorum exempla secuti, ad Indos se convertere atque ad Iaponenses consueverant. Primus inter magistros Missionario-

¹ Cfr. fasc. sup.

rum ad Americam Ioannes Bosco perrexit, eo tamen consilio, ut brevi post tempore, ad veteres illas quoque plagas adpeteret. At si non semper eventus imputari debet cuiusque rei, sed consilium, sancti viri animum mox omnes laudarunt, et illi qui primum hominem incusabant, quod aërem esset verberaturus atque inutilia captaret. Adde, quod, illa tempestate, complures Itali, quorum alii novitate rerum acti vel inopia, alii subitis divitis inhiantes, relicta patria, nullis perterriti periculis, illuc inconsulto se ferebant, vitam casibus liberrime obiectantes, nihil sane reputantes quid crastina dies ferre posset. Eorum religio magno in periculo versabatur. Sic fortuna unica acti, multi miserime vitam degebant. Omnibus enim perhibetur quid de fortuna scribitur: «Fortuna vitrea est, tum quum splendet, frangitur».

Et Missionariis miserrimis istis opem commodissime ferebant, eosque manu propemodum ducebant ad amplissimos agros colendos, ut ita certam sibi fortunam suisque effingerent.

Hanc autem exhibitionem Missionariorum placuisse, atque, ut dicitur, acu metam contigisse, ex hoc quoque facile arguere possumus, quod ab initio usque ad finem quotidie plurimi inspecturi ad venerint. Quo nomine, pueri scholarum prioris ordinis et studii maximi alumni, omnes ordinatim, die dicto, sub ipsorum magistrorum consilio, veluti ad disciplinam convenientiunt. Et milites admirati quotquot sunt in urbe degentes, viderunt quid Missionarii fecerint ut ad humanitatem fratres informarent, et quo studio longe lateque adlaborent ut homines adhuc errantes ad rectum tramitem perducant.

Quo facto, iure meritoque Missionarios religioni et patriae benemerentes dixeris et recte eos adpellaveris qui

Quasi cursores vitai lampada tradunt.

Iam ducenti et amplius millia fuerunt huius exhibitionis spectatores, et non modo

cives Taurinenses, sed, diebus festis potissimum, opportunitatem nacti, frequentissimi et incolae late circumstantes curiosus adcurrunt.

Et omnes una sententia operam sanctam veluti ignotam Missionariam laudant, quae brevi admodum tempore tot triumphos de humanitate retulit, et mentem eamdemque sapientiam, qua haec publica exhibitio disposita fuit atque egregie ordinata.

SUBALPINUS.

AD «MIRASOLE»

Hoc nomine, et iure meritoque, Coenobium olim appellabatur, quod apud Mediolanum, haud longe ab urbis pomaerio, securus viam, qua ad Ticinum itur, obvium sibi offert.

Cur nomen *ab solis adspectu* sumpserit, facile tute assequi poteris, si vel leviter locum circumsperceris, caelicque serenitatem aliquantis per gustaveris. Hic enim limpidus Mediolanensis aëris longe lateque patet, et optime

*Largior hīc campos aether et lumine vestit
Purpureo, solemque suum sua sidera norunt.*

Labente saeculo decimo secundo, hīc celebre religiosorum hominum Coenobium conditum est, ut esset quodammodo portus salutis, ad quem tutius passim se conferebant qui ingenium nacti vehemens ac turbulentum, iuventutem suam in seditionibus exercuerant, quibus saepe Italiae civitates iactabantur, et hīc postea rerum humanarum pertaesit, Deo devoti, per preces, per asperam membrorum poenitentiam, ad bonam iterum frugem redirent. Et re vera, omnia circum ad divinam animi quietem adhuc invitant! Adest enim pium devotumque sacellum, et sacra turris quae silens tamen, quod tintinnabulis omnino caret, antiquam loci religionem testatur,

et veteris elegantiae decus, incolarumque felicitatem praetereuntibus praedicat.

Sancta virorum sodalitas *Humilitum* nomine decorabatur, eo quod socii, omnibus rebus atque honoribus abdicatis, ad immortalia admodum spectabant. Quo facto, ut religioni commodius inservirent, horis subsaecivis, tempus quod a precibus reliquum esset, ad servile opus exhibebant. Alius agros colere, alias volumina conscribere, aliaque id genus conficere consuevit. Ad haec enim potissimum religio eorum spectabat, ut superbiae animorum domitis stimulis, ad veram immortalitatem tandem assurerent.

Et diu, per trecentos et amplius annos, Coenobium illud fuit assidua fessis mortaliibus quies, ac securitas iis qui identidem procul negotiis eo se conferebant, quia religiosorum pietas et peregrinos honesto hospitio excipere consueverat. Ibi, uno verbo, vitae otium quaeritabant quotquot, adolescentiae studia iam defervescere sentiebant, et aetas, morbi atque infirmitates ingentes animorum spiritus mitigabant.

Quae habitantium laetitia, omniumque laborum tranquillitas! Religiosi diu nocturne vitam in operibus sacris transigunt, et aliquando, animi causa, in liberaliores etiam artes incumbunt, et in primis assidue setis conficiendis opera atque intelligenti. Ars enim serica, peradulta nunc et perfectissima, puerescet adhuc. Nostra omnino est, praedicant Mediolanenses, quia primi in Italiam, maiori studio, sericorum pannorum institores extiterunt, morisque undique excultis, artem pretiosam late propagarunt. Quapropter «quem nec longe dies, pietas nec mitigat ulla», brevi tempore, praeter omnium opinionem, modo si umbratili vita delectetur, in orationibus versetur et in rerum aeternarum cura et cogitatione, in meliores mores redigitur, et nihil quam optimum in posterum molitur.

Ibi unusquisque immortalia illa Aligherii carmina repetit:

*...sic ibi me dedi
Ut vescens oleis transirem tempora laetus
Exercens mentem rebus in aetheriis!*¹

Cibus enim est illis admodum frugalis modicusque: sic pravas animorum cupiditates reprimit et mentem ad caelestia desideria revocat. Quo factum est, ut Caenobium maioribus in dies alumnis cresceret, et virtutum nomine celebraretur. Illuc enim tuto et sine ulla offensione omnes severam religionis institutionem profitebantur, atque aeternam sibi beatitudinem comparabant. Verum amplior forsitan rerum terrenarum commoditas, ambitio, potentiorum studium in arcem illam olim arctissimam irrupit, et breviter omnino ab religionis sanctitate excidens, omnia in desolationem convertit.

In praesentiarum est misera agricultorum domus, satis ampla equidem at maxime repugnans, quod tam abiectis sit nunc usibus apta.

SENIOR.

COLLOQUIA LATINA

Scriptio.²

MAXIMUS, PAULINUS.

MAXIMUS. — Scriptionem componamus; satis Pauline, lusimus.

PAULINUS. — Mihi quidem constitutum est, nihil toto hoc die scriptio edere.

MAX. — Cur non?

PAUL. — Quia nempe prolixius est argumentum.

MAX. — At poenam fetes?

¹ ...Con di liquor d'ulivi
Lievemente passava e caldi e geli,
Contento nei pensier contemplativi.

² EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus.
Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PAUL. - Illud ego non reformatum.
MAX. - Quid vero facies, quum exiget
a te Magister scriptio?
PAUL. - Dabo.
MAX. - At componere nullam vis...
PAUL. - Alicui furto auferam.
MAX. - Nonne pudet te vel per iocum
hoc dicere?
PAUL. - Emam igitur.

MAX. - Quo autem emes pretio?
PAUL. - Exsolvam me castanearum
libra una.
MAX. - Pol! Ex huius generis commer-
cio quantum lucri referes!

PAUL. - Cur igitur imperantur nobis
pensa tam gravia?
MAX. - Mitte inanes has querelas, et
meum sequere consilium, si sapis.

PAUL. - Quodnam autem?
MAX. - Sume in manu calatum, se-
rioque incumbe operi.
PAUL. - Faciam quod mones, dummodo
tuam pollicearis operam.

MAX. - Pollicor. Age, calatum de-
prome et atramentum.

PAUL. - Sunt illa in promptu.
MAX. - Et chartaceum librum ubi
habes?

PAUL. - Ecce, in manu est.
MAX. - Lexicon autem?
PAUL. - En illud, super illam tabulam,
et usu iam detritum.

MAX. - In primis, fac singulas ut orationis
partes perspectas habeas, et quid
quaeque vox significet, quidve regat, aut
a qua regatur, quemve mutuum habeant
habitum, consideres diligenter.

PAUL. - Id omne peractum est.
MAX. - Quaere nunc in lexico vocabula
singula.

PAUL. - Istud non reperi nomen.
MAX. - Nempe quia ibi illud quaeris
ubi non est.
PAUL. - Ubinam vero reperitur?

MAX. - Quomodo illud exscripsisti?
PAUL. - Cum aspirationis nota.

MAX. - En erroris causa. Nulla huic
voci nota inest huiusmodi.

PAUL. - Hem, reperi: utile dedisti mo-
nitum.

MAX. - Tua causa gaudeo.
PAUL. - At in quo casu collocandum
nunc est id nominis?

MAX. - Quem regit casum praepositio
a qua pendet?

PAUL. - Ablativum.
MAX. - Ergo in ablativo illud colloca
eo modo reliqua praeceps.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.¹

Vocatio - Vitae genus; Genus aetatis
degendae.²

Vogator - Remex.

Volatizari - Decoqui.

Volator (homo) - Per aërem viator;
Caelum lustrans; Avia celsa petens; Qui
per aërem fertur.

Volubilis (homo) - Inconstans; Mobilis;
Novarum rerum semper cupidus.

Volumen (corporis cuiusdam) - Ma-
gnitudo.

Voluminosus - Magnus; Amplius.

Voluntarie - Ex voluntate; Sponte
Sciens; Ipse.

Voluptuosus - Voluptuarius.

Volutabilis - Mutabilis.

Vomitius - Vomitio.

Voracitas - Edacitas; Ingluvies.

Vorticous - Verticosus; Turbineus.

Votans - Suffragator; Qui suffragium
fert (init).³

¹ Cfr. fasc. sap.

² Sensu ecclesiastico: Divinus instinctus. - *Contra
vocationem* - Adversante et repugnante natura.

³ *Signaturae Votans (Romae)* - Adlectus in con-
silio Principis ad causas rerum iudicatarum diri-
mendas.

Vox - *Vox activa*: Ius suffragii enun-
ciandi (interponendi); Ius suffragationis
interponendae - *Vox passiva*: Ius alieni
suffragii; Ius utendi (fruendi) alieno suf-
fragio - *Vox activa et passiva*: Ius utrius-
que suffragii; Ius sui alienique suffragii;
Ius exercendae (fruendae) suae aliaenaeque
suffragationis - *Vox sonora*: Vox canora -
Vox viva: Vox clara - *Vox publica*: Per-
vulgatus sermo - *Vocem spargere*: Ru-
mores spargere (in vulgus edere) - *In bona
(mala) voce esse*: Bene [male] audire - *In
malam vocem aliquem mittere*: Aliquem
infamare - *Vox technica*: Artis vocabulum.

Vulcanus - Mons ignivomus (ignes
evomens).

Vulnus pectore exceptum - Vulnus
adversum.

Vulnus a tergo acceptum - Vulnus
aversum.

Zainum (militare) - Sarcinae.

Zechinus - Aureus Venetus; Aureus.

Zelus - Studium; Studium et industria;
Sedulitas; Diligentia.⁴

Zendadum - Tenuis pannus; Pannus
sericus.

Zenit, Zenith - Caeli fastigium.

Zibellinum - Mustelae zibellinae (Ponti-
ci muris) pellis.

Zibbum - Zibebae uvae; Vitis viniferae
zibeba; Passa maior uva.

Zigomus - Os iugale.

Zigrinum - Corium mulinum.

Zimara - Lacerna.

Zingarius - Circulator; Sortilegus.

Zinzinum - Exiguus haustus.⁵

¹ Itaque *Zelare*: Studere - *Zelans*: Studiosus;
Diligens - *Zelantem esse*: Studio alicuius rei incensum
esse (flagrare) - *Animarum zelus*: Alienae salutis
ardor (ardens studium); et: Ardenter animas sitire;
In aliorum salute procuranda operam suam collocare;
Totum se in animorum procreationem tradere; Ani-
marum saluti se devovere; Totum se iuvandis ani-
mis conferre - *Zelator*: Fautor.

² Hinc *zinzinare* - Exiguus haustibus bibere. - Et
iam: Potitare; Sorbillare.

Zipolus - Epistomium; Axis.¹
Zirlare - Truculare.²

Zizania - Lolium.³

Zodiacum - Signifer orbis; Duodecim
signorum orbis; Sectus orbis.

Zona - Fascia; Cingulus. - Pars terrae
(caeli).⁴

Zoologia - Animantium descriptio.

Zoticus - Agrestis; Rusticus.

Zufolare - Fistula canere; Tibias in-
flare; Sibilare; Sifilare

Zufolus - Fistula; Tibia.

FINIS.

I. F.

Digitized by srujanika@gmail.com

ANNALES

Nationum societas.

In Societatis Nationum conventu, qui
recens Genevae est actus, de Germaniae
admissione legati tandem secundis suffra-
giis decrevere, quae statim locum suum
stabilem occupavit. Factum hoc tamquam
novum pacis pignus plerisque visum est:
certe, inde vim suam integrum suscepit
foedus ad Locarnum, Italorum Anglorum
que populis auctoribus, pactum, et conten-
tio quaevis de Rhenanis finibus, imminentibus
belli minis, saevire desinet. Quibus
faustis auspiciis addere iuvat colloquium
quod Briandus atque Stresemannus ad
Thoiry, oppidum a Geneva non longe,
habuerent, fuitque - prouti nunciatum est -
de quaestionibus inter Galliam et Germaniam
amicè solvendis super fundamento

¹ *Zipolare* - Axe obturare.

² *Zirlatio* - Turdorum cantus.

³ *Zisaniam seminare* - Discordias serere; Discor-
diam inducere (concitare); Dissensionem commovere -
Zisanus: Litus sator.

⁴ Itaque *Zona glacialis*: Pars terrae rigens. -
Zona temperata: Pars media; Orbis medijs - *Zona
torrida*: Solis iniqui plaga; Ignifer axis; Ardores. -
Zonae torridae incolae: Sub sole habitantes.

certi ordinis constituendi in territoriis hinc inde occupatis, itemque certae regulae de bellicis debitis a Germania Galliae solvendis.

Ad Societatis consilium explendum sunt pro tempore electae novem hae civitates: Polonica, Columbiana, Chilensis, Sancti Salvatoris, Belgica, Romanica, Batava, Sinensis, Cecoslovachica.

Italicae res.

Italici recentes eventus peculiari mentione hodie digni sunt. Atque imprimis tristis admodum et execrabilis; facinus aliud in vitam primi administri a perduto homine ex communistarum factione, frustra, Dei providentia, tentatum. Sequuta fuere et ipsius administri Liburnense colloquium cum exterarum rerum Anglici administro, in quo idem utriusque nationis animus de civilibus per orbem negotiis est confirmatus; et nonnulla commercii et amicitiae foedera cum aliis civitatibus, nempe cum Hispania, cum Romania, cum Yemensis regionis imperio. Composita quoque est controversia, de qua mentionem fecimus, cum Aethiopici regni procuratore Tafari; ex quibus iterum apparuit Italici gubernii desiderium in pace et ad populi progressum unice vivendi.

Ex Graecia.

Graeci novam repentinam vim videbunt. Terrestres et marinae copiae simul iunctae Condylis ducem adiuvere, ut reipublicae praesidem Pangalos, qui proprius dictator vocari poterat, de honore suo verterent. Fugere tum is est conatus, sed consequuti eum sunt milites in itinere, quod Italianam versus mari aggressus erat, et in carcerem detruserunt.

Rerum summa Condurotis navarcho reddita sunt, qui sibi proposuit patriam ad suppressam libertatem reducere per populi scitum proxime habendum.

Sinense bellum civile.

Mexicano civili bello adhuc furienti, recusante publico coetu legibus ferendis Catholicorum querelis morem gerere, addendum est et Sinense, quod alterna vice procedit. Hodie hostiles actus recensendi sunt in Russos et Anglos, ex quibus contraria vis ortum sumere facile poterit, ex Europaeis nationibus simul coniunctis.

Kalendis Octobribus MCMXXVI.

POPLICOLA.



VARIA

De arcano servando.¹

Tanti si tui quis tibi facere ostendat, ut secreto quidquam tibimet committere statuat; tanta id religione tibi custodiendum opus erit, ac si tua de re, eaque maioris momenti, prorsus agatur. Aulici quidam a principe sciscitabantur: Quid novi? Quoniam non nisi sua rex tibi soli confidit, hodierna die quaenam edixit? Quibus ille: Quare de eis ergo me interrogatis?

Ceteris paribus, quae ad patriam atque familiam attinent, maiori sunt studio silentioque servanda; horum enim revelatio maiores plerumque importat ruinas; neque minus improbanda illorum est hominum imprudentia, qui verbis vos fatigant, quibus illorum integritas commissa est atque custodia. Ad rem nostram Gellius Aulus optimum servandi nobis exemplum arcani memoriae tradidit, quod operaे pretium est iuventuti nostrorum temporum recensere.

Aliis temporibus, Romae, sic ille, filios secum in senatum adducere solebant pa-

¹ EX BLANCHARD, *Schol. morum*, latine vertit
H. M. IACOBELLI.

tres conscripti ex eis precipue, qui adhuc praetexta in duebantur; purpura circum vestem instructam et ornatam, quam minime septemdecim ante annos deponebant adolescentuli. Olim quum de tanti momenti negotio agereretur, quod in crastinum differri debuerit, dixerunt ne de re quidem verbum facere, donec controversia dirimeretur. Papirius autem adolescens, cum patre suo simul in senatu steterat illa die. Qua de re actum fuerit, ab eo quaesivit mater. Inhibitum id fuisse alicui revelare, reposuit iuvenis: quod responsum sitim exarsit parentis, non extinxit, ita ut istante puero de silentii lege servanda, magis eius magisque aviditas augeretur. Ad incitas demum parvus adactus Papirius, argute consilium iniit. Actum est, inquit, a patribus utrum maiori cederet reipublicae bono, si maribus daretur duabus nubendi facultas; aut mulieribus viris duobus coniugio ligari. Mirum in modum honestissimam feminam iniucundus movet nuncius. De vestigio domo eam egredi, amicas convocare, audita renuntiare. Mulierum catervae postridie senatum circumdant, senatores exoratura lacrymis obortis, ne his inauditis legem rogarent. Subita rei novitate mirati patres, quaerere quae tanta eas tenuerit amentia, quidve ab ipsis voluissent.

Tunc medium illorum in conventum Papirius accessit, matris efflagitationes retulit et quemadmodum ipsi responderat. Iuvenis ingenium et constantiam laudavit senatus, indeque decrevit, ne patrum ullus quidem natorum quempiam dehinc in senatum secum duceret, uno Papirio tantum excepto.

Rimarum plenum fideique servandae nescium hominem nemo unquam dilexit prudens, eumque nihil faciunt et illi ipsi quidem qui linguam eius dissolvunt: aliorum contemptui atque irrisioibus expoununt primi. Quae hoc enim in genere nugas videntur, ut ita dicam, noxiis gravioribus comparantur et maiori plectuntur

poena; quum a quolibet denuo labendi periculo liberetur is, cuius animus laudis adhuc, et honoris amore percellitur. Momento quo amici secretum excidere es passus ex ore, eodem tempore amicitia, fidelitas, honos, sapientia et iustitia, (tibi persuadeas), tuo recesserunt ab animo.

Iocosa

Magister discipulos iussit asinum lineis adumbrare. Tuccius informem figuram ei exhibet; qui risum vix tenens:

— Aedepol! — exclamat — huius generis asinos nunquam profecto vidi.

Cui Tuccius:

— Num igitur tu totius orbis asinorum genera vidisti?

Tuccio pater commisit ut horti olera irrigaret.

Tuccius ludis tempus terit, donec caelum conspiciens nubilum factum:

— Papae! — ratiocinatur. — Nimbum, ingruit; nisi me expedivero, officium olera irrigandi exequi non potero!

Aenigmata

I

Prima vocali si pes meus utitur, orno;

Cuius, proh! peraror, saepe luor lacrimis. Adde simul vocalem aliam demasque priorem:

Me submittere quis, si venerere deos.

Accide, si plurale legas! Nunc femina vivit;

Urbs Ligurum constat clara et amoena [situ.]

II

A et amicus masculus et neutrum decus aedi [est.]

O mihi, lectores, veniam date nota ferenti.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Letum - Telum*;

2) *Mas - Mos*.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRAVIUS

[17]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit Andr. Haberl)

CAI. Brevi carcer, brevi arena templum erit, ubi superno Patri, omnipotenti Deo, nos ipsos cruentatam offeremus hostiam. Nova ex nostro sanguine pullulabit benedictio, qua aliquando eorum, qui nos adhuc oderunt, corda remollescent, mentes convertentur. Inimici nostri quondam, deletis dis manibus, ad sepulchra nostra verum Deum prosequentur laudibus. Nostrae vitae pretio Deo nostro praeclarum domum video existere. Ecce corona porriguntur nobis et chorii caelitum nos suis excipient cantibus.

CORV. Administrata igitur omnia?

HYPH. Omnia.

CORV. Ergo procedite! (*Lente procedunt milites hinc inde. Postremi CAIUS nisus PANCRATIO et CORVINUS.*)

CAI. (*praeteriens*): Quisnam illic tam tristis adstat?

PANC. (*susurrans*): Torquatus, infelix frater.

CAI. O miser fili, quid fecisti? (*Torquatus avertit faciem*) Deum exora ut...

CORV. (*morae impatiens*): Omitte eiulaciones! Hic furcifer est dignus despectione. Procedite, procedite!

CAI. (*iterum conversus*): Reverttere, frater carissime, revertere! (*Omnes, excepto Torquato, evanescunt in scala.*)

SCENA III.

TORQUATUS.

TORQUATUS (*Aliquamdiu mutus adnixus pilae signa dat pugnae internae, tangit frontem, spirat, gemit. Postea incipit moram interponens post interrogaciones.*) Ubinam sum? Corvine! Num me illi reliquerunt solum inclusum camerae? Isti sunt, Torquate, amici tui! Postquam exemplo Iudei eos adiuvisti, is, qui tranquillitatem animo radicitus evellit, te proicit. Relictus sub terra es. Haec tibi nunc merces est! Mori inter mortuos! Mortuos?... Nihil sane! Nam mors vestra salus est, vita est. Vos qui placida tenetis conditoria peracto cursu apud patrem degitis. (*Praeterit pa-*

rietem). DEPOSITUS IN PACE – PAX TIBI. Hae tacitae mortuorum litterae tamquam ludificatio animi mei sunt, qui nunc iam depascitur desperationis cruciatibus. Ac tua haec culpa est, fidei proditor! Proditor? Ah! Apage a me ista cogitationum monstra! Quo ego a vobis fugiam? (*Abnuit*) Mihi parcite, obsecro, umbrae terribiles, quae minaces me circumdat! Num ego continuo detrudar ad inferos? Tu ne Christianus es?... Christianus?... Num tu homo es? Hoc prius interroga! Non sum homo. Belua paucarum horarum spatio effectus sum, et ea belua, quam vel gentilis homo exosus reicit! Actum est. Diutius non potes vivere. En, culter. Confice, insanissime! (*Extracto ex cingulo pugione*): Oppido perii. Quis enim ignoscat? Deo execratus et Ecclesiae, diem exsecrator, quo natus sum, omnes homines exsecrator, me ipse exsecrator. (*Concidens conspicit corpus Tarcisii*). Quidnam hoc est? Corpus exangue et rigidum? (*Amoto velo, stupidus*): Tarcisius! Sic te positum reperio! Hic me vidente pro Deo occubuit martyr vestitus innocentia. Quam blande ex nigris cincinnis haec pallida linea menta rident mihi, proditori fidei, pro qua hic puer martyr laetus fudit sanguinem! (*Mora*). Mirifice huius adspectus pueri mihi movet animum. Nefas est, Torquate, tibi ipsum mortem consciscere. Hoc est scelus cumulare scelere. (*Abiciens pugionem*): Abi, devotum novi instrumentum criminis! Nondum omnis perii, nondum damnatus sum. Jesus benignis me aspergit oculis. Ignosce, pastor, ovi tuae! Non sum dignus equidem, qui te suspiciam. Sed semel me, postremum servulum, si receperis, vita reliqua omnis erit poenitentia. – Quid faciam? Susceptum onus iam non sustineo, infinita catena est, quam unum peccatum funeste trahit. Ardet frons. Sitiunt labia. Miscentur mentis cogitata. (*Concidit*). Exhaustus sum. O Iesu, qua es misericordia, aperi, indica quid faciam! Quo, quo me vertam, Deus? (*Aulaeum demittitur*).

EXPLICIT ACTUS III.


(Ad proximum numerum).

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur
pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyloina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. – Sin-
gulae lib. 1,50.

*(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).*

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

AESTHETICAE NOTAE

De singulis artibus et primum de architectura.

Certa est nobis sententia, hoc sibi proprium pulchras artes usurpare, ut quamdam humanae vitae faciem spectantibus revelent; ideoque nobis de nobis imprimis eas loqui. Itaque architectura hominum communitatis et coniunctionis pulchritudinem adumbrat; sculptura pulchram animi nostri cum corpore unionem exprimit; pictura multiplices externalium hominis relationum significaciones describit; musica cunctos animi affectus mirifice extollit; poësis denique totam interioris hominis vitam canendo prodit.

Aestheticas notas hodie, post aliquod tempus, in hisce paginis resumpturi, operae pretium esse duximus de singulis artibus dicere, eo praesertim fine ut quae superius notavimus in aperto fiant, intelligantur, dijudicentur.

Ab architectura exordium petimus, quippe quae magnitudine sua piae oculis continuo versetur.

Atque primo quam maxime interest monumenta Architecturae ab operibus Aedificatoriae artis discernere: ista enim necessitati et utilitati tantum inservit; illa pulchritudinis formam gustusque aesthetici satisfactionem imprimis obtinere con-

tendit. Unde qui soliditati aedificiorum hominumque commoditati consulti, *Aedificator* simpliciter dicitur; qui vero pulchritudini etiam studet, *Architectus* nuncupatur.

Architectus apprime Geometriam calleat oportet, ex qua suam peritiam hauriat in aedificii partibus dimetiendis, componendis, dividendis, coaptandis...; unde Architectura appellari etiam solet: *Ars pulchrae Geometriae*.¹

Duo prorsus elementa in architectura distingui oportet, nimirum *apta materia* et *forma specifica*. Prima constituitur ex loci seu spatii circumscriptione per geometricas figuratas, et praesertim ex lapidibus, lignis, marmoribus, etc.; altera autem est viva et clara expressio, sive manifestatio humanae communitatis et coniunctionis, ita ut eo pulchrior sit architectura praedicanda, quo pulchriorem humanae fraternitatis exhibeat effigiem. Si homo solitarius vitam degeret, de architectura actum esset: e contra, apud populos hanc artem floruisse conspicimus, qui summopere societatis perfectionem assequuti sunt.

¹ De Architectura ex professo egerunt M. Pollio Vitruvius (saec. I a. C.), Leo Baptista Alberti (1407-1472), Iacobus Barozzi, *Vignola* dictus (1507-1573), Andreas Palladio (1518-1580). Sed nostra praesertim aetate plurimas eaque egregia *manualia* de architecturae technica, historia, etc., prodierunt. Quae quidem omnino adeunda ei sunt, qui rectum iudicium de hac arte sibi effingere cupiat.

Quum igitur architectura ab hominum consortio et sua initia et propriam formam sumat, primum est asserere huius artis caput et potiorem vitam haberi in tribus architectonicis operibus, videlicet in domo, in municipio, in templo, quae triplicem societatem, nimirum domesticam, civilem, religiosam, exprimunt.¹ Ex monumentis igitur architectonicis bene arguitur quaenam vigeat ratio et perfectio communitatis et coniunctionis hominum apud quamlibet provinciam, aut nationem.

Ad rationem pariter communitatis et coniunctionis istius, quam vulgo « sociabilitatem » nuncupant, quidquid in urbe aspicitur, pontes, atria, forum, theatrum, sepulcra, turres, pinnacula et cetera humusmodi referuntur. Haec peculiaris indoles, haec architecturae vita, vis: quapropter delectatio:is ratio in huius artis operibus ex consonantia atque convenientia aedificii cum *forma idealis* exsurgit, idest cum humana sociabilitate, cuius architectura est interpres.

Et sane: statim ac quodvis architecturae opus contemplamur, animus volitat ad habitatorum relationes, quorum gratia constructum est: et si ita omnia ordinata et congruentia inveniat signa sensibilia, ut exprimant eximiam consociationis formam, plurimum delectatur. Hinc humanae vitae nomina tribuimus architecturae: ex. gr. templum malestate plenum, superba turris, audacissima pinnacula. Recte igitur definiri potest architectura: *Ars, quae in aedificiis pulchritudinem humanae societatis exprimit.*

Quum autem suis quaeque ars utatur signis, sive naturalibus sive arbitrariis, ad propriam eximiam pulchritudinis speciem spectantibus manifestandam, suam loquaciam et architectura possidet, qua internos animi sensus, ut ita dicamus, aliis commu-

nicet: et quum fundamentum eius sit geometria, ab hac scientia praecipue signa mutuantur; quorum obviam, constantem atque universalem significationem hic delibare, nonnullorum saltem, praestat.

Linea derecta, unde et cuspides et caelum versus pinnacula, mentem solent natura sua ad sublimia erigere. Quid simile cernitur in illaboratis hominis motibus, qui si alta detineatur mente, vel suae dignitatis aut nobilitatis excellentia, erecto capite procedit.

Linea, e contra, quae ad imum flectit, moestum et cogitabundum denotat animum. Salix flexilis solet mortuorum ornare domum: homo pariter, tristis vel cogitabundus, inclinato capite incedit.

Lineae, quarum una alteram versus tendit eique iungitur, benignitatem animaliumque unionem exprimunt, velut homines, qui invicem manus porrigant, vel amplexu sese stringant amico. Lineae rectae vel « horizontales » stabilitatem designant. Sic de ceteris architecturae signis dicendum.

Sciat igitur architectus eximiae formae, quam animo conceptam habeat, apta seligere signa, eaque ita adumbret atque contemperet, ut clare formam ipsam manifestet, et iucundam valeat in spectanti excitare admirationem.

Ex diversitate expressionis et medium exsurgunt diversi styli: stylus *classicus* (graecus nempe et romanus) *byzantinus, gothicus, arabicus*, etc.

Sed et diversi *ordines* sunt.

Ordinis nomine in architectura intelligitur peculiaris dispositio partium, quae ad aedificium pertinent. Per antonomasiam tria sunt, quae ordinem designant: *stylobata, columnae, et corona* cum ceteris eorumdem ornamentis. Columna vice sua in tres dividitur partes: *basim, scapus, capitellum*. Item corona tres complectitur partes: *epistylium, zoophorum et coronam* proprie nuncupatam. Quinque autem sunt

¹ Solet etiam dividi Architectura in *civitem, militarem, navalem, hydraulicam*, etc.

ordines, tres graeci, duo itali, qui proprio charactere distinguuntur.

In Graecorum coloniis Asiae Minoris architectura floruit, ibique, uti fertur, originem habuere *hordo doricus* et *ionicus* ex Doride et Ionia. *Ordo corinthius*, longe primis nobilior, natus est in Peloponneso, Graeciae paeninsula. Mirum est quantum obtinuerit perfectionem Graecorum architectura, quum post tot saeculorum lapsum, adhuc ut classica exemplaria eorum opera ab artificibus habeantur.

Etrusci, qui Etruriam incoluere, *ordinem Etruscum*, suo nomine dictum, formarunt: Romani quoque proprium inventore ordinem nomine *compositum*.

Quavis disceptatione omissa circa ordinum originem, singulorum characterem breviter ad rem nostram indigitemus.

Ordo doricus, qui et *Erculeus* a Scamozio (1552-1616) appellatur, partium soliditate, fortitudine et unione praestat. Doricum, inter ceteros difficiliorem, Graeci et postmodum Romani adhibuere pro operibus dicandis viris fortissimis, uti exercitus ducibus, imperatoribus, consulibus, Diis Iovi ac Marti.

Ordo ionicus, qui et *matronalis*, agilitatem et gratiam una cum firmitate conjungit: medium tenet locum inter doricum et corinthium. Eo antiqui usi sunt in operum dedicatione Apollini, Diana, Baccho et aliquando Veneri. Apud recentiores frequens est huius ordinis usus ob suam formae temperatae indolem.

Ordo corinthius, qui et *virginalis*, agilior, ornatior, venustior prae ceteris est: adhibetur pro struendis sumptuosis aedificiis; pro templis, regum aedibus, pinacothecis...

Etruscus ordo, qui et *giganteus*, rusticitate, gravitate ac simplicitate dignoscitur, atque adhibitus fuit pro rudibus operibus, nempe pro urbium portis, aquaeductibus, turribus, maris portubus...

Compositus ordo, qui et *heroicus*, ex

eo quod Romani ad triumphalia opera eum potissime destinarunt, ita liberrime ionicum et corinthium imitatus est, ut novus evaserit ordo et a ceteris maxime distinctus. Ad ultimam perfectionem eventus est Titi Vespasiani tempore: apud Vitruvium de eo sermo non est, ac proinde vel non exstebat, vel sua initia ut vitiosa contempta fuere.

Denique ad architecturae leges procedamus.

Generalibus artis legibus architectura subiicitur: ex. gr. etsi appareat a naturae imitatione aliena, quia ab ea *proxima exemplaria* non sumit, tamen et ipsa naturae est emulatrix, puta cavernarum in vacuitatibus domorum; arborum in columnis; achanthi foliarum in corinthiis capitellis; convexitatis caelorum in forniciis; florum, animalium, mulierum in ornamentis.

Profecto summa architecturae lex est, ut eius partes et ornamenta ea ferme ratione excogitentur atque disponantur, quo natura ageret si sociabiles hominum relationes repraesentare vellet. Hae tamen, quae sequuntur, haberi possunt ut peculiares architecturae normae. Requiritur nempe:

a) ut aedificium cunctis suis partibus *ideam essentialē*, uti vulgo nos dicimus, quam artifex exprimere cupit, distincte manifestet ac fini respondeat cui destinatur. In hanc peccaret regulam, si quis, exempli gratia, municipii aedes ad instar militaris stationis effingeret; vel si vilulae, rusticationis causa constructae, se pulcri tribueret aspectum;

b) ut adsit grata illa linearum convenientia, quae « eurithmia » appellatur, sine distortionibus et saltibus (natura enim non facit saltus); sed omnia geometricae sint ducta;

c) ut vigeat « symmetria », seu ut debita proportio servetur inter partes necessarias atque secundarias, seu quae adii-

ciuntur leviorisque momenti sunt. Ornamenta autem, scilicet coronae, mutuli, denticuli, fasciae, caryatides, toreumata, simulacra et cetera huiuscemodi ne cumulantur. Et h̄c revocanda est illa *mechanica proportio* inter pondus et fulcrum: etenim ridiculum esset si ingens columna parum ponderis sustineret, vel e contra;

d) ut aedificium conveniat loco, prospectui, usui, cui destinetur vel ordinetur;

e) denique diversi styli respondeant indoli unius vel alterius ordinis, quem artifex elegerit: et ipsi ordines ne unquam misceantur, vel si eos miscere lubeat, habeat ratio dignitatis et excellentiae in eorum superpositione.

Restat ut de architecturae origine et vicibus nonnulla dicamus; quod tamen alias peragemus.

G. LEPORE.

IMELDA DE LAMBERTINIS

Nunquam fortasse multi ex nostris lectoribus huius beatissimae puellae nomen audierunt; de ea certe nunquam *Alma Roma* mentionem fecit. Iuvat igitur et in hisce paginis de eius vita pauca referre, ne ulli magnum sanctumque animi gaudium invideamus.

Ex nobili Lambertinorum progenie Bononiae orta, Imelda adhuc balbutiens aliquid supra humanum ostentabat indolemque prodebat iam virtute imbutam. Infan- tiae annos paullulum excedens, oratorium sibi a se constructum, Davidicos versus, et alios piarum precum libellos puerilium crepundiorum loco habebat. Tandem simul atque decimum aetatis annum attigit atque mundi decora ac paternae domus splendorem adolescentula conspexit, continuo ab eis se removere statuit et voluntariam paupertatem, castitatem et obedientiam

amplecti atque adeo in religiosam domum transire decrevit; quapropter in praeclarum S. Dominici familiam cooptata est. Huic novae militiae adscripta quemadmodum strenue religiosae disciplinae exercitationibus usa sit, quas corporis asperitates adhibuerit, quanta cura in affectuum interiorum refrenationem incubuerit, quantoque orandi studio fuerit impetitia, quam generose cetera munia tum insueta tum aspera subierit, dici nequit. Hoc certum testatumque, est, illam aliis, et annis et vitae consuetudine se superioribus, facem semper praetulisse. Venerabilem Eucharistiam praecipua religione observare nihil habebat iucundius. Nunquam enim sacris intererat, quod in dies contingebat, quin profundissima mysterii huius arcana attentissima mente pervolveret et lacrimis amorem suum indicaret desiderique indices exhalaret gemitus. Tunc vero vel maxime cruciabatur animo, quum ceteris caelesti pabulo refectis, ipsa per aetatem abstinere cogeretur: ita visum erat iis qui ei a confessionibus erant, virtutem, pietatem, modestiam, sapientiam, non ut in hac Virgine erant, sed annorum paucitatem ponderantibus. At non diu votis suis destituitur qui Deum ardentissimo amore prosequitur. Ipse enim longe aequiore lance, non temporis, sed virtutum ratione subducta, Imeldam aequavit ceteris, immo vero etiam prae ceteris dignam citra spem omnem manifesto prodigio declaravit.

Religiosis ergo omnibus stata die ad sacram Synaxim accendentibus, Imeldae accessus prohibebatur; quae tamen dolore, precibus, lacrimis gemitibusque quam maxime eo anhelabat. Et ecce illico de caelis delapsa augustissima Sacramenti Hostia medio in aere haerens visa est Virginis capitl supereminere.

Quae tum Imeldae mens, quae suspiria, quae colloquia, quae alia ex aliis iterabat, nihil opus est pluribus commemorare. Sodales eius virgines, rei novitate percussae,

haerebant oculis fidem aegre adhibentes. Demum Sacerdoti, qui eis praererat, nuntiant; venit, videt, patena sanctam Hostiam excipit, quam Imeldae, quoniam Dei nutum et placitum id esse videbat, impertiretur; atque ita Imelda ex voto desiderioque suo caelitum pabulo refecta est. Tantum vero priori gaudio accessit, ut eo ferendo amplius satis non esset. Clausis igitur suaviter oculis, quasi somno indulgens, spiritum Christo sponso suo reddidit, quum mortali corpore conclusa tantas delicias ferre diutius non posset.

Huius prodigii fama, per omnium ora longe lateque vulgata, celeberrimum fecit Virginis nomen, quae illustri tumulo illata, semper Sanctae ad instar summa veneratione habita est; ac Deus optimus maximus Imeldae nomine mortalibus munera omni tempore impertiri dignatus fuit, ut historica monumenta tradunt. Quibus probe cognitis, Leo XII Pont. Max. cultum beatae Imeldae praestitum probavit eamque anno MDCCXXVI beatarum Virginum albo accensuit.

Sed hisce diebus, caelestes favores, Imelda intercedente, a Domino multiplicati impulerunt ut apud Consilium sacris tuendis Ritibus praepositum eius Causa resumeretur ad sollemnem usque inter Sanctas Imeldae relationem feliciter perducenda.

Quod dum ab omnipotenti Deo praestari enixe deprecamur, missam facere non possumus pulcherrimam orationem quae die XIII Maii, Beatae Imeldae sacro, quotannis in toto Praedicatorum Ordine recitatur: «Domine Iesu Christe, qui beatam Virginem Imeldam, ignito caritatis amore sauciatam et immaculata Hostia mirabiliter refectam in caelum suscepisti, fac nos eius intercessione eodem caritatis fervore ad sacram mensam accedere, ut appetamus dissolvi, et esse tecum mereamur».

B. D.

De priscis Christianorum sepulcris

Abhinc annos nonnullos, de coemetiorum Christianorum origine in hisce paginis scribens, nomina indicavi quibus praincipue ea designarentur.¹ Placuit hodie ad argumentum redire ut de eorum partibus et formis aliquid dicamus, eoque magis quod non omnia nomina, quae nunc Christianae archaeologiae cultores adhident, antiquam revera originem repetunt.

Primum igitur cava tetragona occurunt; haec locum apud Graecos tum apud Latinos vocabantur; hodie vero diminutivum verbum *loculi* invaluit inter antiquitatis non solum sacrae, sed etiam ethnicae studiosos. Haec plerumque largiora effodiebantur quam ut par esset; interdum locus ad bina recipienda cadavera aptus aperiebatur, eique tum *bisomī* nomen erat, vocabulo *a bis* et *σῶμα* (corpus) composito. Si denique tophus satis esset solidus, etiam ad tria, quattuor et amplius recipienda cadavera loculi parabantur; hinc nomina *trismus*, *quadrisomus*, *polysomus*.

Saeculo II usuvenerat ita aliquando claudere sepultra, ut lapides occludentes non erectae secundum parietes, sed veluti sarcophagorum opercula in plano essent: sursum vero spatium effodiebatur satis ut operculum tamquam mensa inserviret.

A sepulcro mensa instructo parum differt *arcosolium*, cuius nomen, ut facile innuitur, ex arcu et solio est derivatum. Prima vocabuli pars evidens est; non ita vero secunda. Solium apud priscos Romanos idem significasse videtur quod apud nos *thronum* significat, sive *sella honorifica*; unde sella curulis et solium vocata fuit. Quum autem pegma erectum ad cadaver viri illustris sustinendum in sublimi esset veluti solium regale elatum,

¹ Cfr. fasc. mens. Novembr. MCMXXII.

huius quoque solii nomen inditum est. Item, solium appellarunt Romani labrum sive alveum ad corpora ablunda.¹ Hoc autem quum eamdem prae se formam atque sarcophagus ferret, et ipsum, et omne urnarum pro defunctorum cineribus aut ossibus genus, solii nomen nactum est.²

Huius nominationis certissima exstant documenta; et aliquando, in epitaphiis apud arcosolia positis, utpote apud nobiliora sepulcra, et in ipsis arcosolorum epitaphiis alia aliqua addebat localis indicatio, hodie pretiosissima, praesertim si inscriptio suo inveniatur loco, aut unde veniat cognoverimus.

Arcosolia, quae etiam *arcosolia*, *arcisolia* vocabantur, saeculo III excidi generatim copta sunt; sed iam a saeculo I inveniuntur. Eorum est etiam genus quoddam, in quo ita arcus est demissus, ut ad sepulcrum mensa instructum potius accedat. Id, praeterquam Romae in coemeterio Callisti et in aliis regionibus saec. II, etiam in Cyrenaica inventum est, eidem aetati respondens. Arcosolia autem proprie dicta in Cappadoccia, Ierusalem, Zephyriae (Mellos, in insula Aegei maris), Clusii in Etruria in coemeteriis S. Mustiolae et Catharinæ, Volsinii, et saepe Melitae cernuntur; rarissime vero in Africa. Denique in Syracusanis catacumbis etiam sarcophagi in rupe excisi apparuere, sed quasi e solo emergentes, cui natura sua adhaerent. Haec saeculo II posteriora tempora quam maxime respiciunt: in Italia autem saec. IV maxime in usu fuere.

Sepulcra hactenus recensita, ubique catacumbarum conspicere licet, tum in ambulacris, tum in cubiculis. In hisce vero, fere semper unum saltem adest arcosolum

in honoratio loco, idest in pariete contra aditum, cuius ad alterutrum latus, in topo exculpta, aut lateribus constructa, nonnunquam est trunca columna ad aliquid sustinendum destinata, quasi ad eodem officio fungendum, quo tripus ante deorum simulacra. Certum est, ad martyrum sepulcra olea pretiosa accendi et aduri solere, itemque in praecipuis subterraneis sanctuariorum; nemo itaque inficiabitur, mensas oleorum rite posse eiusmodi truncatas columnas vocari. Immo earum nonnullae, in superiori parte, ex integro erant disco vitro vel lapide coopertae, tamquam patina ad vasa, aut aliud quid pretiosi sustinendum vel continendum; cuius rei notabilia adhuc manent vestigia.

Parvae lampades fictiles non raro sepulcris erant appositae; in foraminibus, unde ablatae sunt, levis fumi nigredo earum situs revelat; foramina vero quae hoc vestigio carentia hodie conspiciuntur, ampullas vel vasa continebant balsamis repleta.

Quid autem de ampulla cruenta tamquam de martyrii signo? Late agitata quaestio est; circa quam certo affirmari potest, priscos Christianos solitos esse martyrum sanguinem linteis et spongiis excipere, non solum ut domi religiose asservarent, sed etiam ut cum martyris corpore deponerent, aliquando etiam in vase conclusum.

**

Aliud sepulcri genus *formae* sunt, loculi scilicet in pavimento effossi, ut moris usque apud nos erat abhinc paucos annos, in pavimento templorum. Utrum humilitatis causa, an quia non amplius iam in parietibus sepeliendi spatium maneret, huiusmodi usus inductus fuerit, non satis constat. Plerumque tamen a saec. III exeunte hoc factum est; proindeque sane quum nullus amplius pateret locus in variis coemeteriis, ad quae fideles attrahebantur

¹ CELSUS videtur ipsam ablutionem vocasse solium, « solium aquae calidae ».

² QUINT. CURTIUS (X, 10): « Septimus dies erat ex quo corpus regis iacebat in solio ». — PLIN. (Hist. nat., XXXV, 22): « Quin et defuncto sedem multis fictilibus soliis condi maluere ».

propter martyrum sepulcra. Quum autem coeperunt Christiani coemeteria subdialia circa basilicas instituere, tunc generalis et communis tumuli ratio fuit *forma*, quae plerumque ad plura cadavera recipienda parabatur et ex horum numero vocabatur *biscandens*, *tersandens*, vel *tercandens*; « candere » enim, in infima latinitate « dividere » significat. Circa antiquissimum SS. Xysti et Caeciliae super Callisti coemeterium videre licet formam et octopartitum.

Denique sepulcrum, cuiusvis esset generis, etiam *domus* et *memoria* appellatum invenimus.

Addemus in Christianis coemeteriis non deesse prorsus eamdem locorum dispositionem quae apud Iudaeos viguit, eorum nomine *kokim*; scilicet in pariete secundum crassitudinem inciso. Hic mos maxime in Africa invaluit. Fere enim omnes Alexandrinae catacumbæ eiusmodi sepulcrorum typum proferunt. Simile aliud habetur in Callisti coemeterii regione a S. Euzebio nuncupata; itemque in coemeterio Commodillae et in via Latina.

**

Tabulam vocarunt antiqui inscriptiōnēm sepulcrale, quae simul ad claudendum sepulcrum inserviebat. Nihilominus non deerant sepulcra tegulis clausa, et quidem in Christianae religionis primordiis.

Conclavia, quae omnibus temporibus in usu fuere, et nomen commune cum ethniciis habuere *cubiculi*, aliquando voce *cryptae* indicantur; quae vox subterraneum in universum acceptum significat, ac proinde non solum ad ambulacrum, sed etiam ad cubiculum aut seriem cubiculorum designandum usurpari potuit. Sic legimus: « Crypta nova retro sanctos »; id est: « Novum conclave retro sepulcra martyrum effossum ».

Cubiculum vocatum est etiam *antrum*, *spelunca*, *ecclesia*, praesertim a peregrini-

nis saecul. VII et VIII. En exemplum cubiculi denominationis: « Cubiculum duplex cum arcisoliis et luminare »; in quo tria nominantur (cubiculum, arcisolia, luminare), quibus ad unguem locus respondet, ubi inscriptio fracta iacebat. Luminare autem quoddam immane erat in fornice foramen, ad soli superficiem usque pertingens, per quod cubicula diurna luce radarentur.

Verum si vocabulum hoc in epigraphis et in antiquis documentis nobis obicitur, auctores utuntur potius circumlocutionibus. Ita S. Hieronymus: « Raro — ait — desuper lumen admissum horrem temperat tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes ».¹ Eodem fere modo Prudentius:²

*Inde, ubi progressu facilis nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum,
Occurrunt caecis immensa foramina tectis,
Quae iacent claros antra super radios.
Quamlibet ancipes texant hinc inde recessus,
Arcta sub umbris atria porticibus;
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.*

Quibus denique nominibus ambulacrum ordines distincti fuerunt, praesertim quum ambulacra ambulacris superimponerentur? Vulgo *tabulata*, *contignationes* vocata sunt; sed videtur nomen hoc in priscorum usu non fuisse; sed versum potius a *catabatico*, quod invenitur in quadam interpretatu difficulti inscriptione. Ita De Vit, in suo Lexico, aliisque, qui vocabulum *catabaticum* idem atque *tabulatum* significare docuerunt. Sed si vocabuli originem spectaveris, a graeca fonte *κατάβασις* recto deducti, hoc est « *descensus* », in eadem inscriptione scalam potius significantem fuisse dixeris, et quaestionem in obscuris manere.

S. S.

¹ In *Ezech.*, XL.

² *Peristeph.*, hymn. II.

MIGRATIO

*Ecce November adest, mihi quo linquenda ve-
[tusta]*

*Haec conducta diu, nunc minus apta domus.
Invitus, fateor, cedam, quod limine in ipso
Me magis elapsi temporis atra prement,
Quam valeant animum iucunda levare priora,
Dum mea florebat spes bona uterque puer.
Limem enim referet nostrum hic gemuisse cu-*

*Ibantem
Natum, cui requiem sacra paravit humus.
Iam tria fluxerunt paullatim a funere lustra
Hoc completa nigro vix oriente die;¹
Attamen has aedes, quas vivens, nunc habet*

*[absens]
Atque gradus echo verbaque reddit adhuc.
Impiger hic veterum recitabat carmina vatum,
Aut tacitae menti cara mathesis erat.
Acta diurna legens, a me dictataque scribens
Assiduo patiens proderat auxilio.
Hic modicas solis simulatas luce figuras
Ingenio extendit pictor ut arte solet.
Pectinibus chordas illic pulsabat eburnis
Letiferas fallens inscius insidias.
Fabula nota mihi sic rursum audita canora*

*[est,
Sappho irata deo, galica Hetaera gemens;
Carmina sic visa ad numeros cantare puella
Aut celeri, iuveni iuncta, micare pede.
Saepius at moerens desertum specio cubile,
Et matrem puero miror abesse suo.*

*Illa fovens miserum adsedit noctesque diesque,
Dum miser orabat: — « Suscipe me, Do-*

*[mine]. — Aut: — « Succurre, pater, medicinis redde
[salutem]. — « Sanguine vive meo: quod sinat esse*

*[Deus! — Mox subit illius tristissima noctis imago,
Qua orantis precibus contigit alta quies.*

*¹ Tertio et quadragesimo primae horae momento diei
XXI m. Octobris a. MCMXI Franciscus minor natu-
obiit diem supremum.*

— « *Hora quota est? » — quaerit. — « De-
[cima est. Dilecte, quiesce]. Semper in aure tria haec ultima verba so-*

*Inde duas horas ululavit; quotque ululatus
Tot gelidi gladii cor feriere meum.*

Hinc ego praetrepidus, vigilabat avunculus

*[illinc, Quum tacuit fugiens vena utriusque manum.
Tunc gemitu nostro matris fratrisque que-*

*[rella] Et luctu insonuit tota repente domus.
Hei mihi! Sed quid plura? Supremis rite pe-*

*Exanimi officiis, cor super imposui
Scripta pia a Manni,¹ quae secum intacta*

Iusserat et lacrimans oscula summa dedi.

*Nunc adstat tacitus, procerus, lumina dulcis,
Confectus macie, pallidus atque tremens.
Sic mente intueor natum cui fracta iuventa*

*[est, Cuius me effigiem cernere fata vetant.²
Sed minime queror ista me virtute carere,*

*Quae a nota moneat sede migrasse Lares,
Quum loca amata queam penitus firmata do-*

*[lore] Et pressus tenebris visere saepe memor,
Ut cari capitis cupidio tristique parenti.*

*Arcano eloquio singula narret amor.
Et procul hinc repetam quae vates naufragus*

[olim: — « Mecum, dixit, inops, omnia porto

[bona]; Mecum namque meus longe Franciscus et ab-

[sens] Est quocumque migrem, tecum ubicunque

[morer. Florentiae, d. xxi m. Octobris a. MCMXXVI.]

PETRUS TOSI.

¹ P. Iosephus Manni e Scholis Piis, Italicus litterarum cultor et poëta clarissimus, non minus religione ac pietate insignis evasit.

² Carminis auctor heu! oculis hodie est captus.
(A. R.)

De Martis planetae incolis

Nunc igitur rursus tenet saeculum Mars
planetæ; rursus de eo mira tum in diariis
tum in communi gentium eloquio percre-
bescunt. Ferunt rursus de signis quibus-
dam, quae Martis habitatores, quum for-
tasse in suspicionem incolarum terrae ve-
nissent, suppeditante lucem electridé, aut
alia cuiusvis generis vi, per immensa cam-
porum spatia disposuerint, certis descripta
figuris geometricis, quibus nobiscum com-
mercia indiciorum tentarent: quod si iis
responsuri fuerimus, futurum ut commer-
cia sermonis iniri possint.

Atqui iam viginti et amplius abhinc
annis eo perventum erat, ut et de Martis
urbibus, de architectura Martis, de eius in-
colis aut simillimis, aut non longe a nobis
diversis, nostra ora sonarent, et gravius
apud quosdam ageretur de loco, in quo
paria signa a nobis proferri possent ut
Martiae progeniei salutem quasi reddere,
et scientiae nostræ nostraræque vitae non
indubia praebere et ostendere indicia va-
leremus. Sed iam tum fuit qui severo iu-
dicio rem tractandam suscepit, docuitque
si qua telescopicis inspectionibus et scruta-
tionibus esset adhibenda fides, nullam
inveniri circa Martium orbem aquarum,
nullam aëris copiam; herbarum ergo ne
signum quidem porrigi, nec animalium;
haec enim sine aqua et aëre nec germinari
nec ali queunt. Nullum igitur in planeta
Marte populum esse posse, qui humano
generi sit comparandus.

Quinam ergo ibi viventes? Si tantum
qui, peculiari omnino natura praediti, caeli
solique temperiem tolerent rigidorem illa,
qua rigidissimæ polarum orbis terrauei
regiones utuntur. Quae quum ita sint, reddit
quaquaversus exclusio viventium illic no-
bis animalitate similium.

At quid, si in illo conditiones habitan-
tium ita attemperatae sint continentि gelu,
deficienti aëri, deficientibus aquis, herbis,
arboribus, ut vivere possint? Etiamsi tales
habeantur, nulla tamen nobis certa erit
de illis notitia. Quum enim diametrum
Lunæ ad diametrum Martis sit ratione
distantiae, eaque sit ut 240.000 ad 35.000.000
(passuum millia seu milliaria indicamus);
telescopiis autem, quibus utimur in Marte
contemplando, illa sit virtus, quae orbis
diametrum paucissima apparentis Lunæ
diametra augeat, patet illic quasvis urbes,
quasvis domorum aggregations, etsi pa-
res maximis nostris urbibus, etsi longe
ampliores, discerni non licere.

Undenam igitur ea invaluit opinio?
Profecto ex falsis nominibus, quibus re-
giones Martiae sunt appellatae. Dixerunt
enim obscuriores subfuscasque regiones
maria, lacus; dixerunt lineas illic canales
et flumina; rubescientia spatia terras dixe-
runt; quae caerulea videbantur, oceanos
nominarunt.

At in illis lineis canales esse credi-
derunt, qui nisi annorum miriade, omni
adlaborante populo, completerentur; flumina
crediderunt, quae sinuoso cursu nullimode
utuntur; quae utraque tamen, glacie con-
creta, nulla possent aqua defluere, undare;
moveri.

Quid ergo canales ii, quid flumina, quid
maria, quid homines?

In mentem potius Sapientiae revocemus
effatum: « Difficile aestimamus quae in
terra sunt, et quae in prospectu sunt in-
venimus cum labore. Quae autem in caelis
sunt, quis investigabit? »

A.

Socios qui nondum subnotationis
pretium solverunt etiam insuper ro-
gamus, velint cum Administratore no-
stro rationes suas componere.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Quomodo nonnulla verba in communis sermonis usum recens inducta, latine reddi possint.

HERMINIUS M. IACOBELLI cl. viro EMMA-
NELI IOVÉ s. d.

Quum inter latinae linguae cultores optimosque sodales iamdiu Te perspexerim praeter ceteros non mediocriter esse versatum, atque verbis, quae continuo in dies nascuntur, latine reddendis magnopere delectari; ego, qui tali studio vacui temporis horam libenter impendo, ex iis nonnulla Tibi subiicienda existimavi. Tua gratia igitur a verbo incipiam *Alpenstoch*, germanica voce, quae ex *Alpen* conflatur et *stoch*-baculus; inde « montanus baculus »; et quoniam montibus istis Alpium nomen tributum invenimus, nonne *baculus alpinus* vel *alpicus* appellari facile poterit?

Superiori bello nomen exortum est novum. *As* vocaverunt Galli aëreum viatorem, qui ardua expertus certamina, hostium complures velivolantes profligaverit, praestantiam suam, ceteris paribus, affirmans, unus omnium aviatoria artis primus. Credis hanc vocem et hoc sensu latine adhiberi posse?

Aliud aëronauticum verbum vulgo inductum est *ammarrare* (rectius *ammare*), seu supra mare considere. Puto vocabulum, ne *τόπος* fieret locus, « in mari scilicet terram attingere », reddi posse: *Undas attingere*.

Habemus quoque *hydrovolantem*, sive aëronavim vel aëroplanum « fluctuantibus » instructum, rotarum vice, sese, ut erigat, simulque in aquis ei consistere detur. « Hydrovolantem » circummissa quaedam epistola mihi latine redditum exhibi-

buit; apud recentiores vero *velivolae navis* iamdiu sibi nomen vindicavit. Quid?...

Angliae filius, vocabulum communiter receptum est *club*, quod et Petrocchius in suo lexico italico amplectitur libens: ad coetum significandum, seu conventum, plerumque adhibetur. Nos autem *globum*, *societatem* latine dicemus?

Eadem, significatione *cubiculi* utitur haud raro populus.

Nonne illam quidem formosam puellam, Hercules quam singulari certamine, eius latre superior, duxit uxorem, sed nomen verius et ipsum in Anglia genitum est *Yole* sive *Iole*, quo naviculam prænobilis atque insignis operis 'appellant Angli, prora puppique acutam atque subtilem, quam animi recreandi causa concidunt, *voluptarium lintrem* placebit appellare?

Priori valde affinis locutio *Yact* eiusdem patriae; qua vapore actae minoris alvei rates nominantur, cursu celeres, opere perfectae, praecipue ad delectationem. Hoc *nobilitatis navigium*, vel *regium* malim vocare.

Aglis et ipsa recens sub oris nata *Turista*, *Turismum* vocabula sunt, quae licet venustate careant, brevi tamen tempore, velint nolint, vocabularia in tabulas referre cogentur; nomina enim eorum adeo recepta sunt et usitata, ut ubique non modo per Italiae fines peccrebuerint, sed in Galliam quoque pervaserint. Proindeque gentium nomina dici merito poterunt graeco-latinoque genere prognata *τόπος*, *tornus*; unde et illud *tournée* ortum habuisse reor.

Prior ergo vocis sonus, mea sententia, *voluptarius viator* erit. Alterum autem latine iuxta rerum vices, et *voluptuarium viam ingredi*; et *voluptatis causa inire viam*; et *volupe iter agere*, et *voluptatis iter aggredi*.

Tu quid de iis opineris, quidve dicas, mihi, rogo, benignus aperias. Cura interim, ut valeas.

EX ITALIS URBIBUS

Exhibitiones Taurinenses¹

Eugenius Rebaudengo Comes, Regni Senator, qui Missionariae nostrae Exhibitionis rectoribus praerat, quo die publice clauderetur, adstantibus frequentissimis solemniter dixit: « Pia Salesianorum Societas in opere hoc condendo hodieque profligando, exegit monumentum aere perennius! » Quod quidem verbum neque inane dixeris neque supervacaneum; sed aptissimum. Et auditores faciliter quoque assensu illud acceperunt, dolentes modo quod brevires tam omnibus cara ad finem curret, et Taurinenses sollemniter ita doctorum consuru prohiberentur in posterum.

Re enim vera, per quinque et amplius menses,

*Ex omni veniunt littore ad ista loca*²

non modo ex universa Subalpinorum regione, sed et ex cunctis dissitis Italiae civitatibus, hac una de causa, ut rem missionariam perlustrarent.

Sed ad opus nostrum redeamus.

Relictis Patagoniae rebus, adgredi pedibus oportet ad paucula raptim invisenda, ex plurimis, quae nos manent.

En nobis ante omnia quae ex latissima Brasiliana plaga sunt perlata. Prae ceteris nobis sese *Bororos* offerunt, qui corporis magnitudine insignes animoque ferores, regionem incolunt, quae *vastissima sylva*, eorum lingua *Matto Grosso*, appellatur. Huic parti haec esset ponenda ominosa inscriptio:

Infandi Bororos et altis montibus errant.

Ad quos quum Missionarii comes vultu atque alloquio advenissent, eos ita brevi

¹ Cfr. fasc. sup.

² Omnes optime noverint hunc versiculum verba reddere Alligherii: *Tutti convengon qui d'ogni paese*.

benevolentia atque animi significatione allexerunt, ut eos tamquam parentes cito colerent atque haberent. Primum e more pueri, mox iuvenes idemque viri passim sunt Missionariis obvii, eius sermonem pii accipiunt graviterque meditantur; et paullatim rusticitate exuta, ad domum missiunum hilari vultu se conferunt atque ad mansuetiores artes se redigunt. Sic Missionarius lente operando progreditur; quoniam unice caritate Christi et patientia, sensim sine sensu ad humanitatem quamdam reformari atque ad religionem excoli Barbari patiuntur.¹

Et ipsi in meliorem frugem quum se revocassent, viris nostris adiutorio fuerunt patientes atque intelligentioris consilii in colligendis nonnullis pretiosissimis rebus, quae adhuc desiderabantur. Ex illa enim regione quot innumera eademque ignota nobis avium papilionumque genera! Nonnulli sunt leves, volitantes, picti, versicolores; variaque sunt et illius regionis insecta asili, vermiculi, lumbrici; multaque alia glomerantur.

Multa sunt quoque vasa et amphorae, et in primis olla illa propemodum necessaria, quae liquorem continet, cui est titulus *Ciccia*.

Hic liquor, horresco referens! ex saliva passim barbararum mulierum confectus ac frutice deprompta, asper in primis est et mordax, at inter barbaros acceptissimus. Hic omnibus sane hospitibus ultra obseratur! Magnam equidem eis iniuriam feceris, si hoc tam deliciosum munus fastidiens, refutares, aut aegrius acciperes. Hanc ipsis recusationem, maximum omnium dedecus sibi inustum autumant. Ac propterea optime eos tibi benevolentia devincies, si hilari vultu... etiamsi oculis clausis, iucundam hanc potionem absorbeas.

¹ Sunt et Virgines Deo sacrae, quae inter Leppros vitam sanctissimam agunt. Quam pie et graphicè earum quoque imagines referuntur!

In editiore loco, et conclavi quarto, congregebantur omnia quae plerumque Missionarii apud Iudeos et Senenses facere consueverunt, et primum quae in Palaeastina, vulgo quae dicitur patria Iesu. Ille sub nigra pallentes ruminat herbas parvulus adhuc camelus, seu potius *dromas*, qui dormitat plerumque, vel ob pigrum indolem, vel ob inclemens sibi caelum. Nec ita eisdem vulpecula, nec praesertim oves, quae et numerosae candoreque praestantes, mirum in modum ad se spectatores ciebant conciliabantque. Prae ceteris pulcherrime laudabatur timida *dorcas*, quae rarissima adhuc in Palaeastina vivit.

Volitant liberrime super arbores psittaci complures et originis diversae, quas Brasilium tulit, ipsaque Asia. At omnibus placet quae *Maina* dicitur ab Asia veniens. « Non fuit in terris vocum simulantior ales » diceret Vergilius, quae spectantium fuit semper delicium. Quam apte latine loquitur: *Kyrie, eleison! Kyrie, eleison!* Nunc distincte canit: *Gloria!* Et nunc hispanorum more, tibi dicit: *Bueno!* Novissime vero, et quasi dicerem mira quadam dignitatis arrogantia, se se italicice praedicat: *Salesiano! Sono Salesiano!*

Sunt et simii, qui manuum gestibus vocibusque homines salutant atque crustula ac bellaria festinanter accipientes donantibus gratias agunt...

Hic atque illic per brevem planitiem conditae sunt Borororum casae et omnibus, pro incolarum necessitate, exornatae commodis ad vitam sustentandam.

Ad ultimum erat et *Maloca*, magna eisdem rustica aedificatio, ad quam, animi causa et quietis, fessi itineris se aliquantis per ad aërem captandum visitantes recipiebant. Et ibi propterea, veluti olim in amoenissimo Paradisi horto, erant plurima non modo pulcherrima visu, sed et gustu suavissima. Parvo quidem pretio eo tute obtinuisses, per quorundam puerorum cu-

ram, qui hoc illuc ex invisentium voluptate accurrunt.

Erant enim exquisitissima salsa menta, assaque vitulina optima arte confecta, aliaque id genus complura. In primis attamen laudabilis erat panis, qui domi paratus atque a pueris ipsis ibi erudiendis atque educandis confectus, sapidior esse atque suavior videbatur.

Ad *Malocam* igitur itebatur magna cum animi voluptate, atque idem erat atque apud Romanos ire ad Apollinem.

Denique quid dicam de pueris, qui per omnia hilares visitatores deducunt, res obiter amplissime illustrant, et de manu veluti in manum acceptos sapienter monent, de diversis populorum ingenii disserunt, et labores missionariorum explicant ac luminibus exornant, et omnes adsidua suavitate alliciunt?

Ipsi, quemadmodum accepi, nunc alumni sunt, qui modo Eporediae in Salassis et Penangi in Astensis, eo consilio aluntur atque docentur, ut tandem aliquando ad Missiones adgrediantur. Adeo in teneris consuescere multum est!

Quod felix, faustum, fortunatumque siet!

SUBALPINUS.

De recenti Venetiarum portu ad Margheram.

Multi admodum erant vel antiquissimis temporibus portus in Italiae litoribus, et omnes pro necessitate et commerciis aptissimi. Nostra vero aetate, renato Italorum regno, inter omnes facile laudantur Genuae portus et Neapolis, et, si de militari nautica arte sermo est, praeceteris Lunae portus. Verum abhinc non paucos annos, Veneti, antiquae gloriae memores, qui, per tot saecula, terra marique late imperitarunt, ad veteris amplitudinis fastigium adsurgere studuerunt. Ac propterea,

vel sub externo dominatu, post iniquum illius reipublicae excidium, saepe saepius nec fracti bello fatisque repulsi, in eodem proposito persisterant, sed ad illud obtinendum frustra enixe adlaboraverant.

Quum autem, libertatem adepti, Itali in unam iterum gentem coalescere coeperunt, et mirum in modum Neapolis portus cum Genuensi de primatu in re nautica decertare coepit, ambo autem cum ceteris ad maiorem indies amplitudinem adsurserexerunt, Venetiarum statio in peius adire videbatur. Quo factum est, ut de die in diem, admirantibus omnibus, Urbs Lacunarum ita corrumphi videbatur, ut pene ad interitum redigeretur.

Heu!

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos!

Nunquam enim ex Italorum mente cadere poterit, Venetos potentiores fuisse, eorumque nomen praeclaris gestis percrebuisse, illa potissimum tempestate, qua singulae Italiae regiones, aliae alia ratione, externo dominatu oppimerentur.

Quum vero, senescente aetate, Venetorum imperium ad occasum vertit, et infanda admodum hostium perfidia ad incitas redactum, externis est traditum, insiti magnitudinis igniculi minime extingui potuerunt.

Namque qualis esset perennis Venetorum virtus et quibus adhuc viribus valeret, apparuit, quum pontem illum mirabilem construendum iu curarunt, qui a continente terra, super ipsis maris fluctibus positus, ad urbem pervenit; et vias ferreis axibus constratas, ob mutua commercia deducenda in eo posuerunt. Immortale eisdem opus, quod Veneti, studio praescriptoque Petri Paleocapa civis eiusdemque architecti, omnibus, circa populis admirantibus, perfecerunt, eique titulum imposuerunt:

AUSU ROMANO: AERE VENETO.

Unum adhuc desiderabatur, ad quod aeterna animi cupiditate, tamdiu contendere Veneti videbantur, ut, scilicet, et ipsae Venetiae materno denique sinu naves amplexarentur, quae immensa mole exstructae, latissimum quoque portum exoptant. Aliae enim Italae maritimae civitates in optimam rerum conditionem inciderant, et faventibus omnium animis feliciter commerciis creverunt. Omnes admodum naves externe atque indigenae ad Genuae portum appellebant et Neapolis, et patria classis ad Lunae portum, et, labentibus annis, Barii; quod eximium sibi natura aptavit.

Ad ultimum Tergeste, nomine ac magnitudine pollens, extremum Venetiarum rebus damnum attulit.

At suam sibi fortunam iterum Veneti effinxerunt. Ipsi cives, antiquorum Duceum virtutem admirati, eorum vestigia prosequi reputaverunt; qui saepe una ingenii ac voluntatis fortitudine freti, impossibilia prope audacter adsequuti sunt. In eodem igitur animorum proposito manentes, illud tandem obtinuerunt, quod, citra omnium expectationem, difficillimum factu apparebat. Omnes et singuli Venetiarum cives, urbis suae gloriam quaerentes, sibi invicem animum addebat illud in mentem revocantes:

Tentamusque viam, et velorum pandimus alas!

Victores tandem, vi una civium innixi atque animorum constantia, hoc ipso anno labente, portum optatum auspicantur, Victori Emmanueli III regi dicatum.

Erat olim apud Venetas *Marghera*, validissimum oppidum, praesidium urbis, unde res publica se se terra marique ab hostibus defendere. Apud ipsum strenue Veneti dimicarunt adversus Austriacos, anno saeculi elapsi quadragesimi noni. Nunc ob egregiam civium voluntatem atque perpetuam in patriae decus caritatem est altera Venetorum civitas, magnifice

secus litus disposita. Hic sunt amoena vireta, hic satis ampliae decoraeque villulae, hic denique, aggeribus undique cumulatis, paludibusque mirum in modum exsiccatis, civitas in speciem urbis insigniter crevit. Quam apte, et merito, neque in luxum improbandum Horatius, diceret:

Contracta pisces aequora sentiunt!

Namque si aquae maris vi hominum fuerunt paullulum repulsae, maiores in unum locum sunt coactae, quo potentiores facilius naves onerarias easdemque bellicas amplecti possint.

Quum prospere iam se se haberent res, novissime veluti cumulus et fastigium accessit virtus et studium Iosephi Vulpi, qui domo Venetus, atque egregius italicici aerarii praefectus, immortali operi supremam manum apponi voluit. Hic vir egregius mirum in modum nobilitatem generis virtute cumulavit. Verbis enim et sapientia, quam exspectationem sui concitaverat, singulari consilio atque industria sustinuit.

Varia haec et nova Venetiarum species ab omnibus laudatur, et cupidissime invisitur, et quantocius, cunctis optime perfectis, Italorum virtus vel ipsis difficilimis reipublicae temporibus, maxime approbanda posteris in aevum prorogabitur.

SENIOR.



COLLOQUIA LATINA

Emendatio scriptionis.¹

LUDIMAGISTER, ANTONINUS, ERASTUS ALIIQUE DISCIPULI.

LUDIMAGISTER. — Antonine, scriptiones collige. Tu, Eraste, coge pensa mulietatia.

ANTONINUS. — Iam collegi et acula copulavi decuriatim.

¹ EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

ERASTUS. — Ego item muletas coegi irrogatas garrientibus.

LUD. — Et quas tardis infixeram non exegisti?

ERAST. — Non exegi: id enim muneris imposuisti alteri.

LUD. — Bene habet. Suntne autem ordinatae?

ERAST. — Quin etiam illas funiculo colligavi.

LUD. — Cedo has mihi; tu etiam scriptiones tradito.

ANTONIN. — Ecce illas.

LUD. — Sed anne recognovisti singulas?

ANTONIN. — Singillatim recognovi, et quidem magna cura.

ERAST. — Ego pariter non minori diligentia.

LUD. — Et nihil observasti quod sit reprehensioni obnoxium?

ANTONIN. — Immo certe plurima, quae in hanc schedam retuli.

ERAST. — Ego etiam texui indicem.

LUD. — Trade, aut potius alta voce et distincta perlege.

ANTONIN. — Germanus scriptionem non composuit.

GERMANUS. — Immo composui, sed reliqui domi.

LUD. — Cur reliquisti?

GERM. — Quia oblitus sum afferre.

LUD. — At non es oblitus ientare.

GERM. — Sane non sum oblitus; at, si placet, ibo quaesitum.

LUD. — Nequaquam; sed afferes a prandio geminam.

ANTONIN. — Felicianus scriptionem reddidit foede exaratum; vix legi potest.

FELICIANUS. — Quia nempe mea charta bibula est et atramentum transmittit.

LUD. — Emere tibi debuisti firmorem.

FELIC. — Emi etiam; at haec quoque perfluit; puto vitium esse atramenti.

LUD. — Quin atramentum tibi idoneum paras?

FELIC. — Parabo quam primum.

ANTONIN. — Palagius in charta scripsit semilacera, pingue oleo illita.

LUD. — Apage te.

PELAGIUS. — Excusatum, quaeo, habeas; casu id, non culpa mea factum est.

LUD. — Quid ita?

PEL. — Scriptionem reliqueram supra culinae mensam; hanc ancilla, ignara quid rei esset, adhibuit abstergendae lampadi.

LUD. — Nempe musaeum tibi culina est, et studes inter lances et ollas; numquid?

PEL. — Etiam interdum, quem friget.

ANTONIN. — Sulpicius obliquos, interscribendum, ducit versus: ne unum quidem rectum exarat; praeterea characteres efformat perperam, usque nimium stipat; neque satis voces discriminat, sed ita perpetuat connectitque, ut singulae singulis lineae vocabulis contineantur.

SULPICIUS. — Pingere non didici elegantius.

LUD. — Redi ad scribendi magistrum, qui te melius doceat.

SULP. — Nec pennae suppetunt, ad scribendum satis appositae.

LUD. — Exspectas, dum tibi ad usum parem egomet?

ANTONIN. — Martinus nullas omnino interpunctiones adhibet; virgulas opponit nullas; nulla puncta; nulos, ubi opus est, characteres appingit maiusculos; nullas seu admirandi, seu interrogandi notas; neque usquam appingit litterae i apicem suum.

LUD. — Poenam meretur non levem tam gravi oscitantia.

ANTONIN. — Silvester chartam dedit literis deformatam innumeris, foedissimisque deturpatam ex atramento maculis.

SILVESTER. — Quia scilicet liquidius est atramentum.

LUD. — Quin spissiore uteris?

SILV. — Spissius reddere non vult calamus.

LUD. — Dilue igitur, sed moderate. Recita iam tu, Eraste, indicem tuum.

ERAST. — Pontianus denos admisit soloecismos. Secundinus praepositioni *per* ablativum adiunxit. Hilarius verbo *auxiliator* accusativum copulavit. Leontinus *lauro* masculinum genus adscripsit. Florentinus barbarismos fecit innumerabiles. In scriptione Metelli non pauciora sunt menda, quam vocabula; in Liberii vero nequaquam tot sunt voces quot cacographiae.

LUD. — Satis est: fluxit iam quadrans: alia nobis nunc agenda sunt. Vos interim, ignavi, sic habetote: daturum me operam ut vestrae vos poeniteat inertiae, pudeatque.

ANNALES

Sinense civile bellum.

Inter eventus qui maxime totius orbis oculos ad se recens converterunt, primas Sinense civile bellum tenet, ferociter ab adversis factionibus pugnatum, praesertim pro Shangay urbis possessione; quo rebelles, Canton profecti, tetendere, ut viam ad mare sibi aperirent. Ad Wu-Ciang arcem quum pervenissent, contra quodvis gentium ius, immensam militum incolarumque stragem in ea ediderunt, nec Liu quidem copiarum duci parcere dubitarunt. Id fortasse Shangay urbis civium animos ad acerrimam defensionem induxit, fausto profecto exitu: obsidentes enim fusi fugatique sunt et ad salutem Sun-King-Ciang in viciniis se reducere coacti. Iamque igitur servatam urbem praedicabant, quum necopinatum nuncium intervenit, Ciang-Tso-Lin, Mandchouriae dictatorem iamque Sun-Kuang-Sun, Shangay gubernatoris, adiutorem, cum rebellibus societatem iniisse. Novae igitur pugnae, novae caedes sequentur.

In Mexico.

Reiecta Episcoporum petitione ad legem de divino cultu emendandam, dicunt alteram ad eumdem finem parari a catholiceis patribus familiarum, et ipsam publico legatorum coetui legibus ferendis mitten-dam. Interim catholici praesules et sacerdotes in vincula h̄c illic detruduntur vel exilio multantur. Relatum quoque in dia-riis est, in ipso publicorum legatorum con-sessu discordias esse ortas, ad armorum usque usum productas.

Regia funera.

Moncalieri in castro, apud Augustam Taurinorum, repentina morbo correpta, die xxv superioris mensis Octobris vita functa est Laetitia, filia Hieronymi quon-dam Napoleonis principis et Clothildis e regia Sabaudica domo, atque Amedei, Au-gustae Praetoriae ducis, vidua. Nata erat Lutetiae Parisiorum d. xx mens. Decembris MDCCCLXVI.

Nefarium aliud crimen in supre-mum administrum Italici regni tentatum.

Clauditur Octobris mensis novo exse-crabili facinore in Benitum Mussolinium, Italici regni administrum primum, frustra, Dei auspicio, et ipso tentato. Qui quum Bononiae inter ovantem et gratulantem populum procedit, a perduto iuvene, vix heu! a pueris excedente, manuballistulae ictu petitur. Poenas nefandi criminis nequam, ille statim solvit, dum incolumis vir clari-simus tum etiam evasit; servetque Su-prenum Numen in aevum!

Kal. Novembr. MCMLXXVI.

POPLICOLA.

VARIA**Foemina litterata.**¹

Adolescens quidam Germanus natione qui studiis operam navabat, ex foederatis quas inviserat Americae civitatibus rever-sus, per celebrem urbem caput transiit, ubi in honoratum litteratorum hominum coetum admissus fuit, inter quos unus nu-merabatur, qui Georgi nomen sibi vindicabat. Hic vero Georgius foemina erat litterata et ingeniosa,² quae ut sexus incom-modis, uti autumabat, vitaret, virilem interdum induere vestem solebat; quo qui-dem habitu tunc erat. Adolescens Georgio sisti se voluit, quem fama noverat. Is, post varios sermones, a peregrino petiti, num sua scripta in Americis legeren-tur. - « Plurimum - respondit. - Pluries de illis mentionem fieri audivi ». - « Quod vero de iis iulicium fertur? » - « Optimum sane; quippe omnes concordes eximi-miam excogitandi vim, artemque animi sensus aperiendi, nec non venustum aucto-risti stilum commendant ». - « De me autem quaenam dicuntur? » - « De hoc vero... » - « Eia, dic libero ore ». - « Veniam dabis petenti, sed hoc nullomodo possem ». Qui bus verbis Georgius, maiore flagrans curio-sitate, tot postulationibus hominem laces-sivit, ut hic, defensioni impar, quae de illo acceperat aperire statuerit. Verum ne ab adstantibus auscultaretur, Georgii aurem iniens: - « Hoc tibi crimi vertunt - inquit submissa voce - quod nimium vase-ris, habitum mutes, ac saepe muliebrem induas vestem ».

¹ Italice scripsit VINCENTIUS GIOBERTI.² Celebris illa Sand.**Vulpes et Lignator.¹**

Vulpes, venatores fugiens, post longum per desertum iter in lignatorem incidit, qui latibulum roganti casam suam indicat, quo illa ingressa se abdit. Venatoribus deinde interrogantibus num vulpem vi-disset, voce quidem negabat ille, sed manu ubi lateret indicabat. Quod ipsi haud ani-madvertentes, continuo abierunt. Ubi eos profectos vulpes vidit, tacita exivit. Tum exprobrans eam homo, dicebat: « A me quidem stetit ut salva esses, nec ideo illas habes sospitatori gratias? » Cui vulpes: « Fecissem equidem, bone vir, si verbis consilia et opera tua respondissent ».

Ludus follis.²

Exehitur primum in formas tractabilis omnes Follis hians, laxaque sui compage solutus. Hic ubi concepit ventos, ubi spiritus intro Immissus penitus latebras pervasit in omnes, Ventosamque suo transfudit flamine vitam, Paullatim videas in magnam excrescere mo-[lem,

Inque globum ingentem attolli.
Dum loquor, en rapitur, rursumque per aera

Huc illuc agitur vacui ludibria caeli.
Nunc etenim celsum sublimis in aera fertur,
Nunc cadit, et motu maiore resurgit in auras.
Nec tamen inflexis attrita superbìa plagiis
Detumet, in medium impavidus descendit are-

[nam;
Extusaque manus iuvenum, et sibi multa [minantes
Verbera sponte ferit; reddit, quos excipit [ictus;
Et dum percuditur totius pondere dextrae,
Percudit ipse manum: credit sibi turpe timere

¹ Ex italicis fabulis NICOLAI TOMMASEO.² Ex Eleg. poët. LAURENTII LE BRUN, S. I.

Vel positi ante pedes hostis, se librât ab alto
Aëre et ingenti securus mole paratum
Agreditur pugilem, factusque audacior alter
Longius impellit contracto robore follem.
Tum vero ingenti moles excussa fragore
Perpetuum infrenet murmur; sonat ictibus
[acta
Innumeris, nimioque suas pree verbere metas
Transilit impatiens.

**

Iocosa**TUCCI animadversiones:**

— Non mihi profecto satis utile videtur quod sol in die fulgeat potius quam noctu, quum tenebrae sunt.

TUCCIJUS levij pituita laborat; adit tamen sollicitus medicus eumque interrogat:

— Hei mihi! pituita redundant; ecquid accipiam remedium?

Medicus graviter: — Sudarium!

**

Aenigmata

I

Per montes lucosque pavens preecepseque [deerro;

Me petit interdum canibus venator anhelis,
Sed si postremam vocalem in vertice ponas,
Me venerare patrem: humanae sum gentis [origo.

II

Recte si legis, en vivum tu cernis ubique.
Sumis retrorsum? Profert arte faber.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-posita his respondent: 1) *Gena, Genu, Ge-nua*; 2) *Vas. Vos.*

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS

[18]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine redditum Andr. Haberl)

ACTUS IV.

SCENA: Locus iudicii. Ad laevam praefecti sedes. Ad dextram idolum cum pruna, quam ambit sacerdos. In parte remota media carnificina separata aulaeo. Ad sedem praefecti duo lictores. TERTULLUS in prima stat scena; CORVINUS in postrema, tristia meditans.

SCENA I.

TERTULLUS, CORVINUS, AGELLUS, MILITES.

TERTULL. O nefastum diem, quo ego devotum illud edictum Caesaris Corvino dedi ad marmoream affigendum pilam! Me insanum, qui foedi auri gratia tromunctioni illi... (*Conspicit Corvinum*): Ah! Illic etiam adstat! At scin' quid rerum designaveris, degener? Ablata est.

CORV. (*truculenter*): Quae?

TERT. Membrana.

CORV. Scio.

TERT. Peccavisse ergo tua nihil interest?

CORV. Unum curae fuerat, hoc tandem contigit.

TERT. Et quid id esse memoras?

CORV. In manibus meis esse Pancratium. Hunc sensurum esse meum odium.

TERT. O hominem stolidissimum! Perfusus pudore senatus est, ira incensus imperator, et Corvini, praefecti filii, culpa est. Iam, ne tuum caput, prius, quam inimici, in arenam cadat, cave! Maximianum neveris.

CORV. (*attonitus*): Di immortales! Putasne eum tam crudeliter in me animadversurum?

TERT. Id age, quomodo te expedias! Una salutis via properata fuga est. Agedum, exi, proficisci! Caecum fatum aliquando misereat, imperatorem nunquam.

CORV. Quo me abscondam miser?

TERT. Ecce, malum, viatores Caesaris! Actum est!

CORV. Iam gressus audio. Di vostram fidem! Nullus ne iam hinc exitus?

TERT. Esto vir!

AGELLUS (*intrat duobus comitatus. In aditu, ad milites*): Illic adstate! (*Procedit*): Tune Corvinus es, Tertulli filius, curator Caesaris?

CORV. (*fusce*) Sum.

AGELL. Continuo me sequere igitur. Imperatoris nomine comprehensus es.

CORV. (*exsiliens*): Continuo ite in malam rem! Nondum tenetis. (*Educto gladio furens*): Recedite!

TERT. (*suscepto eius brachio*): Mitte ista. Resistere stultum est.

AGELL. (*prolatis codicillis recitat*): Christianis, ut tandem hoc nomen deleretur, nos, Maximianus proprio decreto caudem comminati eramus, quod decretum, ut, sicut mos est, toti ediceretur urbi, voluntate praetoris nostri Corvini fidei commissum est. Qui quum nefaria negligentia unum ad pilam intempesta noctis tenebris posuerit custodem ita ut nostrum edictum, eo custode facile oppresso, scelerata manu ablatum sit, praecipimus Corvinum pro tanta ignominia nostra adpersa dignitati statim comprehensum vinciri, atque, nisi tertio abhinc die nobis, qui abstulerit, ostendatur, vinctum securi percuti.

TERT. Di immortales! (*Amplexus Corvinum*): O mi fili!

CORV. Perisse certum est.

AGELL. Catenas date, famuli (*Corvinus vincitur*).

(*Ad proximum numerum*).

[18]

(berl)

er?

Caesaris!

ostram fi-

In aditu,

): Tune

Caesaris?

ur. Imper-

n malam
furens):

tte ista.

): Chri-
ur, nos,
commi-
ut mos
raetoris
i quum
tempe-
n ita ut
presso,
is Cor-
spersa
atque,
tulerit,


Corvi-

rvinus

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo^d sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus**. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI **Francisculi prandium**. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores**. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyloina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA **Euplius**, **Ad Romam**, Actiones dramaticae. – Sin-
gulae lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus*).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*



SOCIUS ET LECTORIBUS Commentarii nostri humanissimis Natalitia, quae imminent, Dominica festa et novum adventantem annum fausta atque felicia ominamur ex animo.

Quomodo per viam nostram anno MCMXXVII progressuri simus in proximo numero, qui vitae nostrae anno XIV ponet initium, exponemus; id hodie sufficiat dicere in incoepitis nostris ab eximia illa forma attingenda, quam animo tamdiu conceptam habemus, et pro qua tot labores impendimus, nunquam nos deflexuros; immo vero invicto animo ad eam assequendam summa ope ensiuros.

Pretium subnotationis idem ac labentis anni erit, scilicet pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris universi orbis nationibus summa italicas libell. 30 exaequans. Confidimus fore non solum ut quisque ipsum pro se quamprimum solvat, sed etiam pro altero

aliquo, quem sociorum numero curaverit accessurum. In numero enim stat vis, non commentarii modo perficendi, sed studii illius, quod omnes simul in latinitatis progressum sentimus.

ALMA ROMA.

Decorative horizontal border with a repeating floral or scroll pattern.



De latinarum litterarum historia paelectiones¹

Postquam de *neniis* in mortuorum laudem satis superque locuti sumus, liceat nobis in memoriam revocare *funebres* illas *laudationes*, quae, iam antiquitus usitatae, nunquam apud Romanos in desuetudinem abierunt. Hunc morem iam laudabat Polybius, tot res in Romanorum re publica admiratus (VI, 53, 2): «Populo omni circumstante, ubi rostra concendent aut filius, si eum aetate adulturn a patre relictum esse contingat et ille adsit, aut aliquis ceterorum genere coniunctus, defuncti virtutes commemorat et res ab eo in vita bene gestas». Item Dionysius Halicarnassensis in quinto *Antiquitatum Romanarum* de Bruti funebre post exactos reges et victoriā de hostibus relatam loquens, ait

¹ Cfr. fascic. sup. mens. Iulii.

(cap. XVII), consulem, populo in concionem advocato et Bruti corpore in foro proposito, pro tribunali funebrem laudationem habuisse; non posse se quidem adfirmare, utrum Valerius primus hunc morem instituisset; an institutum a regibus secutus fuisset; at Romanorum vetus inventum esse in funere illustrium virorum virtutes laudari, neque a Graecis id primum institutum esse, ex communi se historia dicens, quam tam vetustissimi poëtae quam celeberrimi historici prodidissent.

Etiam matronis honos funebris laudationis concessus est; narratque Livius in quinto libro (c. 4), id primum voluisse Camillum post Gallos urbe expulsos, ut matronas quae aurum suum in rem publicam dederant praemio afficeret: « Matronis gratiae actae honosque additur, ut earum sicut virorum post mortem sollemnis laudatio esset ».¹ Si tamen Ciceronem audias, multo serius quam Camilli temporibus evenit ut primum matrona quaedam honore laudationis frueretur. In secundo enim *De oratore* (XI, 44) Antonius inducit colloquens cum Q. Lutatio Catulo his verbis: « In eo quidem genere (sc. laudationum), scio et me et omnes qui adfuerunt delectatos esse vehementer quum a te est Popilia, mater vestra, laudata, cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto ». Constat autem Lutatium Catulum, Cinbrorum victorem, fuisse consulem anno centesimo secundo ante C. n.

Ceterum non multum oratoriae artis laudisque habebant istae funebres laudationes; nam, ut idem Antonius aiebat apud Ciceronem (*De orat.* II, 341): « Nostrae laudationes quibus in foro utimur, aut

testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem contionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est ». - Quod autem peius est, his mortuorum laudationibus (quae quidem exstabant,² ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, ut monet Cicero in *Bruto* (62), historia rerum romanarum est facta mendosior: « multa enim scripta sunt in eis quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, quum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus ».³ Audiatur etiam Livius, qui (VIII, 40) aiebat: « Vitiata memoriam funebris laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaque famam rerum gestarum honorumque salienti mendacio trahunt; ita certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa ».

V. - Ad septimam de latinarum litterarum historia paelectionem explendam, ut patet ex summario quod iam mense decembri superioris anni in *Alma Roma* exhibitum est, restat ut de *carmenibus convivialibus* sermo habeatur. Horum

¹ Cfr. PLUTARCH, in *Vita Camilli*, 8: ταύταις (i. e. mulieribus) ἡ σύγκλητος ἀποδιδούσα τιμὴν πρέπουσαν, ἐψηφίσατο μετὰ θάνατον ὅσπερ ἐπὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶ λέγεσθαι τὸν ἄξιον ἐπανων· οὐ γὰρ ἦν ἐθισμένον πρότερον ἐγκωμιάζεσθαι γυναῖκα δημοσίᾳ τελευτήσασαν.

testem habemus Catonem Censem, qui ut ait Cicero (*Tusculan. disp.* I, 3 et IV, 3), in Originibus dixit, morem apud maiores fuisse, ut qui accubarent, deinceps, h. e. alius post alium, canerent ad tibiam (ad tibicinem I, 3) clarorum virorum laudes atque virtutes.¹ Huiusmodi carmina querebatur Cicero iam non extare temporibus suis: « Utinam exstarent, - aiebat alloquens Brutum (*Brut.*, 75) - illa carmina quae multis saeculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato! » - Cum hac Catonianae originis notitia conferendum est quod teste Nonio Marcello scripsit Varro in secundo *de vita populi Romani*: « In convivio pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, et assa voce (i. e. voce sola) et cum tibicine ... ». Hic non convivae deinceps, sed modesti pueri, vel voce sola vel ad tibias, antiqua carmina cantasse dicuntur. Haud abs re est conicere, morem catonianum, fortasse antiquorem, paullatim in desuetudinem abiisse; ne laudes autem maiorum deessent, pueros inductos esse ad antiqua carmina memoriter cantitanda.² Hanc opinionem iam CORSENUS in libro cui titulus « *Origines poësis Romanae* » (Berol. 1846, p. 118) expresserat;³ nec, mea

¹ Cfr. *De orat.* 3, 107, ubi numerorum summam vim, carmenibus et cantibus aptissimam, non neglectant fuisse ait a maioribus, ut epularum sollempnium fides ac tibiae... indicarent. - VAI. MAX., 2, 1, 10: Maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuventutem alacriorem redherent. - QUINT., 1, 10, 20: Veterum Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit...

² Memorare hic licent eos qui poëtice rei studiosi ad convivia ssse applicabant quique ideo *gratiosores* (a gradiendo) vocabantur, ut scripsit Cato in *Carmine de moribus*, cfr. GELLIUM, N. A. XI, 2, 5. Erant igitur quasi ambulantes poëtae, quasi errores cantionum epicarum.

³ Cfr. RIBBECK, Gesch. der röm. Dichtung. I² Stuttgart, 1894, p. 8.

sententia, rem acu tetigit MOMMSENUS in *Romana Historia* (T, p. 222, 452), qui cantionem puerorum vetustiorem iudicavit quam virorum, quippe qui postea non sine Graecorum imitatione canendi morem iniisse dicendi sint. Nimurum haec Mommensi sententia ex illa praeiudicata eius opinione manabat, qua priscis Romanis omnis poëtica facultas, omnis pulcri sensus negabatur; quae opinio iamdudum explosa est neque iam apud ipsos Germanos philologos defensores habet.

Possimus suspicari in carminibus convivalibus res gestas maiorum celebrari, ut Romuli regis, Tulli Hostili, Servii Tullii, Horatii Coelitis, Cleliae Virginis, Bruti regum eversoris, Coriolani, Fabiorum, ceterorumque, quorum memoria in Romanorum historia servata est. De Romulo testimonium præbet Dionysius Halicarnassensis, qui primo *Antiquitatum* (c. 79) de duabus geminis in domo Faustuli educatis loquens ait: « Hi quum adoleverint, dignitate formae et prudentiae pondere non subulcis aut bubulcis similes fiunt, sed quales quivis iudicaret eos qui haberentur stirpe regia orti vel ex semine Deorum nati, ut in patriis hymnis a Romanis etiam nunc canitur (ἐν πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ρωμαίων ἔτι καὶ νῦν ἔδεται) ». Item de Coriolano Dionysius (VIII, 62) ait: « Quum ab illius casu vel quingenti anni iam praeterierint, non evanuit tamen ad id tempus eius memoria, sed (ἔδεται καὶ ὑμεῖται πρὸς πάντων) canitur et celebratur ab omnibus ut vir pius et iustus (εὐσεβής καὶ δικαῖος) ». Quid valeat Dionysianum « etiamnunc » « ad id tempus », utrum *carmina* in Romuli Coriolanique honorem etiam Augusti aetate canerentur celebra-

⁴ Plutarchus etiam in *vita Numae* (c. 5) hunc de accipiendo regno loquentem inducit. Inter cetera haec ait: « Romulum Deorum prolem hi (sc. Romani) ὕμνοισι φίμαις, et nutrimentum quoddam divinum itemque salutem incredibili modo allatam infantи dicunt ».

renturque necne, equidem nescio; certe huiusmodi cantionum mos nondum intermissus erat, siquidem Horatius in novissima Odarum suarum (4, 25), Augusti laudes ornaturus, aiebat:

*Nosque et profestis lucibus et sacris
Inter iocosi munera Liberi,
Cum prole matronisque nostris,
Rite Deos prius adprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remixto carmine tibis,
Troiamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris cinemus.*

Quid fuerint igitur priscorum Romanorum *Convivialia carmina*, ex dictis eruere licet.

At non videtur res a nobis esse perfecta, nisi quaestionem etiam attingamus a recentioribus rerum Romanarum scriptoribus valde vexatam, utrum ex eo quod tot varii generis carmina, triumphalia, neniae, convivalia in deliciis essent priscorum Romanorum, recte conici possit, non defuisse apud eos popularem quamdam epicam poësim de rebus suis, quem certe scimus apud Graecos multosque alios populos existisse, an omni poëtica facultate priscis Romanis denegata, nonnisi a Graecis omnino artem canendi Musarumque cultum didicerint. Satis notum est, post Perizonium Batavum eiusque *Animadversiones historicas* Amslelodami editas anno 1685, Georgium Niebuhrum Germanum coniecssisse, Romanam historiam nil aliud esse nisi popularium carminum compositionem prosa oratione redactam. Contra hanc sententiam omni virium contentione in campum descenderunt Schweglerus (*Röm. Geschichte*), Corssenus (*Origines*) omnesque illi qui, facultatem poëticam a Romanorum animo alienam estimantes, historiam eorum a Graecis scriptoribus varia mythorum commixtione confictam esse sibi persuaserant. Ex nostris Paisius, vir ceteroquin multae doctrinæ et de vetere historia optime meritus,¹ in

hoc numero habendus est, multasque commentationes scripsit ad originem expiscandam fabularum, quibus veterem Romanorum historiam totam constare adfirmavit. At non defuerunt qui Niebuhrii coniectaram probandam esse censerent; ut ceteros omnes omittam, duos ex nostris memorabo, Caietanum De Sanctis Taurinensem, cuius *Romana Historia* omnium in manibus est laudaturque propter diligentiam investigandi narrandique perspicuitatem, et Henricum Cocchia Neapolitanum, qui nuper tria volumina in lucem dedit, quibus titulus est «*La letteratura latina anteriore all'influenza ellenica*»¹ quae volumina si res excipias minus probabiles, docta Iuppiter dici possunt et laboriosa. Horum opinionem secuti non dubitabimus adfirmare priscos Romanos, a poëticis carminibus minime natura abhorrentes, non spernenda sua facultatis specimina dedisse, maioraque datus fuisse, nisi Graecæ humanitatis doctrinæque flumen in eos irrumpens multas res quasi nanfragio obruisset, et novum, ut ita dixerim, parasset solum, in quo copiosior messis arboresque renovatae humanitatis fructibus aptae arboresque orituræ erant. Sed de his hactenus.

FELIX RAMORINUS.

¹ *Neapoli*, 1923-25.

De Ostia antiqua et novissima

Ostia vetustissima nihil erat in primis quam *ostium*, ut idem vocabulum sonat, per quod flumen Tyber in mare se se immittit. Hinc Vergilius scripsit:

*Italian contra, Tyberinaque longe
Ostia!*

At continuo, quum primum res Romana valuit, et Roma armis atque imperio universas late gentes ad se convertit, ad mare,

apud fluminis ostium, quae antea pauperum piscatorum casae erant, brevi admodum tempore, in hospitum commodum et demum civium Romanorum voluptatem palatia exstiterunt, et somptuosae villae atque aptissimae beatioribus stationes passim conditae sunt. Balnea cernebantur et bibliothecae, insuper et sapientium Collegii specimen. Eo magnitudinis parvula prima piscatorum statio pervenerat!

At labentibus annis, quum Roma consequit, Barbarorumque armis in peius irruit, et Ostia, urbis imago, in dies labitur, nihilque iam quam nomen sine re obtinuit. Et ipse Tyber, antiquæ eius potentiae immemor, ignobili arena paullatim prata, villulas, palatia contexit. Tot cumulos aestuantis arenæ flumen aggerat! Quo facto civitas populi olim abundantia illustris et commerciis pollens, paulo post diruta, nihil omnino remansit. Et modo, per longa tempora, vacua et inculta illa loca manserunt, ubi Ostia fuit.

Interdum vero, quum res Urbis ab animorum commotione quiescerent, et praeteriti temporis gloria in mentem rediret, tunc, suffragantibus praesertim Pontificibus Maximis, de Ostia detegenda, timide utique primum, mox confidenter cultores rerum antiquarum iterum atque iterum cogitarunt.

Et patrum nostrorum memoria, adniente Pio VII P. M. primum, et, paullo post, curante Bartolomaeo Pacca patre Cardinali, et memoria nostra, opera Pii IX P. M., quamplurima vetera monumenta mirum in modum sunt effossa. In magna quoque rerum publicarum conversione, in operibus adstantes Pontifices Maximi, de monumentis antiquis optime apud omnes meruerunt; cura enim eorum, multa in dies ad hominum visum solatiumque redierunt.

*Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque
quae nunc sunt in honore,*

non modo vocabula, sed civitates!

Quo facto in priorem quodammodo lucem palatia comparuere: adsunt et balnea cum theatris; pulcra adest Vigilum statio...

En templum ardantis Vulcani, verum Ostiensium fulgens Capitolium; atque e regione alterum templum, maius equidem et in meliore formam redactum, sed temporis iniuria et macerie absumptum, lamentabili utique casu omnino abrutum.

Quot pulcherrimæ domus, miro sane artificio compositæ, omnibus etiam commodis exornatae, quae ad hominum necessitatem optime requiruntur! Sunt et ipsæ aedes rerum magistrae, quae et usus nos monent qui apud veteres vigerent.

Omnia Romanorum vestigia in lucem redeunt, et antiquam atque opulentam urbis magnificentiam adhuc confitentur, quae Romanum luxum et commoditatem latissime referunt.

Litus sane iam, labentibus saeculis, a mari distat, atque ab memorabili Tyberis ostio, qua primum Aeneas tandem ingressus Romam conditurus transit

Cum sociis natoque, penatibus et magnis dis.

* *

Ab hac vetere Ostia, longe tres circiter lapides, proprius ad mare, conditum iamque cernitur pulcherrima Ostia recentior, quae mirum in modum quotidie adolescit. Cunctis utique commodis exornata, quibus haec nostra tempora commendantur, ad Urbem magis ac magis proprius accedit, curribus ab electro illuc Roma actis.

Adsunt iam publica deambulacula, hinc inde arboribus consita, quo beatiores hospites et cives priorem aërem facilimme captent et miro pelagi visu a liture tutius fruantur. In praesentiarum omnes qui veterem Ostiam invisunt, cetera undique admirati, ad recentem hanc urbem in diem venustiorem alacriter contendunt.

¹ V. eius *Storia di Roma et Storia critica* etc.

Quibus rite atque obiter conspectis, ad Italiam laetabundus conversus, eique a Deo fausta omina adprecatus, exclamare haud desinam: *Salve fatis mihi debita tellus!*

SENIOR.

ALOISIO GONZAGA

ALTERO SAECULO EXEUNTE
A QUO SANCTORUM HONORES DECRETI SUNT

*Terrena linquo. Me rapit impetu
Non usitato per liquidum aëra
Immissus ardor, drinetque
Attonitum nova pompa visu.
Rerum ne falsa ludor imagine?
Tu victor oras ad superas abis,
Gonzaga, devectus sonante
Caeruleum per inane curru.
Blandum et renidens luminibus iubar
Micat serenis; fulgurat ignibus
Frons lacta, et aeternum coeret
Purpureos diadema crines.
Pendet smaragdis nexilibus teres
Demissa collo torquis, et aureo
Decenter ornata refulgens
Palla levi sinuat curva.
Lucem coruscant nubila depluam,
Quae se citatis agglomerant rotis;
Longoque post tractu videntur
Aetherei rutilare calles.
Festiva nectunt agmina desuper
Infraque gyros, pars caput exserunt
Pennasque nimbo, pars laborant
Luteolas equitare nubes.
Hic sceptrum praefert geminea, libero
Quae sprevit ausu magnanimus puer;
Ast ille regalem supinis
Gestat ovans manibus coronam.
Ostentat alter candida ludicus
Intaminatis lilia frondibus:
Hic iactat exultim flagellum
Innocuo madidum cruore.*

*Claras olympos laeta cohors vias
Ningit rosarium floribus et croco;
Densatur hic cantum ad sonoros
Turba sequax modulata nervos.
Auditis? oh quae praetereuntium,
Io triumph! carmina consonant;
Io triumph! arces iocoso
Sidereae geminant repulsa.
Hinc astra festis concita plausibus
Orbem rotantes in thiasos agunt,
Et clarus insuetum micantes
Sol nitido vibrat ore flamas.
Et iam reclusis postibus aurea
Late patescunt caelicolum atria,
Et limen optatum beatae
Loisides subit hospes aulae.
Nunc ergo caelo te decus additum
Castis colemus semper honoribus;
Et ture devoto piandas
Rite tibi statuemus aras.*

H. N.

AESTHETICAE NOTAE

Architecturae origo et vicissitudines.¹

Ars aedificandi, interpres indolis et testis cultus diversarum societatum, orta est una cum hominibus: primo securitati et necessitatibus consuluit; postmodum iucunditatem venustatemque adamare coepit. Haud sero quidem, unde merito Architectura antiquissima dici debet.

Quamplurima supersunt monumenta remotae aetatis, quae in lucem prodiere et iugiter prodeunt.

Apud Celtas, Indos, Anglos... exstant adhuc *Men-hirs*, *Cromlech*, *Dolmen*...; idest monumenta ex petris, quae Druidae adhibebant uti congressionum locum, templo, sepulcra, etc. Pelasgicae artis adsunt insignia testimonia: sepulcreta Sipyli, My-

cenes et Tyrynthos; templum Circaeum, tumulus Caereti, vestigia Aletrina et quamplurima alia id generis. Apud Aegyptios templa, aedes, sepulcra quae supersunt, praesertim vero pyramides Regum, egregiam formam architecturae praeseferunt, quam Graeci imitati sunt. Pariter Ninive apud Assyrios, Babylon cum viridariis pensilibus apud Chaldaeos, Ellora apud Indos, Persepolis apud Persas, Ierusalem cum templo Salomonis apud Hebreos, etc., sat antiquitatem et certum progressum architecturae commonstrant.

Gigantea moles, seu immanis aedificiorum magnitudo, quae stupore et terrore animos spectantium percellit, characterem universum huius aetatis designat.

Apud Graecos architectura ad summam perfectionem devenit. Ita praestat grata convenientia partium et linearum geometricarum, maxima unitate et consonantia membrorum, clara exquisitae formae significatione, ac sobrietate et elegancia ornamentorum, ut iure meritoque *Classica* dicta sit. Graeci primitus invexere mirabiles ordines, doricum, ionicum et corinthium. Sicut ceterarum artium, ita mater architecturae Graecia appellanda est. Inter innumera monumenta vetustatis sufficit hinc recolatur *Parthenon*, quo nullum pulchrius aedificium in tota Graecia unquam exstructum fuit.

Romani iam ab initio Architecturam coluere. Aetate Regum exstabant publica aedificia: cloaca maxima, templo, aera, circus, aqueductus, moenia. Reipublicae tempore magis magisque profecit. Antequam agerent secundum bellum Punicum (cc ann. a. C.) Romani Etruscos imitati sunt, exinde vero Graecos. Regnante Augusto, Romana Architectura perfectionis fastigium attigit, et ita perduravit usque ad Costantinum. Fortitudinem Etruscum et gratiam Graecam Roma perbelle in unum temperavit, et ordinem ionicum atque corinthium simul coniungens, proprio

charactere novum ordinem efformavit, qui *compositus* vel *romanus* dictus fuit. Romanorum indeoles (idest magnitudo animi et superbìa vitæ) in architectonicis monumentis apprime relucet. Supervacaneum est Latinorum operum nomina hinc referre.

Romana architectura una cum imperio per orbem terrarum diffusa est, ideoque fere ubique eius asservantur praeclera vestigia. Sed divisione imperii facta, architectura suam unitatem amisit, et quamvis pristina eius indeoles omnino deleta non fuerit, tamen novi styli hinc illic orti sunt.

Hinc *stylus byzantinus*, cuius classica monumenta sunt templo S. Sophiae Constantini et S. Vitalis Ravennae, erectorum Iustiniani tempore, et templum S. Marci Venetiis, exstructum sub duce Petro Urseolo an. DCCLXXIX. Pariter Arabes, qui imperii romani parte potiti sunt, per Orientem et per Hispaniam novam quamdam architecturae formam propagarunt, quae proprio nomine dicta est *Stylus arabicus*. Inter insignia monumenta praeminent Macometanorum templum Cordubense (an. DCCLXXXVI) et Regia *Medinet Alhambra* Granatenensis (an. MCCLXII).

Interdum Christiana Religio, sub Constantino pacem assequuta, pulcherrimas romanae architecturae formas in Occidente, Romae praesertim, servavit incolumes. Exemplum *privatae* Basilicae (non vero *publicae*, uti diu opinatum est) sibi proprium fecit ad sacras *Basilicas* erigendas; quasdam autem partes mutavit, quasdam adiunxit, quo templum Dei viventis solemnius redderetur.

Testes sunt Basilica S. Pauli *extra muros*, tempore Costantini erectora (quae incendio collapsa, an. MDCCXXIII, denuo in pristinam formam et magnificentiam restituta est); Basilica S. Mariae Maioris, pariterque Basilica S. Clementis, S. Constantiae apud S. Agnetem, S. Ioannis *in fonte*, S. Stephani, et alia monumenta IV et V saec. a Christianis erectora.

Saeculo vi, vii, viii architectura nihil vel parum progressa est.

Saeculo ix stylus, proprio charactere distinctus, in Occidente surgere et deinde propagari coepit, vulgo *Romanzo* vel *Lombardo* dictus. Attamen de aetate, patria et nomine huius styli non una est scriptorum sententia. Antiquissimum monumenum est templum mediolanense, S. Ambrosio dicatum. Haec nova architecturae forma in Etruria nobilitata magis magisque fuit; verum saeculo undecimo conversa est in stylum *Gothicum*, praesertim in Gallia et in Italia. Innumera monumenta Gothicā demonstrant eximiam et huius stili perfectionem.

Ita architectura per iugem evolutionem pervenit usque ad aetatem, qua universalis cultus effecit ut *renascerentur* classicæ formæ Graeciae et Romæ. Tunc etiam architecti, imprimisque Itali, antiqua monumenta aemulari coeperunt. Praeciarissimi sunt Bramantes, Brunelleschius, Sanctius, Palladius, Vignola, Sangallus, Ammannatus, Peruzius et prae ceteris Michaël Angelus Bonarrotius; qui omnes decus et ornamentum architecturae fuere saec. xv-xvi, atque Italiam pulcherrimis aedificiis ditarunt.

Architecti itali in Galliam perrexere, et sub eorumdem magisterio Architectura Gallorum pariter *renata* est saec. xvi: hinc schola *de la Renaissance* illo sermone appellata. *La Renaissance* illustres habuit architectos, ex gr. Petrum Lescot, Bullant, Philibertum Delorme, Ducerceau, etc. Germania, Anglia et excultiores nationes Renovationes Italorum amplexatae sunt.

Attamen saec. xvii-xviii in Italia et alibi invaluit *scholae classicae* corruptio, quae dicta fuit *stylus Barocco*. Auctores itali fuere Alexius, Zipaldius, Bontalentius, Dominicus Fontana, Cigolius, Dominichinus, Petrus de Cortona, etc., inter quos praeeminet quadam laudabili dexteritate sua Berninius. Pariter saec. xviii *stylus*

Ricocō, peior priore, invalidit; qui tamquam ultimus stylus plane suus evasit. Exinde enim architecti in novis aedificiis erigendis aut antiquos stylos fideliter reproduxere, aut eos miscuere, multoties tamen inconcinne et absurde.

Nunc itaque architecturam proprio ut charactere signent artifices oportet: nulla enim forma est per se absoluta, quemadmodum tot formae perfectae usquedum excoxitatae demonstrant. Sedulo tamen caveant, ne sit regressus, immo vero progressus in arte.

G. LEPORE.

ERRATUM CORRIGO!

Super Comoediam scribens compositam

*Multis acceptam et Florentiae plausibus,
Erat cui titulus pulcra Flamma mystica,
Mario Ferrignio leviter attribui
Cum debuisse Ferdinandu Paulerio!
Erravi! poenitens errorem corrigo,
Honor suo auctori detur nam postulo;
Mithine quisquam, scripsit quod Vergilius,
Sic vos non vobis, indignatus imputet.*

Ut ipsa postulat res inter homines,

*Quidquid aptavi laetus per quam commode.
Nam Marius meum dulciter cum carperet
Errorem, verbis usus humanissimi,
Optime qui callet latinis litteris,
Ipse et Comoediam scripsit italicice,
Quam Sancto Francisco dicatam voluit,
Multis et accepit plausibus Italia.*

Suis en datus cunctus est auctoribus

Honor, decusque veritati prius.

*Nihil nobis enim carius quam veritas.
Erunt sic laeti Ferdinandus et Marius,
Suam qui laudem denue recipiunt,
Egoque maxime laetabor munere
Eisdem ferre possim quod sic citius.*

I. B. FRANCESIA.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

ANDREAS AVENARIUS carissimo conlegae suo EMMANUELI JOVÉ.

Jamdudum responsum esset, ut fasciculi IX litteris meruisti, sed multa, ut fit, impediabant. Feriarum tempus satis actum commode est, neque tamen habuit eas ambulationes, quas faciendas decreveram antea. Huius enim regionis caelum sic est, ut multo livemur imbri, maiorem anni partem sordeant viae. Et angustis calceis vulnerati pedes erant, ut ad cubandum quam ad eundum animus esset proclivior. Sed ne cubare quidem quiete posses incredibili sonante totos dies strepitu fabrorum multos harum aedium vellenium muros et vias perfringentium, Quanti pulveris excitabantur turbines! Sed nunc commodiorem, quia perviam, habitamus domum. Dominicis diebus birota ad vicinum vectus vicum rem faciebam Divinam, et est Deo habenda gratia, quod in quodam exitu furientem effugimus salvi taurum.

Post ferias quum etiam exercitorum, quae vocant, superata hebdomas esset, pondus scholae nobis adjunctum est: sholae Latinae in hebdomade denae quinae, Graecae quinae, colloquiorum Latinorum horae quaternae libere assumptae, reliquarumque rerum regularumque addimenta, quibus omnibus intercipitur facultas vagandi per has Saxonum silvas, ubi ante tot saecula Caroli Magni milites incedebant. Nec longe hinc abest ille saltus Teutoburgensis, Vari nobilitatus incommodo. His ergo multum amoenitatibus naturae officiorum varietate et copia prohibeo me ipse aliorum fortuna consolatus.

Quod in superiori epistola de fultura pedum dixi me commendare magis Wizardianae rationis coria, quam pneumaticas soleas, haud scio an vela retro dare debeam. Certe mollius pes quiescit in torulo gum-

meo pressum sequente pedis, quam in duro corio, et quod hoc anno in pneumaticarum solearum fabrica inventum est; quo plus firmamenti accedat inflatili folliculo, ego redire statui ad soleas.

Quis ex nostro genere dixerit pancratice se atque athletice valere: quibus id satis esse debeat, si sua obire possint officia? An non vita hac sedentaria multa corpori colliguntur vitia sanguine minus minusque purgato oxygenio? Sic iam saepe confessus sum, si ad trigesimum aetatis annum possem restitui, ne decem quidem equis posse retrahi, quin ad Sinenses vel in Iaponiam properarem missionarius. Neque tamen infelices sumus: merito melius nobiscum agitur.

Et commendo tuis apud Deum precibus minorem fratrem meum, qui nuper factus subdiaconus circiter a. d. xiv Kal. Ianuarias diaconus erit ter frater: parentibus, religione, sacro ordine.

Sed nunc iam veniendum ad huius epistolae argumentum, ad nova vocabula. Stant nunc in area sex illae *ferrae vehelae capsatae*, inductae ferrugine, et stabunt, nisi forte quis dimoverit, nondum plana area, per totam hiemem: maius enim opus est egerere terram hanc limosam glebasque, quam, qui Hollandicam tantum expertus arenam, opinatus erat opifex. *Pavimentarum machinam* scite abs te appellatam dico, et *paviculas* quod revo casti in memoriam gratias ago.

Sed liceat haec quoque spargere tamquam novae epistolae semina. In eadem area stat arbor, in qua summa versatile affixum caput est. Ex eo capite quinque aut sex pendent funes, ad terram versus exeentes in scalarum genus, quarum gradibus saepe videoas pueros haerentes et sua corpora circum arborem pedibus agitantes giganteis fere passibus, ut Gallos illam arborem nominare videam *pas de géant*. Nos saepe transeuntes nomen Latinum ignoramus, scilicet et abs te iam *quaeri-*

mus. Apud nos illa res *Rundlauf*, scilicet «cursus circularis» est.

Accepi nuper a quodam missionario nostro ex Sina pecuniam papyriam, falsam tamen vel adulterinam, quam illi mulier quaedam misera misere decepta a fallaci emptore lignorum domus aqua convulsae obtulerat. Em tibi totam paucis verbis fabulam: sed meliusne habes nomen pro *papyria* vel *chartacea pecunia*, vel *mensaria tessera*?

Le bureau télégraphique « officina telegraphica » erit?

Et scandale de presse quid erit?

Fortasse etiam apud vos aedes sternuntur *linoleo*, nam antiquis et melioribus temporibus premebamus lignum. Linoleum autem propriam postulat curam: inducendum interdum genere ceriae est, quam ceram, ut splendorem reddat, perfricari necesse est. Iam illa perficitio fit re quadrata, gravi, manubriata: «fricatorione» an «fricamento», an quid erit *Gallorum frottoir*?

In itineribus viis ferreis, quae facimus, ego sane rarius cogor facere - inter ceteras molestias etiam haec, quod aliquando permutationem agminum cogeris exspectare. Ubi igitur, non est ubi sedeas, est ubi ambules, plerumque tamen ubi sedeas est in locis exspectationis primae, secundae, tertiae et quartae classis. Ea loca mihi placet vocari «exspectationes», sicut antiquis ambulationes et cenationes illa loca erant, ubi vel ambulabant vel cenabant.

Quantam multorum ille sibi conciliat gratiam, qui accurate copioseque proponat ea omnia, quae ad viarum ferrearum pertineant usum et administrationem!

Dicemusne «materialismum» et «congressum, internationalem», an Latinus aliquid?

Intellegisne quum ego de publicis fabulor pecuniae assignationibus? Vide crescentem in quaerendo audaciam. Unum eram interrogaturus, sed dum loquor latine

illamque capsam vel illum capsum mente teneo, rationem ingredior appellandi locum ubi illa una res iacet. Iacet autem in capsula, quae sub mensa educi potest, quaeque, dum melius obtuleris, a me iam, «eductorica capsula» vocabitur, vel «eductorium», eo liberius, quod Gallorum *tiroir* simile habet.

Non credes mihi nullum temporis superesse scripulum, tam multa scribenti, sed illud unum accipe: Institui hoc, ut, quas daturus essem latinas epistolulas, earum apud me retinerem exemplum. Et hoc fit una opera illa «multiplicatoria charta», «libro multiplicatorio», «stilo multiplicatorio», multiplicabilia omnia. Harum quoque rerum tua volo cognoscere nomina.

Nunc iam vale atque salve.

IV. Idus Novembris MCMXXVI.

JACOBUS TASSET *pergratis scriptoribus*
HERMINIO M. IACOBELLI et EMMANUEL
Iové *salutem dico.*

Victores aëris, volatusque principes Daedalus et Icarus, super mari sidere potuerunt. Antiquitus circulos et sodalitia consecuti, naves habuere privas, animi causa facientes itinera divites. Varia morum suorum singulae gentes etsi propriis vocabulis suo saeculo significant, nos aeternas eloquamus in universum formas oportet. Quare vos obsecro, qui novissima quaeque consideratis miracula, ne longioris tamen aevi despiciatis ornare verbis humilia genera.

Ego quidem ex bello viduae, quae vidui senis domum meam curat, filiam vix annos XII natam docere latine coepi: *Semel singulum unum est, bis singula duo sunt...*

Quid ei porro dicam, quum me numeri rogaverit aliquam solidi aut partiti rationem? Ostendet enim mihi partes $\frac{3}{6}$, $\frac{7}{6}$, $\frac{8}{7}$ quas nominis eiusdem fecerit $\frac{126}{210}$, $\frac{245}{210}$, $\frac{240}{210}$. Haec, quaeso (inquiet), eiusdem nominis efficiens, oré hesperio Maronis,

Caroli, Copernici, conceptis quibusnam verbis eloquar?

Ast ego: Sunt partes quintae tres, sextae septem, septimae octo.

Pupilla — Quidni: tres quintae?

Senex — *Gallia est omnis divisa in partes tres.* Porro communis quaeritur inter (partium) nomina minimus multiplos numerus (ducentas decem partes reperi), qui deinde per singula nomina dividatur. Sunt quadraginta duae... (42, 35, 30). Postremo bina singularum rationum capita summis illarum divisionum multiplicantur. Sunt ergo partes ducentesimae decimae (210) centum viginti sex (126), ducentae quadraginta quinque (245), ducentae quadraginta (240).

Ea recta, necne proposuerim nescio. Velim tamen infantes adhuc artes peritorum, ut estis, studiis eloquentes fieri.

Valete, et percontationes meas aequis animis patimini.

Dabam Tornoduro in Gallia Senonum.

QUI FUERUNT...

De Mattheo Ottonello.

Piissime, ut vixerat, diem obiit supremum superiore mense Novembri, Campo Ligure apud Genuam, Mattheus Ottonello; insignis Salesianorum familiae alumnus idemque Sodalis.

Hic, prima iuventa, Augustae Taurinorum, duplice laurea honestatus multisque litteris enutritus, in Dante Alligherio collendo mirum in modum enuit, et haud dubiam sapientiae fiduciam ostendit, quam eventu etiam atque etiam confirmavit. Complura volumina in vulgus edidit, ut poëtam Italorum principem enuclearet; quae, ex ipsis Italiae finibus egressa, poëtae nostri gloriam, vel apud exteriores gentes, immortalitate cumulaverunt. Spec-

tant in primis haec mea verba ad volumen ab ipso evulgatum cum titulo: *Dante esposto al popolo ed alla gioventù*, quod in Hispanicum eloquium conversum idemque latissime diffusum, vatis nostri pene illic demortui memoriam ad Rempublicam potissimum Argentinam maxime protulit.

Viro clarissimo eidemque suavissimo alumno meo, optime merito de Italicis literis, honor floreat in terris, et beatorum felicitas in aeternum, Deo adiuvante, effulgeat.

I. B. F.

COMMUNIA VITAE

De quibusdam cupidiariis natalitiis.¹

Quoniam eo anni tempore sunus, quod suavibus mellitis, bellariis quibusvis consecratum quasi videtur, de iis hodie aliquid tibi dicam. Quae super procul dubio eminet panis ille, qui conficitur parte semilaginis aut pollinis minima, in quam oleum optimum, quod sufficiat, albuminis autem exiguum, tantillum infunditur. Tum additur astaphidis tantum, quantum vel tricies exsuperet quod ex oleo, farina et albumine fuit, atque hisce ad coronidem superaduntur, non avara manu, bellaria, amygdala munda, strobili, cinnamonum, saccharati citrini corticis frustula, et aromata omnia, quae palatum vellicent, ac denique tantum sapae dulcissimae, quantum par sit ad ea omnia versanda, commiscenda et ita tenenda, ut in morem panis coalescant.

Nonnulli ex cupedinariis hosce panes in mactra relinquunt ut fermentescant; quod ubi fiat, iterum validis manibus ex integro massa versatur, iterum in panes sectae spherae similes finguntur, clybanoque pa-

¹ Ex scriptis H. PIERALICE DE VECCHI, ~ Cfr. fasc. mens. Iulii MCMXXVI, pag. 120.

nes ipsi dantur, summa vigilandi cura, ne utram cadant in partem, nempe aut non satis cocti, aut siccii nimis, aut adusti extrahantur. Hic autem cupedinarii indoles et ars audentque tentantque digna mensis deorum; nam saccharo et farinae polline dilutis, albumine diu contrito et in spumas erecto, ac variis coloribus iuxta quae sunt facienda imagines distincto, Minerva pictoria convexam illam panum partem primo deliniunt plerumque candido, mox addituri frondes, flores, agrorum scenas, avium vel quadrupedum figuram omnes, ita ut penitus gustans ignores utrum oculis aut palato delectabilius adstructi sint.

Atque in his quidem conficiendis romani cupedinarii excellere propemodum communi sententia videntur, quibus non modo lubet interdum in morem panis illa effingere, sed nunc pileos hac massa, nunc caligas, nunc geographicam Italiae figuram, nunc turrium, nunc domorum, nunc aliorum omnis generis imagines arte mira et imitatione spectabili fingunt.

Huius panis origo ex Oriente fertur allata: illic enim viatici panes, ne itinere arescerent, astaphide farciebantur, quo molles dentibusque dociles iugiter fierent, et vel in mensem esui apti durarent.

At cur in pervigilio Nativitatis Dominciae, totaque octava ritu quodam eduntur et religione quadam apponuntur edentibus? Numquid quia Ioseph et Maria peregrinantes ad Bethleemiticum oppidum hisce in via, hisce vespera sacro refecti sint?...

Opinor; idque eo magis, quia in Epiphania nobiliores conficiuntur panes, queis piperis insuper additur ultra quod satis sit; reges enim illi adventantes ex Oriente vel ipsi profecto nobilioribus vescebantur.

At si iure hi postremi « piperati panes » appellantur, cur primos illos « astaphidicos » proprio non designabimus nomine, quem Rome *Pan-giallo*, quasi *panis-pallens* ex colore haec salgamorum species vocetur?...

Est autem et aliud salgamorum genus, quod plerique « salgama pinea » sed melius « pino-salgama »¹ nominatum ego velim, constans pini seminibus saccharino glutine inter se coagmentatis, formamque nunc semisphaerae, nunc rhombi praeferrens, coloribus diversis pro cupedinarii voluntate distinctum, cui tamen nihil est praeter dulcedinem sacchari et levissimum pini aroma. Ab his ego me facile abstineo, cui optabiliores profecto sunt citrini cortices saccharo liquefacto decoti (iam in eo eram ut scriberem: elixi), et saccharina albedine, quasi pruina canescentes minuta.²

At prae ceteris insignia inter cupediaria sunt hoc in tempore quae vel nucibus et avellanis, melle et polline colligatis, in regularum speciem deducuntur, vel bellariis, amygdalis, avellanis insuper, citrinis corticibus, aneto, seminibus pini commixtis, melle et saccharo simul una haerentibus, conficiuntur azymis pelliculis circumvestita, vel circumaspersa undequaque saccharinis lapillis, ne invicem liquefiantes adhaerescant. Quae cum, ubi confecta sint, mediocri clybani calore torreantur, ex hoc vulgo *torroni* italicice nominantur. Nonne haec « mellinacea » ac « polybellaria » latine vocare possumus?

Iamque tu habes quae neque dentibus, neque palato repugnant. Dulcificans ora te annus excipiat novus, laetificatum corde excedens relinquat... novisque novarum rerum nominibus locupletatum.

¹ Italice vulgo *pinoccata*.

² Vulgo *canditi*.

Estne socius aliquis, qui nondum subnotationis pretium solvit? Si est, idem mittere festinet, et cum ipso pretium subnotationis pro anno MCMXXVII.

NATIVITATIS IESU CHRISTI MEMORIA

Venit mihi in mentem, vetulus cum siem, Agebam quidquid, essem cum puerulus, Domi cum viveret pater cum fratribus, Adveniente Iesu Natalitio. Quot rerum dulcis, tristis et memoria! Mihi nunc oculis decurrunt lacrimae! Erant pater, mater, multis cum fratribus Vultu festivi stantes ad avunculum, Qui res antiquas enarrabat comiter. Fuit nam miles, decertavit saepius, Multis exercitus pugna perculis. At cum veniret Christi Natalitium, Rebus profanis omnibus posthabitis, De sacris totus loquebatur unice: Miles videtur versus in Apostolum, Quanto sed aptius dicere si in Iudium. Est Subalpinis mos hiberno tempore, Suas domesticas gerunt dum mulieres, Dulces in stabulis sermones serere, *Gelindus* audire verecundam fabulam.

« *Gelindus?* » quid est?
Quid? Non nosti hominem?
Paucis me absolvam. Nos *Gelindus* dicimus
Comoediā brevem, plenam sed casibus,
In qua *Gelindus* Domini ad praesepium,
Inter Pastores advocatur protinus.
Apte, gratiose, pulcre, ut nihil supra!
Erant pastores Bethlehemitae simplices,
Quos et referebat miro artificio.
Et ipse nobis vetulus perspicue
Quasi videret cum virtute comica,
Omnes personas retrahebat optimè.
Erant avenae, fistulae cum calamis,
Bovis mugitus, ceterū animantium.
Erant actores affabre compositi
Suis de ligno pictis cum coloribus,
Quos ipse voce assimilabat ordine;
Gelindus tamen super omnes volitat.
Domus tunc nostra replebatur populo,
Et omnis laetus gratiarum vocibus.
Dies per octo et amplius saepissime
Haec agebatur quotidie comoedia!
Et nunc personae redeunt ob oculos
Suis loquentes dulcius vernaculis,
Quae tristis reputo laetusque lacrimans!
Avi recordor et mellita crustula,
Iesu dicebat ferre quae divinitus,

Ut nos infantes cumularet praemiis.
Et quot virtutes docet nos arripere,
Haec modo praemii longe promissio;
Quot pueriles devitabat machinas!

Mox ipsi Reges, magos quos adpellant,
Suis apparebant pretiosis vestibus,
Nobis ferebant qui regalia munera.
Expergientes, summo manū, gaudio
Suum nos munus quarebamus Principum.
Erat huic equus, vestitus splendide,
Vestis sed alteri, colore varia;
Super quoque ramis poma pendentia...
Edamus hilares prope quae nos provocant!
Nos resurgentes manet sed quae novitas!
Hic frustra crepidas calciare nititur,
Suas qui braccas quaeritat inaniter;
Sunt cuncta crustis mixtis et plenissima...
Nostris omnis domus sonat laeta vocibus,
Et risu et gratis, damus quas parentibus.
Quot sunt exorta, praeterierunt tempora!
Sumus senes... Imo haec aetas praeterit!
Omnis occidit prope iam familia,
Egoque vacua conqueror in domo...
Semper *Gelindum* memoro sed lepidum,
Patrem, matremque frequentesque socios...
Manet, manebitque in aeternum gaudium
Nobis puellis datum per avunculos,
Quibus dedit Deus, multa abhinc tempora,
Suas ob virtutes aeternum praemium!

SUBALPINUS.



COLLOQUIA LATINA

Recitatio.¹

MAGISTER, ANDREAS, discipulus.

MAGISTER. – Heus, Andrea, comprehen-distin' memoria, quam hesterno vespre explanavi epistolam?

ANDREAS – Vero comprehendendi.

MAG. – Quod felix sit, claudo librum, et recita distinete, clara voce.

ANDR. (*recitans*). – Tullius Terentiae suae et pater Tulliolae, duabus animabus

¹ EX ANTONIU VAN TORRE dialogis familiaribus.
Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

suis, et Cicero matri optimae ac suavissimae sorori salutem plurimam dicit. Si vos valetis, nos valemus. Vestrum iam consilium est, non solum meum quid sit vobis faciendum...

MAG. - Altiore voce, ut omnes exaudiant. Date vacuas aures, pueri.

ANDR. (*recitans*). - Si ille Romanum modeste venturus est, recte in praesentia esse potestis...

MAG. - Andrea, Andrea, nae tu male hanc tam bellam epistolam memoria sepsiisti atque custodisti.

ANDR. - Revera domi tenebam perfectissime.

MAG. - Oh! tibi ego ut credam? Identidem inspiciebas librum et verba furabarisi.

ANDR. - Bis tantummodo, summum ter.

MAG. - Et mentiri non vereris? Quoties clamavi: Claude, claude? Quam saepe insuper ordinem verborum commutabas, priora posteriori, posteriora prius pronuntiando? Et aliquando tua pro Ciceronis, lutea pro aureis videlicet substituebas. Frequenter praeterea voces iam dictas repetebas, et denuo quasi deglutiebas, ut interim posses aut ipse librum aperire aliquantum, aut vicinorum aliquis suggerendo haerentem te in salebris expediret, quod et nunc et alias sollicite praestit Bernardulus. Tune mihi hanc afferre falaciam? Novi ego artes puerorum ad unguem omnes. Sénex sum! Et seni verba dare difficile est.

ANDR. - Fuit nimium longa epistola; nequivi tam ediscere.

MAG. - Ecce iam asseverabas domi te perfecte memoriter eam complexum. An ita tandem? Tu ex uno ore calidum et frigidum? Et aliud stans, aliud sedens? Cur non ingenue fassus es te nescire?

ANDR. - Me terruerunt poenae.

MAG. - Infelix puer, hoc magis pro commerita noxia te castigabo, quia iudicasti me, et ad socordiae vitium vanitatis culpam addidisti.

ANDR. - Volebam mihi consulere.

MAG. - Non consultit, sed nocet sibi, qui sic recitat.

ANNALES

Foedusne inter Russos atque Turcas?

Studium sere omnium nationum et dubitationes, superiore Novembri mese, excitavit conventus, quem Odessa in urbe Cicerin atque Tewfik Rusedi, alter Russorum, alter Turcarum ad extera negotia administer, habuere. Qui quidem quum nunciarunt non alia de causa eundem evenisse, nisi ut palam fieret nullum inter duos populos discrimen extare, proindeque eorumdem amicitiam mereri, ut firmioribus vinculis vinciretur, auctores ipsi fuerunt, ut plerique crederent postrema haec verba praenungia novi foederis fuisse, quod Asiaticam unionem contra Europaeam constitueret; eo magis timendum, quia praefatis duabus nationibus Persica accessura esset, itemque Afganorum et Sinarum: uno verbo unio turbamenti contra unionem pacis, in quam tot tantisque laboribus iamdudum intenditur, haberetur! Quod avertat Deus.

Sinense et Mexicanum civilia bella.

Atque brevi avertat pariter quae adhuc furiunt Sinense et Mexicanum bellum civile; alterum inter factiones partesque acerrime et vario imperatorum Marte actum, magna cum militum non modo, sed innocentium civium in potestatem h̄c illuc victorum occidentium caede, alterum in Catholicam religionem ita agitatum, ut in mentem revocet quae in primos Christianos habitae olim sunt a Romanis Imperatorum persecutiones usque ad effusionem sanguinis Iure igitur meritoque qui nunc Christi personam in terris gerit, Pius PP. XI, publice lacrimabilem hunc rerum statum conquestus est atque damnavit;

dum totius orbis fideles anxiō atque sollicito, at non minus sidenti animo invitati, ut preces omnipotenti Numini effundant, qui invicto Mexicano populo soccurrat misericors, pacem ei restituens ac de impietate victoriam.

**

In Anglia discrimin sublatum.

Post menses sex et maxima partium hinc inde certantium damna, compositum tandem apud Anglos est oeconomicum discrimin inter dominos et operarios, qui in metallo morantur atque ex condito ex negata sibi maiore mercede ab operibus secesserant.

**

Regales nuptiae.

Bruxellis, ovante et gratulante universo Belgarum populo, nuptiae sollemniter celebratae sunt inter Leopuldum, principem regni heredem, et Astrid, Suetiae regis filiam. Augusto coniugio Superi fortunat!

Kalendis Decembr. MCMXXVI.

POPPLICOLA.

VARIA

Gratus discipuli cuiusdam animus.¹

Memoriae proditum est, iuvenem quemdam exstisset infima conditione et fortuna, sed ingenio et magnanimitate vel clarissimis parem. Qui scientiae de rerum natura cursum annis compluribus emensus et domum repetiturus celebri ex urbe philosophus, magistrum adiit abeundi facultatem petiturus. Verum in eius conspectum progressus, verecundari adolescens reverentissimus, qui, loquendo impar, maximam lacrimarum vim profudit. Flens interea dixit, paupertatem se suam antehac

nunquam sensisse, qua prohibebatur, cui tantum deberet, amorem gratumque animum testari. Cui praceptor: « Id ne cures neve doleas; perge, et quum in patriam reversus disputationibus, interpretationibus et philosophicis disceptationibus magister docebis quae a me discipulus percepisti, si doctrinae laudem inde referes, me tibi praceptorum exstisset satere; quibus verbis largius remuneraberis, quam si nunc multo plus gemmarum et auri dederis, quam philosophiae et doctrinae a me acceperis ».

**

Iocosa.

Magister, postquam diu de pecudibus sermonem habuit, Tuccium interrogat.

— Heus igitur, Tucci. Quodnam putas esse animal homini sese maxime adjungens, adhaerens?

Tuccius prompte atque gloriose:

— Sanguisugam!

Tuccius in conspectu campi albescantis nive:

— Mihi quidem persuadere nequeo, quomodo e caelo tam caesisio nix tam candida delabatur!

**

Aenigmata.

I

SUM timidus, parvus, me omnis mortalis et

[odit], In toto, legit, vertice consideo.

II

Cupidibus lateo munitum in limine, donec

Hiscat, tunc demum me dabo desiliens.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Dama; Adam; 2) Animal; Lamina.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

¹ Ex italicis scriptis DANIELLI BARTOLI.

PANCRATIUS

[19]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND — (Latine reddidit Andr. Haberl)

CORV. Quam feci stulte, quod caeco agitatus odio, tantum Pancratium ut perderem, edicti curam mihi depoposci! Ilicet in malam crucem, qui huius miseriae causa est! Ilicet in malam crucem, cuius exsecrata umbra meas semper conturbavit rationes, postremo in mortem pepulit. Unius horae, fortuna, da usuram, ut eum ulciscens ferrum defigam in eius praecordiis. O fatum triste! (*Abducitur*).

TERT. (*sublato in caelum pugno*): Exsecramur deorum odium! (*Concidit in sede*).

AGELL. (*accedens*): Quodsi filium vis morte liberatum et infamia, inter Christianos quaere, qui hoc fecerit. (*Abit*).

SCENA II.

TERTULLUS, deinde CAIUS, PANCRATIUS, QUADRATUS, SEVERUS, HYPHAX, CHRISTIANI, MILITES.

TERTULLUS (*postquam aliquamdiu mutus sedit et dolens, surgit*): Inter Christianos quaere, qui hoc fecerit!... Haec vox mihi data in aures est. Quis dederit nescio, sed quicumque is fuit, bene suasit. Nunc summa in examinando utendum est diligentia: siquidem ex hac hora vita pendet filii. Ius dicere quam hodie horreo! Sic sum affectus animo, ut si mihi ipsi aures fatali perstrepant sententia: scintillant oculi, genua titubant, febres accedunt cerebro. Di boni! Quid meo fiet filio? Haecce mearum merces hecatombarum est? (*Facta mora, firme*): Esto! Omnes iam vires recollige! (*Vocat in parietes*): Hyphax! (*Huic se offerenti*): Captivi adducantur Christiani! (*Ilo abeunte*): Fortasse aliquis ex hoc grage deficiet, et facile, quod velim consequar. — Eece, duris onusti catenis adveniunt. Quam

laeta captivorum ora! Vel senes, atque adeo imbellies pueri laeti et hilares tamquam ad nuptias incedunt. Mirum genus Christianorum est! (*Assidens*). Utinam inter hos sit, qui istud ausus est.

HYPHAX. Adveniunt!

TERT. Quotnam?

HYPHAX. Decem capita.

TERT. Non plures?

HYPHAX. (*murmurans*): In hunc diem id sane satis est. (*Alta voce*): Sequentur ceteri.

TERT. Adduce homines! (*Christiani vincti ordine introeunt, inclinant praefecto caput, circumstant tribunal*). Primum senem producite!

— Tunc sacerdos, dux horum hominum es?

CAIUS. Est, ut dicis!

TERT. Te non pudet superstitionem amplecti infirmorum hominum?

CAI. Immo vero id glorior. Postquam annos septuaginta Deo obedivi, quare senex nihil laesus deseram?

TERT. Tace, vetule nugator! — Et tu confiteberis?

REPARATUS: Sum Christianus. Reparato mihi nomen est.

TERT. Et quis tu es?

SEVERUS. Ego appellor Severus. Consenui eorum cura, qui in Domino erant mortui.

TERT. Quem ego conspicor? Quadratum?

HYPHAX. (*interrumpens*): Per errorem centurio meus hic introductus est. Dimitte eum!

TERT. (*a.l Quadratum*): Taces?

QUADRATUS. Aperte dico Christianum esse me.

TERT. Etiam tu, Quadrate, gloriose imperii huius legiones polluis; ordinem tuum contaminas? Te pudeat!

INDEX RERUM VOL. XIII

(AN. XIII — FASC. I-XII)

	PAG.
Alloquia sociis et lectoribus.	1, 126, 152, 154, 171, 181
Annales.	12, 30, 51, 68, 84, 101, 122, 141, 159, 177, 194
Apologetica.	
Eucharisticum prodigium Senense (<i>A. Ruelli</i>)	38
Eucharisticum Vulsoniense prodigium (<i>X</i>)	96
Archaeologica.	
De Augusteis navibus in lacu Nemorensi sepultis (<i>X</i>)	130
De capitis tegumentis apud Romanos (<i>S. A.</i>)	150
De priscis Christianorum sepulcris (<i>S. S.</i>)	167
De Ostia antiqua et novissima (<i>Senior</i>)	184
Ars.	
De praeclaris Bonarroti parvis statuis nuper inventis (<i>I. B. Francesca</i>)	25
Aestheticæ notæ:	
De singulis artibus et primum de architec- ture (<i>G. Lepore</i>)	163
Architecturae origo et vicissitudines (<i>G. Le- pore</i>)	186
Carmina.	
Novi anni salutationes boni ominis causa (<i>H. N.</i>)	9
Pii XI electionis in Pontificem anno quinto adpetente carmen auspicale (<i>C. Mam- bretti</i>)	19
Christo Redemptori Regi saeculorum triumphanti (<i>Fr. Xav. Reuss</i>)	43
Brevis floribus hora! (<i>H. N.</i>)	91
Mortis et Saranae dialogus (Ex Syriaco textu S. Ephraemi E. D. latinis versibus redi- dit <i>L. Bürge</i>)	79
Neroniani martyres (<i>L. Bürge</i>)	99
De germana S. Aloysii effigie (<i>Subalpinus</i>)	106
« Speciosa in campis » (<i>A. Nardis</i>)	117
In ortu B. Mariae Virginis (<i>R. Marozzii</i>)	135
Sancto Francisco Assisinati felicissimo ab Eius obitu septimo exeunte saeculo (<i>J. Fra- tini</i>)	148
Migratio (<i>P. Tosi</i>)	170
Ludus follis (<i>L. Le Brun</i>)	179
Aloisio Gonzaga altero saeculo exeunte a quo Sanctorum honores decreti sunt (<i>H. N.</i>)	186
Nativitatis Iesu Christi memoria (<i>Subalpinus</i>)	193
Civilia.	
De scholarum officiis (<i>Romanus</i>)	37
Geographia.	
De Brundusio eiusque memoriis (<i>Senior</i>)	27
Chicago urbs (<i>H. Dosswald</i>)	62
De Chicaginensi theatro « Iroquois » eiusque ruina (<i>H. Dosswald</i>)	76
Pionanum coenobium (<i>Senior</i>)	80
Alverna mons (<i>A. E.</i>)	133

PAG.	
De singulari quodam certamine apud Germanicos tirones (<i>Ulp.</i>)	77
Hesperis gentibus pax curanda (<i>I. Tasset</i>)	116
Ad Nationum Societatem (<i>Romanus</i>)	127

Colloquia latina.

Ex dialogis familiaribus <i>Antonii Van Torre</i> ; passim retractavit hodiernisque moribus aptavit <i>I. F.</i> :	
Diuturni temporis distributio	44
Visitur amicus aeger	65
Morum urbanitas	81
Officium ianitoris scholae	140
Scriptio	157
Emendatio scriptio	176
Recitatio	193

Communia vitae.

Peregrinatio per cubiculum (Ex scriptis H. Pieralice <i>De Vecchi</i>)	120
De quibusdam cupidiariis natalitiis (<i>Id.</i>) . .	191
Vide etiam <i>Colloquia latina</i> .	

Epistolare Sociorum commercium.

De nonnullis verbis in latinum sermonem inducendis (<i>E. Jové</i>)	10, 138
Lexicon quaeritur (<i>A. Avenarius</i>)	101
De suis rebus et de novis vocabulis in la- tinum sermonem inducendis (<i>A. Ave- narius</i>)	118, 189
Quomodo nonnulla verba in communis ser- monis usum recens inducta, latine reddi possint (<i>H. M. Iacobelli</i>)	172
Epistola <i>I. Tasset</i>	190
Vide etiam <i>Communia vitae</i> .	

Fabulae.

Gallus de luctis monet (<i>Subalpinus</i>)	53
Gallos monet de amicitia (<i>Subalpinus</i>)	70
Leo, Vulpes et Cerva (Versio ex Italicis scriptis <i>N. Tommaseo</i>)	89
Canis, Gallus et Vulpes (<i>Id.</i>)	106
Vipera, Serpens et Ranae (<i>Id.</i>)	143
Vulpes et lignator (<i>Id.</i>)	179

Geographia.

De Brundusio eiusque memoriis (<i>Senior</i>)	27
Chicago urbs (<i>H. Dosswald</i>)	62
De Chicaginensi theatro « Iroquois » eiusque ruina (<i>H. Dosswald</i>)	76
Pionanum coenobium (<i>Senior</i>)	80
Alverna mons (<i>A. E.</i>)	133

PAG.		PAG.																																															
Ad « Mirasole » (<i>Senior</i>)	156	Necrologia.																																															
De recenti Venetiarum portu ad Margheram (<i>Senior</i>).	174	Desideratus Mercier (<i>H. Degl'Innocenti</i>)	41																																														
Historica.		Iohannes Cagliero (<i>I. B. Francesia</i>)	42																																														
Antonius M. Claret (<i>E. Jové</i>)	46	De Matthaeo Ottonello (<i>I. B. F.</i>).	191																																														
De manicomis apud maiores (<i>P. A.</i>)	60	Philosophia ac Theologia.																																															
De septimo Sancti Francisci Assisinatis anno saeculari (<i>I. B. Francesia</i>)	75	De cogitatione in Gymnasiis Hesperis una procuranda (<i>J. Tasset</i>)	75																																														
De Sancto Francisco Assisinate (<i>I. B. Fran- cesia</i>)	93, 114	De Christo sacerdote (<i>E. Hugon</i>).	128																																														
V. Non. Octobris MCCXXVI (Ex S. Francisci Assisiensis vita, quam scripsit <i>Fr. Tho- mas a Celano</i>)	145	Vide etiam <i>Apologetica</i> .																																															
Imelda De Lambertinis (<i>B. D.</i>)	166	Pro Iunioribus.																																															
Vide etiam <i>Roma sacra</i> .		Parvum antibarbarum (<i>I. Fornari</i>)	11, 28, 49, 67,																																														
Libera a pittacis responsa (A Secretis).		82, 139, 158																																															
35, 53, 107		Roma Sacra.																																															
Libri recens dono accepti		Ssni D. N. Pii PP. XI litterae encycliche de festo D. N. Iesu Christi Regis con- stituendo	31																																														
Litterae et Philologia.		SS. D. N. Pii PP. XI epistola ad Patrem Purpuratum Guilelmum Van Rossum, tit. S. Crucis in Hierusalem, XVI saeculo exeunte a S. Cruice inventa	86																																														
De latinarum litterarum historia paele- ctiones (<i>F. Ramorinus</i>):		SS. D. N. Pii PP. XI litterae encycliche de Sancto Francisco Assisiensi septingente- simo ab eius obitu exeunte anno	102, 123																																														
VII. Litterarum reliquiae in vita privata pri- scorum Romanorum: Vinalia - Versus Fescennini - Triumphalia carmina - Ne- niae - Funebres laudationes - Carmina convivialia	3, 55, 112, 181	Scenicae fabulae.																																															
De Stephano Széchenyi deque « Academia scientiarum Hungarica » ab eo condita. (<i>V. Lakatos</i>)	6, 22	Pancratius. - Actio dramatica <i>Francisci Wieland</i> . (Latine reddidit <i>Andreas Ha- berl</i>). 36, 54, 72, 90, 108, 144, 162, 180, 196																																															
Novum certamen poëticum latinum in Italia indictum	8	Sententiae.																																															
In hodiernam scenicam poësim (<i>I. Anto- nelli Costaggnini</i>)	20	Ex <i>P. Syrio</i>	98, 100, 116, 119, 139																																														
Latinæ adnotatiunculae:		Vacui temporis hora.																																															
De adversariis (<i>H. B.</i>)	25	Centenariae commemorationes anni MCMXXVI (<i>Iosfor</i>)		16																																													
De rationum libris (<i>Digamma</i>)	79	Singulare certamen		69																																													
De quodam hymno in honorem S. Thomae Aquinatis (<i>H. D. I.</i>)	45	Pugna pugnata		70																																													
Horatiana (<i>M. Galdi</i>)	91, 109	Iocosa (<i>Iosfor</i>) 18, 35, 53, 71, 89, 106, 126, 143, 161, 179, 195																																															
Certamina poëtica: Certamen poëticum Hoe- uffitanum - Certamen poëticum Ruspan- tinum alterum - Certamen poëticum Hieran- cense		99	Aenigmata 18, 35, 53, 71, 89, 106, 126, 143, 161, 179, 175																																														
De certamine poëtico latino Locris in Brut- tiis constituto	132	Varia.																																															
Mystica flamma (<i>I. B. Francesia</i>)	148	Ex « Schola mortu » <i>BLANCHARDI</i> latine reddidit <i>H. M. Iacobelli</i> :																																															
Erratum corrigo! (<i>I. B. Francesia</i>)	188			Felix est parvo contentus	34	Vide etiam <i>Epistolare Sociorum commercium.</i>		De arcano servando	160	Narratiunculae.		Solemnis Mediolanensis Athenaei Catholici Conventus studiis auspicandis (<i>A. de Sancto</i>)		46	Venatorum artes (Versio ex italicis scriptis <i>A Segneri</i>)	88	De suimet victoria (<i>H. M. Iacobelli</i>)		52	Astrolabium (Italice scripsit <i>Serdonati</i> ; latine <i>Maffeius</i>)	106	De furtivis litterarum notis (<i>X</i>)		59	De Tocco iaculatore (Versio ex Europae hist. <i>P. F. Giambullari</i> italice scriptis)	126	Sacra super nive acta (<i>Fr.</i>)		81	Puer aegrotus	142	De novis itineribus aëriis (<i>E. Jové</i>)		95	Foemina litterata (Versio ex italicis scriptis <i>V. Gioberti</i>)	178	Exhibitiones Taurinenses (<i>Subalpinus</i>) 98, 136, 155, 173			Gratus discipuli cuiusdam animus (Versio ex italicis scriptis <i>D. Bartoli</i>)	195	Quorundam animalium viae, pugnae, in- stinctus (<i>M. L.</i>)		152			De Martis planetae incolis (<i>A.</i>)		171
		Felix est parvo contentus	34																																														
Vide etiam <i>Epistolare Sociorum commercium.</i>		De arcano servando	160																																														
Narratiunculae.		Solemnis Mediolanensis Athenaei Catholici Conventus studiis auspicandis (<i>A. de Sancto</i>)		46																																													
Venatorum artes (Versio ex italicis scriptis <i>A Segneri</i>)	88	De suimet victoria (<i>H. M. Iacobelli</i>)		52																																													
Astrolabium (Italice scripsit <i>Serdonati</i> ; latine <i>Maffeius</i>)	106	De furtivis litterarum notis (<i>X</i>)		59																																													
De Tocco iaculatore (Versio ex Europae hist. <i>P. F. Giambullari</i> italice scriptis)	126	Sacra super nive acta (<i>Fr.</i>)		81																																													
Puer aegrotus	142	De novis itineribus aëriis (<i>E. Jové</i>)		95																																													
Foemina litterata (Versio ex italicis scriptis <i>V. Gioberti</i>)	178	Exhibitiones Taurinenses (<i>Subalpinus</i>) 98, 136, 155, 173																																															
Gratus discipuli cuiusdam animus (Versio ex italicis scriptis <i>D. Bartoli</i>)	195	Quorundam animalium viae, pugnae, in- stinctus (<i>M. L.</i>)		152																																													
		De Martis planetae incolis (<i>A.</i>)		171																																													

PAG.

nti) . . . 41
· · . 42
· · . 191

is una . . . 75
· · . 128

28, 49, 67,
2, 139, 158

clicae
con- . . . 31
trem . . .
sum, . . .
eculo . . .
86
ne de
ente-
102, 123

cisci
Ha-
180, 196

119, 139

XXVI . . . 16
· . . 69
· . . 70
126, 143,
179, 195
126, 143,
179, 175


ine . . . 34
· . . 160
dici
de . . . 46
· . . 52
· . . 59
· . . 81
· . . 95
98, 136,
155, 173
in- . . . 152
· . . 171

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius. Actio dramatica. – Venit lib. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
premium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt premium constituimus libellorum 300 pro Italia; premium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim premium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

“ ALMA ROMA „
IN ANNUM MDCCCCXXVII

Laboris nostri quasi prospectum, novo ineunte anno, sub sociorum oculos de more posituri, hesterna die de eodem argumento an. MDCCCCXXVII scripsisse nobis videmur. Fugit hinc enim irreparabile tempus; inde proposita et voluntas nostra, ut ab initio operis nostri, immota manent. ALMA ROMA commentarium condentes id spectavimus, ut maternae latinae vocis per orbem praeconium constitueremus, quod re ostenderet « ipsam, vel nostris ipsis diebus, sese exhibere amplissimam semper, nobilem, flexibilem aptissimamque, sine integratatis suae vitio, ad omnia vel hodiernae vitae exprimenda »; ut facile omnes recognoscerent eam etiam nunc, ut olim, adhiberi posse tamquam linguam doctorum saltem virorum, quam vocant, universalem.

At vero, fausto auspicio, postremis hisce temporibus, renovato non in Italia tantum, sed ubique apud exteras gentes, latinitatis cultu, eoque in ipsis scholis secundis ordinis longius progrediente, latus magis campus apparuit, cui semen committeretur: nos autem id sensimus, nec congruam operam adhibere negleximus. Itaque togatis, ut ita dicamus, argumentis, minora adiungere non dubitavimus, iuniorum maxime utilitatem resipientia, quum tamen in demissiore stilo linguae integratatem servaremus, ita ut et latinitatis iam peritos eadem iucundarent. Huiusmodi fuere, ne *de parvo illo antibarbaro* mentionem faciamus, quod proxime in volumen collectum edemus, et *Communia vitae* et *Latina colloquia*, atque recens *Narratiunculae, Fabellae, Ludicra* late in singulis fasciculis disposita atque ita distributa, ut varia in unitate, una in varietate componerentur.

Ita pro viribus curavimus ut omnibus desideriis, temporumque et rerum necessitatibus satisfaceremus: eadem ratione, immota fide, immutatis modis, in via proximo anno perstabimus, bene gratos nos praebentes iis, qui sua consilia nobis ultro aperuerint, quibus incoepsum, cui continens labor nunquam ex nostra parte defecit, nec unquam deerit, ulterius meliusque semper perficiatur.

Erit hoc erga opus nostrum favoris, quem a singulis postulamus, argumentum; at erit non minus renovata ab unoquoque erga commentarium nostrum non modo consociatio, sed sollicitudo, ut socii novi undique accendant. Liceat hodie, quae iam alias diximus, iterari: Quid, si socius quisque socium alterum procurabit? *In tenui labor; at tenuis non gloria...* neque tenue nobis ex sociorum numero ad opus absolvendum emolumentum!

Pretium enim subnotationis, quod, licet omnium rerum saeviat caritas, idem atque in superiore anno reliquimus, est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas libellas 30 exaequans, per publicum cursum, sive per syngrapham apud aliquam Nummariam mensam Romae exigendam - (*Romae, inquit, pecuniae enim parvitas non sinit ut expensas tollamus et foenora ad syngraphas extra Urbem exactioni commendanda necessaria*) - *recto tramite*mittenda ad JOSEPHUM FORNARI, Equitem Torquatum, ALMAE ROMAE commentarii moderatorem atque administratorem - *Romam, 12 - Via del Governo Vecchio 96.*

Valet quoque sub huius anni initium ratio ALMAM ROMAM gratuito habendi; acquirendo scilicet ab officina libaria Marietti (Augustae Taurinorum, *Via Legnano 23*) tot opera ex eius editionibus, numerum duorum millium excedentibus, iuxta elenchum ab officina ipsa requirendum, quae libellarum 75 summam exaequent si in Italia; duplicatam si apud exteris gentes; doll. 15 si ex septentrionali America.

Monitos pariter omnes iterum volumus:

1) *Consociationem sub anni exitum non retractatam pro redintegrata haberi;*

2) *Eum, qui ALMAE ROMAE specimina habuerit, neque post fasciculos tres acceptos reddiderit* - (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) - *tamquam socium valide reputari.*

Si quis denique *integralam ALMAE ROMAE commentarii collectionem* haberi sibi cupiat - (eius enim nonnulla adhuc supersunt exemplaria) - mittat lib. 300 si in Italia; idemque pretium duplicatum, scilicet lib. 600; si ex exteris gentibus; idque *recto tramite*, ut supra; *collectiones enim bibliopolis vel mediatoribus quibusvis non traduntur.*

ANNO MCMXXVI OCCIDENTE

* * *

Quamquam annus MCMXXVI, qui ad occasum vertit, pluribus iisque notabilibus laudeque dignis nisibus ad pacem illam assequendam, quam orbis universus multos iam annos frustra invocat, insignis evasit; non tamen diluculo locum cedit, solis omnia splendida luce coruscatur nuncio. Hodie quoque, in novi anni limine, rerum universitati crassus incumbit aer, infestum novarum tempestatum signum.

Re quidem vera, si te luc converteris, supprimi te fere usque senties immani illo certamine, quod per lustrum anxi trepidoque animo Europam tenuit. Mutata quidem nomina sunt, mutati fines; furor tamen et stultitia homicida late imperat adhuc! Sanguis terra marique in effusus edacitati Europa atque libidini belli numinis commenticii exsatiandae impar fuisse videtur!

En Sinae intestinis odiis caedibusque Ianiatae; en Iaponia veteres praedae cupiditates acuens; et India seditiosis hominibus prophetisque ex tempore fictis pergrata, civium animos ad rebellionem inflammantibus; et Turcarum, Persarum, Afganistanaque civitates Moscoviae signum exspectantes ut in Anglicas saeculares circum possessiones sese invicem immittant; dum Armenia sub Turcarum iugo infremit, Syriaque et Palaestina praeponentium nationum quasi in aeterno ludo permanent.

In Mexicana porro longinqua regione religiosa furit insectatio, veluti si prima Catholicae Ecclesiae aetas redierit; atque in parvis centralis Americae statibus a mensibus leves pugnae perdurant, vim et roborem in dies iis detrahentes. In Mauritania aegre lucta definita est, ab homine audacissimo concitata atque acerrime gesta.

Quod si proprius ad nos accedas, praeter Danuvii fluminis oras, tanti momenti quaestiones nondum expeditas invenies, ut non immerito in timorem inducaris, aliquam necopinato indomitarum aemulationum erumpere posse, quae Balcanicam regionem montem Europae ignivomum effecerunt. Quindecim anni sunt ex quo Slavonicae inferiores gentes in armis vigilant, fuitque id tempus formidabilium per Europam omnem quassationum; nec quisquam ignes in magno illo seculo, qui ab Hadriatico mari ad Euxinum pontum protenditur, extingue valuit.

Bulgaria Macedoniae somnio perturbatur; Graecia discors et rebellis adhuc Kemalistae contumeliae vivit; Hungaria incerta haeret de rei suae gubernandae futura ratione, utrum scilicet per regnum, an per populare imperium; Bessarabia hinc Bucarestino, inde Moscovia contendit; Polonia quietis statum temptabunda sibi quaerit; Lithuania Vilnam a se avulsam perferre nequit: parvae omnes civitates ex recenti bello ortae, a Baltico mari ad Aegeum, iniquos fines lucubrate custodiunt. Et in hanc Statuum congeriem, qui a Brest ac Versalio, a Sancto Germano ac Sèvres infirmam suam constitutionem repetunt, cupidis minacibusque oculis intuetur vorax ille Communistarum monstrum, ex Russia beneficam saniem suam longe lateque effundens, quamquam in sua ipsa domo sunt contentiones atque tumultus, naturae classiumque impetus, dirumpentia odia, tragœdiae sclera gravissima occultantes, macerans fames, servitusque vilis. Denique iuxta Rheni fluminis ripas stant repugnantiae, quas nullus coetus, conventus nullus vincere poterit, atque passim in civilibus occidentalium nationum rationibus morales illi ac psychologici errores perdurant, a quibus populi commoda et salutem sperarunt, necdum senserunt inane,

ex adverso, vacuum et ruinas unice esse parta.

* * *

Miseram hanc hereditatem occidens annus MCMXXVI novo anno relinquit; ita ut rerum has lacrymas consideranti dubium facile occurrat num mortisera vulnera, quae universum cruciant, sanari unquam liceat.

Atqui revera nullum humanum remedium ipsis mederi posse videtur; nobis vero altius mentis aciem a terra tollentes spes aliqua arridet. Vix a sacris Anni Sancti layacris ubique exivimus; Francisci Assisiensis centenaria celebratio insonat adhuc, et per novum annum insonabit: Roma atque Assisio multitudo gentium infinita pacificam lympham hausit ad aestus, odi igne partos, extinguendos; novaeque gentes Italiam hanc nostram versus properant ad fidei caritatisque thesauros eruendos: ipsae fore ut in patrias suas perferant confidimus fermenta illa, quibus Deus mirabile privilegium concessit pacem populorum creandi atque confirmandi.

Qui vero rebus publicis praeasant nimiumque pondus factionum hominumque brutae effientiae usque nunc tribuerunt, percipient tandem acceptas repulsas falsoque spem suadere, ut ad animi valores sit confugiendum, quippe qui salutem patriae atque universorum populorum unice afferre valeant. « Violare neminem, alieni iuris vereri sanctitatem, colere fidem benevolentiamque mutuam, perspicuum est vincula concordiae esse firmissima atque immutabilia, quorum adeo pollet virtus, ut vel semina inimicitarum atque aemulationis nulla esse patiatur ». ¹

ROMANUS.

¹ LEO PP. XIII, Alloc. « Nostis errorem », d. xi mens. Febr. MDCCCLXXXIX.

De latinarum litterarum historia paelectiones¹

VIII.

SUMMARIUM. – I. De rhythmicis inscriptiōnibus antiquiorum temporum. – II. De imaginum titulis. – III. De versu qui dicitur *Saturnius*. – IV. De satura dramatica.

I. – Inter vetera priscae latinitatis monumenta, praeter illas inscriptiones quas in tertia Praelectione² iam illustravimus, nempe fibulae Praenestinae, vasis Dueni, cippi in foro romano reperti, nonnullae aliae inscriptiones memoria dignae sunt, in quibus rhythmus quidam, seu numerosa oratio, facile advertitur.

Prima est brevis inscriptio, quae legitur in cista quadam saec. xviii a F. Ficoronio reperta, quaeque post in Kirkerianum Musaeum delata est. Constat duobus versibus, qui sic se habent:

DINDIA · MACOLNIA · FILEA · DEDIT
NOVIOS · PLAVTIOS · MED · ROMAI · FECID

Sensus nullam difficultatem praebet: « Dindia Macolnia filiae dedit; Novius Plautius me Romae fecit ». Antiquitatis manifesta vestigia habes tum in forma litterarum A, L, P, O, quae a nostra non-nihil differt; tum in voce quae est: *filea* pro *fileai*, h. e. dativo casu; in recto casu autem *Novios Plautios* quod est pro: *us-us*; in forma pronominis *med = me*; postremo in verbo quod est *fecid* pro *fecit*. – Habes hīc nomen artificis, Novium Plautium, et nomen mulieris donatricis, Dindiam Macolniam. – Denique duos habes versus, quorum numerus prima fronte legenti tibi incertus est, nec ad manifestam normam ductus, sed rhythmō quodam descendenti aures tuas percutit, praeterquam in po-

¹ Cfr. fasc. sup.

² Cfr. ALMAE ROMAE, annum XI fasc. mensis Decembris.

stremo hemistichio, ubi verbis *Rōmai* *fēcid* anacrusis quaedam, quae est *med*, praemittitur.

Longe maiori momenti sunt funebres inscriptiones Scipionum, quas inter omnes constat in sepulcro quodam repertas esse apud portam Capenam posito, quod sepulcrum nobilissimae Scipionum familiae erat. Earum vetustiores versibus Saturniis conscriptae sunt, recentiores metro elegiaco. Nunc de duabus quae ceteris vetustiores sunt, nobis sermo erit.

Prior ad L. Cornelium Scipionem pertinet, cuius agnomen erat *Barbatus*. Consul hic fuit anno ducentesimo octavo et nonagesimo ante C. n.; mortuus est anno ducentesimo tertio et septuagesimo. Huius ipsius anni esse inscriptionem funebrem credibile est. Quae sic se habet:

CORNELIUS LVCIVS SCIPIO BARBATVS
GNAIVOD PATRE PROGNATVS FORTIS VIR
SAPIENSQVE
QVOIUS FORMA VIRTUTEI PARISVMA FVIT
CONSOL CENSOR AIDLIS QVEI FVIT APVD VOS
TAURASIA CISAVNA SAMNIQ CEPIT
SVBIGIT OMNE LOVCANA OPSIDESQVE ABDOVKIT

Obvius quidem sensus: L. Cornelius « Scipio Barbatus, Cn. Filius, fortis vir sapiensque, cuius forma virtuti parissima fuit, qui consul, censor, aedilis fuit apud vos, Taurasiam, Cisaunam in Samnio cepit; subigit etiam totam Lucanam regionem, indeque obsides abducit ». Post laudem sapientiae, virtutis, formaeque, post memoratos honores, res a Scipione Barbato gestas in Samnio et Lucania breviter narrat. Nimirum in novissimo contra Samnites bello, Scipio Barbatus, legatus Papirii Cursoris consulis, anno ducentesimo nonagesimo tertio a. C. n. Taurasiam, Hirpinorum oppidum in Samnio cepit (Cisauna quidem ignota penitus est nobis), postea Lucaniam sub finem belli subigit, obsides abducens. De his rebus gestis nihil sane legitur apud Livium; qui

in libro decimo Annalium, tertium in Samnites bellum narrans, XI et XII capite L. Cornelii Scipionis consulatum cum Cn. Fulvio memorat, atque ait eo anno (ccxcviii a. C. n.) partitione provinciarum facta, Scipioni Etruriam obvenisse; eoque profectum cum exercitu, ad Volaterras cum Etruscis pugnasse, magna utrinque caede at incerto pugnae eventu; nocte insequenti quum Etrisci vacua castra reliquissent, hinc lucescente die vidisse Scipionem, Romanis concessam esse victoram; tunc castris hostium cum maxima praeda potitum esse. Idem L. Scipio a Livio infra memoratur capite XL, quum sermo est de Papirio Cursore consule (a. ccxcii a. C. n.) et de proelio ad Aquiloniam, ubi summa rei Samnitium erat, gesto. Quo proelio L. Scipio dicitur sinistro in acie cornu praefuisse; fugatis autem Samnitibus, ad urbem pedites eorum insecutus esse, in eamque irrupisse cum magna hostium caede. De Taurasia et Cisauna a Barbato captis, de Lucania subacta ne verbum quidem apud Livium. Fortasse de rebus minoris momenti agitur, quas rerum scriptores neglexerunt, at filio et posteris eius in funebri inscriptione laudari placuit.

Ad quam ut redeamus, animadvertiscet lector linguae antiquioris indicia, praesertim formam ablativi casus *Gnaivod* pro *Gnaeo*, *Gneo*, adiecta littera D ut saepe etiam in latinitate plautina; praeterea ne illum fugiat omissione *m* litterae in vocibus quae sunt: *Taurasia*, *Cisauna*, *omne*; ¹ et formae quales sunt *quoius* = cuius; *parisuma* = parissima, nondum geminato *s*; *aidlis* = aedilis; *quei* = qui; denique scribendi genus *Loucana* pro *Lucanam*; *abducit* pro abducit.

Poëtice autem loqui voluisse auctorem inscriptionis, argumento est illud; *Gnaivod patre prognatus*, pro eo quod esset:

¹ Non idem est in voce *Samnio*, quae, ut mihi videtur, locum indicat, omissa praepositione in.

Cnaei filius. Numerum denique quemdam his verbis inesse omnium aures testantur; etiamsi non ad eamdem regulam omnes versus ducti esse videntur. Sed de hac re infra.

Venio ad aliam, longe celebriorem inter Scipionum inscriptiones, eam nempe, quae ad filium Barbati pertinet. Sic se habet:

HONC OINO PLOIRVME COSENTIONT R(omai)
DVONORO OPTVMO FVISE VIRO
LVCION SCIPIONE FILIOS BARBATI
CONSOL CENSOR AIDILIS HIC FVET A(pud vos)
HIC CEPIT CORSICA ALERIAQUE VRBE
DEDET TEMPESTATEBVS AIDE MERETO

Verbis nostris: « Hunc unum plurimi consentiunt Romae, bonorum optimum fuisse virum, Lucium Scipionem. Hic filius Barbati, fuit apud vos aedilis, consul, censor. Hic cepit Corsicam et Aleriam urbem, deditque merito aedem Tempestatibus ».

Sermo hic est de L. Cornelio Scipione L. filio, Cn. nepote, qui consul anno ducentesimo nono et quinquagesimo a. C. n., cum primum in Poenos bellum iam quinque annos gereretur, in Corsicam exercitum duxit, ibique Aleriam, oppidum totius insulae munitissimum, cepit, insulamque deinde haud difficulter in ditionem suam rededit, ut Zonara (VIII, 11), ex Dione Cassio, testatur¹. Dein Sardiniam aggressus Olbia urbe (hodie *Terranova*) potitus est, pro qua fortissime dimicans Hanno, dux Carthaginiensium, occiderat; cuius corpus, ut legitur apud Valerium Maximum (*Dict. et fact. memorab.*, V, 1, 2), et tabernaculo suo amplio funere ipse Cornelius extulit, eam demum victoram et apud Deos et apud homines minimum invidiae habituram credens, quae quam

plurimum humanitatis habuisset.² Si Florum autem audiamus³ et Eutropium,⁴ non solum Corsicam, sed etiam Sardiniam omnem vastavit, Poenos disturbans, multaque milia captivorum abducens. Ut ut est, non ita diu ibi Scipio morari potuit; atque redditurus in Italianam, gravi tempestate iactatus, votum fecit, templum Tempestatibus quasi Diis se dedicaturum si servaretur; Romamque reversus aedem vera his. Diis erexit et dedicavit, ut memorat etiam Ovidius in sexto *Fastorum* (193):

*Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur
Cum paene est Corsis obruta classis aquis.*

Postremo constat ex Fastis Triumphalibus quod memorat Eutropius, h. e. Cornelium Scipionem eo anno de Poenis et Sardinia Corsica triumphasse⁵; id autem factum esse V. Idus Martias. Quae quum ita sint, omnia in inscriptione nostra perspicua esse lector fatebitur.

In qua etiam priscae latinitatis multa indicia deprehendet, praesertim in litterae omissionem in: *duonoro* = bonorum, *optumo*, *viro* = optimum virum, *Scipione* = Scipionem, *Corsica Aleriaque Urbe* = Corsicam Aleriamque urbem, *aide* = aedem; ne eum fugiat praesertim illud *oino* quod est *unum* (cfr. *πονή*, *poena*, *punio*).

Quod autem ad rhythmum pertinet, quis negabit, hos versus legentium numero quodam feriri atque alici aures? Unusquisque versus in duas partes dividi posse videtur, quarum prior (*hono oino ploirume*, *duonoro optumo*, cum hiatu, *hec cepit Cōr-*

¹ Cfr. SIL. ITAL., VI, 671: *Scipio ductoris celebrabat funera Poeni Sardoa victor terra.*

² 4, 18, 16: *Olbiae hic ibi Aleriae urbis excidio incolas terruit, adeoque omni terra et mari Poenos purgavit, ut iam Victoriae nihil nisi Africa ipsa restaret.*

³ II, 20, 3: *C. Aquilio Floro, L. Scipione coss., Scipio Corsicam et Sardiniam vastavit, multa milia inde captivorum abduxit, triumphum egit.*

⁴ V. PAIS, *Fasti triumphales*, vol. I, p. 87.

PUER IESUS PRINCEPS PACIS

*Plaudite io! gelidi modo qui sub fornice saxi
Virgineo Puer est editus e gremio,
Adparat eversis saecli succurrere rebus:
Haud certe vani Nominis omen habet.
Nominis omen habet, certam quod ferre salu-
[tem
Et finem innumeris spondet adesse malis.
Infelix fato curisque exercita iniquis.
Gens hominum, heu longa perdita amari-
[tie,*

*Pone aegros tandem luctus: nam sors tua du-
[dum
Invitas egit depluere imbre genas,
Iam tum cum vetita fatale ex arbore pomum
Ausa manu est avida carpere prima parens,
Illa parens nimium male cauta vafrique co-
[lubri*

*Scilicet astutis credere prona dolis.
At sua damna statim sensit, mirataque pri-
[mum est
Quae caderet tumidis uida gutta oculis.
Tum quocumque gradus, quocumque aut lu-
[mina ferret,
Questa in perniciem est omnia versa suam.
Non, pede quos molli premeret, dabat avia
[flores*

*Laetaque nativo vere nitebat humus:
Omnis at aridulis pallebat frondibus arbos,
Atque ager obductis sentibus horruerat.
Nubila, quae caelum turbarent desuper, atros
Saepe coruscabant fulgoris igne sinus.
Inde hominum generi labes, et tempore cuncta
Ex illo nobis nata fuere mala.*

*Iustitia excessit subito, pax aurea visa
Ipsa etiam e nostris exsul abire plagis:
Atque cohors scelerum cunctas volitare per
[oras
Arbitrio miscens fasque nefasque suo:*

FELIX RAMORINUS.

¹ Cfr. inscriptionem Barbati.

² Ep. 1, 158.

³ V. Festum, p. 476 T. de P.

*Haec rixas serere omnigenas, haec texere frau-
[des,*
Haec atra invisum spargere caede solum.
Tum capiti assidue diva ultrix adstitit: ense
Districto heu quantum fulminat illa manus!
*Nimborum memorem pontique patentia clau-
[stra,*
Naret ut immensis naufragus orbis aquis?
*Impiaque in cinerem ut fuerint dilapsa supre-
[mum*
Deciduis flammarum oppida vorticibus?
Aut ut erythraeo fluitans in gurrite coepit
Fervore demersis unda cadaveribus?
*Vindicis haec passim superant monumenta fu-
[roris,*
Et terrent pavidis pectora moesta minis.
Tu tamen, expectate diu mortalibus Infans,
Felix caelestes pacificabis heros.
Ipsa tuo vix dum audito bene Nomine tellus
Iam sibi mutatas augurat ire vices.
Fallor? an excussa pigrae caliginis umbra
Imam sol aureo lumine vestit humum?
Purior argento est vitroque simillimus amnis,
Qui modo turbatis decolor ibat aquis.
Adspice desertis olea ut frondente virescant,
Quae nuper stabant aspera saxa iugis.
Nullus non collis maturat vitibus uvas,
Nullaque non vallis fruge benigna nitet.
Moribus atque uno sociatae foedere gentes
Una etiam gaudent otia blanda sequi.
Pars citharae strepitu gestit, pars carmina
[dicit,
Et pars in numerum pellit humum pedibus,
Qua saliunt fontes halant aut prata rosetis
Umbrave odoratis decidit arboribus.
Abdita speluncis echo, silvisque susurrans
Aura, sonat leni murmure; « Regnat a-
[mor].
Plaudite io! Pueri divino a Nomine faustum
Cursum ineunt, fausta ut saecula multa
[fluant.

H. N.

PRO IUNIORIBUS

De parvo antibarbaro.

Ut pluribus, qui a nobis petierunt, morum gereremus, *Parvum antibarbarum*, in hisce paginis passim vulgatum, in volumen collegimus, quod proxime edetur. In publico idem proponere pro summa humanitate sua dignatus est vir clarissimus Felix Ramorinus, magister latinis litteris tradendis in catholico Mediolanensi athenaeo, epistola quae sequitur, et pro qua perillustri auctori amplissimas gratias et habemus et referimus:

Benigno Lectori S.

En parvum librum magnum auxiliū iis, qui de rebus hodiernis latine scribere debeant! Quam multae locutiones a recentioribus inscite usurpatae latinae originis quidem sunt, at submutato sensu ab insigni latinitate iam desciverunt! Quibus si latine scribendo utamur, colore vere latinum prorsus obscurabimus, et sermo noster lutulentus quodammodo fluet, omni perspicuitate nedum elegantia amissa; si contra eadem res exprimemus puritate et proprietate verborum locutionumque servato, si ordinem et structuram orationis ad exemplum bonorum scriptorum conformabimus, et perspicui magis erimus et laudem elegantiae consequemur.

Auctor huius libelli id ipsum voluit, pro verbis et locutionibus a recentioribus perperam usitatibus, alia tertioris latinitatis sub oculos ponere. Erit igitur hic libellus Vademecum omnium eorum, qui epistolam, commentarium, acta publica, latine exarare debeant; et grati erunt illi, quod nulla temporis iactura propositas reperient aptas loquendi rationes, ita ut cogitationes et sensus suos emendate neque ineleganter exprimere valeant.

Mediolani, Ianuario mense a. MCMXXVII.

FELIX RAMORINUS.

ANIMALIA ET MUSICE

Cogitanti mihi saepenumero de humana-
narum rerum natura, nonnunquam adnotare occurrit esse quoddam vinculum, esse
nexum quemdam arcanum inter loca et
voces incolarum, ita ut balatus ovium et
mugitus boum aliquid commune habeant
pratis pinguibus et uberibus campis con-
veniens, quem ululatus luporum et ursi
fremitus non absonent a tenebrosis cavernis et a silvis obscuris.

Solitudines Lybicae et sole torrido ae-
stuantes arenae rugientem amant leonem,
cuius vox per Insubriae et Campaniae
cultu haud aequa tonaret. Corvorum croci-
tatu spoliatae frondibus quercus et can-
dentes nive rami sonant; squalentes dies
atraeque procellae vocibus respondent
ovantium gutture, nigrisque pererrantium
aërem alis. Quid si diebus hisce hiemalibus,
si rigidibus terris adessent alaudarum cantus et melos philomelae? Non
foret equidem locus, dum amoenitas veris
Zephyrorumque halitus, tepidique imbræ
et laetitia reflorentium arborum, refronde-
scientium pratorum talia sunt, quae concentibus
iuxta diversa genere et specie, sed etiam
in specie una non a singulis eadem sentiri.

Nulla porro vox est, quae absque sono,
grato vel minus, edatur; atque ideo nulla
animantibus vox absque musica. Ad quam
edendam primo requiritur gutturis idonea
conformatio, dein indoles canora, denique
adiuncta loci, victus ac temporis. Haec
autem simul omnia prorsus negata pisci-
bus; concessa quadrupedibus tantummodo
ex parte aliqua, atque eadem adeo exigua,
ut ex hisce ne unum quidem animal sit,
cui aliquid humanis auribus iucundum
natura indulserit; avibus concessa quadam
pleno cornu videmus, ita ut, paucis exceptis,
iisque mole maioribus, cantores praestantissimi
inter volucres habeantur. Ple-
risque autem ex his non modo guttur, et
indolem, et quae loca, victimum tempusque

contingant, natura dedit, sed etiam optimi
cuiusque soni ingenium proclive.

Quid? Interdum tale, quod suavioribus
inter suaves suavissimos concentus legat,
ex hisce autem suavissimis et selectis
phrases eligere quasdam sciat sibi maxime,
et fortasse aliis deliciosas.

Delphines in mari sunt, qui humanis
vocibus lubentes praebere aures dicuntur.
Notae horum historiae, eaque clarissima
adamantis puerum, quem exspectabat ve-
nientem ad litus, solita si hora maturior,
ad vocantem nabat, dabatque humeros,
quibus puer insederet, diuque vehens per
undas, ut bonus equus, longe lateque equi-
tabat, blandiebatur autem sedenti ubi voce
salutaret, et ad ripas denique referebat.
De delphinibus tantum in muto grege haec
notuerunt; defuerunt fortasse experimenta
de reliquis piscibus.

Ad quadrupedes autem bestias quod
attinet, hoc non modo plures, sed innu-
merabiles ferme offert casus, in quibus
manifestum sit musica cieri sensus quos-
dam, excitari per sonos, per concentus, per
choros tum instrumentorum, tum vocum;
esse tamen diversa diversis, et non modo
iuxta diversa genere et specie, sed etiam
in specie una non a singulis eadem sentiri.
Tympanorum fragorem coriaceorum lupus
horret ac fugit; tigris furore incenditur,
suriisque ardet immanibus. Elephas, qui
leonis rugientis non timet iram, a grun-
nitu maialis territus refugit. Quid ultra,
si leo ipse robustissimus, immotus tym-
panis, immotus quibusvis animantium vo-
cibus atrocissimorum, canente gallo ter-
retur et arripit fugam? Sunt canes, quos
musica fugat, sunt canes, quos eadem
attrahit, notumque nomen *Parade*, de quo
Descuret pulchre tradit in libro, qui *Cupi-
ditatum medicina* inscribitur. Musicus
quippe iste canis, qui sine domino, sine
domo, frustulis et ossibus, per vias et in
angulis forte quaesitis et repertis, miser-
rime vivebat, musicæ militaris cohortis

in area Elysiorum Parisiis concinenti non quam quovis vespere defuit, atque ita voluptuose audiebat, ut brevi cognitus magnam apud musicos musicorumque ducem adeptus sit gratiam. Qui tamen quum secum adducere optarent lubentissime audientem et sive magna ad eos accendentem et redeuntem, nunquam tamen potuerunt ducere. Unum ab iis grata-bundus et laetus accepit, ut medius turbae circumsonanti adstaret iuxta musicae turmaeque ducem gestu rhythmos moderantem.

In quovis equestri circo ad musicae rhythmum gressus moderantur equi, et ita musicae progradienti morem gerunt, ut lento pede tardam, festinantem concitato sequantur. Quinimo commune illis est, ubi liberi sint, musicis attendere sonis, tubarumque signa et iussa callere, et iis obedire in re, turmisque militaribus.

Visne vespertilionibus non modo cingi, sed obsideri? Indulge musicis noctu sub dio, praesertim cytharae, aut, si quod calles, instrumento dulcisono.

Annalibus naturalium rerum inest illa captivi centurionis in arce Parisiensi recordatio, cui fidibus tibiis canenti undequaque e recessibus adstabant suis murium et aranearum populi, donec musicae daret operam non dubia delectationis, quam hau-riebant a sono, signa ostendentes, qui, ubi cessaret ab opere, in cubilia sua recedebant.

Lacertis id quoque commune, commune idem psyllis aegyptiis, commune — quis crederet? — terribili mole et veneno serpenti, quem crotalum dicunt, quemque tentorium globos ingressum semel puerosque rapturum, stragemque obstantium editurum tibiis dimovent Indi, silvestris gens, non terrentes, sed allientestibiarum sono, longeque deducunt et in laqueos moritrum adigunt mitem, et immanis potentiae, et famis, veneni, et feritatis oblitum. Marsos carminibus in Italiae aequo sub-

dentis sibi anguineum genus omne antiquae memorant litterae, recentiores testan- fūr. Quaenam carmina, quaeso? Nomen ipsam rem signat aperte: « cantamen » dicitur; unde et biblicum illud aspidis opplentis cauda dexteram aurem, laevam solo applicantis « ne audiat vocem cantaminis ».

At gravius est aliquod, quod non miramur; quod frequens enim, quotidianum, commune praeterire incuriosi solemus. Crocei pennis passerēs, qui *canariorum*, ex insulis unde allati olim sunt, nomen ferunt, meruli, carduelis, fringillae, ossifragi, et si quae ex hoc genere aves, quibus natura dedit non modo conformatio- nē gutturis, sed dulces cantus et in- dolem pangendi saepius, habent mirabile quoddam ingenium et quasi dicam memoriae vim, quibus auditas retineant can- tiones et reddant. Quid si alias alii inser- tant? Quid si sua nonnulla interponant auditis? Hinc plerique aviculas huiusmodi docere solent illo organo exiguo, quod gallice *carillon* nuncupatur, nec sine dele- ctatione audiuntur incumbentes in aliquod musicum, et illa edentes, quae magistri optimi constituerunt cantanda in theatris. Eaque in re magni stuporis causa fuit me- rula quaedam, libera et penes barbitonso- rem Romae vel ipso hero loquacior, et red- dendis cantibus illo apta non minus. Quae praetereunti funebri pompa magna flen- tium tubarum apparatu insigni quum ad- suisset, plures dies moerens et solitaria conticuit, nec dedit ultra voces, ut antea solebat. At post quatridui silentium re- pentē reddidit sunebre carmen ex integro, quod musica concinentium turba tubis ediderat quum demortuo praeiret. Ecce avicula tot diebus intenta non modo in recordationem cantionis, sed in depromen- dum melon praecipuum ab harmonia obse- quente et circumludente.

At quae principatum apud nos in hisce- neten, philomela est. Quoties ista canit, nova

fere semper, certe semper mutata canit; noctibus praesertim vēnis, quadam aemulatione proximis primum, deinde longiu- quoribus respondentibus ac decertantibus. Quid si in proximo pastores sint, qui circa focum ad greges cantum exercent, sequen- tibus pastoralibus fistulis? Ubi avenae cesserent voces, — canentibus quippe iis, au- dientes religione magna silent, — omnes in voces certatim prorumpere, atque, ex tot concinentibus una, quidam concentus oritur angelorum aure non indignus.

Grétry magister monet canoris avibus illas esse in deliciis cantiones, quae mu- sicis notis « 1. 3. 5. 8. » incumbunt.

Rem sub iudice linquimus; notamus tamen alacres et doctos viros eo proces- sis, ut sermocinationem avium et collo- quia diuturna observatione corripuerint, legesque ad huiusmodi intelligendum derident.

P. A.



MEDICAE NOTAE

De morbo, qui latine « aqua subtercus » vocatur.

Scripturo mihi, quid humanae saluti maximē expediret, de *aqua subtercus* sive de *hydrope asciti*, ut medici aiunt, verba facere, et commode breviterque exponere occurrebat. Idque propterea in mentem mihi venit oratione expromere, quod permulti homines isto morbo confictarentur, ex altera vero partes, quia morbi tractatio medico plerumque ludum suggestere videretur in flexuque mortem inferret.

Quo in morbo tractando sectam rationemque meam minus sequar, et saepe numero cognitam et quatenus mortalis quis opem ferre potuit singulis in casibus probatam. Non quo disciplinam academ- icam omnino tollendam existimem; mi-

nime vero, namque rationem et viam in principiis ubi vis positam esse oportere me non praeterit. Sed in eo, quo instituti, consistere nec experiri protinus neque proficere quidquam est quasi in veterno in- sistere: quod et ceteris, quibuscum natura necessitudineque mutua collocati sumus et nobis met ipsis parum conductit. In dies enim addiscentes senescimus! Quae praec- clara illa Ciceronis in medicum potissimum cadere mihi videntur.

Verum ne obtundam diutius, rem ipsam attingam.

In magno morborum numero, qui in corporis compagine quadam affecta inse- derint, morbus, qui agitur, aqua subtercus, seu hydrops ascites magnum tenet locum. Quamquam quum varietas sit morbi istius omnino, eum praecipuum morbum expromam, qui plerisque in causis subesse solet: hydropem ascitem oratione expromam.

Morbi istius tractatio difficillima.

Qui fit, quod medici isto in genere morbi aenigma rarius, ut levissime dicam, solvunt? Quod nimis habere, quod se- quantur, unde cum eventu proficient, mihi non videntur. Causae plerumque negle- guntur, dum consequentes dumtaxat spectantur.

Quod secus ego existimans, causam aenigmatis istius in iecore quaerendam iudico. Iecur enim sanguinis parandi habet functionem. Quod vero ut iecur conficere possit, compago, quam dixi, ad normam salva sit oportet. Quodsi iecur sive e frigore illato, sive e vi quavis damni fecit, functio minuitur cesatque quasi fabricari san- guis. Idque propterea fit, quod aut tumor aut duritas functionem praepediat.

Ex quo efficitur, ut bilis ieiiori supposita continenter impressa sanguini parando ultra inducatur ita, ut rubor sanguinis gilvus efficiatur. Quatenus aegrotus ita laborat, *Ictero* afficitur, quem nisi depel- litur, hydrops ascites consequitur. Quam- quam iecur ita affectum magis magisque

turbans, aliqua ex parte tollit omnem fungendi facultatem. Qua ex parte, omni vita remota, suci in sanguinem existendi putredine corrumpuntur, in aquamque dissolvuntur, quae iecore emittitur, primum pedes gravitate et natura repletos tumidosque efficiens, deinde altius scadens corpus superundans cor quasi suffocat, mortemque infert.

Iam vero rationem meam tractationemque aperiam. Quodsi iecoris vitium aut in tumore aut in duritate consistit, tollantur imprimis vitium causaque oportet. Qui id fiet? Iecur natura molle flexibile tumore duritateve a se deficiens turbansque ad naturae rationem redigatur necesse est. Quod nihilo expeditius prolixiusque confici poterit, quam ratione arteque digitio tractandi et stringendi. Quae tractatio bis terve in dies iecori adhibetur cum in Ictero tum Hydrope asciti potissimum. Sin autem tumor ventris altius dispanditur, quam ut iecur digitis attractari possit, aqua subtercutanea prius modo chirurgico derivetur.

Quod attinet ad medicinas adhibendas, aegrotus mane, meridie, vespere extractum sambuclum modo cochleario sumat, nulla quidem aqua adhibita. Bis porro per diem radices bibat excocatas, quae sunt:

- radix gentiana
 - radix angelica
 - radix pimpinella
 - radix valeriana
- } de unoquoque aequa pars, cuncta tamen commixta.

ad quod accedit folium - equisetum hemale.

Ista ratio tractatioque et Icerum depellet et Hydropem tollet ascitem, pro portione, expeditissime. Utinam, velim, medici ad eam normam aegrotos tractent! Eiusmodi laudabit quidem certe eventus!

DR. KAUL.

COLLOQUIA LATINA

Explicationum repetendarum ratio.¹

URBANUS, THEOPHILUS, GABRIEL, IACOBUS, FERDINANDUS.

THEOPHILUS. Repetistine hesternam explicationem epistolae Ciceronis?

URBANUS. Nondum.

THEOPH. Quid egisti?

URB. Occupatus fui in aliis.

THEOPH. In quibus?

URB. In praceptoris grammaticae ediscendis.

THEOPH. Utrumque faciendum fuit.

URB. Si socio non caruissem, hoc quoque forsitan praestitissimum.

THEOPH. Vis tecum repeatam?

URB. Nihil malo.

THEOPH. Principio revocabo tibi in mentem ipsum argumentum epistolae: tu si diffidis memoriae, poteris in chartaceum libellum referre.

URB. Nullo negotio retinebo, si iterum audiero; nec enim est ita longum.

THEOPH. Postea Ciceronem exponam verbum verbo, sequens constructionis ordinem; mox sententiam sententia, ut praceptor solet.

URB. Et ut nos vult sese imitantes facere in repetendo.

THEOPH. Postremo themata indicabo cum accidentibus, et syntaxes quasdam faciliores.

URB. Obstringes me non vulgari beneficio. Secedamus in locum solitarium, ne quis hic nostra dicta arbitretur.

THEOPH. Ecce tibi Gabrielem, Iacobum, et Ferdinandum; opportune convenient.

GABRIEL. Tenesne, Urbane, memoria paelectionem?

¹ EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

URB. Propemodium.

GABR. Vis una repetamus?

URB. Maxime velim; audiamus nos vicissim.

GABR. Incipe, igitur: ego te corrigam, si quid erraveris.

URB. Fiat; ordiar a nominum declinatione.

GABR. Dic propere. - Peccas accentu in ipso principio. Itera... Nihilo melius.

URB. Me miserum! Putabam me tenere ad apicem.

GABR. Aliud est sibi tacite pronuntiare; aliud clara voce coram praceptor. - Videsne te erravisse quater?

URB. Video. Vah! quam turpiter sefelliit memoria!

GABR. Executiamus interpretationem vernaculae tertiae epistolae: en haec magister praescripsit exponendam.

URB. Quando istud fuit?

GABR. Feria sexta a meridie.

URB. At ego tunc non interfui.

GABR. Ergo poenam meruisti.

URB. Siccine censes, severe iudex? Occupatus eram domi, nec absueram iniussu praceptoris.

GABR. Esto; sed tamen debuisti postridie quaerere quid pridie actum sit.

URB. Fateor. Cedo librum tuum, queso, ut videam quid nobis reddendum sit.

GABR. Signato eadem opera quam praescripsit magister paelectionem, et vale. Alium mihi adiungam socium, quocum repetam lectionem; tecum tempus absumo inutiliter. - Iacobe?

JACOB. Quid vis?

GABR. Repetamus una paelectionem.

JAC. Non est mihi nunc otium.

GABR. Quid habes negotii?

JAC. Ludendum est.

GABR. Non potes semihoram detrahere ludo tuo?

JAC. Gaudere consuevi cuncta relaxandi animi facultate, tu stude quantum lubet; ego vero ludam quandiu licet.

GABR. Tandem nactus sum sodalem percommode quicum repetam. - Ferdinand, complectere memoria paelectionem?

FERDINANDUS. Quasi digitos meos, aut nomen proprium.

GABR. Visne examinemus nos inter nos?

FERD. Quorsum istud? Solus repetivi satis: omnia teneo.

GABR. Tamen ad confirmandam memoriam.

FERD. Quod si praceptor interveniat?... Instat adventus.

GABR. Scilicet instat: nondum hora est prima cum dimidio.

FERD. Ergo submissa voce susurremus, ne censor nos notet pro confabulantibus. Tu age praceptoris partes; ego discipuli.

GABR. Equidem incipiam; tamen alternabimus vices. Coniuga verbum *feror* in futurum infiniti modi.

FERD. *Latum iri*.

GABR. Varia.

FERD. *Ferendum, ferendam, ferendum esse*.

GABR. Recte. Quem casum admittit praepositio *subter*?

FERD. Accusativum aut ablativum.

GABR. Annon ad libitum est ubique?

FERD. Minime; sed pro varia significazione vario casu gaudet.

GABR. Forma gradum comparativum et superlativum a nomine adiectivo *malus*.

FERD. *Malus, peior, pessimus*.

GABR. Est igitur anomalum?

FERD. Est, est... Sufficit. Praceptor adest: audio tussientem. Desinamus, ne putet nos garrire.

Non est ad astra mollis e terris via.

Quae fuit durum pati, meminisse dulce est.

Alium silere quod voles, primus sile.

Quidquid excessit modum, pendet instabili loco.

SENECA.

ANNALES

Nationum societas.

Nationum societas, quae iterum Genevae mense Decembri congregata est, ad portum tandem adduxit vexatam illam quaestione de' inspiciendis per victricium nationum legatos armorum comparationibus, quas Germanica res publica ficeret. Scilicet inspectio illa cum mense Ianuario cessabit, Nationumque societas per ministros suos passim investigabit utrum intra fines ad rem statutos operam suam Germania contineat.

Itaque hinc etiam, Dei gratia, novus ad pacificationem gressus factus est.

* * *

Italica foedera.

Neque minus ad rem iuverunt quae, iisdem fere diebus, foedera ab Italico gubernio inita sunt tum cum Albanensi civitate, ad rationes varii generis inter finitos populos melius explicandas, tum cum Germania ad arbitrios utrinque certis negotiis adeundos. Eorum primum sollicitudines nonnullarum aliarum gentium, ut Iugoslavorum, movit; verum iniuria, quemadmodum primus Italicus administer palam ostendit, porro professus, ad quamvis suspicionem tollendam, foedus idem nationum societatis iri adprobacioni propositum.

* * *

Mexicum inter et Septentrionalis Americae Civitates Foederatas discrimen.

Ad Mexicanas res, iam ob intestinum religiosum bellum minime quietas, difficiliores reddendas, discrimen novum accessit. Quum enim Calles illius gubernium exterarum gentium iura suo nutu immisisset circa quasdam petrolei scaturi-

gines, huic decreto adversatae vehementer sunt Septentrionalis Americae Civitates, quae vicissim accusantur copias suas in Nicaraguam rempublicam, et ipsam civili bello, de politicis vero rebus, agitatam, misse, sub specie suos tutandi cives; reapse alia mente, aliisque, iisque reconditis, consiliis.

* * *

Lithuanici motus.

Motus, iique necopinato, a Lithuania nunciati sunt, qui Reipublicae praesidem eiusque ministros suis munieribus per vim privarunt. Rebello promota assentitur a nationalistarum factione, affirmante collegium illud ad Russiae magis utilitatem quam patriae suae agere. Quidquid fuerit, id certum est, hunc eventum Polonorum animos anxiros reddidisse, quibus non fugit per Vilnae civitatis amissionem insanabile vulnus Lithuanorum patrio amori inflatum fuisse.

* * *

Regia funera.

Iaponi denique lugent regem suum Yoshihito, ex Imperatorum ordine CXXIII, qui, diutino morbo confectus, diem obiit supremum. Ei filius Hirohito successit.

POPLICOLA.

ROMA SACRA

PIUS PP. XI, IUVENES, QUI EX UNIVERSO TERRARUM ORBE ROMAM CONVENERUNT AD CENTENARIAM ALTERAM COMMEMORATIONEM AGENDAM, EX QUO ALOYSIUS GONZAGA SANCTORUM ORDINIBUS EST ADSCRIPATUS, LATINE ALLOQUITUR.

Pridie Kal. Ianuarias MCMXXVII, centenaria commemoratio altera occurrit diei, ex quo Aloysis Gonzaga in sanctorum numerum est relatus. Eam Summus Pontifex Pius XI non

modo sollemni a se litato in Petriana basilica sacrificio celebratam voluit, sed etiam apud se quotquot iuvenes – ad quinque circiter millium numerum – Romam ad hoc advenissent, in Vaticanas aedes arcessendo; quos permanenter, paterne, est latina lingua alloquitus:

« Ne miremini – inquit – dilectissimi iuvenes, (dilectissimi in universa familia, quain Cor Iesu Nobis credidit gubernandam), si tam vehementer gaudemus, dum vos uno veluti animi et oculorum obtutu coram complectimur. Etenim tam pulchra Nobis visa est lectissima haec filiorum multitudo, ut libenter verba antiqui Patris Isaac usurpemus, ita dicentis: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Deus.*

« Libentius etiam pulcherrima illa verba vobis e corde dicimus: *Salvete, flores, flores gentium, flores primae aetatis;* et quodam etiam vero sensu dicimus: *Salvete, flores martyrum.* Vos alloquimur in primis et vos in primis salvere iubemus, qui e longinqua Mexicana terra ad Nos venistis, filii martyrum et fortis martyres ipsi. Vobis honor et vestrae regioni, vestris episcopis et pastoribus, vestris presbyteris, vestris omnibus, qui tam gloriosum certamen perferunt, admirante universo Orbe, pro honore Dei, pro Regno Christi, pro honore Sanctae Matris Ecclesiae, pro dignitate et salute animarum.

« *Salvete, filii et fratres Martyrum:* vosque salutationes Nostras cum Benedictionum nostrarum quasi primitiis vobiscum afferatis, ad terras vestras quum proxime redibitis.

« *Salvete* et vos, dilectissimi, qui e Polonia advenistis, quos Romanum non solum lilia Aloysii vocaverunt, sed arcessivit etiam parvulus ille et innocentissimus Stanislaus, Benjamin ille adolescentorum Sanctorum.

« *Salvete* vos omnes, et vos in primis qui e remotioribus regionibus venistis. Pensamus sane haud mediocria incomoda, quae suscipistis ut Romanum veniretis visuri Patrem, tantum prae vobis ferentes pulchritudinem et animae et vitae, ut digne habeamini flores

et florentes spes futuri aevi. Carissimi denique quia ab Aloysio vocati venistis; ipsa enim praesentia vestra animum vestrum declaratis et ostenditis, quo praeclaris Gonzagae exemplis adducti, nitamini. Ipsa Nobis vestra praesentia confirmat id quod vos Sancto Aloysio, itinera suscepturi, dixistis: *Trahe nos; in odorem curremus unguentorum tuorum!*

« Iterum igitur atque iterum salvare vos iubemus ».

Pandidit deinde Pater amantissimus animi sui gaudium, quod sese circumventum tam praeclaro atque ingenti catholicorum iuvenum agmine videret, ita ut facere non posset quin peculiaribus hortationibus eos admoneret, ut magis magisque virtutem illam diligenter, quae pretiosissimus fuit thesaurus viri, quem sibi patronum et exemplum delegerunt:

« Puritatem – dixit – amate, iuvenilis aetatis decus et ornamentum, qua quidem praesente virtutes omnes vigent, absente autem omnes nutant et periclitantur. Puritatem, inquit, diligite; in hac enim virtute invenietis pretiosissima omnia quae ad vitam, et ad perfectionem in quolibet statu necessaria sunt. Alit puritas lumen mentis, generositatem cordis, vigorem animi ipsiusque corporis sanitatem.

« Pretiosissima sane virtus, sed tamen servatu maxime difficultis. Et in primis ut puritatem studiosiore in dies animo servetis, a Deo id suppliciter petite, illud Sapientiae recolentes, neminem posse esse continentem, nisi Deus dederit. Gratia enim Dei omnino necessaria est ut puritas conservetur; hoc vestris membris altissime inhaereat. Orate igitur ut hanc gratiam assequamini. *Petite et accipietis:* orationi praemia certissima promissa sunt.

« Orate et vigilate. Vigilate et orate. Oratio enim vobis conciliat quod. solius Dei est; auxilium nempe humanis viribus, vel potius humanae infirmitati necessarium. Vestrae autem vigilantiae erit custodire puritatem ab omni offensione et periculo.

« Quanam vero custodia? Omnimoda, dilectissimi. Custodia externa, quia in mundo vita vestra traducitur, mundus autem plenus est fascinatione nugacitatis; quae quidem fascinatio, Divino admonente Spiritu, obscurat bona et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia.

« Custodite igitur vos a mundo, qui incredibili quadam vi vos allicit: hanc autem is seductionem inducit, quae potest viribus vestris fortior evadere. Custodite vos a mundo, custodientes sensus externos et animi intima, ita ut omnia munda sint, in primis ea quae homines non vident, sed Deus intuetur ».

Quum autem Pontifex aliquantis per immoratus esset de praesidiis ad insidias arcendas aptis angelicae virtuti oppositas; quae inter labor adsiduus tum mentis tum corporis, habitus praeterea tamquam nobilis ratio ut homo sordes suas vere eluat, est prosequutus:

« Sed alia est etiam perutilis virtus ad servandam puritatem, humilitas nempe, quia non nisi humiles Deus diligit. Nisi enim humilitas vobis semper adsit, nec vos necessitatem divini illius adiutorii sentietis, neque necessitatem illius custodiae ad castitatem servandam; quia superbus non sentit pericula, non sentit insufficientiam sui; itaque non solum cadit, sed in ruinam collabitur. Quare exemplum ab Aloysio sumite, qui in tanta ubertate et copia divinorum donorum, tum naturae tum gratiae, quum posset in saeculo inter primos splendescere, maluit omnibus rebus se abdicare, et abscondi, et nesciri.

« Orationi igitur et vigilantiae et humilitati instate. Unum restat ad perfectionem vitae vestrae: charitatem sequi. Charitatem igitur a Deo exposcite toto corde, charitatem illam, qua Cor Iesu exarsit actuosam et generosam. Hoc est verbum quod vobis meditandum credimus: Ponite quodammodo puritatem vestram sub veste charitatis.

« Ita Aloysius facere solitus erat, charitati toto tempore deditissimus. Et quomodo

ille occubuit, nisi vitam suam ponens ad subveniendum fratribus misere aegrotantibus, victima perillustris charitatis?

« Haec, dilectissimi filii, veluti e plenitudine cordis Nostri in corda vestra deponimus et vobis committimus. Haec custodite, et haec facientes semper digni eritis qui dicamini discipuli Sancti Aloysii Gonzagae. Haec in vita vestra, in plenitudine iuventutis vestrae, in ipso aetatis flore cogitasse et voluisse dulcissime quandam memineritis in reliquo cursu vitae vestrae, quam unicuique vestrum splendidissimam, Deo favente, exoptamus.

« Haec autem ex animo ominantes, Benedictionem illam impertimus, quam vos omnes cupitis quotquot huc ad paternam domum, dilectissimi filii, advenistis.

« Benedictionem Nostram impertimus ex imo corde, in primis vobis omnibus qui praesentes estis; deinde omnibus filiis Nostris, iisdemque fratribus vestris, quos in longinquis consociationibus, institutionibus et congregationibus vestris, sub gloriosis vexillis vestris collectos, vos spiritu comitati sunt, et quos vos digne coram Nobis repraesentatis.

« Descendat Benedictio Nostra in regiones omnes unde venistis, in patrias vestras, in civitates, in familias et parentes vestros, in opera vestra et labores. Et si quos habetis in domibus vestris infantes, parvulos Cordis Iesu in primis dilectos, si quos habetis senes aut infirmos, pro suo ipsorum dolore peculiari benedictione et consolatione dignos, iis omnibus amantissime benedicimus. Benedictio autem Nostra vota omnia complectens, quae unusquisque vestrum in corde et in mente sua foveat, super vos descendat, vobiscum semper maneat, vos semper per omnes vias vitae vestrae una cum divinis benedictionibus comitetur ».

Haud facile dictu est PII PP. XI haec verba, almae communis matris sermone expressa, quot pietatis et commotionis sensus in audientium iuvenilibus illis animis excita- verint. Quod felix, bonum, faustumque fiat!

VARIA

Ad singulos Almae Romae socios in annum MCMXXVII socii Alafridi Bartoli vota.

Qui Ianus veterem excipit Decembrem tuis ut potiare, amice, votis,
spes omnes tibi sint ratae atque aventi,
dedat: hoc ineuntis omen anni
faustum, quoque magis sit immo gratum,
cum me non lateat tibi esse cordi
quidquid vel redolens latinitatem
prae se fert, faciles foveatque Musas,
sine dem numeris Catullianis.
Quod multis, mihi fas, velim modo ipse,
sit, quos carminibus iubet Camena
salvere, his, vetus ut requirit usus,
dona mittere.... An expetita pupis
melle aut sacchare perlitas placentas,
vel mustacea defruatoque factas
scribilitas genus omne delicatas?
Nequaquam: satius mihi latina
expromptum fide mittere est amicis,
quod sit mnemosynon sui sodalis
qualecumque, et idem precetur illis
hoc felicia cuncta rite carmen.
Qui bonis, igitur, mihi probaris
cunetisque artibus optime institutus,
et novem qui animo colis sorores,
quemque lumine sacra litterarum
Phoebus ipse ferens videt benigno,
multo his te fore spero laetiorem
quae, pro muneribus, cano latine
vota epistolio tibi exarato,
dum Ianus veterem excipit Decembrem.

**

Pro iudicibus mensarum eleganti bus

ESCARUM ORDO:

Parva quadra lycopersici recentis in iure natantia.

Tructa elixa cum garo piperato ad Scytharum morem.

Gallina africana farta, veru assa.

Acetaria ex lactucis, foeniculis, tuberibusque odoratis.

Globuli spuma lactis repleti, chocolato aspersi.

*Caseus liquidus in pastillis dispositus.
Bellaria.*

**

Iocosa.

Tuccius Museum Aegyptium visitat.
Quum medicatis coram cadaveribus per-
venit:

— Oh! quanta illorum hominum statura
esse debuit — exclamat — si iam in incu-
nabulis tanta erat!

Tuccii pater filium in hyppodromum
conducit, eique mostrans equum, qui, victor,
plura nummorum millia hero acquisivit,
Tuccium monet:

— A manno illo disce; nondum trium
annorum aetatem superavit, iamque tan-
tam pecuniam lucrari valuit!

**

Aenigmata.

I

Demoliendi munus est mihi saevo;
Cui vitam ademi adversor et cohaerenti
Comiti, comite relictum ineptiam actutum.

II

Terrigenas agito, mortem fero depopulorque,
Pervigilans inhio, paleo, deficio.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Mus*; 2) *Castanea*.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS

[20]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit Andr. Haberl)

QUADR. Itane vero? Fideles milites ex Christianis conscribas maxime. Neque unquam...

TERT. Tace, sis! Sed tu, Pancratii, prudenter genti consule, postrema cuius proles es! Tune committas, ut gens tua ignominiose tecum occidat? Quid tibi mentem, puer, adeo pervertit, ut proditorum reipublicae...

PANCR. Non sumus proditores, domine!

TERT. Seductum te esse sereno vultu agnoscō. Nondum vitiavit tibi turpitudō animū; adstas innocens.

PANCR. Minime; sum enim quod accusor. Dei nostri gratia Christianum sum!

TERT. Sed animus tuus omni purus scelere profecto est. Revertere ad magna numina maiorum! Tunc libenter ego...

PANCR. Desine verbis! Desiste blanditiis! Nunquam ego ab luce redibo ad tenebras.

TERT. Insanis! Fanaticus es!

PANCR. Utut libuerit, nomina!

TERT. Obsequere consilio adulorum!

PANCR. Per verbum Dei omnibus huius mundi sapientibus ego antecedo sapientia. Me mitte ad fines orbis terrae, pro salute patriae iube conteri: parebo. Unum non licet: Obedire magis, quam Deo, homini.

TERT. Non pro salute te devovebis patriae, nec tibi est eundum ad fines terrae; facile est, quod te iussero. Ecce pruna! Turis unum granum si illuc miseris, liber eris.

PANCR. Mene turis honorem spargere diabolo? Quantum narras scelus!

TERT. (pressa voce): Spargere igitur simula! Vel id satis est.

PANCR. Simulare? Abi! Quam fraus ista impia est! Hanc tu committere Romanum iubes hominem? Satis, mihi crede, satis verborum est.

TERT. Sed iuro te futurum esse primum

famulorum Caesaris. Tuo arbitratu tota regetur urbs, auro vestieris atque serico, si modo granum turis unum...

PANCR. Nunquam faciam, frustra mones. Constitui enim unius Dei, quoad viverem, postremus servus esse. Quemadmodum Christianum oporteat obediam. In aeternam calamitatem inciderem, si pro hisce ludicris Iesum traderem, amore pro me mortuum. Nunquam committam!

TERT. (fuscus): Iam desine insanire, puer! Vitam tuam pedibus proteris. (*Pancratius abnuit*) Quando aliter fieri non potest, mane in ineptiis; sed tremere, imperatoris tremere iracundiam! (*Ad nutum carnifex aulaeum aperit. Rubra luce conspiciuntur tormenta*) Videsne rotam, qua tu atrociter dilaniaberis? facesque quibus continuo, nisi parueris, tuus incendetur rogus?

PANCR. Quam hoc dulce est, Domino pro vita vitam reddere! Sume, suscipe miselli sanguinem! Exiguum donum est, sed una res est, qua in terra etiam nunc exsulo. Sed ah! indignus sum.

TERT. Fer igitur quae subsecuta erunt tantam pervicaciam! (*Surgit*) Percipite iam scelesti homines sententiam! Vos, Gai, Reparate, ceteri, quibus cum Nazareno stare est sententia, statim in amphitheatro bestiis proiciemini. (*Subfusce*): Sed si quis indicium fecerit, quis nocte proxima nefarie a pila edictum deripuerit, huic pro tanta fide ab imperatore impetrabo veniam. (*Tacite damnatos circumspicit; postea ad Pancratium*): Tibi vero, insane puer, etiam tempus a me datur gratiis. Hunc catenis vincut in metallorum rapite tenebras, ubi liberet prudentiusne tristem vitam trahat in puteis, an uno grano turis ad thronum ascendat, Caesari carissimus. (*Pancratius dolens suspecto caelo caput demittit*).

[20]

aberl)


tu tota re-
co, si modotra mones.
iverem, po-
m Christia-
am calam-
cris Iesum
Nunquamnire, puer!
eratius ab-
st, mane in
ne iracun-
um aperit.
) Videsne
? facesque
s incende-omino pro
niselli san-
na res est,
ah! indi-uta erunt
ipite iam
Gai, Re-
stare est
stis proi-
m fecerit,
ictum de-
operatore
ircumspic-
o, insane
iis. Hunc
ite tene-
em vitam
ad thro-
(Pancra-
ittit).

ALMA ROMA



OVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

IOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

IOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius. Actio dramatica. – Venit lib. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-
lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis au. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

PIO XI
QVINTVM ANNIVERSARIVM
AB INITO ECCLESIAE GVERNACVLO
CONCELEBRANTI

PONTIFICUM NOMINE PIORUM LAUDES.

*Auguror; sed lux, Pius unde primum
Coepitus es dici, monet ut Piorum,
Nam Tibi nomen dederunt et ausus,
Gesta canamus.*

*Quam mihi longum licet intueri
Agmen heroum! PIUS ille PRIMUS
Dat caput ferro, potiore flamma
Pectora adurgens.¹*

*Pro Fide, clamat, capite arma, fili;
Alter, Aeneas, PIUS; ipse vester
Dux Scythes contra, date rebus ultro
Arma, phalanges.²*

*Vix sacra aggressum, cito sede raptum,
Tertium dicam;³ neque te silebo,
Concili fautor, socians Tridentum
Agmina Patrum.⁴*

*Ceteris maior, PIE QUINTE, salve!
Quo graves Turcae citius perirent
Advocas classem Crucis, et Patrenses
Mittis ad undas.*

*Acriter pugnant, reboat fragore
Littus et caedes pelagus cruentat;
Prompta succurrit pia Virgo, et hostes
Aequore mergit.*

*Illico Pastor Petriana ab arce
Non semel proclamat: « Io triumphhe! »
Templa complentur; redolent Mariae
Thura patronae.⁵*

*Nil PIUM SEXTUM tua bella terrent,
Praepotens Dux;⁶ non premis ad Savonam
BARNABAM, quamvis furias tremendo
Milite pugnax.⁷*

*Sternit insignem tumidumque pugnis
Te Dei fulmen; veluti Damasci
Diximus fulmen quoniam cadentem
Spes bona fovit.*

*Exstat OCTAVUS; breve tempus haeres
Imperi sacri, meditatur alta,
Nil reformidans, nihil obstinato
Turbine fractus.⁸*

*O novum caeli iubar, o PIORUM
NONE, tam bello sacra vindicante
Nobilis; salve pelagus per atrum
Navita prudens.*

*Occidit tandem! cecinere sontes,
Occidit Romae Fidei cathédra!
Caeca spes! Mundo sacra Roma fulget
Solis ad instar.⁹*

*Alter a nono PIE, te salutant
Gesta paeclaris decorata fastis;
Mira saeclorum renovans, trophyaeo
Colligis uno.*

*Cuncta sacrorum vigil usque curas,
Tu rebellantes sapiens retundis;
Iam salutaris meritus coronam
Cingere Divum.¹⁰*

*Quattuor, luctus cumulans per annos
Saeviit bellum; populos cruentos
Tuque plorabas, BENEDICTE, pressis
Brachia tendens.¹¹*

*Sat datum caedi! procul ite ab orbe,
Ite nunc Orci furiae ministrae;
Alter a deno PIUS, inter orbis
Nubila, fulget.¹²*

Romae, Non. Februariis MDCCCCXXVII.

*Dona quae fundes sceleri expiando,
Pontifex? limen reseras beatum;
Gratiae fontes recreant bibentem
Undique turbam.¹³*

*Quem voces Divum potius colendum,
Pacis exemplar tenuisque vitae?
Mitis arrideto macie coruscus
Inclitus Umber.¹⁴*

*Quem dabis pubi docili magistrum
Nobilem, casti studii sequestrem?
Fulget e caelo Lodoix, iuventam
Tollit ad astra.¹⁵*

*Mittis in terras alio calentes
Sole turmatim Fidei ministros;
Esse vis, dici mage, Missionum
Splendidus auctor.¹⁶*

*Detur, o felix! ad ovile Christi
Cogere errantes! domitisque bellis
Stringere amplexu populos, Deoque
Reddere carmen.*

*Tanta te, Pastor, cupimus videre;
His frui longos cupimus per annos;
Mexica primum referente claros
Gente triumphos.¹⁷*

Can. ANGELUS NARDIS.

NOTAE.

¹ Pius I, Aquileiensis, S. Hermetis frater, Hadriano imperatore Pontificatum gessit; Marciotitarum et Valentinianorum commenta damnavit. Nobile Martyrium fecit v Id. Iul. CLVII.

² Aeneas Silvius Piccolomini, domo Sena Iulia, humanis litteris illustris; Ecclesiam Tergestanam primum, deinde Senensem rexit; ad Turicum bellum principes catholicos inflammavit; comparata classe ipsum se ei praefecit, pergens usque ad Anconitanum littus, ubi diem supremum obiit xix Kal. Novembris MCCCCLXIV. Ei attributum fuit Vergili illud: *Sum Pius Aeneas fama super aethera notus.*

³ Plurimarum legationum munere functus, Pontifex renunciatus, multa in Ecclesiae bonum sibi reformanda proposuit, sed post xxvi dies, vii Id. Maias MDIII, morti occubuit.

⁴ Pius IV Mediolanensis, S. Caroli Borromaei

patruus, sacris et profanis disciplinis Bononiae et Papiae data opera, Romae inter Purpuratos Patres cooptatus, demum ad Pontificatum evectus, Concilio Tridentino absolvendo maximo opere studuit; ecclesiasticam disciplinam reformavit; Romanum monumentum locupletavit. Decessit iv Id. Decembres MDLXV.

⁵ Pius V, Ghisleria gente ortus ex Insubria, Ordini Dominicano iuvenis admodum addictus, doctrinae et virtutum omnium laude floruit; Episcopatum Nepesinum et Sutrinum gessit; inter sacros Purpuratos Patres connumeratus gravissima Ecclesiae negocia naviter obiit. Pontifex factus, ad Religionem propagandam, errores extirpandos, egenos sublevandos, apostolica iura vindicanda totum se contulit. Selimum, Turcarum tyrannum,

Romae ipsi ruinas minitantem, potius precibus quam armis prostravit. Dignus qui a Clemente XI in Sanctorum numerum referetur.

⁶ Pius VI, Caesenas, ex stirpe Braschia, de clericali disciplina optime meritus, aedes Vaticanas amplandas, paludes siccandas, templa aedificanda curavit; insolentes scriptores compescuit; Gallicis seditionibus, et Napoleoni ipsi victoriis furenti resistens, captivitatis probra invicto a difficultatibus animo pertulit. Valentiae vita functus est iv Kal. Septembres, MDCCCLXXXIX.

⁷ Pius VII, Georgius Barnabas Chiaramonti, Caesenas et ipse, ex Ordine Sancti Benedicti, Episcopus Tiburtinae Ecclesiae; in Sacrum Senatum deinde cooptatus, demum Pii VI successor, Neapoleone acriter adversante, iniqua multa perpessus est. Cui fide invicta, certaque prudentia ita restitit, ut universo catholico orbi admirationi esset. Nec animo deiectum sese exhibuit quum Gallicus Caesar eo temeritatis devenit, ut sanctum Pontificem e Vaticana sede, Savonam, in vincula rapi iuberet. At mense Maio, a. MDCCCVI, accedit ut, Pio VII ex captivitate Gallica triumphaliter redeunte, Napoleo, suis omnibus rebus inclinatus, in insulam Ilvam privatus et captivus deportaretur. Eadem Pontifici magnifica opera ad urbem Romanam exornandam, templa a solo excitata, imprimis Societatis Iesu redintegratio, atque alia haud minora merito attribuuntur. xi Kal. Septembres, a. MDCCCLXIII diem supremum obiit. Iure in eius tumulo, Consalvii Cardinalis sumptibus exstructo, Moderationis et Fortitudinis statuae erectae sunt.

⁸ Pius VIII, Pontificio munere per unum annum et menses septem functus est; multa iam aggressuro, pro Ecclesiae libertate, tempus defuit; memorandum est tamen, eum gravissimas animadversiones in « Massonum » sectam, in Librorum sacrorum societates, in matrimonii sanctitatis everores, edidisse.

⁹ Pius IX. Haud sane describi possunt, quae in diutino Pontificatus cursu, inter tanta rerum discrimina, Pius IX pro Relligione, pro Patria, pro urbe Roma egerit. Ceterum tantorum laborum multi testes adhuc supersunt, omnes vero a patribus acceperimus. Satis est inscriptionem referre, quam de clarissimo antecessore scripsit Leo XIII: « Virtutum suarum splendore - Apostolicam Se- dem - Illustravit - Universam Ecclesiam - Amore et admiratione sui - Implevit - Pro veritate et Iustitia - Invicto semper animo - Certavit - Magnis laboribus - In Christiana Republica administranda - Est in exemplum perfunctus ».

¹⁰ Pius X humili loco natus, pauper, sapiens, virtutibus, praesertim charitate, refulgens, ad Pon-

ficiatus apicem evectus, instaurare omnia in Christo sibi proposuit. Disciplinae Ecclesiasticae restituenda maxime prospexit; Ius Canonicum in Codicem redigendum mandavit; Seminaria maxima instituit. « Modernistarum » errores vafre pervagantes insectatus, damnavit. Quum Europae nationes in eo essent ut ad tetterimum bellum descenderent, amantissimus Pater veluti immanni strage oppressus, decessit. Haec in eius sepulcro leguntur: « Dives et pauper, mitis et humilis corde - reique catholicae vindex fortis - instaurare omnia in Christo satagens - pie obit xx Aug. a. D. MCMXIV. »

¹¹ Benedictus XV (Iacobus Della Chiesa) in acerbissimo bello, quo Europa omnis effebuit, sedulo, at frustra, populos ad pacem revocare satagit.

¹² Pius XI, fel. regnans, eximiae doctrinae laudem virtutibus ita aequavit, ut primum Archiepiscopus Lepanti, Legatione Pontificia auctus apud Polonus, deinde Archiepiscopus Mediolanensis idemque Pater Purpuratus crearetur. Denique Pontifex renunciatus tergemina thiara ornatur prid. Nonas Febr. MCMXXII.

¹³ Inter praecipua sui Pontificatus opera Pius PP. XI, Iubilaei maximi expiationes in Urbe atque in Orbe habitas recensemus.

¹⁴ Sollemni ritu celebratum voluit Centenarium septimum a beatissima morte Francisci Assisiatis; secundum vero, ex quo Aloysius Gonzaga in Sanc- torum ordinem est relatus.

¹⁵ Beatissimus Pater quinque circiter millia iuvenum, qui ex Mexicana terra et Polonica praesertim in Vaticanas aedes convenerant, inter alia, haec admonuit: « Puritatem amate, iuvenilis aetas decus et ornamentum, qua quidem praesente virtutes omnes vigent, absente autem omnes mutant et periclitantur. Puritatem, inquit, diligite: in hac enim virtute invenietis pretiosissima omnia quae ad vitam, et ad perfectionem in qualibet statu necessaria sunt. Alit puritas lumen mentis, genitatem cordis, vigorem animi, ipsiusque corporis sanitatem Haec custodite, et haec facientes semper digni eritis qui dicamini discipuli Sancti Aloysii Gonzagae ».

¹⁶ Dilatandae Fidei ardore impulsus, Pius XI sacrarum Missionum operibus enixe favet, in id excitatis totius orbis fidelibus.

¹⁷ In Mexicana republica Calles praeses, crudelissimorum more carnificum, Pastoribus et christifidelibus religiosum bellum indixit, atque in praesens usque tempus, contra divinas humanasque leges debachatur. Summus Pontifex dilectione praecipua filios impie petitos prosequitur, aeterna veritatis iura firmiter vindicatur.

DE PRIMA SERMONIS ORIGINE

Duplex hac in re excessus est vitanus, et *Traditionalistarum*, qui rationis nostrae vim nimis deprimunt, et *Rationalistarum*, qui naturam et rationem supramodum extollunt.

Illi enim contendunt sermonis inventionem esse omnino supra hominis facultates, eamque potius dici debere veram creationem, quae soli Deo sit adscribenda. Immo, nonnulli addunt cogitationem a sermone ita pendere, ut prius loquatur homo quam cogitet, ac proinde nequeat sine locutione cogitare; nec posse surdos-mutos ullam in ordine veri vel boni, intellectus vel morum, cogitationem sibi parere.

Isti, e regione, reponunt mutos ab initio exstisse homines, ac deinde bestiarum more fuisse loquutos, quasi nobis convenisset loqui sicut canibus latrare, et demum, lento progressu, ad loqueland pervenisse. Quapropter triplicem fingunt statum, scilicet barbarei mutae, deinde vocis bestialis, ac tandem humani sermonis.

Veritas autem catholica ab utroque extremo cavit, mediaque via incedit: Homo, creatus a Deo rationalis, potest vi in ipso indita efformare sibi sermonem; ad factum vero quod attinet, primus homo loqueland non proprio labore adinvenit, sed a Deo Creatore una cum perfecta cognitione accepit.

Primum assertum vix potest quis inficiari, nisi vim animae spiritualem impetat. Habet quippe homo, ab initio et a sua creationis indole, organa ad loquendum apta, quumque sit conditus cum intellectu et voluntate, valet sponte sua in actum organa illa reducere, et, quemadmodum necessitas cupiditates manifestandi se prodit per voces et clamores, ita necessitas aperiendi internos animi conceptus per locutionem se tradit, rudem quidem in-

principio et paullatim perficiendam. Longum sane tempus fuisset impensum, at nihil repugnare constat.

Quod autem obiciunt adversarii veritate et fundamento caret, nam indubius factis liquet surdos-mutos cogitatione poltere, prout inter ceteros testatur Ferdinandus Berthier, surdus-mutus ipse et surdorum-mutorum institutor celebrissimus.

Ceterum sensus hominum communis invicte docet sermonem esse signum conceptus; et conceptum esse loquutioni, et sermoni praevium, quemadmodum signum est prius re signata.

Alterum vero assertum, nempe primo homini inditum fuisse a Deo sermonem cum perfecta scientia, est de fide propter evidentissima divinae Revelationis testimonia.

Dicit enim *Genesis*: «Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea; omne enim quod vocavit Adam animae viventis, *ipsum est nomen eius*. Appellavitque Adam *nominibus suis* cuncta animantia, et universa volatilia caeli, et omnes bestias terrae». ¹

Qui autem imponit singulis nomina propria, habet scientiam singulorum absolutam, quum nomina sint signa conceptuum et conceptus sint signa rerum; et pariure impositio nominum arguit profecto sermonem et loqueland, qua scientia illa manifestatur. Ergo recte concluditur inditam fuisse Adamo, ab initio et in sua conditione, linguam et cognitionem perfectam.

Addit porro *Genesis* virum statim fuisse loquutum producta muliere: «Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea». ²

¹ *Genes.*, II, 19-20.

² *Ibid.*, 23.

Nec desunt alii textus, qui expresse affirment Deum protoparentibus dedisse consilium et linguam ac scientia illos replevisse: «*Consilium et linguam*, et oculos et aures, et cor dedit illis *excogitandi*; et *disciplina intellectus replevit* illos. Creavit illis *scientiam spiritus*, sensu *implevit* cor illorum, et *mala et bona* ostendit illis». ¹

Quae verba liquido indicant, Adamo fuisse a Deo inditam et loqueland disertam et cognitionem eximiam omnium, quae munus spectant primi capit, sive in ordine naturae, sive in ordine gratiae gerendum.

Quocirca doctrina illa de scientia protoparentis absoluta non est theologorum figmentum, sed firmum utique aedificium, quod et Scriptura nititur, ut mox audivimus, et traditione Patrum, qui referunt fuisse in Adamo *excellentissimam sapientiam* ² *illuminationemque illibatam*. ³

Immo philosophia id confirmat. Nam ostendit ratio sana, primum hominem non nisi a Deo posse produci, per creationem immediatam. At Deum dedecet quam maxime hominem a se conditum relinquere in statu rudiori et imperfectiori, quum potius oporteat protoparentem callere notitiam egregiam, qua valeat posteros instruere, erudire, gubernare.

Longissimum temporis spatium requireretur ad veritates religionis et morum addiscendas, ac deinde ad sermonem inveniendum, perpoliendum, proprio marte perficiendum. Quo iure potuisset dici rex universi homo in tam imperfecta condi-

tione existens? Non potuit suavis et patera Dei providentia, quae non ad egestatem sed ad opulentiam operatur, ea quae minus congruunt permittere.

Quod argumentum summae convenientiae certam prorsus efficit sententiam, quam, ceterum, fides catholica et populorum traditiones firmiter et invicta renuntiant, accepisse primum hominem a suo Conditore *consilium et linguam*, ut iam enarraret gloriam Dei.

EDUARDUS HUGON, O. P.

De latinarum litterarum historia preelectiones

II - De imaginum titulis.

II. - Venio ad aliud genus inscriptionum antiquitus iam usitatum; hoc sunt *tituli imaginum*, breves nimurum inscriptions quae sub imaginibus maiorum ponebantur, et in atrio domus religiose servabantur. Notum enim est, ut Plinius ait (*N. E.* XXXV, 6), expressos cera vultus maiorum singulis armariis disponi consuevisse, adiecto indice agnominum, honorum, earumque rerum quae ad viri gloriam pertinerent. Saepe etiam nomina familiae longo ordine et multis stemmatum inligata flexuris in parte prima aedium collocabant, ut maiorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur. ² Interdum etiam extra privatas aedes collocabantur imagines; quod dicitur de Appio Claudio Caeco, qui suorum maiorum effigies in aedium Bello-

¹ *Eccl.*, XVII, 5-7.

² S. AUGUSTIN., *De op. inf.*, lib. V, c. 1; *P. L.*, XLV, 1482.

³ S. CYRILL. ALEXANDR., *In Ioan.*, I, 9; *P. G.*, LXXIII, 128. - Quaestionem de prima sermonis origine versarunt praesertim S. GREGOR. NYSSENUS, *Cont. Eunomium*, lib. XII, *P. G.*, XLV, 975-1006; et S. AUGUSTINUS, *De Oratione*, lib. II, c. XII, n. 35; *P. L.*, XXXII, 1001.

¹ Cfr. fasc. sup.

² Cfr. VAL. MAX., 5, 8, 1; SEN., *De beneficiis*, 3, 28; POLYBIUM, 6, 53, 4. (*Τιθέασι τὴν εἰκόνα τοῦ μεταλλάξαντος εἰς τὸν ἐπιφανέστατον τόπον τῆς οἰκίας, ἔνδινα ναῖδια περιτίθέντες· ἡ δὲ εἰκὼν ἐστὶ πρόσωπον εἰς ὄμοιότητα διαφερόντως ἔξειργασμένον, καὶ κατὰ τὴν πλάσιν, καὶ κατὰ τὴν ὑπογραφήν.*)

nae (a se erectam anno ccxcvi a. C. n.) ponere non dubitavit; placuit enim illi in excelso spectari et titulos honorum legi. Quod postea publice etiam fiet; nam Augustus (Suet, 31) « statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui portico dedicavit ».

Sunt igitur hinc animadvertisendi vetustiores tituli passim in privatis aedibus inscripti; qui appellabantur etiam *elogia*, ut patet a Suetonio, qui in *vita Galbae* ait: « Imagines et elogia universi generis persequi longum est ». Livius in decimo libro de lege Ogulnia anni tercentesimi a. C. n. loquens, P. Decium Murem consulem plebeium pro lege loquentem inducit; inter cetera haec eius verba refert: « Cui Deorum hominum indignum videri potest, eos viros, quos vos sellis curulis, bus, toga praetexta, tunica palmata et toga picta et corona triumphali laureaque honoraritis, quorum domos spoliis hostium adfixis insignes inter alias feceritis pontificalia atque auguralia insignia adi- cere?... Cuius *imaginis titulus* consulatus censuraque et triumphus aequo animo legetur, si auguratum aut pontificatum adieceritis non sustinebunt legentium oculi? ». En exemplum imaginis cum titulo seu indice honorum ad memoriam illustrium virorum servandam colendamque.

Hinc postea doctissimus ille Varro consilium capiet operis sui, cui titulus *Hebdomades*, seu *Imagines*, in quo, quindecim libris, septingentorum illustrium virorum imagines, centies septenas (hebdomades centum) depictas collegit, epigrammate cuique adiecto.

Ceterum huiusmodi imaginum tituli, interdum non ad veritatem compositi, rerum et personarum memoriam, non minus

quam funebres laudationes, vitiarunt, teste Livio (VIII, 40), cuius verba iam supra retulimus,¹ et Plinio (*N. H.*, XXXV, 8), cui tamen illa mendacia aliquo virtutum amore excusanda videbantur.²

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINUS.

IOANNES PONTANUS

Quis fuerit homo iste, cuius natalem diem quingentesimum celebrare nonnullis placuit, paucis absolvam.

Natus est *Ceretti* in Etruria anno quadragesimo vicesimo sexto supra millesimum, et aetate sua, omnium iudicio, primas in litteris latinis facile tulit. Ipse enim, acerrimum ingenium nactus, honoris causa, Neapolim se contulit, ut, inter aulicos Domus Aragoniae adscitus, mirum in modum egregii se parem negotiis ostendere posset.

Tunc temporis magna illa civitas atque eximiis studiis dedita, maximis quoque praemiis ornamentisque ornatissimos undique viros ad docendum invitabat. Paulo ante Antonius Beccadellus cognomento *Panormita*, occubuerat, qui, miro ingenio et immortali sapientia, sibi ita animos ciuium advinxerat, ut, ingemiscentibus omnibus, et maxima pompa, publice componeretur. In eius obitu, immensa illa civitas maximo moerore perculta esse videbatur.

Ioannes Pontano, opportunam hanc arripiens occasionem, ingenium optimis litteris exornatum ostendit et parem temporibus animum contulit. Quo nomine omnium doctorum coetus, novo veluti spiritu in admiratione adsurgens, hominem splendidissime accepit atque amplissimis honoribus decoravit.

Utinam vero curis publicis vacuus, animi magnitudinem, humana despiciens, exhibuisset, et vir integrae naturae et nulla

in re nimius esse quam videri bonus maiusset!

Huic rex, maxima confidentia, educandum tradidit Carolum Navarrai, filium fratris, in spem regni succrescentem. In quo munere gerendo, se ita navum atque industrium egit, ut clarum nomen, opes, civitatem postremo conquereretur.

Plurimis editis operibus, in quibus effigiem animi sui reliquit, in pleraque eruditiorum collegia ultra fuit cooptatus. Atque adeo exspectationem, quam sui concitaverat, singulari consilio, lenitate, industria sustinuit.

Nec eius dicendi facultas in suis libris erat iejuna et arida, sed aspersa, ac distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, ut in sermonibus nunquam veterum sapientia a recentiorum doctrina seiungeretur. Amicos suos et peregrinos identidem carminibus hilarabat. Eius carmina tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantumque urbanitatis habent, ut pene Catulliano stylo scripta esse videantur.

Quemadmodum in lyricis exemplar sibi Catullum proposuit, ita in didascalicis videtur ad Vergilium rexpessisse:

*Fama ipsa assistens tumulo cum vestibus aureis
Ore ingens, ac voce ingens, ingentibus alis,
Per populos late ingenti mea nomina plausu,
Vulgabit, titulosque feret per saecula nostros,
Plaudentesque meis resonabunt laudibus aura:
VIVET ET EXTENTO CELEBER IOANNIS IN AEVO.*

Quod erat in votis; sed habent sua fata et nomen et fama virorum.

Ioannes Pontano miro sane ingenio poliens, et latinarum elegantiarum facile princeps, appellatus latinorum scriptorum aetatis suea longe nobilissimus, laudibus undique acceptus, et ubique digito ac voce gentium poeta salutatus, se se per ore virorum longe lateque volaturum esse sperabat. Iudicium vero posteritatis longe aliud fuit.

Ille enim quum magni spiritus esset poeta, et pleraque grandiori ore pronun-

tiaret, maiestatem quamdam carminibus suis conciliavit, ut aliquod ipsi nomen in aevum duraret. Sed frustra; namque brevi post tempore, privatus in obscurio, veluti posteritatis suae ignominiosus diu interfuit.

Rerum humanarum triste spectaculum!

Namque Neapolim obtinuerat atque regem egerat Carolus octavus, Gallorum rex; in maxima rerum perturbatione Ioannes Pontano, beneficiorum immemor, ad novam dominationem conversus, carminibus suis externum laudavit dominatorem eique ovans plausit atque arrisit. At Gallorum rex breviter in dedecus ruit, et antiqua Aragoniae Domus, incredibili Neapolitanorum laetitia, universis adclamantibus ordinibus, in pacatam Urbem triumphans invehitur.

Ad regem iterum advenientem et ipse Pontanus ominans accedere perfricata facie ausus est.

Absens carminibus, praesens voce et persona animum principis frusta flectere tentavit, et derisui cunctis et dedecori diu multumque Neapoli adhuc vixit, et ad longaevam proiectus senectutem omnibus obscurus occubuit.

Stylus eius elegantior atque ornator, ea forma est, quae aetatem Augusteam redoleat, at omnia opera, communi litterarum naufragio abrepta, late nunc desiderantur, nec lectorum manibus amplius teruntur.

Nomen eius tamen ad nos enatavit; et Franciscus De-Sanctis, clarissimus vir, qui memoria patrum enituit in scriptoribus iudicandis atque enucleandis, vix Ioannem Pontano inter *humanistas*, quos appellamus, composuit, atque in doctorum exemplum ponere haud dubitavit.

Sic ad nos languide pervenit et vix post quadrages annos vixisse hominem tot litteris imbutum cognovimus.

Quantum est in rebus inane!

DE CAPITIS TEGUMENTIS APUD ROMANOS¹

Non aliunde suam *Galero* appellationem quam a galeae forma quae situm testatur Festus. Id autem commune ei cum paucis capitum tegumentis fuit, quod e pelle fieret. Hoc pacto apud Maronem (*Aeneid.*, VII, 688):

*Spicula gestant
Bina manu, fulvoque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti.*

Usum is igitur, ut hinc eluet, levis armaturae militibus praebuit, quum reapse e velitari galea nihil admodum discreparit. Quod si eum alicubi Mercurio tributum compereris, ne dubites credere galerum ibi pro petaso positum, quum nomen ipsum; quin ita fieret, non obstiterit, quippe quod accipi latius aliquanto potuerit.

Sed et appellata *Galerus* vel *Galericulus* fuit fictitia coma, quam pellis humanis crinibus instructa formabat, et adhibere potissimum maiores illi solebant non solum, ut etiam nunc, ad calvitiem celandam, sed etiam ad personam dissimulandam. Quare Suetonius de Othoni (XII): « Galericulo – inquit – capitū propter raritatem capillorum adaptato et adnexo, ut nemo dignosceret ». Et de Nerone (XXVI): « Post crepusculum statim arrepto pileo vel galero, popinas inibat ». Quod ipsum referens Dio, illum ait, ut sese occultaret, *κόμαις περιθέροις*, hoc est comis circumpositis usum fuisse.

**

Fuerunt Flaminibus peculiares pilei attributi: *Apex*, *Tutulus* et *Albogalerus*.

Ad apicem quod attinet, erat id quidem eius praecipuum, ut in summo fixam haberet virgulam aliquantulo lanae circumligatam, quae proprie *apex* dicta, et ex qua

toti ipsi pileo nomen est inditum. Iuverit de eo audire Servium, sic ad X Aeneidos (270) verba facientem: « Dicitur apex virga, quae in summo pileo Flaminum lana circumducta, et filo colligata erat: unde etiam Flamines vocabantur. Hoc autem nomen a veteribus tractum est: apere enim veteres ritu Flaminum alligare dicebant: unde apicem dictum volunt ».

Huiuscemodi pileum Flaminibus, quum sacris operarentur, deponere fas non erat. Unde lux affunditur narrationi illi Valerii Maximi (I, 1, 4): « At Sulpitio inter sacrificandum apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit ». In primis vero Flamen Dialis non modo quum sacrum ficeret, sed quovis tempore sub dio esse sine apice non poterat, licet sub tecto illum ponere non vetaretur, uti refert Gellius (X, 15).

Idem porro Flaminum pileus, qui apex dictus, *tutulus* etiam nuncupatus fuit. Satis id constare videtur ex Festo, qui haec de eo eloquitur: « Tutulum quidam vocari aiunt pileum lanatum, forma metalii figuratum ». En quibus ille verbis tutulum describit, quibus non aptiora ad apicem deformandum adhibere potuisset; ut inde appareat, bina ea fuisse nomina idem plane significantia. Eodem quoque recidit, quod effert Varro (VI, L. L, 3): « Tutulati dicti sunt hi qui in sacrī capitibus¹ habere solent ut metam. Id tutulus appellatur ». Nimirum quum vox *tutulus* non secus atque *apex* prope fastigium illud e Flaminico, sed vero etiam Pontificio, pileo eminens denotaret, toti postea pileo significando aptata est. Universam autem nominis huius rationem, unde et res magis confirmatur enucleatam tradidit his dictis idem Varro (ibid.): « Tutulus appellatur ab eo, quod matres familias crines convolutos ad verticem capitū... dicunt tutulos, sive ab eo, quod tuendi causa capilli fiebant, sive ab eo, quod altissimum in

urbe quod est, ea res tutissima tutulus vocatur ».

Nota vero dignum in hoc genere illud est, pileum Flaminis Dialis peculiariter appellatione *albogalerum* audisse, ea scilicet de causa, quam Festus prodidit: « Fiebat enim ex hostia alba Iovi caesa ».

*

Ultimam hanc inter capitū oportenta sedem *cucullo* damus; qui a Graeca voce *κόκκυς*, galeam vel galerum denotante, appellationem videtur mutuatus. Fuit is quidem forma olim, quali etiam hodie, oblonga et acuminata. Peculiare quoque habuit, ut non caput modo, sed scapulas etiam velaret. Itaque ad imbrium frigorisque vim maxime valuit.

Non semper autem ille a veste fuit seinctus, sed et non raro ipsi adnexus, in primisque penulæ. Quare cucullata quoque saga exstiterit; quorum mentionem facit Columella (C. XI). Fuere haec autem nihil prorsus absimilia iis vestibus cucullo instructis, quas hac etiam aetate a nostris sive nautis sive pastoribus, sive praeterea aliis, gestari conspicimus. Eiusmodi porro saga *bardocuculli* simul, necnon *cuculli bardaci* (sive, ut alii sentiunt, *bardiaci*) vocata sunt, ea, quam potiorem credimus, de causa, quod Bardis, Galliae populis, originem praecipue suam deberent. Et sane e Gallicis oris eum amictum advehit suevisse, sat luculenter arguit Martialis (XIV, 128), in haec verba loquutus:

Gallia Santonicō vestit te bardocucullo.

Ad servos potissimum, infimaque notae homines cuculli pertinuerunt. Unde etiam arcessitur una reliquarum ratio, quare veteres monachi eos sibi adsciverint, non modo scilicet ut vel se a frigore tuerentur vel parvolorum simplicitatem habitu prae se ferrent, quippe quum puerorum quoque id tegmen aliquando fuerit; sed etiam ut vestium vilissima ad caducarum rerum contemptum utenda sumerent.

Verum iam apud Romanos non omnino unum servile atque abiectum genus, sed nonnunquam ingenuos simul, praesertim ad se occultandos, cucullis fuisse usos explorata res est.

S. A.

COMMUNIA VITAE

De salutandi modis.

Sicuti literarum notae et verborum sonus apud gentes omnes sunt, ita etiam salutatio; emicant enim haec omnia vel ab instinctu animi, vel ab instinctu intellectus, vel ab utrisque simul coniunctis; et dum necessarium quoddam est homini illa proferre, libertati subiicitur proferendi modus, propterea quod dum idem sentimus, diversa tamen et longe alia enunciare solemus. Itaque salutandi modos inter se si contuleris, non solum regionum, cultus, humanitatis, originis diversitatem populorum accipies, sed quae grata apud alios in salutatione congregata fuerunt, haec veluti ingrata detestataque penitus a salutandi ritu remota penes alios fuisse.

Quaenam ergo in salutando sententia singulis? Una quidem; ut non modo urbanum, sed benevolentissimum ostendamus in eos animum, quos salvere iubemus.

Quinam vero significandi atque ostendendi modi?... Iam in eo eram, ut dicerem vetus illud: « Quot capita, tot sententiae »; sed res a capite ad civitates primum, in quibus origo et fons gentis perspicitur; inde ad pagos et provincias, in quibus mores et soli caelique conditiones plerumque inspiciuntur; denique ad oppida; ne ad familias dicam, contrahenda res est.

In salutatione vero tum danda tum reddenda duplex emicat ordo rerum. Nam aut aliquid signis ostendimus, aut aliquid

¹ Cfr. fasc. mens. Octobris MCMXXVI.

Alii legunt « apicibus ».

sermone elicus. In iis quae dicimus, unum prae ceteris elucet, nempe ut valeamus, ut salvi simus, incolumes, florentes, beati, ut multos per annos ea felicitate, quae placet, utamur, ut in bonum quaeque cadant, et bene vertant. At salutatio quae signis fit, quaeque proinde idem deberet ostendere, – nam signum et gestus sunt quodammodo aut verbi, aut cogitationis contracta manifestatio, quae ideo vehementior est quo brevior, – etsi eadem ferat, eadem tradat intelligenda, quae verbis experientur faustissimis, quasi lacus, qui plures effundatur in fluvios per diversa et opposita dilabentes, ridicula modo fert quae aliis gravia; modo moventia stomachum, quae aliis delicatissima videantur; modo foeda, quae digna et politiora ab aliis existimentur.

Ecquid vero, quaeso, est illud puerulis infantibusque paene commune, quo vel digredientem, vel intuentem, vel adeuentem carissimum et arridentem salutant porrecto brachio, porrectis digitis, supinatum manu, digitisque ita motis, ut porrecti, non plicati, in palmarum veniant, idque quo citius possint ingeminent? Id vero minime ad hortatum, ut quis accedat, converti potest; nam quem precamur aut hortamur, aut iubemus accedere, non hoc gestu, sed fere contrario invitamus; non enim extendimus brachium, sed aliquantis per contrahimus, palmam non supinamus in caelum, sed in terram; idem autem est digitis porrectis motus atque plicatis. Quid est igitur hoc, ut caelo digitis manusque salutantium pateant, terram invitantium dacti manusque respiciant? In adventantem exspectatum, iucundissimum, cuius desiderio perimus, occurrimus porrectis ulnis, protensis brachiis, quasi animo accepturi, quasi optantes ut pectori nostro inseratur adveniens, meditantes amplexus et oscula, quae postea misceamus. Quid est hoc salutationis genus, quo nihil urbanius apud nos, nihil dulcius, quo non

parentes in liberos, non avi et abavi in nepotes careant, quo amici fruantur, quo inimici deposita odia iramque testentur, quo concordia, quo foedera fidesque firmantur, quo venerationem, obsequium vel vita functis ostendimus, quo imaginibus, simulacris, exiguis denique, si qua ex illis supersint, quid alto sentiamus animo tum absentibus, tum praesentibus, tum nobis, tum reliquis et volumus et intelligimus significatum? Quid est hoc salutationis genus, quod neque ingratum Manibus, neque Numini ipsi, Superisque, qui in gloria sempiterna sunt, credimus non invisum?

Hinc ego credo altius aliquid esse in salutationis instinctu, quod longe praetergrediatur illa dogmata a nonnullis recens inducta, qui in rem scrutandam incubuerunt. Qui quidem salutationem bifariam dividentes, nempe in eam, quae attactu gaudet, et in eam, quae attactu careat, illud constituunt, nos ideo salutare, ut aliquod gratum salutatis faciamus, in salutatis excitemus. Optime vero; at obstat nos eodem prorsus munere a salutatis reppendi, nec minus dare, quam ab iis accipere. Numquid qui salutat, ideo salutat quia delectari desiderat? Unusquisque se iudice rem facile expediat.

Relictis itaque atque amandatis iis, quae minime rationi factisque respondent, et rei causam dum querunt, sensus in locum animi subdunt, dignum sapiente credimus ea potius notare signa, quae et salutationis et benevolentiae manifestationem praebant.

In insulis, quae Marianna nuncupantur, maximum ostenditur obsequium et benevolentia maxima, si viri, si personae cuiusvis, ad quam salutaturi accedunt, abdomen levi vellicatione confricent. In regione Nova Guinea, Koiarii populi pro salutatione habent si collo dent circa brachium, mentoque blandiantur manu. In Zambesi fluminis litoraneis ripuariisque regionibus salutem dicit amico qui apertas supinasque

eius manus apertis perculit palmis. Arabes, qui Petraea e regione sunt, salutationis modum habent, si qui genas ad amici genas adiungat, nullo tamen osculo, nullo amplexu. Ainoi, qui mutua diu consuetudine et aspectu caruerunt, ubi primum obvierint, caput in humerum amici inclinant, et qui senior ex duobus capiti amici inclinato manu blanditur, dein brachio, digitis denique quasi demulcens, nec tamen inter haec verbum aut exclamatio, prouti in quibusdam tribubus Canedensibus. Quis ignorat apud Esquimenses magnum salutationis decus esse in demulcenda barba tum accendentis, tum propria, idemque in peragendo quoad nasum? Apud Asiaticos, praesertim qui aequum incolunt, amplexus in more est. In amplexus taciturnos ruunt Australiani, et idem apud Bourkios ad Darling flumen. Biluchi vero longius rem trahunt, quippe primum vicissim humeris imponunt manus, tum plurima querere ritu, a quo nec decadere licet, circa valetudinem, domum, familiam, loca; quibus ubi rogatus satisficerit, eadem querit. Hisce absolutis, libero fas est uti inter amicos colloquio. Apud Latinas omnes gentes commune salutationis est indicium dare, iungere dextras, quo vel maiores nostri antiquitus utebantur ritu, idque erat tum amicitiae sponsio, tum salutatio. Unde Vergili illud

*... Mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, dextraeque adiungere dextram.*

Id porro et apud Massaios, et Wanikas, et Abos in Africa media, et ad Nigrum flumen habetur. Iungunt Angli mutuo dextras, at eas pariter quatunt, quasi dolore, si quis fuerit, signum fidei ponatur. Papuasiae incolae digitos uncant dextrae manus, iisque, digitos laevae manus inserentes, quasi appendunt, quod idem signum mutis commune est, si quando nup-

tias, concordiam, pacem foedusque percussum voluerint indicare. Sinenses et Iaponenses, delicatissimi, simulant manuum coniunctionem, non attingunt, priusque excutiunt. Sunt qui pro salutatione genuflectunt; sunt qui unguis leviter fricant palmas; sunt qui has naso scruntur, quasi odorem quaerant; sunt qui multis vellicationibus pectora, humerosque et brachia mulcent. Sunt denique qui et oscula miscent et amplexus; apud quosdam ad genas, apud quosdam in fronte, apud quosdam ad labia, quasi in os amici spiritum effundant suum, et spiritu amici aspiratione potiantur.

Obsequium grande est manus deosculari, quod nos et viris auctoritate gravissimis, et matronis, et parentibus nostris solemus loco salutationis praebere.

Quae tamen omnia difficile dictu est, undenam emerserint; at semel in usu recepta perdurant.

P. A.

SINARUM REGIO

Sinarum motus bellumque civile commentarios passim ac diaria iterum occupant; non absonum itaque neque inutile putavi Sinarum regionis descriptionem sub oculos *Almae Romae* lectorum ponere, idque verbis clarissimi illius Maffei, qui de Orientalibus iis regionibus non sine venustate atque elegantia latine scripsit.

Sinarum regio – ita noster –, quam hodie *Cinam* vulgus appellat, ultima terrarum Asiae, ab Oriente et a meridie altuitur Oceano, quem Sericum vel Eoum prisci dixerunt: ab occidente Indiam ulteriorem attingit; a septentrione cingitur Massagetarum Scytharumque limitibus. Multo latius quandam imperasse gentem, annales ipsorum, ac litterae et veterum aedificiorum illustria monumenta, et complu-

res, in India praesertim, ab iis denominatae nationes, haud obscure testantur. Sed quum sua ipsi mole viribusque fatigarentur – (quod a Carthaginiensibus in re simili factum legimus), – sponte misso veluti sanguine et castigata luxuria, intra hosce fines recepero sese, gravi proposito edicto, ne quis iniussu magistratum excederet.

Tellus, maxima ex parte, intra tempestate plaga terminos continetur radiosque solis suapte natura vitales puro ac patenti excipit sinu; sic fit, ut saluberrimo caelo et purioris aurae dulcedine perfruatur, ac simul inclytae fertilitatis gleba, frugum omnis generis fundat copiam biferō triferoque proventu. Accedit ad eximiam soli foecunditatem summa cultorum industria. Et infinita est multitudo; neque in tanta mortalium turba cessare cuiquam licet: non privato dedecore tantum et proximi cuiusque probris et iurgiis; verum etiam publicis moribus legibusque desidia plectitur. Itaque rustici homines nullam agri partem incuria squalere patiuntur. Saltus et colles pinu vitibusque; campi et planities oryza, hordeo, frumento ceterisque segetibus nitent. Quamquam e vītibus more nostro non exprimunt merum; uvas quodam condimenti genere in hiemem asservare mos est; ceterum ex herba quadam expressus liquor admodum salutaris, nomine *Chia*, calidus hauritur; cuius maxime beneficio, pituitam, gravēdinem, lippitudinem nesciunt, vitamque bene longam sine ullo ferme languore traducunt; oleis alicubi carent, sed earum vice non desunt plantae, quae humorem unctui praebeant.

Pascua sunt etiam gregibus alendis uberrima; et in hortis egregie cultis cum alia nostri orbis poma, tum sapidissimos melopeones, suavissima at optima pruna ficusque, et medica citreaque variae formae ac saporis, apprime generosa mala conspicias. Ad haec, perspicui fontes, et miro colorum decore odorumque fragran-

tia flores ac rosae perennant. Flumina vero, quae magnas quoque patientur naves, piscosa et amoena viridissimo riparum vestitu, pinguibus arvis interfluent. Quin, et ora maritima pluribus introrsum aestuariis ad omnium rerum copiam invehendam evehendamque, facili patet accessu.

Ingentem praeterea volucrum et feraum vim, ad aucupium ac venatum, paludes, luci saltusque suppeditant. Metalla auri, et argenti, et ferri probatissimi, et alia incolae effodiunt. Margaritas, et praecipuae nobilitatis vasa fictilia, pretiosas pelles ad frigus arcendum, itemque gossipii, lini, lanae, bombycisque et serici fila, vestemque omnis generis mittunt innumerabilem. Sacchari, et mellis, rhabarbari, camphorae, minii glastique tingendis vestibus expetiti, proventus ingens; odoramentis cum aliis abundant, tum maxime musco – (cuius nullam apud Latinos Graecosve scriptores mentionem invenio) – feris quibusdam, vulpecularum effigie, crebro verbere enectis, dein putrefactis.

Denique nihil aliunde, non ad victimum modo cultumque, sed ne ad delicias quidem ac voluptates requirunt; ac proinde nulla sub sole gens est, apud quam aliarum gentium opes aequē consistant, quippe vendentibus cuncta Sinis, nihil invicem redimentibus, nisi forte in usum tectorii cuiusdam odorati piper ex India. Neque erat externo commercio locus; ni Sinam infinita quaedam teneret argenti cupiditas. Id praferunt auro, et cum indidem effossum, tum e remotis regionibus illatum, avidissime accumulant.

Iam de aedificiis, privatisque ac publicis operibus explicare infinitum sit. Urbes praecipuae magnitudinis celebrant ferme ducentas: inferioris autem ordinis longe plurimas. Porro castella et pagi, quorum nonnulli tribus familiarum millibus incoluntur; vicique passim ita multi sese offerunt, ut summa iniri vix possit. Sunt autem egregio situ plerique: scatent aquis pro-

cerā circumdati silva; ex qua turritae prae-divitum aratorum eminent domus. Porro, dispersae in aestivos maxime secessus nobilium villae, opere imprimis eleganti, vel ad opacas omnium ripas garrulos avium concentus et fugientis aquae lene murmur excipiunt, vel e montium iugis verticibusque, subiectos vallum anfractus, et vasta maris ac terrarum spatia, longe lateque despectant.

ANON.

EX ITALIS URBIBUS

Roboretanum recens museum.

Haud indecorum est hoc museum, quod apud Tridentum, hac nostra aetate, post immane bellum instructum fuit. Id vero est omnino potius consilio adsignandum aliquot civium, qui sua industria atque impensis, praeter omnium opinionem, imo omnibus posthabitatis obstaculis, in incepto insistentes, perficiendum curarunt. Namque in gravi atque celebri Castro, quod ipsi *Vallarsa* adiutu imminet, positum est, atque adeo dignissimum, quod universis Italiam in exemplum fulgeat.

In castri cavaedio, adsunt diversimode ballistae ac bellica tormenta, quae gloriam et idem perniciem testantur; multa enim Germanorum copias in mentem revocant eorumque supremum ducem Hindenburg, quem primum est bellum inductum in acie Tridentina, labente anno MCMXV. Milites, clavum in galea ferentes, huc illuc versantur; et demum sub arcu, reticulato exornatum, hic in aevum mansurum Francisci Iosephi imperatoris carpentum.

Nihil est periculosius in hominibus mutata fortuna. Scribete:

*Omnia sunt hominum tenui pendentia fila,
Et subito casu quae valvare ruunt!*

Primum Conclave est omne Italo pediti dicatum;

Absit vero omnis indignatio. Signa italicici exercitus sunt in arculis mirum in modum vitreis exornatis; omniaque cohortium numismata, quae virtutem pugnantium decorare consueverunt, vel illa quae uno nomine *aurea numismata* appellantur. Hic militares exercitationes cernuntur, et mortis multa instrumenta, et demum memorabile decus, quod *militi ignoto* dicendum esse in primis creditum est.

Huic conclavi titulus sic optime ponatur, ut maiorum fortitudinem meritis laudibus exornemus:

«Fōrtis et constantis animi est non perturbari in rebus asperis». Sic Tullius in libro *de Officiis*, I, 80.

Quoties enim, postquam res Romanorum cecidit, ut se ab externo dominatu patres nostri in libertatem vindicarent, arma suscepserunt, exilia sunt paſsi, carceres et supplicia sustinuerunt! Quot virtutum exempla, mansuetudinis itemque clementiae! In hoc conclavi,

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent!

At sine ira et studio seribenda est historia; scribitur enim ad narrandum et non improbandum...

At e contra hic congeritur quidquid sapientiores inquisiverunt per chymica inventa in hominum perniciem, quique per fas et per nefas, citra omnem humanitatem, mens humana invexit ad hostium necem procurandam.

Sed ut laudem suam Italorum militum virtus habitura sit, sunt ibi militum nomina, sunt et arma eorumque memoria, qui ad caesorum vulnera lenienda in primis adcurrerunt, et qui lenitate et fortidine, omnia asperrima passi, in suorum complexu diem supremum obierunt.

Dolendum sane, quod et post funera tanta in animis ira permaneat! Namque plurima hic atque illic in scriniis prostant, atque in aevum manebunt quae teterima, inhumano utique suasu, hostes in

Italorum praesertim necem invexerunt, eo unice consilio, ut crudeliter in aciem irruentes acrius adversarios torquerent ac ferocius interficerent.

Velim ut Itali haec turpia tegerent silentio, et venia, quae Christianorum potissimum animos addecet. Sic adversarios docerent, non iniuriis se se et post mortem mutuo obruere, sed omnium aerumnas magnanime parcendo fovere, tandem aliquando oblivisci.

Hoc nempe dignum Italorum esse autum, hoc et adversariis!

SENIOR.

Quo modo Athenaei Catholici Mediolanensis alumni Sinenses Episcopos sint allocuti die III mens. Decembris MCMXXVI.

«Excellentissimos Sacrorum Antistites maximeque colendos in Sinarum imperio salvere iubemus.

Quod et quantum gaudium hodie oculis et cordibus nostris effunditur!

Coram enim intuemur Sericae terrae Sacerdotes, episcopali dignitate, Romae, nuper, Pontificis Maximi opera, nondum praeterito Anno Sancto, insignitos, eosdemque ex illa amotissima regione missos, qui cum nobis catholicorum Sericorum rationem quandam atque inclinationem communicent.

Hic maximus conventus omnium, qui in hoc Catholicorum Athenaeo ad humanitatis studia veritatisque doctrinas in vitae usum tradendas atque accipiendas incumbunt, hic mirus omnium consensus, quo, superato maximorum itinerum intervallo, in Christo fratres nos omnes esse sentimus, hoc ipsum quod nos latine vos alloquimur, amplissima sunt nobis documenta doctrinae eius vivacis et vere Romanae, id est universae, quae a Christo Iesu instituta est atque fundata.

Itaque et nos, huius in dies clarioris Athenaei alumni, qui Christi vestigia insequi, quique alios docere volumus, quantum morum sanctitati sit studendum, memoria tenemus illud S. Francisci Xaverii, qui, olim, interrogantibus maioribus vestris cur Deus cum omnes alias gentes sacravero ablui voluisse, eos, contra, oblivione obruisset, qua re sese esse aeterna morte multatos, respondit naturae legem animis quoque eorum divinitus insitam atque innatam si servare vellent, eos quoque aeternam caeli vitam esse consecuturos.

At nunc non modo naturam ducem omnes cuiuslibet rationis sequi possumus, sed iam Evangelii Doctrina longe lateque manans, per Christi legatos, omnium mentes animosque, clarissima luce, collustrat.

Nunquam in posterum huius diei memoria excidere poterit; et, si votum nobis nuncupare licet, vos, viri excellentissimi, etiam atque etiam rogamus ut cum in Catholicorum Sericorum Athenaeum et Ephebaea perveneritis, discipulis illis iisdemque sodalibus nostris multam salutem impertiamini.

Utinam illucescat aliquando dies, qua, ut pictor in tabula his parietibus haerente effinxit atque expressit, omnes nationes undique, ad restinguendam - eheu, nimis diuturnam! - Veritatis sitim coniungantur, et, eodem spirante Dei afflato, iisdem faustissimis auspiciis, in veram tandem libertatem vindicati, ad id Cor confugiant, in quo omnes sunt thesauri Sapientiae et scientiae; itaque celerrime Christi regnum exoptatissimum adveniat!»

ALOYSIUS DE SANCTO.

■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■■
Haud quisquam honeste flere quod voluit potest.
Qui timide roget, docet negare.
Iniqua nunquam regna perpetuo manent.
Juvenile vitium est regere non posse impetum.

SENECA.

COLLOQUIA LATINA

Excursus in glaciem.¹

BERNARDUS, MODESTUS, DOMINICUS.

BERNARDUS. Etiamnum assides foco, Modeste?

MODESTUS. Scilicet, ita nunc fert anni tempestas.

BERN. Fateor, est frigus intensus atque horridum; verum alio modo quam ad ignem residendo, iuvenes calefieri decet, si quando premantur frigore.

MOD. Quo pacto igitur?

BERN. Appetamus invicem pilis niveis.

MOD. Nempe ut mihi oculum excutias, an mactes etiam, si capit is tempora impergeris.

BERN. Absit a me tantum flagitium!

MOD. Non de industria id facies, scio; sed ita cadet forte fortuna.

BERN. Lubricum ergo per glaciem agitamus cursum: toti ocius incaluerimus.

MOD. Aegre me eo pellicies hodie.

BERN. Quidni?

MOD. Timeo ut glacies sit satis firma.

BERN. Ne dubites; furens enim spirat ventus, quo facilime aqua constringitur.

MOD. Omnia dein vivaria nive obtecta sunt.

BERN. Venti dissiparunt nivem. Novi ubi pateat ampla planities: agedum, comitare me.

MOD. Quoniam tam amice instas, combabor. Sed muniamus manus chirothecis; alias obrigescent frigore.

BERN. Manus meae patientes sunt frigoris; tamen induam chirothecas.

MOD. Nostin' per glaciem discurrere calopodiis ferratis?

BERN. Velocissime: dextrorum, sinistrorum, recta, oblique, in circulum; nunc utroque pede, nunc altero tantum.

¹ EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

Mod. Tiro admodum in hac ego sum arte, nec adeo satis audax, ut incedam per glaciem; metuo ne glacies mihi fallat vestigia.

BERN. Cur non tibi comparas calceos soleis clavatis? Quantumcumque sit glacies lubrica, inambulabis tutissime.

Mod. Atque ecce obvium commode habemus Dominicum. Is se nobis adiungeret tertium. Salve, Dominice.

DOMINICUS. Et vos tantundem.

MOD. Credo te glacie domum reverti.

DOM. Glaciem ego descendere nunquam soleo. Vereor ne mihi cadendo cerebrum diminuam, et brachia frangam vel crus, aut luxem aliquod membrum.

BERN. Nimium es meticulosus.

DOM. Non temere est quod ita metuam. Modo praeterivi vivarium, quod in proximo est; aliquos gravissime labentes conspexi de ripa; adeo, inquam, graviter, ut glacies crepitaret atque in formiam stellae rimas ageret. Malo me in atrio nostro calefacere flagellis agitando trochum.

BERN. At nos excursu in glaciem. Vale.

ANNALES

Sinense bellum civile.

Sinense bellum civile primum locum in universi orbis politicis eventibus iterum occupat: praesertim quum, in magna illa rerum hominumque perturbatione, commercia non solum, sed ipsam exterorum civium vitam in discrimen adducatur. Quum autem Angliam id proprius attingat, ipsa fuit autrix ut ad tutanda exterorum iura interventurae ceterae nationes eo consilio essent, ut tum Canton, tum Pekini, gubernia recognoscerent. Incoepit vero infelix evasit: facile namque persuasum omnes habuere, Sinenses bina gubernia amplius nolle: utri igitur cum fructu ac-

cedendum? Nonne graves iam et cruenta conflictatio augeretur?... Prudentior itaque sententia pluribus visa est ab internis illius populi negotiis sese expedire, atque intra fines iustae suorum defensionis se continere.

Interim Belgarum administri concesiones, Belgio a Pekinensi gubernio olim factas ad Tien-Tsin, remittit, et Angli terrestres atque navales copias Shangai et Hong-Kong aggerunt.

Ex Americis.

In Nicaraguana republica fuit pariter bellum adhuc, eoque Civitates Septentrionalis Americae Foederatae milites suos mittere pergunt, pro nihilo habentes Mexicanas denuntiationes; imo Mexicanum gubernium accusantes, quippe quod seditionem moverit; quum id-prouti alias notavimus-vicissim Status illos quasi rapacitatis insimulat; quin etiam, utpote cum ipsis concordis, nomen defert totius Americae Latinae. Ex recentibus vero nunciis compemus discrimen fortasse arbitrorum iudicio iri adductum.

Ceterum Calles illi Mexicanae reipublicae praesidi in ipsa domo attente satis est cavendum. Rebelles enim illic etiam orti in armis contra eum sunt; quorum, falsa quidem sub specie, ultiōnem, - strenue profecto! - ipse sumere videtur magis magisque in Catholicos cuiusvis ordinis atque aetatis saeviendo: eos enim in vincula et ad ipsa supplicia, nulla adhibita aequi iudicii forma, trahit, bonis spoliat, ad fugam adgit...

Ex Gallia.

Laudabili utriusque partis voluntate, Lutetiae Parisiorum Gallici hinc, indeque Germanici administri in conditiones tandem convenere de Germanorum munimentis ad orientales fines, deque rebus

exportandis, quae ad bellicum usum adhiberi possint.

Foedus quoque ictum est inter Galliam et Rumeniam, quod tamen nonnullis non satis Societatis Nationum animo respondens apparuit. Russiae praesertim indignationem movit, quum vidisset ab iisdem pactionibus Besserabiae imperium Rumaniae recognitum.

Regia funera.

Annorum gravis, diem tandem obiit supremum requiemque nacta est infelix illa Carola, Maximiliani, quondam Mexicanorum Imperatoris, vidua; quae a nefaria mariti nece, quae facta est Queretaro in urbe anno MDCCCLXVII, misere despuerat.

POPLOCOLA.

VARIA

Sapiens militis cuiusdam responsum.¹

Nunquam satis admirari poterimus prudens responsum, quod Carolo V imperatori fertur dedisse olim miles quidam, non minus rei militaris peritus, quam integris moribus praeditus et christianarum virtutum studiosus. Qui quum sub principe suo diu meruisset, militiae pertaesus, tum quod aetate esset proiecta, tum quod animae saluti sedulo in posterum prospicere constituisset, ad eum progressus missiōnem ab illo efflagitavit. Imperator, qui hunc militem magni faciebat, quum eum corpore validum vidisset, et militaribus laboribus ferendis adhuc parem, non illico eius postulationi annuit, sed ab eo petit cur aetate, qua magnos sibi honores et

¹ Ex Italicis scriptis A. SEGNERI.

magnifica praemia comparare posset, militiae valedicere vellet: - « Rex, - respondit prudens ille miles - inter negotia terrestria, quae parvi sunt habenda, et mortem, quae serius ocius fortissimos quosque viros corripit, nonnihil temporis interpolendum, ne haec subita adsit, eiusque adventu trepidemus, uti solent qui mature rebus suis non consultant. »

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Puls ex oryzae polline cum pisis.
Locustae marinæ isicum, cammaris fungisque saeptum.
Bos in trulla ustulatus, iure concreto amictus.
Cynaruli scolymi, ovorum instinctu conditi.
Gelida spongiosa sorbitio ex fabis arabis.
Ofellae.
Poma recentia. - Caseus.*

**

Iocosa.

TUCCUS in schola:

MAGISTER: - Agedum, Tucci, numeraria corpora caelestia, proximiorem quae cum nostra terra rationem habeant.

TUCCUS: - Monoplana, biplana navesque per aërem dirigibles.

In Bacchanalibus TUCCUS vestem mutavit personamque induit. Patruo in via occurrentis, ridiculis blanditiis eum interrogat:

— O patruo, me internoscere vales?
— Ecquid dubii? TUCCUS es, nepos meus!
— Eia! Ut tibi in mentem venit?

Aenigmata.

I

Vox eadem Hyblaeam volucrem signoqe [nigrantem,
Nili potores quem coluere bovem.

II

Syllaba prima mihi longa est, correpta se- [cunda?

Roboreus stipes sto bene fixus humi. Cor-
repta prima, produc mihi posteriorem:
Sum stagnum; ripis nutat harundo meis.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) Bipennis; 2) Fames.

Libera a pittaciis responsa.

COLL.... BR...., Oderzo. - Pretium annuae subnotationis in Italia est libell. 15.

Cl. v. M. DES...., Conflans Ste Honorine -
Pretium annuae subnotationis extra Italianam
est, pro Europa, summa Italicas libellas 30
exaequans.

Rev. W. D. MUCK., Toronto. - Quam
misisti iam a pluribus mensibus syngrapham,
Romae exigere nequivimus. Quod si eam
Mediolanum mitteremus, expensae prope
aequarent pretium eius. Quid igitur erit nobis
agendum?

Cl. v. IO.... FRAT..., Laureti in Piceno. -
Ad proximum numerum.

Cl. v. Ios.... MOND...., Catanzaro. - Cu-
rabimus ut optatis tuis satisficiamus.

SEM.... ad Trois Rivières. - Et hoc anno
subnotationis pretium a te missum constituto
pretio inferioris evasit!

VIRI DUO ILLI, EX ANGLIA, qui subnota-
tionis pretium per publici diribitorii num-
mariam chartulam miserunt, velint nomen et
domicilium suum, illegibilia prorsus, manifesto
indicare. Quomodo, ex adverso, iis more
genere nobis licebit?

A SECRETIS.

PANCRATIUS

[21]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit Andr. Haberl)

CAI. (*eum amplexans*): Mi fili, caelum intuens ne desperaveris!

PANCR. Quam libenter ego, Domine, vitam pro te funderem! Sed ut tu volueris fiat.

TERT. Iam abducite noxium in Saurion! (*Milites cum Pancratio ad sinistram se vertunt*).

SCENA III.

Accedit TORQUATUS, postea AGELLUS. Qua via Pancratius abducitur, accurrit Torquatus, et perturbatissimus ad pontificis se abicit pedes. Pancratius gestu invitat comites, ut remaneant.

TORQUATUS. Misereat te, pater, da veniam!

CAI. Torquate!

QUIDAM. Quis est? Infelix ille?

TORQ. Da veniam! Hos inferorum cruciatus non feram diutius. Heu me miseruin! Qualem ego rursus peragebam noctem! Sed mecum etiam de lecto surrexerunt furiae. (*Horre-scens*). Ah! Me tutamini! Ecce illic! Accedit! Abi, abi, inquam. (*Se abscondit in Caii brachii*).

CAI. Tranquillo es iam animo, miserrime fili!

TORQ. Da veniam! Horrendas persolvi poenas. Postremum me suscipe tuorum servorum, Domine; nam indignus sum, qui posthac vocer filius.

CAI. (*eum erigens*): Filius meus iniquis viis perierat, sed revertit. Deo gratias!

TORQ. Ah! Diemque noctemque tamquam aculeis compungebar sceleris conscientia! Erro in montibus, discurro per ripam Tiberis; sed undique audire video Iudam; Iudam non cessat pectus reddere. Stratus humi perturbor, lacrimor, luctor; Deum, ut sit propitius, obtestor. Postremo vox me indesinenter sic monet: Ad iudicium, ubi stant fratres,

curre; illic te accusa! (*Ante praefectum*): Hic adsto facti poenitens. Tuas contra me, praefecte, mitte bestias! Ut hi, et ego Christianus sum: fac martyrii me participem! Carnifices, catenas date!

TERT. Tu ergo is Torquatus es, qui nobis monstravisti Christianorum vestigia?

TORQ. Proh, sancte Deus! is ego sum. Praecipitavi fratres in interitum, vobis ignavus factus sum et contemnendus. Me in illa nocte quam nunc devoveo, adeo destitutum fuisse peccati odio et mente sana, ut non resisterem Corvino malo daemoni, auctori nefandi sceleris!

TERT. (*excandescens*): Vos abite diericti; nam sors eadem, quae te absumet, absumet meum filium.

TORQ. In quam tu id dicis sententiam?

TERT. Corvinus mortem inveniet tuae similem.

TORQ. Ergo Deus eum iudicavit.

TERT. (*fusce*): Post triduum vestra culpa ego orbus ero liberis!

QUIDAM. Nostra culpa?

ALII. Emas.

ALII. Nullo pacto!

TERT. Vestra culpa ille poenam capitum commeruit. Caesar ediderat decretum suum, quod toti populo edicere Corvino praeceptum erat, meo filio. Valde gavisus is nocte affigit in foro litteras. (*Commoto animo*) Tum quidam ex vestro numero decretum abstulit. Defertur brevi ad palatium turpem in modum lusum esse Caesarem. Quid plura? Corvinus aut investigabit, qui hoc fecerit, aut si id die tertio non potuerit, rem luet capite (*Signa horroris; Ille dolens*): nequedum quidquam comperit.

(*Ad proximum numerum*).

[21]

(aberl)

*fectum): Hic
ra me, pree-
Christianus
! Carnifices,*

*s, qui nobis
gia?*

*o sum. Prae-
ois ignavus
n illa nocte
utum fuisse
r resisterem
efandi sce-*

*te dierecti;
et, absumet*

tentiam?

iet tuae si-

it.


estra culpa

*am capitis
um suum,
raecepit
octe affigit
Tum qui-
abstulit.
in modum
Corvinus
ut si id die
te (*Signa*
quidquam*

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius. Actio dramatica. – Venit lib. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
premium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-
lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI,
paucorum exemplarium quae supersunt premium constituimus libella-
rum 300 pro Italia; premium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim premium positum est, non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

CAELESTES VIRTUTES IN SUMMO MANZONII OPERE¹

Anno vertente, primum complebitur saeculum ab illo faustissimo die, quo Alexander Manzoni primo in lucem edidit immortale opus, quod «Sponsi» (*I Promessi Sposi*) inscribitur.

Cuius vero fama, inter disceptationes ab initio orta, deinceps longe lateque diffusa, praesertim quum nitido Florentiae sermone fuerit oratio expolita atque ornata, adeo magis magisque crevit in dies, ut per universum iam discurrerit orbem, et, adversariorum tenebris omnium dissipatis, usque ad perfectam diem nunc pervenerit.

De tanto autem libro, quem omnes quidem a pueris cognoscere et admirari didicimus, plurima profecto scripta fuerunt ab iis maxime, qui sunt litteris eruditi atque versati. Attamen omnes fere operis inquisitiones spectare videntur sive genus dicendi exquisitum, sive personarum veritatem sibi semper constantium, vel per-

spicuas de iis, quae sunt in rerum natura, descriptiones, et alia huiusmodi. Nec mirandum: studiosi enim artium ingenuarum agnoscunt librum esse in primis insigne documentum et exemplar sermonis nostri praeclarissimum. Raro igitur pleno lumine collocatum videmus finem praecipuum, quem sibi proposuerit luculentus scriptor Mediolanensis.

Quamquam quis ignorat auctorem ipsum, superiora tempora in memoriam revocantem, voluisse venustatem seligere elocutionis, eandemque urbanitate, lepore ac suavitate condire, ut iucunda simul et acerrima exstaret defensio illius religionis, quae laetam faceret nostram iuventutem? Nonne summa totius operis vel singulae partes, immo omnes fere paginae, et lineae, et locutiones summa industria elaboratae, verbaque ipsa inter cetera delecta et sapienter disposita, penitus permeata videntur atque funditus imbuta vivido ac flagranti evangelico sentiendi modo et ratione?

Itaque, hodierna celebrata die, maxime iuvat nos de tali opere aliquid attingere, quo magis eluceat caelestes virtutes ipsas, fidem, spem et caritatem, quibus hominis naturam decorare et augere Deus voluerit, non modo esse perpetuae salutis principium, sed uberrimum quoque fontem excellentissimae et dulcissimae artis.

¹ Oratio habita studiis auspicandi apud scholas Pontificii Seminarii Romani Maioris. - Ad exterorum commentarii nostri sociorum intelligentiam, textus Italis italicice traditus, nos in latinum sermonem convertimus.

**

Equidem inquirentibus nobis primo de fidei virtute, nulla expectanda est definitio; nam in summo opere Langobardi non tantum doctrina seu praceptis ulla virtus continetur, sed in actu potius repreäsentatur; et ita in cuncta sua efficientia et pulchritudine facile perspicitur.

Quaedam igitur inducuntur personae, quae ex fide vivunt et officia sua recte persolvunt. In his quidem numeratur in primis pater ille Christophorus, eiusque fidelis alumna Lucia virgo, in lege Domini perfecte planeque erudita.

Etenim quem improbi domini Ruderici persecutio minasque Laurentius cognovisset, atque ira graviter exardescens illa verba prorupisset: *Questa è l'ultima che fa quell'assassino!*¹ Lucia vero exclamavit: *No, no, per amor del cielo! Il Signore c'è anche per i poveri; e come volete che ci aiuti, se facciamo del male?* (Cap. III).²

Item, ubi eiusdem crudelis vexatoris domum se contulit pater Christophorus, stans in ipso cubili ferae, quam ipse mansuetacere conatur, domino scelerato suum arbitrium confirmanti ita suppliciter instat: *Non s'ostini a negare una giustizia così facile, e così dovuta a de' poverelli. Pensi che Dio ha sempre gli occhi sopra di loro; e che le loro grida, i loro gemiti sono ascoltati lassù.* (Cap. VI).³

Deinde, pertinaci eius animo prorsus patesfacto, idem vehementer clamitat: *Ho compassione di questa casa: la maledizione le sta sopra sospesa. State a vedere*

¹ « Equidem hoc est latronis illius ultimum facinus! »

² « Absit, absit, amore Dei! Et pro pauperibus Deus est. Ut illi nos adiuvet, quum malum patraverimus? »

³ « Ne animo obstines negans tam facilem tamque debitam pauperibus iustitiam. In mentem revoca, Dei oculos in eorum vultu habitare, eorumque clamores, eorumque gemitus in caelis audiri ».

che la giustizia di Dio avrà riguardo a quattro pietre, e soggezione di quattro sgherri... (Ibid.).⁴

En fides intrepida! Adversante fortuna, non frangitur, sed corroboratur. Omni enim tempestate Dei manus agnoscitur, iuxta versus pervulgatos nostri eiusdem auctoris:⁵

*Il Dio che atterra e suscita,
Che affanna e che consola,*⁶

qui respondent sane verbis Tobiae cum Domino colloquentis: « Quoniam tu flagellas et salvas, - deducis ad inferos et reducis (Tob., XIII, 2).

De hac autem impavida virtute aliud exstat perspicuum exemplum ipsius Dei ministri. Quum enim mulieres et Laurentium, patria profugos, ecclesia sui monasterii ille pater benigne recepisset, debitis Deo gratiis persolutis: *Dopo ciò - inquit - vedete bene, figliuoli miei, che questo paese non è sicuro per voi. È il vostro; ci siete nati; non avete fatto male a nessuno; ma Dio vuol così. È una prova, figliuoli: sopportatela con pazienza, con fiducia, senza odio, e state sicuri che verrà un tempo in cui vi troverete contenti di ciò che ora accade* (Cap. VIII).⁷

Tantam vim possidet divina fides leniendi dolores et anxia corda recreandis. Et equidem meministis, auditores, in ipsa pestilentiae descriptione inter tot horrendas malorum tenebras radium fidei repente fulgere.

¹ « Hanc domum misereor: ei caelestes irae imminent. Num Dei iustitia paucis lapidibus parcer, paucos machaerophoros timebit? »

² In carmine inscripto *Il cinque maggio*.

³ « Deus prosternens et suscitans, crucians et soliacum afferens. »

⁴ « Hinc plane perspicite, o filii, terram hanc non esse vobis tutam. Vestra est; in ea ortum duxistis; nemini dampnum intulisti: haec tamen voluntas Dei est. Probatio est, o filii; eam cum patientia, cum fide, sine odio perferatis, ac pro certo habeatis tempus adventurum, in quo sane gaudebitis quod haec accident. »

Urbs tota gravi peste conflictabatur; contagio vulgabat morbos, civitas assiduis exhausta funeribus: passim lugubrae dominus; ubique luctus, ubique silentium. Et tamen: *All'alba, a mezzogiorno, a sera, una campana del duomo dava il segno di recitar certe preci assegnate dall'arcivescovo: a quel tocco rispondevan le campane dell'altre chiese; ed allora avreste veduto persone affacciarsi alle finestre, a pregare in comune; avreste sentito un bisbiglio di voci e di gemiti, che spirava una tristeza mista pure di qualche conforto* (Cap. XXXIV).⁸

Quod si fides minuit dolorem in rebus adversis, maxima solet gaudia comparare, quum, iam dudum amissa, aliquando recuperetur. Quis unquam vero, absque animi commotione, eum legit narrationis locum, ubi bonus pastor Fridericus ovem quae perierat complectitur?

L'innominato, sciogliendosi da quel labbraccio, si coprì di nuovo gli occhi con una mano, e, alzando insieme la faccia, esclamò: « Dio veramente grande! Dio veramente buono! io mi conosco ora, comprendo chi sono; le mie iniquità mi stanno davanti; ho ribrezzo di me stesso; eppure!... eppure provo un refrigerio, una gioia, sì, una gioia, quale non ho provata mai in tutta questa mia orribile vita! (Cap. XXIII).⁹

¹ Prima luce, meridie, sub vesperum templi maximis aës campanum signum dabat nonnullas preces recitandi, ab archiepiscopo statutas; signo illi ceterorum templorum aëra respondebant; tum alium aliis e fenestris offerri ad communis preces effundendas; vocum gemitumque susurrum audiri, tristitiam spantem, cum aliquo tamen solacio permixtam. »

² « Vir ille sine nomine, illo complexu sese relaxans, manu iterum oculos contexit, simulque vultum attollens: - Deus vere magnus! - clamavit - Deus vere bonus! Nunc tantum me cognosco; qui sim intellego: iniquitates meae sunt coram; mei ipsius inhorreo; attamen... attamen levamen sentio, et gaudium; gaudium, inquam, quod nunquam expertus fueram in omni hac vita mea horribili. »

Huic insigni mutationi alia convenit mutatio celeberrima, ab eodem scriptore in carmine notissimo decantata, quod inscribitur *Il Cinque Maggio*. Hic enim poëta noster erumpit in illas fidei laudes amplissimas:

*Bella immortal! benefica
Fede ai trionfi avveza!
Scrivi ancor questo, allegrati;
Chè più superba altezza
Al disonor del Golgota
Giammai non si chind.¹*

**

Deinceps, ut erat propositum, de spei virtute est dicendum. Quae quidem iam profecto continetur in locis iisdem, quos supra commémoravimus; sed alibi quoque luculentius ostenditur.

Ita, quum Laurentius omnem fiduciā in amicis suis frustra locatam habuisset, pater Christophorus iuveni frementi ait: *Buon per te che sei stato disingannato in tempo. Che tu andavi in cerca d'amici... quali amici!.... che non t'avrebbero potuto aiutare, neppur volendo! E cercavi di perder Quel solo che lo può e lo vuole! Non sai tu che Dio è l'amico dei tribolati, che confidano in Lui?* (Cap. V).²

Atque eo magis in Deo crescit reposita fiducia, quo amplius deficit in homine. Quum vero pater idem frustra cor ferinum domini Ruderici flectere studuisse, domum Agnetis reversus: *Non c'è nulla da sperare dall'uomo; - inquit - tanto più bisogna confidare in Dio* (Cap. VII).³

¹ « O pulca immortalis! O benefica fides assueta triumphis! Hoč etiam scribe, laetare; superior enim celsitudo nunquam ante Golgotha dedecus caput demisit ».

² « Bonum tibi quod mature ab errore aversus fuisti. Quid? Amicos queritabas... Ecquos amicos? Qui auxilium, vel volentes, tibi praebere non poterant. Atque interim unum illum perdere studebas, qui protest et vult! Numne ignoras Deum esse amicum excruciatorum Ei fidentium? »

³ « Nihil est ab homine sperandum; eo magis Deo est fidendum ».

Hac eadem mente, hoc animi sensu terminatur illud veluti carmen elegiacum, quo Lucia virgo, patria expulsa, in amaritudine animae suae, vale dicit montibus, et undis, et villis, tam diu sibi familiari bus: ... addio! Chi dava a voi tanta giocondità è da per tutto; e non turba mai la gioia de' suoi figli, se non per prepararne loro una più certa e più grande (Cap. VIII).¹

Verum eadem iuvenis in alia tempestate, in horribili quadam rerum desperatione spem non amisit, sed maiorem patefecit. Ipsa enim iniquo dolo in urbe Modicia violenter rapta, transvecta erat inaniter repugnans in castellum illius immanis tyra nni, cuius nomen desideratur. Humi autem iacens, acerbissimis cruciatibus afflita, quum praeteriti diei angores respi ceret, atque incerta ac tetra futura pae videret, moerori succumbens, mortem invocavit.

Ma in quel momento, si rammentò che poteva almen pregare, e insieme con quel pensiero, le spuntò in cuore come un'improvvisa speranza. Prese di nuovo la sua corona, e ricominciò a dire il rosario: e, di mano in mano che la preghiera usciva dal suo labbro tremante, il cuore sentiva crescere una fiducia indeterminata (Cap. XXI).²

Item quum Laurentius post tot casus adversos ac diuturnum discessum suam sponsam requireret, et in valetudinario, qui vulgo dicitur *Lazzaretto*, eius primam vocem auribus perciperet, verba audivit

¹ « Valete! Qui tantam vobis iucunditatem largiebatur, is ubique locorum est, suorumque filiorum gaudium unice perturbat, quo certius maiusque gaudium illis comparet ».

² « Tum vero menti ei succurrit sese posse saltem effundere preces, unaque cum illa cogitatione veluti spes in eius animo improviso exorta est. Rosarium suum iterum sumpsit, iterum Beatam Virginem precari coepit, utque preces ex tremebundo ore manabant, fides nullis circumscripta terminis in eius animo au gebatur ».

dulcem spem afferentia; Lucia enim aiebat dominae cuidam aegrotanti: *Paura di che?... abbiam passato ben altro che un temporale. Chi ci ha custodite finora, ci custodirà anche adesso* (Cap. XXXVI).¹

In extremis quoque verbis patris Christophori, spes effulget immortalis. Quum enim a Laurentio tristis discederet, persentiens vitam suam laboribus confectam in dies deficere, iuveni ab se cum trepidatione petenti: *Oh caro padre!.... ci rivedremo? ci rivedremo?*² - ipse ait: - *Lassù, spero. - E con queste parole si staccò da Renzo* (Cap. XXXVI).³

Denique ipse scriptor ex fiducia in Deo collocata summam totius narrationis concludere maluit. Post enim longam controversiam singuntur coniuges in hoc convenientes *che quando (i guai) vengono, o per colpa o senza colpa, la fiducia in Dio li raddolcisce, e li rende utili per una vita migliore* (Cap. XXXVIII).⁴

(Ad proximum numerum).

ANGELUS PERUGINI.



De latinarum litterarum historia paelectiones⁵

III. - De versu Saturnio.

Antiquissimas Scipionum inscriptiones iam supra diximus versibus *Saturniis* compositas esse; studiosus quidem lector scire cupiet, quid demum sit, quo rhythmo factus hic versus *Saturnius*. Per pauca li-

¹ « Unde timor? Alia, eaque magis quam nimbus timenda, expertae sumus! Qui nos usque nunc custodit, et nunc custodiet ».

² « O pater dulcissime!.... Numne alter alterum in posterum videbit? Numne videbit?... »

³ « In caelis, spero. - Et haec dicens a Laurentio discessit ».

⁴ « Quum calamitates adveniunt foede vel sine culpa, fides in Deo lenit, utilesque eas ad meliorem vitam reddit ».

⁵ Cfr. fasc. sup.

ceat nobis ad hanc rem definendam et illustrandam exponere.

Ante omnia in memoriam revocemus, veteres Grammaticos una voce Fauno ruriculae Deo, vel Faunis plurali numero, hunc versum tribuisse, quo hic Deus vel Dii in silvestribus locis fata hominibus canerent. Testis Varro, qui in VII^o libro de *Lingua latina* (36) ait: Faunos « veribus quos vocant Saturnios in silvestribus locis traditum est solitos fari »; testis etiam Festus qui s. v. *Saturnus* haec habet: « Versus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videatur, *Saturnii* appellantur ». Habebatur igitur hic versus Italicae regionis proprius, et, ut Marius Victorinus ait (G. L. K., vol. 6, p. 138), *indigena*; et propter ipsam antiquitatem Saturnium vocatum esse verisimile est.

Monendum est etiam, aliud esse *versum*, aliud *carmen*. Hac voce quae est *carmen* intelligebant antiqui sollemnem quamdam formulam certis verbis compositam, qua vel legum latores vel magistratus uterentur; unde Livius saepe loquitur vel de foedere sanciendo quod multis verbis *longo* effatis *carmine* a patre patrato perageretur (I, 24, 6); vel de iurisiurandi concipiendi *carmine* (1, 32, 8); vel de *carmine* rogationis (3, 64, 10); vel de diro quodam apud Samnites in exsecrationem capitis familiaeque composito *carmine*, nisi is qui recitabatisset in proelium quo imperatores duxissent (10, 38, 10); vel de sollemini precationis *carmine*, quod praefari magistratus solerent priusquam populum alloquerentur (31, 15, 1); aliaque id genus. Quae loquendi ratio passim occurrit etiam apud alios scriptores. M. Tullius in oratione pro Murena, iuris scientiam contra

¹ Negabat id CAESIUS BASSUS (G. L. K., vol. 6, p. 265): « Nostri existimarent proprium esse Italicae regionis, sed falluntur; a Graecis enim varie et multe modis tractatus est non solum a comicis, sed etiam a tragicis ».

Servium Sulpicium accusatorem elevare aggressus, de verbosis locutionibus et formulis in iure dicundo, adhibitis ludibridus loquitur, et ipsi praetori, ait, ne ipse sua sponte loquatur, *carmen* compositum est pluribus rebus absurdum (26). - Seneca etiam in Consolatione ad Marciam sollemnia *pontificalis [carminis]* verba memorat (13, 1). - Denique Macrobius in tertio Saturnalium ex vetustissimo cuiusdam Furi libro *carmen* profert, quo Di evocabantur tunc quum oppugnatione civitas cingeretur.¹

Quum igitur ea sit prisca vis vocis quae est *carmen*, procul dubio hoc sensu intelligi debent et *carmen* fratrum *Arvalium* et *carmina Saliaria* et alia id genus, in quibus de precibus agitur conceptis verbis compositis. Sed quum in huiusmodi formulis usu adhibitis et confirmatis, et numerus quidam audiretur, et alii loci verborum, velut *alliteratio*, *homaeoteton* et ceteri, aures allicerent, factum est ut vox *carmen* poetica compositio nem etiam significaret, qui est sensus communis longeque frequentior huius vocis.

Quae quum ita sint, apertissime patet discrimen quod intercedit inter *carmen* et *versum*; *carmen* est enim vel sollemnus formula vel tota poetica compositio; *versus* contra, a vertendo, linea est illa, quam

¹ Vide quae de precationibus priscorum Romanorum iam supra retulimus. - Cum voce quae est *carmen* conexus est nomen Deae *Carmentis* s. *Carmentae* (Evandri matris) quam fatiloquam prisci venerabantur. In universum vates *Carmentes* dicebantur, et librarii qui eorum dicta prescriberent *carmentarii* (Serv. ad Aen. 8, 336). - Etiam nomen *Camenarum* s. Musarum cum voce *carmine* coniungi creditum est; nam Festus ait, *Casmenas* vel *Carmenas* (cfr. VARR., L. I., 7, 26) a carminibus dictas esse, vel quod *carent* antiquorum laudes, vel quod essent *castae mentis* praesides (vid. GRIENBERGER, in: *Indogermanische Forschungen*, 27, p. 204; cfr. *Castalium* fontem in monte Parnaso; *castus* = *cad-stus* ex rad. *cad*; *Casmena* ut *Capena* (porta), *Ratumena*, *Trasumenus* (Iacus). Cfr. COCCHIA, *Armonia del verso latino*, vol. I, p. 22 et sqq.

in scribendo ducimus, quasi sulcus arato-
ris, praesertim vero series illa verborum,
quae certo pedum numero absolvitur.

Iuvat etiam in memoriam revocare
quid intersit inter *rhythnum* et *metrum*. Rhythmus ab Aristoxeno dictus est et finitus «ordo temporum, τάξις χρόνον»; scien-
ter id quidem; nam tempora, seu momenta
temporis ita nobis succedere videntur, ut
trina, vel quaterna, vel quina, vel sena...
vel denique quotena numerari possint;
quam numerationem sensus nostri facile
advertisit, si modo cuiusque seriei initium
ictu quodam eos percussat ac percutiat.
Hic praeterentium temporum ordo a
graeco verbo πέω, ruere, decurrere, πυθός
appellatus est (cf. σταθμός a radice στα-
τημη). Et quoniam numerantur tempora,
numerus a Latinis dictus est rhythmus.¹
Ubi corporum motus est, ibi rhythmus vel
numerus etiam esse potest. Veluti in am-
bulatione vel saltatione et choreis rhyth-
mus efficitur et advertitur, ita in verbo-
rum serie et comprehensione syllabas
breves (unitus temporis) et productas (bi-
norum temporum) ita in ordinem redigi
posse sentimus ut, iterata temporum serie,
aures nostrae delectatione quadam affi-
ciantur.² Rhythmus est igitur temporum
numeratio; quae esse potest par, ut in
dactylo pede, una enim syllaba longa par
est duabus brevibus; aut sescuplex ut *paeon*,
quum sit ex longa et tribus brevibus, quique
ei contrarius ex tribus brevibus et longa, vel
alio quoquo modo ut tempora tria ad duo re-
lata sescuplum faciant; aut duplex ut *iamb-*

bus (nam est ex brevi et longa) quique est ei
contrarius, i. e. *trochaeus*.¹ Notum est fre-
quentiorem ceteris et paene popularis ser-
monis esse vocum copulationem vel seriem
iambicam et trochaicam; nec minus gratam
auribus esse seriem dactylicam aut ana-
paesticam. Notum etiam est, certo numero
vel iamborum vel trochaeorum vel alio-
rum pedum effici versum iambicum, vel
trochaicum, vel dactylicum, vel anapaesticum.

A versu autem sex vel septem vel octo
pedum differt quod dicitur *metrum*, id est
dimensio eius; dactylici versus dimensio
est pes dactylus pluries repetitus; unde
heroicus versus vocatur *hexameter*, quia
sexies dimensionem habeat i. e. dactylum
pedem; contra iamborum, trochaicorum,
anapaesticorum versus, dimensio, s. *me-
trum*, duobus pedibus constat, ita ut, ex. gr.
senarius iambicus *trimeter* vocetur quum
dimensionem i. e. dipodian: o-o-) ter-
complectatur.

Hisce positis in universum, ad priscos
Latinos redeamus et ad eorum popularem
et indigenam versus faciendi rationem.
Animadversum est ante omnia, enun-
ciationem vocum latinarum in communi
sermone ea lege iam antiquitus teneri, ut
in omni voce, syllaba acuta intra numerum
trium syllabarum contineretur, sive hae
essent in verbo solae sive ultimae, et in his
acuta esset aut proxima extremae aut ab
ea tertia; nam media longa aut acuta aut
flexa erat; eodem loco brevis utique gravem
habebat sonum; ideoque positam ante se, id
est ab ultima tertiam, acuebat.² Erat igitur
in omni voce utique acuta syllaba, sed
nunquam plus una, nec unquam ultima,
ideoque in disyllabis prior. Verba autem
unitus syllabae erant acuta aut flexa.

In vocibus polysyllabis praeter acutam
syllabam, aut proximam extremae aut

¹ Iam ARISTOTELES, in *Rhet.*, 3, 8, 2 ait: ὁ τοῦ
σχήματος τῆς λέξεως ἀριθμὸς ἥνθιμός ἐστιν, οὐ
καὶ τὰ μῆτρα τηλετά. Et 3, 9, 3: ἀριθμὸν ἔχει η ἐν
περιόδοις λέξις.

² ARISTOT., in *Problem.*, 19, 38: ἥνθιμῷ δὲ χα-
ρομεν διὰ τὸ γνώριμον καὶ τεταγμένον ἀριθμὸν
ἔχειν, καὶ κινεῖν ἡμᾶς τεταγμένως· οἰκειοτέρα γάρ
ἡ τεταγμένη κίνησις φύσει τῆς ἀτάκτου, ὥστε καὶ
κατὰ φύσιν μᾶλλον.

1 Cfr. QUINTIL., *Inst. or.*, 9, 4, 45.

2 QUINTIL., I., 5, 30.

ab ea tertiam, alias antecedentes syllabas
accentiunculis quibusdam intendeant, ut
manifestum fit in enuntiando voces quales
sunt: *accratus*, *accusator*, *acrodasis*, et:
admirabilitas, *admurmuratio*, *expurge-
facio*, etc. Quas voces prima fronte mani-
festum est, trochaicum numerum aut iam-
bicum resonare. Quod fit etiam quum duo
verba tamquam unum enuntiantur, dissim-
ulata distinctione, ut: *circum litora*, ubi
tamquam in una voce una tantum est acuta.
Item multa verba aut copulationes verbo-
rum dactylicam mensuram sapiebant, ut
cármina, *cánticum*, *cántito*, *primus ab*
(in vergiliano: *primus ab oris*). Etiam si
prima syllaba brevis esset, enuntiatio:
bicolor, *bíduum*, *bónitas*, *scópus*, tenoris
vel accentus vi, efficiebat ut hae voces non
ita multum a dactylico rhythmico alienae
viderentur. Item in vocibus quales sunt:
imitátor, *peregrinus*, *réticéntia*, *témér-
rius*, brevitas primae syllabae non impe-
diebat quominus trochaicus numerus au-
diretur.

Quae quum ita essent, quumque longe
frequentissimae essent in communi ser-
mone voces et locutiones iambicae vel tro-
chaicae, vel iambico-trochaicae, quis mira-
bitur, inde a priscis temporibus ex benigna
ingenii popularis vena versus quosdam
effluxisse, in quibus iambicus vel trochai-
cus numerus dimensione quadam conti-
nuaretur? Quum prisci agricolae prover-
biū illud effuderunt: «Hibérno púlvere-
vérno lúto - grándia fárra - Camille, métæ»
quis neget, iambicum eos rhythmum et
trochaicum vulgari quadam ratione com-
positusse et conexuisse? Nam versiculos
hīc habes, in quibus non iustos quidem
pedes invenias, at profecto rhythmus ad
regulam quamdam continuatus aures tuas
percussit. Si huiusmodi versiculos vel κῶλα
perpendas, animadvertes, nunc triplicem
iambum audiri, ut: *hibérno púlveré*; aut
eundem versum catalecticum ut: *Camille
métæ*; aut duplēm trochaicum, ut *vérno*
lúto; aut denique dactylotrochaicum: *gran-
diá fárra*. Numquid aliud sunt versiculi
Scipionii: *honc oíno plótrume - duonóro
óptume* (cum hiatu) - *hec cépit Cársica?* et
catalecticē: *fuisse víro, - Alériaque úrbe?*

Paullum diversa κῶλα repieres, si illos
versus perpendas: *enos Lases iuvate -
Gnaivod patre prognatus, - consol censor
aidilis - fortis vir sapiensque, - quoius
forma virtutei - subigit omne Louvana.*

Hīc in dubium venit, utrum iambico
rhythmo enuntiare debeas: *enos lasés
iuváte - Gnaivód patré prognátus*, etc.,
ut sit dimeter iambicus catalecticus; an
legere possis et debeas numero trochaico-
dactylico: *enos Láses iuváte - Gnaivod
pátre prognátus*, etc. Certe enuntiatio illa:
patré, ut ad iāmbicam mensuram redeat
vox per se trochaica, mihi quidem parum
probabilis videtur. Et si considero κῶλον
illud: « fortis vir sapiensque », nequeo
induci ut credam, aliter dimetiendum esse
ac versum quem dicunt *aristophanium*
(confer Horatianos: *quamvis Pontica pi-
nus - Interfusa nitentes*, C. I., 14, 11 et 19).
Profecto ibi non legitimi pedes exspectandi
sunt, sed vocum disyllabarum cum trisyl-
labo paroxistona coniunctio, qua idem su-
blationis et positionis ordo sonusque effi-
citur (cfr. *consol censor aidilis*, *quoius
forma virtutei*, *enos Lases iuvate*, etc.).

Si vetus carmen memores de ratione pe-
dibus medendi, quod in Sasernarum libris
continebatur, quodque C. Licinius Stolo
referebat in dialogo varroniano de rebus
rusticis (I. 2, 27): « *Terra pestem teneto,
salus hīc maneto* », animadvertes, prius
membrum huius carminis eundem rhythmum
prae se ferre (non enim verisimile
est iambice enuntiatum esse: *terrá pestém*
quum vix possit vox trochaica « terra » in
iambicam mensuram detorqueri); alterum
autem membrum triplicem trochaicum
iambum audiri, ut: *hibérno púlveré*; aut
eundem versum catalecticum ut: *Camille
métæ*; aut duplēm trochaicum, ut *vérno*
lúto; homoeoteleton denique ad duo

κῶλα coniungenda opportunum esse, ut rem popularibus auribus pergratam.

Nonne videor iam, lector studiose et acute, omnia necessaria tibi explicuisse ad Faunios, vel Saturnios versus explanandos? Nonne manifestum est, vetustissimos Latii incolas numerum iambicum, trochaeum, dactylicum ita iungendis verbis persecutos esse, ut versiculos vel iambicos vel alias rhythmii componerent, servata tamen enuntiatione verborum qualis ex lege accentus in usum antiquitus venerat?

Id quidem aetate vetustiore; nam postea quum ad Graecorum imitationem se compoissent, auribus ad quantitatem syllabarum diligentius servandam educatis, meliore forma versus suos componere dicerunt, et Livius primus, Odyssfan versens, scribebat:

Virūm mīhi, Cāmēna, insce versūtūm,
disyllabam vocem *vīrum* iambice adhibens, ut par erat, itemque *mīhi*; veterem tamen licentiam secutus in voce quae est *insece* pro cretico posita, et *versūtūm* probacchio. Omnia melius in Metellorum versu:

Dābunt mālūm Mētelli-Naeviō pōetae,
qui versus vulgo pro exemplari saturniorum habitus est.

Haec omnia iam intellexerant Grammatici latini, tum Caesius Bassus qui (K. vol. 6, p. 265) scribebat: « Nostri antiqui usi sunt eo (sc. Saturnio versu) non ob servata lege nec uno genere custodito, sed, praeterquamquod durissimos fecerunt etiam alios breviores alios longiores res inseruerunt »; tum Servius qui de « incomptis¹ versibus » loquens, « quibus Ausonii coloni, Troia gens missa » ludebant (ad G. 2, 385) ait hos incomptos versus esse carmina Saturnio metro composita, quae « ad rhythmum solum vulgares componere consueverunt »; ad rhythmum solum, i. e. neglecta singularum syllabarum quantitate praeter eas quas accentus

aut ut longas proferret aut ultiro vi sua produceret.

Quae quum ita sint, non miraberis, lector, quod Horatius horridum dixerit Saturnium numerum; in quo, syllabarum quantitate saepe saepius neglecta, iambica vel trochaica structura, a legitima dimensione aliena, teretes aures offendebat.

Non est cur diutius te morer, recentiorum opinones, commenta, controversias, disputationes de Saturnio versus exponens; satis sit tibi rem verisimillima, nisi fallor, ratione explicuisse. Tu ipse reliquias saturnias diligenter retractans et relegens, videbis non ita multum ab opinione quam exposui recedendum esse.

FELIX RAMORINUS.

HEROICO VIRO

HUMBERTO NOBILE

AÉRONAUTICA ARTIS PRINCIPI
DE MAGNIFICO SUO
TRANSPOLARI VOLATU
FELICITER PERACTO
CAELESTI AVIATIONIS PATRONAE
GRATES PIE DEFERENTI

Salve, Heros, qui mirum ausus tentare vola-
[tum,
Aethram scidisti mox poli hyperborei!
Tantae molis opus Genio suadente patrasti,
Spernens ignotae dura pericla viae.
Dum tanto Ausoniae vibrant vexilla triumpho,
Vallibus Eia! Tibi dum sonat Eia! iugis;
Te dum prosequitur plausu generosa iuventus,
Cuius amor Patriae pectora fortis alit,

¹ Ut equidem arbitror, in errore versati sunt tum ii qui universos Saturnios et vetustiores et Livianos Naevianosque acutarum solum et gravium syllabarum successione dimetiendo esse censuerunt (quo in numero me quoque iuvenem fuisse non infitor); tum ii qui omnes Saturnios longarum solummodo et bre-

Lauretum felix alaci Te laude salutat
Et clarum tollit Nomen ad astra Tuum.
Nam Patria intrepidum si Te complectitur
[ulnis,

Si merito Natum cingit honore suum,
Altera Te Mater carum pietate Clientem
Lauretana suo numine Virgo tegit.
Ipsa Patrona data aërias tranantibus undas,
Ipsa Tibi et Sociis adstitit alma Parens;
Contraque infidos ventos rapidasque procellas
Virgo tuo NORGI portus et aura fuit.
Quare Te accendentem Illi persolvere grates
Festive exceptit Nazarethana Domus,
Quae stat Laureti divini pignus amoris,
Praesidium Italiae Palladiumque sacrum.
O-praesens semper sic Virgo volantibus adsit,
Magnanimo et niteat fulgida Stella Tibi,
Dum Patria exsultat facti splendore, per or-

[bem,
NOBILE, Te propter nobilitata magis!...

Laureti in Piceno.

IOANNES FRATINI.

ALEXANDER VOLTA

Italia omnis, ac praesertim Novocomum urbs, in qua ortum duxit d. XVIII mensis Februarii MDCCXLV, centenaria sollemnia iure celebrare contendit diei illius, ex quo Alexander Volta, electricae doctrinae pater, die V mens. Martii MDCCXXVII, ad Superos migravit.

Cuius celeberrimi viri memoriam facere profecto non possumus quin, brevi licet sermone, in nostris quoque paginis ipse nos revocemus.

Honesto loco natus, Brunate, in oppido Insubriae, pueritiam transegit. Adolescens,

vium syllabarum ratione habita dimensi sunt. Utrique in magnas difficultates incurserunt, nec superare valuerunt; neutri rem acu tetigisse dicendi sunt. Res in medio ponenda est, ut supra demonstrare studiimus.

studiis operam dedit; at observandi cupiditate facile correptus, a proposito sibi trahite saepe aberrabat, ita ut non magnam laudem tunc a magistris obtineret. Assiduum tamen laborem in litteris quoque impendere non destitit, ut et itali, et gallici et latini eius versus, qui ad nos usque pervenerunt, satis ostendunt.

Verum investigandae naturae disciplinis, in quas inde magis ferebatur, aperte vacans, cum clarissimis sui saeculi viris, qui studiis iisdem illustres evaderent, epistolari commercio cito est conjunctus; quos inter Nollet gallus et Lazarus Spallanzani fuere.

Vigesimum nonum annum quum attigisset, Novocomensium scholarum rector electus est, ac, paulo post, quum novum instrumentum, *electrophorum*, confecisset, physices cathedram in gymnasio obtinuit; quin etiam ab Insubrum gubernatore, Firman nomine, copiosa pecunia ei est concessa, ut machinas ceterasque necessarias scholae supellectiles emeret, stipendia cooperatoribus constitueret, discipulis optimis praemia daret; denique ut itinera studii causa per Helvetiam, Sabaudiam Alsatięque aggredieretur.

Haec inter itinera, celeberrimos omnibus naturae disciplinis humanisque litteris viros Bernouilli, Gessner, Haller, Tissot, Cigna, Saussure sibi amicitia devinxit, atque communicatis cum ipsis consiliis, plurimum sibi auxilium comparavit, eorumque etiam testimonio ita claruit, ut ad Papiense athenaeum, una cum ipsis Tissot, Scarpa, Spallanzani, ut physicen doceret, fuerit advocatus.

Anno MDCCXXXI, Galliam, sequenti vero Angliam, ac duobus post annis Austriam et Germaniam invisit, ubique a doctis celebratus honoribusque cumulatus, atque a Iosepho II imperatore comiter acceptus aureoque numismate donatus.

In Italiam deinde reversus, ad laborem et studium alacrius incubuit; ac simul ad

praelectiones apud Papiense athenaeum, pluresque libellos *De meteorologia electrica, De aëreorum corporum dilatatione publice edidit.*

Inter haec, ab anno usque MDCCXCII, de *galvanismi* origine et recondita causa cum ipso Galvanio disceptationem instituerat; antea namque electrophorum atque electrometrum, quod *condensatorem* dicunt, confecerat; deinde vero, detecta a Galvanio ranarum chorea, physicam eius causam potiusquam organicam contra illum asserbat. Igitur, multiplicatis ab utroque experimentis, ut quisque suam assertionem tueretur, anno MDCCXCIX *pilam*, quam ab ipso *voltaicam* appellamus, primum exstruxit, qua victor ex praelo discessit. Primum rei nuncium in epistola, quam eodem anno ad Banks doctissimum virum misit, Alexander Volta dedit. Hanc Novocomii nimirum detexerat, quo tempore ab itineribus atque ab athenaeo, ob rerum publicarum vicissitudines clauso, regressus, domi sese in solitudinem receperat, ubi quiete maxima studiis operam dare licebat.

Sequenti anno, Bonaparte iubente, athenaeum Papiense restitutum est atque ad magisterium Alexander iterum vocatus, cuius inventi fama nationes omnes paulatim iam ita pervaserat, ut Napoleon ipse eum Lutetiam in Scientiarum, quam vocant, Academiam accersiret, rem explicaturum. Fecit profecto noster, ipso adstante Bonaparte; in quo tanta admiratio viri excitata est, ut illum inter octo exteros Academiae socios cooptari voluerit, novoque aureo numismate et splendido pecuniae munere donaverit; quin etiam anno MDCCCII italicico Scientiarum Coetui a se condito primum illum adscripsit, nonnullis autem post annis inter equites Honorificae Legionis atque Ferreae Coronae; deinde inter senatores italici regni retulerit; deinde nobilitatis titulo auxerit.

Postremus vero Alexandri triumphus hic fuit; senectute enim iam laborans, ab

anno usque MDCCCI in quietem domesticam recesserat, ac Mediolanum se contulerat. Quum autem illius urbis in potestatem Austriaci rediissent, ut eorum iram vitaret, in domum dynastum Magiasca prope Novocomum aufugit. Brevi vero ad Papiense athenaeum, quo physicen et mathesim doceret, est revocatus, in quibus disciplinis ad annum usque MDCCXIX discipulos erudit; quum, nimia aetate amplius ad scholam non valens, rursus Novocomum petiit, ubi, et in rure Camnago, ultimos vitae annos transegit.

In eodem rure, quod dilectissimum ei fuerat, monumento ipsi est exstructum rotundi sacelli ad instar, in quo sub arca marmorea eius cineres requiescent.

A. C.

DE PICTORIBUS FRANCISCALIBUS

Constat apud omnes, Italos; alios alia ratione praeclarissimum suum civem eundemque sanctissimum virum, Franciscum Assisiatem, summis semper laudibus ad sidera sustulisse. Nec modo carminibus aut oratione eius nomen decoraverunt, sed et pictores hunc sibi in exemplum proposuerunt, eiusque effigiem, quamquam macie confectam, tabulis componere certatim studuerunt.

Iuvaret propterea in medium nomina saltem excellentissimorum referre, ut mente quisque sua arguere posset, quantum artifices Franciscum aestimarent, eiusque memoriam posteris ad immortalitatem prorogarent.

Hoc sane consilio, Elias, religiosissimus vir, Patri suo basilicam continuo dedicavit divitem atque pulcherrimam, etiamsi pauper inter vivendum fuerat et simplex, eamque decorari voluit a clarissimo quoque pictore, qui aetate sua nomine percrebaseret et tantissimus esset.

Tunc primum, renascentibus litteris, Italia nostra clarioribus viris inclarescebat; et liberaliores quoque artes, divino veluti spiritu afflatae, coli cooptae sunt, et primas facile tulerunt Cimabues et Iottus.

Uterque enim, mira quadam ac peculiari ratione, ingenium suum pericitatus est in Francisco decorando, et hoc atque illud mirabilibus signis eximie oculis exhibuit.

Ac propterea, immortalis illa patria Franciscalis Basilica est potius egregium pictorum principum certamen, ubi, ut ita dicam, gloriosa patris acies mirifice adseritur, et varie virtutem suam opifices comparabant.

Omnis enim veluti in speculo adparent, quotquot illo tempore ingenio, nomine in pictura inclarescebant. Aptius et verius Basilicam dixeris immortalem clarissimorum virorum scholam, qui, labentibus saeculis, Italianam decoraverunt. His optime varioque modo pietatem suam sedulitate atque diligentia cumulaverunt, etiamsi diversa aetate vixerint.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

PISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

EMMANUEL Jové, C. M. F., claris viris atque amicis IACOBELLO, AVENARIO, TASSETO, s. p. d.

Ne longius vos in expectandis responsionibus, quas mihi feceritis, morer, hoc uno exemplo satis hodie singulis facere conabor. Primum omnium tamen liceat mihi pectus coram vobis effundere doloris adhuc plenum, ob perpetuam matris meae dormitionem, quae divina dispositione contigit postridie Kal. Decembres, quum vix nonum et quinquagesimum aeta-

tis annum esset egressa. Eam precibus et piaculis vestris vehementer commendo, ut si ob humanam fragilitatem in locum expiationis fuerit recepta, quantocius fiat habitatio eius in Sion.

Occasione huius lacrimandi eventus Latinitatis alumni, quos superiore anno habueram, quibusque verbis non erat commodum ostendere mihi commiserationem, scriptis eam litteris patefecerunt. Paucarum quidem ex iisdem candorem, benevolentissimum ALMAE ROMAE moderatorem rogo, ne gravetur vobis ex his columnis depromere.¹ Eae sic habent:

«Quum de matris tuae morte nuntius mihi allatus fuerat; ex corde, dilecte Pater, aegre tuli, quod eadem e vita migrasset. Debitorum me tantorum beneficiorum a te mihi anno transacto factorum existimans, non potui magno non affici dolore; atque ideo constitui pro matre tua in hoc novendiali, quod in honorem Deiparae celebramus, multum rogare, ut si quid Domino solutura sit, ad vitam aeternam quamprimum perducatur. Accipe igitur, dilectissime Pater, in signum amoris, quem erga te habet hic tuus olim discipulus, hanc doloris manifestationem. Vale.

«SECUNDUS ORTEGA».

«Quanta tristitia sim affectus, dilecte pater, ob tuae matris obitum, verbis tibi exprimere non possum. Hanc doloris ergo officiosam significationem tibi habeo, et cupio ut Dominus Jesus ac Maria, alma mater nostra, matris tuae animam in caelum adducant. Iam Deo tamen plurimas in huius diei communione pro eadem effundimus preces et effundemus. Vale.

«RAIMUNDUSILLA».

«Memoria quum teneam omnia tua studia, hodie pectus meum maximo moerore est affectum, quod tuam genitricem mors

¹ Quin imo de eorum dolore atque piacularibus precibus suum et collegarum dolorem precesque ex animo tibi testatur! (I. F.).

tetro velo involverit. Ad me autem quod attinet, polliceor pro ea me esse rogatum, ut cito ambulare per vasta caelorum, ac Deum collaudare possit; id omnibus nostris nervis contendemus, ut die saltem Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae sit tandem assecuta. Sic par pari tibi referemus pro tuis universis ac summis sollicitudinibus. Vale.

« JOSEPHUS MIR ».

« Altius commiseratio mota est, dilecte Pater, quum certior sum factus matrem tuam (rem miseram!) extrellum effudisse spiritum. Ideo ut aliquid tibi solacii tanto in dolore afferam, me ad tuum angorem addingo, qui Deum misericordiarum tecum orem ut matri tuae caeli ianuas cito aperiat, in purgatorio si forte illa versetur. Qui olim discipulus fuit tuus hodieque tuorum consiliorum est memor tibi valedicit.

« ANTONIUS PERICH ».

« Permagna, dilekte Pater, permagna sum tristitia affectus quum matris tuae obitus nuntium accepi. Nunc quidem gratum erga te animum me habere ob accepta beneficia perspicere valebis. Tendens ad sidera palmas etiam atque etiam Dominum dilectamque Eius Matrem servidis effagitabo precibus, ut quantocius matrem tuam ad beatitudinis perpetuae praemium pervenire concedant. Hanc doloris manifestationem accipe, o Páter, ut magnum mei erga te officii pignus. Valebis.

« JOSEPHUS M.^a BADIA ».

« Maxima sum affectus tristitia, admidum reverende Pater, quum maesto de nuntio matris tuae mortis certior factus fui. Verumtamen quod iam nunc temporis illuc ascenderit, ubi magna in aeternum fruetur gloria, verbis tibi gaudia prodo. Quod si illic nondum esset, certo polliceor me, quemadmodum omnes mei fratres faciunt, Deum pro ea rogaturum esse opem-

que ei laturum, ut cito sit aeterna in patria. Efficiam, Deo iuvante, ne fides mea in promissis desideretur. Velim tu ad me Latine rescribas, sed pulchre, quod non ignoras. Vale. Discipulus tuus olim, qui te plurimum diligit

« EUSEBIUS MARQUÉS ».

« Quum mihi, reverende Pater, optimae matris tuae nuntiata fuerit mors, non possum non vehementer tecum condolare. Favores tuos in mentem revocans, sponte inducor, ut tam adversa in re pro mea ingenii tenuitate te consoler. Est, ut opinor, neque flendum neque moerendum; quum certo scias matrem tuam in Dei consortium receptam fuisse, ubi pro te Deum Eiusque sanctissimam Matrem exorabit; et quum scias etiam te quandam eam in caelis gloriae plenam esse conventurum. Quare consolare, reverende Pater; ego autem in precibus meis, si quid possint, tui tuaeque matris meminero, ut post mortem Dei gaudiis frui cum ea omnibusque tuis in saeculum possis. Etiam atque etiam vale! »

« AMATUS AMALRICH ».

Quid quaeritis, amici? Nullum mihi credite, in tanto maerore, nullum dulcius accepi solacium!

Nunc autem cursim, ut res postulat, sed quam potero aptissime ad quae sita vestra. Alpicum baculum, Germanice *Alpenstock*, ipse *Contum*, mi Iacobelli, vocaverim. As etiam apud veteres perfectio- nis erat vocabulum; quidni igitur aeronautas principes, asses recte dicemus? Pro *amarare* «aequorari» dixi alias, atque rationem olim exposui.¹ Navim aëriam *fluctuantibus* instructam, melius *hydrovolam* appellem, quam *hydrovolantem*; nec quidquam obstat quominus ex analogia cum aéroplane *hydroplanum* recipiamus. Haud satis video cur apud recentes, quod ais, acceptum sit *velivola* nomen, quam nullis

¹ Vid. ALMAM ROMAM ann. sup. pag. 96 ad calcem.

velis, quantum quidem scio, illa navis utatur.

Club recte posse in Latinum reddi pro *globosuadent* Livius (VIII, 32), Nepos (*Att. 8*) Vell. Pat. (II, 58). Quam naviculam *Iole* appellant Angli, eadem qua ipsi ratione *iolen* seu *iolam* Latine dicamus. Yack dicit *celocom*; *turista*, *prospectatorem*; *turismo*, *prospectivam* (supple recreacionem, aut quid simile); *tournée*, *circumcur- sionem*.

Haec autem hactenus, mi Iacobelli; avet enim Avenarius et sua audire.

Rundlauf vester, mi Avenari, nonne *funorbile* vocari possit ex fune et orbili, et collusores *funorbii*, ut habemus *funambulos*, et locus ubi sic luditur *catacloma*? Ex *scheda* seu *scida* (plagula) vel proprius ex adiectivo *shedius* (subitarius) atque simul ex nummo, numquid animadvertes in me, si dixerim *shediniuummias*, *scidi nummias* (supplendo *tesseras*), *scheduleas nummarias*? *Multinummius*, *Potentinummius*, *Negantinummius* a Latinitate non sunt aliena vocabula. Nihil mutandum iudico de *officina telegraphica*, nec de *scandalo preli*. *Exspectationes* pro eo quod nos *salas de espera* dicimus, mirifice arbitrator esse inductas. Cetera, quae tu proposes ad ferriviarum usum et administrationem pertinentia, ipse libenter quaeram.

Materialismum dicere aude, sicut et *congressum* seu *conventum internationale*; qui autem improbet, id melius exprimat eumque fortassis sequemur. Gallicum *tiroir*, *loculum* seu *loculos* appello. Ab exscribendo, quod est Italice *copiare*, dicam *chartam exscriptivam*, *stilum exscriptivum*. Verba enim in *ivis* desinentia idoneitatem exprimunt ad aliquid faciendum. Esne tandem contentus?

Nunc venio ad Tassetum. Quid ais, mi bone? Daedalus et Icarus super mari sidere potuerunt; at Icarus tamen male periit; credo quod non tempori, ante scilicet quam nimis liquefierent eius alae, *aequo-*

ratus fuerit. Privae illae seu privatae naves, quibus locupletes olim animi caussa utebantur, nunc data pecunia publico etiam sunt popularium usui, quas, ut supra dixi, *iolas* aut *celoces* vocare non dubitaverim. Recte, opinor, Latine multiplicative doces pupillam tuam et rationes solidi aut partiti. Ore autem hesperio Maronis, annon *communem dominatorem* vis eloqui? En illum habes. Rogo tamen cum pupilla quidni etiam *tres quintae*, *septem sextae*, *octo septimae*. Si enim Caesar habet «Gallia est omnis divisa in partes tres» habet etiam Sallustius (*Iug. 106*) «kopias in quattuor partes distribuerat».

Nunc tandem huius triplicis epistulae finem facio, orans benevolos amicos ut quaecumque a me sunt nuper exposita boni consulant. Salvete multum et valete.

Cervariae Lacetanorum, Pridie Kal. Martias.

IN SOLEMNIIS

PRO

DIVI ALOYSII GONZAGAE CALVA
MEDIOLANUM OVANTER TRANSLATA
IN CATHEDRALI TEMPLO CELEBRATIS
DISTICHON

*Divi Loisdidis redolens purissima floris
Balsama virginei dulce sacrumque Caput
Urbe redux Roma, angelicus tot in urbibus*

[hospes,

*Nunc Mediolani civibus ora beat.
Olli vos iuvenes manibus date lilia plenis,
Quo in terris viguit caelitis integritas.
Plurima densatur plebs Martyris aede Fi-*

[delis,

*Inter ubi lychnos Calva verenda nitet.
Candida texta rosis albescunt lilia; ab alto
Fulget Gonzagae vivida imago tholo.
Excipiunt turmae turmas invisere aentes
Caelestem gazam et lambere suavolis.*

Relliquam sed summus honor manet: Ecce

[triumphus!]

Volvitur ut lento publica pompa gradu.

Principem adit plateam rutilans crystallina

[theca]

Ultro lata humeris sarcina presbyterum.

Concinne induiti pueri, compto ore decori,

Circumstant arcam Sospitis angelici.

Nittitur in pignus quisquis, quod deperit,

[alatum,

Ingeminatque preces pronus in obsequium.

Tandem, suffitas hymnis mulcentibus auras,

Pompa fores Templi Maximi ovanter adit.

En Clerus, mitrae superant, en fulgurat

[ostrum;

Nullus municipum nobilis ordo deest.

Spectacula se offert oh quam mirabile! ad

[instar

Frangrans ara novi promittur Elysii.

Ambrosii ritu sacris operatur avito

Praesul romano murice conspicuus.

Organa pulsa sonant; pubes devota recantat

Patronum, cuius nomen et omen habet.

Interea Calvae spirat praedivite ab arca

Thus vitae integrae et virginitatis amor.

Haec levis aura velut, liniant pia corda,

[piisque

Virtutum refovent germina Christicolis.

Sic Loiolaei venerandi gloria coetus

Exemplar iuvenum sospes ab axe potens.

Alloquitur defunctus adhuc: Servate pudoris

Lilia, quae sacro robore pectus alunt.

Vox eadem utinam resonet gravis atque per

[urbem,

Felici penetrans omine quasque domus;

Ut bacchante lue vitiorum denique pulsa,

Familis redeat pax et amica quies.

Sedem Gonzagae repetet mox Calva vetustam;

Sed praesens columen fidimus usque fore!

Mediolani, V Kal. Martias MCMXXVII.

CAESAR MAMBRETTI.

Errata corrigere. — In carmine, quod in superiore fasciculo edidimus, typorum error irrepit. In linea enim 7^a col. 2, pag. 20 scriptum est *arrideto* pro *arridet*.

ANNALES

Sinense bellum civile.

Sinense civile bellum vario Marte perdurat adhuc, ita ut Shangai urbis deditio, quam proximam nunciaverant, nondum evenerit. In tanta, eaque tristi, omnium rerum et negotiorum eversione, quae in dies fit, vis et damna in exteros quoque incolas inflata sunt; eoque magis igitur Angli institerunt — et in aditiali oratione sessionum apud publicum coetum legibus ferendis resumptarum, a rege habita, nuntiarent — ut naves copiasque in Sinas mitterent ad suorum iura tutanda. Iaponia pariter, quae Anglorum huic agendi rationi obstare videbatur, praesidia ad suorum defensionem sumere coacta est; quin etiam civitates Foederatae Americae Septentrionalis auctrices fuere apud gubernia, quae de summa rerum in Sinis contendunt, ut Shangai regio « neutra », prout dictant, recognosceretur, quo scilicet concessiones, quibus externe gentes illic fruuntur, inviolabiles mansurae sint.

incrementum potuis exigat, ad efficacem sui littoris omnis tutelam. Iaponia non recusavit ad argumenti disquisitionem accedere, dummodo tamen quae nunc a se instructa sunt in exercitu et classi immutabilia relinquenterunt. Anglia denique respondit ad aliud tempus distulit, quum scilicet statutum fuerit utrum Washingtoni an Genevae conventus ad argumentum disceptandum congregandus sit. Hisce positis, facile coniectui est delatam condicionem ad effectum haudquaquam iri traductum.

**

Lusitanici motus.

Seditio ex Lusitania in gubernium nunciata est, tamquam nummariis quorumdam privatorum commodis promota. Quaecumque causa fuit, rebellio certe brevi oppressa et fracta est, licet non sine sanguinis effusione.

POPULICOLA.

Americana condicio delata de navalibus copiis coercendis.

Earumdem civitatum praeses Coolidge singulis universi orbis nationibus conditionem detulit de navalibus copiis coercendis. Neque tamen favorabili exitu. Gallia enim opposuit eam iudicio Societatis Nationum iniuria antecedere, apud quam est coetus, cui munus commissum conventum comparandi de armis tum terrestribus tum navalibus minuendis. Italia aperte declaravit accedere sese non posse petitioni cuique, in discrimen trahenti rei publicae summa: opportunitas enim Italici loci ea profecto est ut, nedum patiatur navalium copiarum deminutionem, earum

II. Sacerdotes, etsi magisterii titulum consequuti, adstricti, uti ante, suae quisque dioecesis servitio manent; proprio Ordinario subiiciuntur.

III. Curent Ordinarii ut hi Sacerdotes descendit munus obeant in sua dioecesi, praesertim in sacris clericorum Seminariis vel in privatis scholis.

IV. Sacerdos, huiusmodi munus atque officium in publicis scholis ne petat neque acceptet sine explicito Ordinarii sui consensu; qui quidem consensus est natura sua revocabilis.

V. Ordinarius, graviter onerata eius conscientia, consensum ne concedat nisi iis qui pietate et doctrina excellunt, quique tum alumnis tum ceteris magistris privatim et publice exemplo sint.

VI. Ordinarius permittere poterit ut Sacerdos dioecesanus in aliam dioecesim magisterii exercendi causa se conferat, ea tamen lege, ut susceptum munus ad nutum tum Ordinarii proprii, tum Ordinarii loci retineatur. Itaque Ordinario in dioecesis servitum illum revocanti et Ordinario loci illum dimittenti, quocumque praetextu remoto, Sacerdos parare tenetur.

VII. Ordinarius ne sinat ut Sacerdos suae dioecesis in alia dioecesi magisterium ineat, nisi prius de re loci Ordinarium monuerit eiusdemque veniam obtinuerit.

VIII. Sacerdos in aliena dioecesi magisterium initurus sine mora loci Ordinarium adeat, quem, iuxta can. 94 Codicis iuris canonici, ut Ordinarium suum, usquedum eo in loco commorabitur, habere, eiusque vigilantiae, auctoritati et correctioni se submittere debet.

IX. Ordinarius vero loci poterit:

a) praecipere, iusta de causa, arbitrio et prudentia eius aestimanda, ut Sacerdos alicui ecclesiae sit addictus;

b) statuere ut idem Sacerdos vigilantiae Vicarri foranei vel parochi aliis sacerdotis subsit;

c) exigere ut sacerdos referat in qua domo habitualiter commoretur et quibuscum

ROMA SACRA

S. Congregationis Concilii decretum de Sacerdotibus magisterii munus gerentibus in publicis scholis.

Quum plures locorum Ordinarii postulavissent ut peculiaribus normis disciplina Sacerdotum, qui in publicis scholis docent, regeretur, Sacra Congregatio Concilii per decretum d. XXVIII mens. Februarii curr. ann. MCMXXVII quae sequuntur constitut:

I. Sanctae Sedis praescripta de clericis et sacerdotibus publicas studiorum Universitates vel scholas Normales, quas vocant, frequentantibus, firma maneant; praesertim vero ea quae Litteris Secretariae Status diei 20 Novembris 1920 praecipiuntur, adamussim serventur.

personis cohabit; vetare ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineat et quoquo modo frequentet; iubere, si id necessarium aut opportunum Ordinarius iudicaverit, ut penes aliquam religiosorum sodalium domum a se designandam degat;

d) vetare ne docendi munus in scholis, quas vel solae puellae vel puellae simul et adolescentes celebrant, suscipiat; neve pueras privatim doceat atque instituat;

e) praecipere ut omnes et singulas obligationes communes clericorum servet; prae-
sertim vero, ut collationibus seu conferentiis ad casus de re morali ac liturgica solvendos intersit; ut adiuvet parochum loci in religiosa puerorum institutione; ut diebus festis de pracepto brevem Evangelii aut alicuius doctrinae christianaee capitis explanationem habeat in Missa quam, fidelibus adstantibus, celebrat;

f) monere, corripere et, si casus ferat, congruis poenis, ad normam sacerorum canonicum, Sacerdotem afficere, si a recto tramite deflexerit.

X. Ordinarius loci, cuiusque anni scholastici expleto cursu, Ordinariu m Sacerdotis certiorem faciat de eiusdem vita et moribus.

XI. Sacerdos magister e loco per notabile tempus discessurus Ordinariu m eiusdem loci commonefaciat, ferias vero aestivas initurus suum eidem obsequium praestet; in dioecesi vero reversus, se sistat Ordinario suo eiusque mandatis fideliter obediat.

VARIA

Foreris a Rabatta et Iottus pictor.¹

Saepe fit, ut, quemadmodum praeclarissima virtutum ornamenta sordidis artibus fortunae vi aliquando delitescunt, ita etiam hominibus deformissimis praestantissima

¹ Italice scripsit IOANNES BOCCACCIO.

ingenia a natura insita sint. Cuius rei argumento duo nostri cives fuere, de quibus pauca dicere mihi in animo est. Alter enim, cui Foresi nomen fuit, homulus de formis et pravo nasu et simus, cuius ora turpissima visa fuissent vel deformissimo Baroncio, tam praestans legum consultus fuit, ut earum vim omnem probe callere a pluribus viris existimaretur. Alter autem, qui Iottus nominabatur, ita praestitit ingenio, ut quidquid natura tulerit, is calamo aut penniculo ita graphicè exprimeret, ut ad ipsam naturam proxime accederet; ex quo eius tabulas spectantes, specie capti, non expressam rei imaginem, sed rem ipsam intueri sibi viderentur. Quare, quum eam is artem, quae saecula complura non nullorum erroribus pingentium magis ad stultorum oculos carpended, quam ad sapientum animo satisfaciendum, in tenebris iacuerat, in apricum protulerit, merito civitatis splendor dici potest; eoque magis, quo modestius aliorum ipse magister hanc adeptus est gloriam, magistri nomen semper aspernatus. Quod nomen contemnenti eo magis splendor accedebat, quo cupidius ab indoctioribus atque ab eius discipulis usurpabatur. At enim quamvis arte maxime excelleret, nihil tamen minus et ore et totius corporis habitu par erat Foresi. Sed ad rem veniamus.

Erant utrique in Mugellano praedia, quumque Foresis sua obiisset quo tempore aestivae feriae curiis indicuntur, et forte domum rediret caballo meritorio vectus, Iottum obvium habuit a suis item visis in urbem revertentem. Qui caballo item vectus, neque ceteris rebus eo instructior, senex seni se lentum comitem addidit. Quos, ut saepe fert aestas, repentinus imber oppressit, quem fugientes quam celerime, ad rusticum quemdam familiarem atque hospitem suum diverterunt. Non ita multo post, quum imber remitti non videatur, quumque die exeunte domi esse vellet, sibi ab rustico accommodatis duobus

palliolis et galeris obsoletis, quos unos haberet, ire perrexerunt.

Iamvero aliquantum itineris progressi, ac madentes imbre, et maculosi, ex luto caballorum pedibus asperso, vestibus, ex quibus rebus ad neminem decor accedit, quum dies nonnihil claresceret, qui diu iter taciti fecerant, sermonem instituere cooperunt.

Ac Foresis quidem caballo equitans et Iotto disertissimo aures dedens, quum totum a vertice ad pedes eum perlustraret, omniaque squallida et sordidata cerneret, sui nulla ratione habita: - « Iotte, - inquit subridens - si quem nunc advenam obvium haberemus, qui nunquam te vidisset, putasne te omnium praestantissimum pictorem existimaturum? »

Cui extemplo Iottus: - « Nae, existimat, quum te intuens existimasset te scire prima litterarum elementa ».

Quibus auditis, Foresis sensit se peccasse, et sibi par pari relatum fuisse.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDO:

Oryzae grana cum spinachiis extritis in cammarorum iure decocta.

Mulli in furnum conditi, lycopersici esculentif frustulis pulpamentoque ex caseo et butyro instructi.

Salivi cardui, aromaticis herbis sapidi in patina facti.

Sardiniae frixa. spinis mundatae. - Aetaria.

Mali aurei spicae mulso confectae.

Iocosa.

MAGISTER Tuccium interrogat:

— Quot menses octo dies supra viginti numerant?

— Tuccius triumphantum more: - Omnes!

AMICUS Tuccio, qui famulus a dulciario pistore est assumptus:

— O te beatum, qui artocreatu omnis generis comedere semper potes!

Tuccius. — Comedere?... Quomodo possim, quum herus ea semper recenseat? Tantum lambere mihi datur!

Aenigmata.

I

Littera quina mihi: pilo gladioque tremendus

In saevas pugnas absque timore ruo.

Tertia cum prima sedem mutare iubetur

Littera? Vicinos separo cautus agros.

II

Vilis planta putor: crescens prope fluminis

[undas]

Vel lenis zephiri flamine mota tremo.

Adde mihi vocem, quae duplicat: illico

[planta]

Utilior fio, fioque nobilior.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Apis*; 2) *Palus*.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. MARK A. BOR..., Englewood. — Quisque in errorem incidere potest; tu vero latine scribas, si vis a me plane intelligi. Pretium integrae Almae Romae collectionis videoas in secunda operculi pagina. Et... veniam petamus demusque vicissim!

Cl. v. IAC. TAS..., Tornoduri. — Quam misisti summa, italicas lib. 88 aequavit.

Cl. v. J. M. THÉ..., Romae. — Parvum antabarbarum nondum in volumen collectum est: ubi primum id factum fuerit, exemplaria sex a te requisita accipies. Pretium subnotationis ab excmo illo viro accepimus.

Cl. v. WALFR. GURG..., Romae. — Accepimus, tibique gratias referimus.

Perillustri viro FEL. RAM..., Mediolani. — Ad proximum numerum.

A SECRETIS.

PANCRATIUS

| 22

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine redditum Andr. Haberl)

PANCR. (*Ad scenae progressus marginem*): Accepisti ergo, quod tibi supplicabam: Pro Corvini salute vitam meam accipe. Gratias tibi ago, Iesu, quod morte servans inimicissimum tuae serviam gloriae. (*Ad Praefectum accedit; ceteri circumstinentur*) Filius tuus vivet; fac certiorem Caesarem!

TERT. Quid, puer, ais?

PANCR. Corvinum esse liberum.

TERT. Di boni!

PANCR. Hos ne nominaveris! Te Christianorum Deus ad salutem vocat.

TERT. Nobis istud edisse!

PANCR. Audite! Innoxius atque iniuria ille est in vinculis, ut rapti edicti det poenas. Ergo continuo euntes eum solvite! Ite, properate, ut laeti indicetis Caesari, edictum qui rapuisset, repertum esse. (*Mora. Omnibus in Pancratium defigentibus oculos*): Quod nolbam in publico proponi Dei nostri contumeliam, membranam istam ego abstuli. (*Extractam sinu lacerat, laceram ad Tertulli pedes abicit*).

TERT. Ah! Sceleratissime! (*Exsilit*).CHRISTIANI (*Simul*): Tu? Pancrati?ALII (*stupentes*): Quod Deus bene vertat!HYPHAX (*stupet aperto ore*): Tu fuisti ille?

CAI. (*eum amplexus*): Fili! Optime tu Domini mandatum assecutus es. Magnum profecto, adolescentulus, es ausus facinus; sed etiam maiorem adeptus es gloriam: Dilectione inimicorum heros es.

TERT. Ergo tua manus, scelerate furcifer, isto scelere Corvinum conabatur perdere!

PANCR. Non ita plane! Qui enim scire ego poteram...

TERT. Verbum unum, cave, feceris! Vitae usuram tibi gratia Caesaris concesserat, ut tamquam postrema atque novella proles no-

bilis stirpis resipiscendi haberes spatium. Sed quum sacrosancta verba eius tam insolenter ludum feceris, etiam ista negatur tibi gratia. Iam alterum utrum malueris eligito: aut enim continuo dīs tus offeres, etiamnunc, si parueris, impetrabo gratiam, aut cum hisce serorum in modum bestiarum praeda in arenam ibis.

PANCR. Quod summe erat concupitum, teneo. O diem beatum, qui obviam me ducat Iesu Christo! Nam quis sum ego? Vix animo capio. Gratulabundus te sequare: tuus ero, te licebit contueri in perpetuum! Claudi te vos huic luci, oculi, quoniam mirifice aurora exsplendescit sempiterna.

TERT. Neque ferocis pantherae dentes parves?

PANCR. Cur ego timeam serum illum nuntium, qui me patris ad complexum evocet? Venidum o hora exoptatissima!

AGELLUS (*intrans*): Magna finita sunt gladiatorum spectacula. Vacua arena est. Praestigiatorum nugae disciplicant. Christianos ad leones! haec vox Caesaris, hic avidae clamor multitudinis. Quin etiam tumultuantur. Redde illos igitur!

TERT. (*digo monstrans Pancratium*): Ante agmen huncce virgis caedite! Agite, ad arenam procedite!

PANCR. Sint Deo grates! Laetus profecto ad mortem propero omnium, ut par est, nimis. Pro te iam datur pati contumeliam. (*Studiose et lente*): Et pro salute eius sume omnia! (*Tubis fundentibus clangorem, cedit aulaeum*).

(*Ad proximum numerum*).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.


C. DEL

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus.** Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI **Francisculi prandium.** Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA **Euplius.** Actio dramatica. – Venit lib. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ociis

venum dantur,

nmodata apud

scenis accom-

s. — Si tegu-
decorat., lib. 6.

2.

rit publici cursus
us).ROMÆ col-
num MCMXXVI,
uiimus libella-
licet 600, proer nummariam
mite requiren-
12, Via del
non sinit ut
bendi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

CAELESTES VIRTUTES IN SUMMO MANZONII OPERE¹

Reliquum est ut loquamur de virtute caritatis, in qua ab Apostolo vinculum cernitur perfectionis (*Coloss.*, III, 14). In hac tamen disquisitione nulla est facienda distinctio inter Dei amorem et proximi; nam origine et ratione, diverso licet obiecto, utriusque una tantum eademque est caritas. Immo iuxta Apostolum caritatis «Qui... non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?» (*IOANN.*, *Epist.* I, 20).

Iamvero in opere perfectissimo, de quo loquimur, late et profunde diffusa est caritas in tot tantisque suis explicationibus. Neque fieri potest ut paucis verbis referantur innumerabilia exempla, e quibus emicat flamma ardens caritatis. Itaque, auditores, nostri animi recreandi causa, nonnulla tantum seligimus, ubi effulget huiusc virtutis ratio et amplitudo, vis atque praestantia.

Inter vero multifarias caritatis significaciones est indigentibus benefacere: et passim in opere exhibentur personae benignae stipem conferentes, aut pauperum aliter consulentes inopiae. At quonam

animo, qua ratione vitae subsidia tribuuntur? Ilari vultu atque sine tuba clamitante. Proponite ante oculos, auditores, sutorem illum, qui primas litteras didicerat et vir doctrina consilioque praeditus inter cives aestimabatur. Hic, postquam Luciam, in libertatem ab ipso erexitore vindicatam, suae domi magno cum gaudio recepisset, inter mensam memoria repetens inexhaustam Friderici cardinalis largitatem, eius exemplum maluit imitari. Posuit igitur in lance aliquantulum epularum, et, addito pane parva que cum vino lagoena, omnia dedit in manus cuiusdam filiolae dicens: *Va qui da Maria vedova; lasciale questa roba, e dille che è per stare un po' allegra co' suoi bambini. Ma con buona grazia, ve'; che non paia che tu le faccia l'elemosina. E non dir niente se incontri qualcheduno...* (Cap. XXIV).⁴

Huic modo affabili et modesto respondent illi versus carminis de Pentecoste:

*Cui fu donato in copia,
Doni con volto amico,
Con quel tacer pudico,
Che accetto il don ti fa.²*

¹ * *Vade huc, ad Mariam viduam; haec ei tradas, atque dic ea esse, ut parum laetitiae cum puerulis capiat. Attende tamen cum venustate facias, ne videaris ei eleemosynam largiri. Nec alicui occurrens quidquam dicas!...*

² «Cui copiose donatum est, is amico vultu donet, eoque pudico silentio, quod gratum reddit donum ».

Quid autem miseris largiendum? Omnibus constat illud evangelicum: «Quod superest date eleemosynam» (Luc., XI, 41). Hoc autem aliquando arctissima verbi vi acceptum videmus. Etenim, quum, Adua praetergressus, Laurentius Bergomum peteret, ad sublevandam extremam indigenitiam omni prorsus pecunia, quae supererat, se expoliavit: *La c'è la Provvidenza! disse Renzo, e cacciata subito la mano in tasca, la votò di quei pochi soldi....* (Cap. XVIII).¹

Et simul prosecutus est sine ulla pecunia, sed maiori cum fiducia in futurum.

Beneficentia igitur limites non agnoscit, eiusque amplitudo est immensa et maritantum aequiparatur. Haec vero ingens pelagi imago in ore ponitur fratris Galdini, qui ita sermonem absolvit de nucibus portentosis: ... *noi siam come il mare, che riceve acqua da tutte le parti, e la torna a distribuire a tutti i fiumi* (Cap. III).²

Indicium autem certum exquisitae caritatis est semetipsum benignum et facilem omnibus se exhibere, sive humilibus conditione, sive praestantibus.

Alienum est enim ab hominis natura ad infimos descendere, omniumque confiteri aequalitatem. Huius vero urbanitatis ac lenitatis maximum specimen in Friderico cardinali eminet.

La carità inesausta di quest'uomo, non meno che nel dare, spiccava in tutto il suo contegno. Di facile abbindo con tutti, credeva di dovere specialmente a quelli che si chiamano di bassa condizione, un viso gioviale, una cortesia affettuosa, tanto più, quanto ne trovan meno nel mondo (Cap. XXII).³

¹ «Providentia est – inquit Laurentius; atque statim manu in sinus immissa, id paucis illis nummis vacuefecit».

² «Nos tamquam mare sumus, quod undique aquas recipit, eamque inter omnia flumina distributam reddit.»

³ «Huius viri inexhausta caritas, non minus quam in largitionibus, in eius vitae ratione omni excellebat,

Sed praeceptum caritatis fit in agendo difficilimum quum inimicos quoque amplectatur. Absurdum enim videtur eos diligere, qui nos oderint, benefacere persequentibus nos. Et tamen scimus quantum novum hoc praeceptum societati sit necessarium, quantum perutile et iucundum iis, qui id exequuntur: *A tutte le vittorie morali succede una calma consolatrice; e amare in Dio quelli che si odierrebbero secondo il mondo, è nell'anima umana, nata ad amare, un sentimento d'inesprimibile giocondità.*⁴

Ita in aureo libro De morali catholica ipsius nostri auctoris (Cap. VII).

Cuius autem victoriae, quam animus obliviscens iniurias reportatur, et iucunditatis quae consequitur, plurima exstant exempla in opere maximo eiusdem Manzonii. Et fortasse in nullo alio praecepto tantopere instat.

Quis unquam potest obliterare spectaculum illud, quo Ludovicus fratri adversarii ab se occisi reconciliatur? Quis vero non commovetur illam legendō precationem, quam in ecclesia peragit noctu pater Christophorus cum suis filiolis peregrinantibus? Pauperes quidem, exsules domo, non tantum ignoscunt iniquo vexatori, sed diligunt, pro eo Dominum supplicantes!

Huiusmodi autem preces bene meminerit Lucia, quando, post cruciatus et rapturn, matrem reviserit; huic enim exclamanti: *Ah anima nera! ah tizzone d'inferno!... Ma verrà la sua ora anche per lui. Domeneddio lo pagherà secondo il merito; e allora proverà anche lui...*⁵

Facilis cuique ad eum aditus; putabat debere sese, iis præsertim qui ignobiles vocantur, hilarem vultum ostendere animique humanissimam applicationem; eoque magis, quo minus in hominum societate ea advenirent.

«Omnibus animi victoriis consolans quies succedit; amare in Deo illos, quos homines oderimus, est in animo, ad amorem nato, iucunditatis sensus, quem exprimere nequimus.»

«Vae animae illi atræ! Vae titioni inferno! Sed

Ipsa ait contra: *No, no, mamma; no... non gli augurate di patire! non l'augurate a nessuno! Se sapete cosa sia il patire! Se avete provato! No, no! preghiamo piuttosto Dio e la Madonna per lui: che Dio gli tocchi il cuore, come ha fatto a quest'altro povero signore, ch'era peggio di lui; e ora è un santo* (Cap. XXIV).¹

At enim Laurentius, postquam pluries iam suo inimico ignovisset, tamen rursus in animo odium repullulante persentiebat. Quum vero Mediolani invenisset patrem Christophorum inter pestilentia laborantes, ab eo ductus est in tugurium, ubi dominus Rudericus degebat moriturus. Heu quantum mutatus ab illo!

Tu vedi! - disse il frate, con voce bassa e grave. - Può esser castigo, può esser misericordia. Il sentimento che tu proverai ora per quest'uomo che t'ha offeso, sì, lo stesso sentimento, il Dio, che tu pure hai offeso, avrà per te in quel giorno. Benedicilo, e sei benedetto (Cap. XXXV).²

Et post alia verba: *Forse la salvezza di quest'uomo dipende ora da te, da un tuo sentimento di perdono, di compassione... d'amore! Tacque; e, giunte le mani, chinò il viso sopra di esse, e pregò: Renzo fece lo stesso.*³

Tacita sublimis oratio! Postquam autem Laurentius Luciam invenit, ipse pater,

et ipsi sua hora adveniet. Dominus Deus ex meritis rependet; tum vero et ipse experietur...»

¹ «Apage, apage, o mater! Ne ei cruciatu omne-ris! Nemini omineris! Si scires quid sint cruciatu! Si perpessa fuisses!... Nunquam, nunquam!... Immo vero Deum Divamque Virginem pro eo oremus: ut Deus animum eius percutiat, quemadmodum cum infelici hoc altero viro egit, qui, eo peior erat, nunc autem est sanctus».

² «Ipse vides – demissa et gravi voce dixit monachus. – Poena esse potest, potest esse misericordia. Sensu, quem proxime experieris erga hominem hunc, qui iniuria te afficit, eodem, inquam, sensu, Deus ille, quem et tu iniuria afficisti, erga te in die illa permis-etur. Ei benedicas, ac tu benediceris».

³ «Forte huius hominis, et ipsa tua, salus in te nunc posita est, in tuo veniae, misericordiae... amoris aliquo sensu... Tacuit, coniunctisque manibus vultum inclinavit, oravitque. Laurentius idem fecit».

quam extrebas memorias sponsis relinqueret, levò dalla sporta una scatola di legno ordinario, ma tornita e lustrata con una certa finezza cappuccinesca, e proseguì: *Qui dentro c'è il resto di quel pane... il primo che ho chiesto per carità; quel pane, a cui avete sentito parlare! Lo lascio a voi altri: serbatelo; fatelo vedere ai vostri figliuoli. Verranno in un triste mondo, e in tristi tempi, in mezzo ai superbie a' provocatori: dite loro che perdonino sempre, sempre! tutto, tutto!...* (Cap. XXXIV).¹

Hoc est quoddam testamentum illius, qui, integra vita post professionem religiosam operibus caritatis exhausta, animam suam pro ovibus erat positurus. Revera aliquot post dies pestilentia absumptus est. Hoc autem signum maximum est perfectae benevolentiae pro hominibus libenti animo mortem oppetere.

**

Vidimus igitur caritatem in præcipuis suis explicationibus expressam. Iamvero, ut plura non dicam, in memoriam revocate, auditores, sapientissima illa verba, quae dixit Fridericus Cardinalis domino Abundio, postquam rationem de nuptiis recusatis ab eo repetit: *Presentiamo a Dio i nostri cuori, miseri, vòti, perchè Gli piaccia di riempirli di quella carità, che ripara al passato, che assicura l'avvenire, che teme e confida, piange e si rallegra, con sapienza; che diventa in ogni caso la virtù di cui abbiamo bisogno* (Cap. XXVI).²

¹ «Sporta elicuit thecam ex communi ligno, sed perfectione quadam et absolutione Capulatorum propria tornatam atque politam, et dicere perrexit: «Hic intus reliquum est panis illius... primi, quem caritatis nomine efflagitavi; panis illius, de quo vos audistis. Vobis relinquo: illud servate vestrisque liberis ostendite. In tristem heu! mundum venient, tristibusque diebus, inter superbos ac lassessentes homines. Illis præcipite ut parcant semper, semper; omnibus, omnibus!»

² «Deo corda nostra, misera, vacua, porrigamus, ut ea dignetur illa caritate replere, quae præterita

Haec memorata sufficient ad propositum nostrum.

Itaque, vos praesertim, diligentissimi alumnī, qui tota die opus hoc mirabile vestra manu versatis, si illud exploratum penitus vultis habere, eiusque sapientiae fructibus pasci ac delectari exoptatis, optime scitis non satis esse id tantum legere, aut ipsum lectitare, sed, ut verbis poëtae nostri utar, necesse omnino illud « *sentire et meditari* ».¹

Hoc si feceritis, praeter virtutes divinas, quas modo temporis angustiis tantum delibavimus, perspectas habueritis ceteras quoque virtutes, ex illis tanquam radicibus emanantes.

Ex eo autem opere constabit vobis genuina rectaque vitae notio, omni vanitate ac fallacia prorsus remota; illinc explicaciones suscepératis omnium quaestionum, quae hominum corda ac sapientum torquent ingenia; illinc pariter cuique vestrum haurire licebit se gerendi modum pro tempore et pro re, quaecumque vivendi ratio erit singulis divinitus statuta ac definita.

Vos vero, fortunati iuvenes, qui, ad sacerdotium vocati, florem aetatis Domino fruendum praebetis, ibidem præ ceteris clarissimum habetis exemplum Fridericum, sacrorum antistitem. Humilis in tanta dignitate constitutus, sobrius ac frugi etsi fortunis opibusque redundans, placidus et lenis fervida licet ac vehementi natura, minimum curarum sibimet ipsi tribuit, sed totum] se contulit ad aliorum utilitatem. Huius quidem imago fulgens ac veneranda, quae veluti genius iustitiae et bonitatis emergit in illa temporis calamitate, vobis praebetur sacerdotis exemplum absolutissimum.

ANGELUS PERUGINI.

reficit, futura tutatur; timet et fudit, deflet et laetatur, sapienter; quæ singulis vicibus fit virtus, qua indigemus».

¹ Cfr. carmen c. t. In morte di Carlo Imbonati, 207.

De latinarum litterarum historia pælectiones¹

IV. De satira dramatica.

Magna questio aetate nostra exorta est, utrum prisci Romani saturam scenicam habuerint, necone. Res tota pendet ex interpretatione loci cuiusdam Liviani, quem iuvat sub oculos lectorum nostrorum ponere. - Narrat igitur Livius in libro VI, capite II, C. Sulpicio Petico C. Licinio Stolone consulibus (a. ccclxiii a. C. n.) pestilentiam Romae fuisse; tunc pacis Deum exposcendae causa tertio post u. c. lecternum fuisse. Sed quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludos quoque scenicos, rem novam bellico populo, inter alia caelestis irae placamina institutos esse: « Ceterum, - pergit, - parva quoque, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Tusco dabant. - Imitari deinde eos iuventus, simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus, coepere: nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. - Vernaculis articibus, quia *hister* Tusco verbo ludius vocabatur, nomen *histrionibus* inditum; qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis iaciebant, sed impletas modis *saturas*, descripto iam ad tibicinem cantu, motuque congruenti, peragebant. - Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet id quod omnes tum erant, suorum carminum actor, dicitur quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum

Cfr. fasc. sup.

« ad canendum ante tibicinem quum staitisset, canticum egiisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta. - Postquam a lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocaretur, et ludus in artem paullatim vertetur iuventus, histrionibus fabellarum actu relictio, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus imitari coepit; quae *exodia* postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt... Inter aliarum parva principia rerum ludorum quoque prima origo ponenda visa est, ut appareret, quam ab sano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerit».

Habes hinc ludorum scenicorum progressus et historiam, nempe: 1^{um} saltationes Tuscorum ludionum ad tibicinis modos sine carmine ullo; 2^{um} iuventus romana imitatura novam rem inducit i. e. alterna iocularia inconditis versibus, Fescennina licentia; 3^{um} progrediente arte histrionica, *saturae* impletae modis, descripto ad tibicinem cantu et congruenti motu peraguntur; 4^{um} Livius Andronicus audet primus argumento fabulam serere; praeterea puero ad canendum advocate, partes canendi et agendi separantur ita ut in scena sint et cantores et tibicines et actores; 5^{um} demum, quoniam res iam in artem vertebarat, iuventus romana, histrionibus fabulas relinquit redditus ad iocularia sua versibus intexta, quae, ut *exodia*, fabellis Atellanis plerumque conseruntur.

Si quaeramus, quibus fontibus usus sit Livius in his rebus noscendis exponendisque, in mentem venit et doctissimus Varro, qui in libris *de vita populi Romani* vel potius in libris *de originibus scenicis, de scenicis actionibus*, vel in decimo *Rerum divinarum (Antiquitatum libri) de ludis scenicis*, hanc materiam attingere et pertractare potuit; et Accius poëta, qui

in *Didascalicis* historiam quamdam graecæ romanaeque poëseos, praesertim dramaticæ, exposuerat. Sed nihil certi ex perpaucis fragmentis horum operum eruere licet.

Unde Livius narrationem suam derivavit, de origine et progressione scenicae artis non est cur dubitemus. Sed verisimile est, a rudi saltatione Tuscorum ludionum gradum factum esse ad imitationem iuventutis Romanae, adiecta Fescennina licentia, opprobria rustica alternis fundendi; ab hoc lusus genere, progrediente histrionum arte, nihil vetat quominus concedamus, incrementum habuisse scenicas actiones, talesque peragi coepitas esse, in quibus et carmina canentur et cantica ad tibicinis modos essent descripta, et haec omnia congruenti motu aptisque gestibus efficaciora et fucundiora redderentur. Quum Andronicus Tarentinus Graecorum imitatione ductus, argumento tragicò aut comicò fabulam seret, multum profecto adiicit quod ad artem pertinet, at scenica rerum mixtio, tibicinum cantorum actorum, eadem permanebit. At id quaeritur, utrum haec scenica mixtura ineunte tertio ante C. n. saeculo iam *satura* vocaretur, necne.

De *satura* apud Romanos notissimus locus est Diomedis grammatici (*G. L. K.*, vol. 1, p. 485): « Satira dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicuum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. Sed olim carmen quod ex variis poetis constabat *satira* vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. - Satira autem dicta sive a Satyris, quod similiter in hoc carmine ridiculæ res pudendaque dicuntur, velut quae a Satyris proferuntur et fiunt; sive *satura* e lance, quae referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos Dis inferi batur, et a copia ac saturitate rei *satura*

« vocabatur; sive a quodam genere farcī minis, quod multis rebus refertur *satura*; *ram* dicit Varro vocitatum...; ¹ alii autem « dictam putant a *lege saturā* quae uno « rogatu multa simul comprehendat, quod « scilicet et *satura* carmine multa simul « poēmata comprehenduntur ».

Eadem ferme dicuntur etiam a scho- liasta Horatiano in praefatione ad sermo- nes. Omitto etymon a *Satyris*, quod serius certe excogitatum est ab iis qui omnia Ro- mana a Graecis derivare studebant.² Vox sine dubio est ab adiectivo: *satur-a-um*; substantivum autem *satura* materialis sensu vel lancem designabat primitiis refertam. Disque in sacro illatam, vel dulce farci- men Varronianum; sensu autem immate- riali, vox *satura* aut a iurisperitis adhibita est in locutionibus: « per saturam abrogare, derogare » (FESTUS), « per saturam sententias exquirere » (SALLUSTIUS), « sa- tura lex uno rogatu multa simul compre- hendens » etc.; aut a litterarum studiosis ad designandam tum saturam Ennianam Pa- cuvianam Accianam varietate numerorum et poēmatum insignem, tum Lucilianam Horatianam Iuvenalianam ad carpenda hominum vitia compositam, tum denique Varronianam (Menipppearum) Petronianam et Martiani Capellae prosa oratione et versibus commixtam. Utut est, nusquam ibi mentio inicitur de *satura* scenica. Haec ipsa causa est cur nonnulli recentiores philologi, ut Leo, Marxius, Hendricksonus,³ totam narrationem livianam de histrionibus saturas peragentibus inter fa- bulas amandandam iudicarent; Accium

¹ Id in 2^o libro *Plautinarum quaestionum*, « *Satura* est uva passa et polenta et nuclei pini ex mulso conspersi; ad haec alii addunt et de malo Punico grana ».

² Etiam scribendi ratio *Satyrā* sero inventa est pro *satura* vel *satirā*.

³ LEO in *Hermes*, 1889, 1904, et in *Götting. Gel. Ans.* 1906; MARX in *prolegom.* editionis sua Luciliana, p. xiii; HENDRICKSON in *American Journal of philology*, 1894, 1898.

aiunt fortasse huius erroris auctorem fuisse vel histrionum similitudine ductum cum graecis *Satyris* ridiculas res pudendasque dicentibus, vel desiderio saturae genus in antiquissima tempora proiciendi.

Sed ne praecipites feramur in fide scrip- toribus antiquis abiudicanda! Iam supra diximus nihil esse cur notitiae histrionum scenicam quamdam mixtionem peragentium fidem abrogemus; idque multo ante quam Livius Andronicus primam fabulam graeco more doceret, sed etiam illius ae- tate eadem mixtio scenica agebatur; quin etiam, puer ad canendum constituto, se- paratis partibus tibicinum cantorum au- torum, aucta est rerum scenicarum mix- tura, quae sane *satura* appellari poterat. Suspicio tamen hac voce de rebus scenicis usum esse primum Varronem ad ludorum scenicorum mixtam formam illustrandam lectoribusque suis iam de *satura* litteraria edocis exponendam.¹

FELIX RAMORINUS.

VELIVOLUM

CHARITAS - PAX

Audite! Magnum desuper imbris murmur stupescit, desuper aetheri arctosque contingens nivales, sideribus rutilis remugit.

Non obstat umbris nox tacitis iners, non Ister altis vorticibus minans, non hostis ignis perfurentis, nec rabies maculata ferri.

Hic instat audax pectore, diruit nimbos procellis horrisonis satos: interque caeli altas ruinas stat placidus, patria iubente.

¹ Cf. KNAPP, *The sceptical assault on the Roman tradition concerning the Dramatica *satura**, in *Amer. Journ. of philol.*, 1912, pp. 125-148.

Sic evolantem Numinis alitem incompta moles luminibus carens audit, perhorrescens Potentis vim, tremuitque silens profunde.

Ut pastor altis nubibus igneos ictus remotos impavidus videt non rura nec messes minantes; terra tremit, mare nunc perhorret. Recta patenti progreditur via, quaerens superbū criminibus caput, mortemque, terrorem datus...

Sed subito nova pax resultat. Labuntur hostis pristina iūrgia velut liquescit frigidus ac gelu concretus imber, solis ictu, indocilesque minis, amoris Cedunt. Virilis non timet horrida ferri vomentis spicula, fulguris instar, ruinas nec pavescit: dulcia verba movent rebellēs.

Pacis loquela tristia proelia perdunt, superbos atque animos agunt, viresque mollescunt feroce, basia Numinibus litantes.

Frigentis axis dimidium tenet, cursu reverso sideribus, novum Sidus, per obstantes tenebras proiciens rutilum nitorem.

Orbis soporem percultit illico lumen coruscans; Aligerum choro pacis, silentes mox centur: obstupuere homines redempti!

Iam terra gaudet laetitia nova moresque linquit iam feritas vetus, iraque derepta tyrannis, emicuit miseris serenum.

Et monte tristi Martyris Incliti pleno tremendo funere sanguinis, convulsus orbis, luce dempta; hora data tenebris cruentis.

Si matris haedi conspiciant sinum lupi rapacis dentibus asperis

scissum, minacem tum paventes diffugiant rapidi tremore;
Ducis sequaces haud aliter nece flentesque frendunt, mox trepidi silent, quacumque discissi latentes, irrita vota timent pusilli.
Ast morte victa, conspicuum decus nactus, recinctus tempora gloria et luce, Christus de tenebris effugit, egregius triumpho.
Pacemque dicens! Auspicio sacro mundus repletus cernitur undique pax aether excurrit profundum, pace nova miseros salutat!
Pax sole, et aura, et lumine pulchrior, ah semper vias caecasque destruas iam bella! Fratres permanemus, oscula, laetitiam reducas!
Nunc cernite. Aethrae virgo novum decus pax sancta mundi, caeruleas vias currit, refulgenti nitore.

Hic maneas faveasque, pax, pax!

Firmi.

S. ALESSANDRINI.

AESTHETICAE NOTAE¹

De Sculptura.

Sculptura, quasi architecturæ comes et ornamentum, cum ea fere semper consociata exhibetur. Sculptura proprie indicat artem fingendi obiectum solidum, ex toto nempe prominens, ita ut simulacrum a fronte, a lateribus, a tergo spectanti pateat. Sed minus proprie sculpturae nomen omnes minores et affines artes complectitur, quae, vel media vel antiqua ex parte, obiectum prominens adumbrant, uti sunt toreutice vel anaglyptica, caelatura, gem-

¹ Cfr. fasc. xi-xii sup. anni.

maria. Unde sculptura late patet, et ad omne opus extendi videtur, quod ad *plasticen* pertinet.

Primarium sculpturae obiectum est homo, cunctis sensibilibus viventibus formosior, tum propter mirabilem corporis partium perfectionem et consonantiam, tum praesertim propter animam rationalem, quae eius naturam vivificat. Ex hac unione substantiali pulchritudo animae per signa et motus membrorum, praecipue per vultus speculum naturaliter manifestatur: ad istam pulchritudinem exprimentam sculptura in primis tendit.

Bruta animantia secundarium obiectum sculpturae sunt, quae ideo finguntur, quia vel homini inserviunt, vel tectam et operatam significationem praferunt: ita effingitur equus una cum duce, vel leo, humanae fortitudinis simul et magnanimitatis imago. Secundarium obiectum quoque sunt res inanimatae, uti arbores, fontes, flores, rupes..., quae non per se a sculptura petuntur, sed in complementum vel ornamentum obiecti primarii.

**

Sculptura, sicut et quaelibet ars, duobus elementis constituitur; scilicet *apta materia*, quae est vel lignea, vel ossea, vel aenea, vel marmorea, vel argentea, aurea, etc., et *forma specifica*. In eximia electione et coaptatione istorum elementorum praestantia sculpturae manat.

Quaenam vero est propria et peculiaris sculpturae forma?

Fertur Bonarrotius, effecta Moysis statua (quae modo Romae, in basilica «S. Petri in vinculis», aspicitur) exclamasse: *Cur non loqueris? Carnis enim, musculorum, ossium, nervorum omniumque membrorum signum vivum, spirans confectum erat; tantum loquela deerat, ut redivivus diceretur Hebraeorum dux et legislator. Nimirum opus artis a naturae opere longe distabat, sed absolutum erat.*

¹ Lib. III, *De Oratore*.

Similiter Propertius testatur, Lysippum effinxisse *animosa signa*; et Vergilius de veterum dexteritate loquens commemorat *spirantia signa et spirantia aera*.

Ex quibus dictis sat clare colligitur, singularem sculpturae formam reponi debere in expressione animae per geometricum aequilibrium membrorum, seu per physiologam humani corporis structuram in corpore solido configuratam.

Dicam melius: Eximia sculpturae forma est, spectantibus notam facere ineffabilem unionem substantialem et personalem, quae viget inter corpus et animam hominis.

Quapropter eo nobilior dicenda est sculptura, quo in conflictis naturae membris luculentius expressa refulgeat substantialis illa humanae naturae unio, qua corpus et anima unum, hominem, efformant. Hinc sculptura quamvis non negligat, directe tamen et per se non versatur circa exteriores relationes, quibus circumdatus solet homo inveniri, sed interiorem animi cum corporis partibus congruentiam summopere repraesentare contendit.

Definiri igitur potest sculptura: *Ars pulchra, quae per solidas formas individuam praesertim hominis naturam exprimere studet.* Signa autem quibus eximia sculpturae forma spectantibus manifestatur, *anatomica* dici possunt, quasi ab anatomia potissimum mutuata. Qua de re sculptor, per continuam naturae notationem, talium signorum perfectam omnino debet scientiam sibi comparare, memor illius Ciceronis: *Omnis animi motus suum quemdam a natura habet vultum et sonum et gestum; animi imago vultus est.*¹ Attamen Geometriae, seu delineationis scientia nullo modo a sculptura aliena putanda est:

Colores arte facti materiae superadditi, sunt «accidentales sculpturae»; imo gene-

ratim statuaria marmorea et aenea a coloribus abhorret; statua colorata praestigiis exercendis potius apta est, quam ad veracem spectantium admirationem. Sculptura igitur et pictura in eodem subiecto manere nolunt, nisi forte agatur de prominentibus testaceis, de toreumatibus, vel de minimis operibus.

**

Ex cognita sculpturae indole, praeter generales leges, quae pro quavis arte vigent, peculiares inferuntur normae quae sequuntur:

a) Quoniam sculptura in eo posita est, ut ex physica membrorum pulchritudine interna reluceat animi formositas et substantialis hominis unio, mavult ut nuda exhibeat humana figura, ita ut ossa, musculi, nervi, venae spirantes appareant; vel saltem flexilibus vestibus induita, quibus potius quam abscondita, velata pateant membra. Boni tamen mores et reverentia exigunt, ut occulta maneant, quae consensus hominum et ipsa natura celare consuevere.

b) Requiritur ut omnes simulacri partes cum re tota adspectabilem habeant consonantiam; et ut physiologica membrorum dispositio, corporis statio vel sessio, oculorum brachiorumque inclinatio vel elevatio, animi motum certum commonstant, affectionesque diversas exprimant, easque praesertim, quae humanitatem exornant, uti sunt gaudium, pietas, dolor, commiseratio, spes, amor, fiducia.

c) Quoniam sculptura animatam efficit stabilem materiam, oportet ut solemnia seligat ac exprimat momenta, quibus in homine summa resplendet maiestas, vel aliqua perfectio perpetua admiratione digna. Quapropter expressio quorundam effectuum nimis vivacium, qui in natura admodum fugitivi sunt ac labiles, deformis evadit si in stabili materia diurna redatur. Ita Laocoon, qui perbelli a Vergilio

describitur anguis circumdatus et ore cavernoso aperto in actu clamorationum, iniucundissimam produceret affectionem, si eo statu a sculptura effingeretur. Re quidem vera auctores celeberrimae Laocoontis statuae vitium hoc effugere.

d) Aedificia, oppida, civitates... ob rei impossibilitatem, seu nimiam materie amplitudinem, non sunt obiectum sculpturae, sed solummodo caelati operis. Attamen si agatur de symplegmate, seu de unione statuarum (duarum vel trium, ad summum quatuor) opus est ut proportio habeatur inter singulas statuas, et hae simul respondeant unicae menti, in quam sculptor intendit.¹

e) Sculptura, quamvis praeceteris artibus magis magisque videatur naturae imitatrix, tamen novam aliquam eximiam formam, aliquam saltem novam vitae perfectionem enunciet oportet. In hoc maxima difficultas.

Sculptor igitur non solum vitam simulacris infundere conetur, sed animi illam exprimat affectionem, quae miranda aliqua novitate ac praestantia plurimum delectet.

(Ad proximum numerum).

G. LEPORE.

DE PICTORIBUS FRANCISCALIBUS²

In Assisiensi Franciscana basilica admirabili varietate lotti integritas cum gravi Cimabue austernitate, et orientalis immobilitas cum hilari quadam ingenii velocitate commiscentur.

Omnis vero pictores laudabili studio eo convenient, ut Hominis mansuetudinem

¹ Adsunt tamen superba mausolea, in quibus signa, sive ex toto sive ex parte prominentia, quamplurima numerantur; ex. gr. mausoleum papiense S. Augustini. Sed mausoleum proprie a symplegmate differt. Saepius multae statuae, sed una principalis.

² Cfr. fasc. sup.

atque ingenuitatem referant et in primis summam animi pauperiem, qua innixus omnia uti mortalia aspernatus ad caelestia unice respiciat.

Quo facto, Francisci vultus splendescens semper et rutilante veluti nimbo effulgens, ad se ultro homines puerosque trahebat.

Os laetum, aspectus dulcis, concordia, amore que Et mira insignis fons pietatis erat.¹

Ita inter caelites apparuit poëtae Italorum principi, atque ita immortali carmine nobis tradere placuit, ut civibus suis, positis odiis atque intestinis discordiis,

*Eius vita stupenda foret,
In caelo laudanda magis, quo est gloria maior.*

Et universa Senensem pictorum schola, agilis quidam atque hilaris, tota est in S. Francisco pingendo; eius tamen vultum formosum minime reddit, sed adeo modestum, adeo venustum, ut nihil supra.

In iis vero pietas ac devotio enitescit, et vel inter multorum alumnorum coetum, ob vultus modestiam maxime commendatur, atque oris verecundiam prae se ferens, ieunia praedicat, mortificationem et poenitentiam.

Et Noster, iuvenili quadam hilaritate suffusus, semper pudibundum ita se se exhibet, ut eius religiositas, colorum modo suavitate ac virore identidem supereretur.

Sic, uno oculorum obtutu, omnium adipiscientium admirationem sibi unice conciliat.

Adeptente vero saeculo decimo quinto, effigies sancti Francisci ad venustatem progreditur, ut ipsa oris macies et miseratione magnifice cum maiestate commisceri videatur.

Infinitus essem si nonnullos velle tantummodo referre, qui optima sane operis

¹ Sic enim elegantissime more suo cecinit Dantes Alighierius:

*La lor concordia, e i lor lieti sembianti
Amor e meraviglia, e dolce sguardo,
Facean essere cagion dei pensieri santi.*

(Paradiso, c. XI, v. 74.)

ratione, sanctum Franciscum depinxerunt. Satis sit Laurentium a sancto Severino memorare, cuius tabellae, Florentiae in Corsiniana pinacotheca asservantur.

Huius studio Franciscus accuratius de pingitur, atque ita eius potissimum facies pulchra adparet, ut, primaeva quadam rusticitate exutus, ob ipsum corporis modum vestiumque, et capitis sereniorum nimbum magis se commendet. Sic se pictor, medium veluti gerens inter Cimabue et Iottum, splendidiorem eum nobis exhibit, atque in actione ingenuum, ut veteri pictorum rationi pressius accedet.

Quid vero dicam de Nicolao Alumno? In huius tabulis et in opere tectorio Franciscus iterum iuvenili vultu atque hilari se se obfert; et quamquam pallidus aliquantulum et macilentus, nobilis simul et honestus, quasi caelesti spiritu afflatus, ut qui animum ad se advocet.

Talis fortasse erat, quem in Etruria peregrinaretur, quem oraret ad populum, quem rebellantes plebeulas non modo retraenaret,

Sed votis precibusque tubet exposcere parva.

Sub saeculi finem, Macrinus Albensis a prioribus paululum recedens, nobis Franciscum pingit fortè ac praestantiorem, non ita tamen, ut eius animi sanctitatem negligat. At qui mox eum excipiunt, Giambellino potissimum et Francia, quem uterque maneat suus, attamen, alias alia ratione, elegantiori vultu atque graviori sanctum retrahit, tum vero profana propemodo persona et gestu eum exprimit.

Si enim pinacothecas forte Venetis inviseris, saepe cum sancto Francisco videbis sanctum Sebastianum, fortissimum illum virum, qui non modo miles fuit, sed et copiarum magister, imperatori strenue obstitit, et sua animae prodigus, inter exquisitissimos cruciatus pro Christo occubuit.

Verum quam pulcre pauperrimus Dei servus adparet, vel inter armorum strepitum et rumores!

Omnia mirum in modum ac sapientissimum compónuntur.

Et Bellini laude dignissimum aestimaveris, qui prior temporis sui denuo sanctum ad venerationem composuit, et in ipsis tunicati popelli cultibus, alloquens, vultu haud hilaris adparet, sed moestitia quodammodo confectus, ad poenitentiam admissorum deducere atque ad caelestia audientium animos adferre videtur.

Saeculo vero decimo sexto, frigescente in artificibus in dies pietate, sensim sine sensu per pictorum manum, Noster veluti a divinarum rerum contemplatione abstractus, pietatem perpetuam atque nativam depositus.

Quo nomine, fere omnes qui in pictura nomen sibi aliquod compararunt, eo omnino contendunt, ut humanum potius referant quam caelestem, si Francia excipias, qui solus Sancti lineamenta expromit, ut vel ab oculorum acie superni ac divini spiritus quidquam semper ostendat.

Quid memorem de quadam recentiorum improbitate, qui dum variorum in picturis semitam persecuti autumant, omnibus veri pulcrique sensibus posthabitibus, Sanctum profanum ac perversum referre superbe consueverunt?

Vah! apage a nobis disciplinam pictorum huiusmodi, qui extera barbarie atque impietate nos infuscant, et praesertim tirrones, quorum oculos permagni refert nitidis ac salutaribus artibus adsuescere.

Antequam vero supremam huic de pictibus Franciscalibus commentario manum impono, liceat mihi in lectorum mentem revocare, divino munere virum exstitisse, qui in sculptura Iotto aemulatus et Cimabue, utrumque perfectione supergressus, immortalitatem est adeptus.

Haec mea verba ad Ioannem Dupré florentinum pertinent, qui pietate insignis principem sibi locum comparavit, et procul dubio, inter cetera opera summo artificio confecta, monumentum exegit aere peren-

nus, in sancti Francisci effigie e marmore sculpta. Omnium iudicio, cum perfectissimis omnis temporis operibus decertare videtur.

Utinam et multos sibi devotos opifices s. Franciscus ex nobis suscitet, sanctosque conservet!

I. B. FRANCESIA.

PONTIFICIS PII XI

MONUMENTUM

IN BIBLIOTHECAE AMBROSIANAЕ MEDIOLANENSIS

AULA PRINCIPE

CONSERVATORUM IPSIUS DOCTORUMQUE

COLLEGIO

XII KAL. APRILES MCMXXVII

SOLLEMNITER INAUGURANTE

Artificis caelata manus iam fusa metallo

Erigitur Species cerea Pontificis.

*Undecimus stat sede Pius, qui Praeses et huius
Incyli Athenaei gloria summa fuit.*

*Argutis oculis rutilant acris ingenii acumen
Nec non ferventes pectore divitiae.*

O frontis decus! o spirantis gratia vultus!

Emollire potens saxea corda quoque.

*Dextra tenet librum, revocat qui lustra per octo
Sacrae versatum Palladis arte sophum.*

*Augustam tendens laevam digito indice signat,
Quae pede non clando ducit ad astra, viam.*

*Dicite: Sculptor Io! studiorum hac namque
[palaestra*

*Praeses vivit adhuc hospes et emeritus.
Maxime, Ave, o Pastor, nostra decus urbis
[et orbis,*

*Caelorum ac terrae dive Sequester, Ave!
Verba Tu habes vitae, Christo testante, Ma
[gister,*

*Quae credenda manent nos et agenda, docens.
Usque tuis placitis monitisque haerebimus
[ultro,*

*Spes quia Te praeter, nec datur ulla salus.
Haec mihi corde fovet monumenti visio sensa,
Dum capite obstipo flector in obsequium!*

Mediolani, Kalendas Aprilibus MCMXXVII.

CAESAR MAMBRETTI.

DE IOANNE BOSCO

PIAE SALESIANAEL FAMILIAE

ET INSTITUTI FILIARUM MARIAE AUXILIATRICIS
CONDITORE

Saepenumero *Alma Roma* insignem Virum laudabiliter commendavit, eiusque mirabilem vitam tot gestis illustrem lectibus memoravit.

Decimo vero kalendas Martii, hoc ipso anno labente, haec nostra opinio, ablegatis omnibus dubiis, est solemniter confirmata.

In aedibus Vaticanis, in frequentissimo Patrum Cardinalium conventu, adstantibus plurimis civibus, undique in honorem accitis, incredibili Salesianorum laetitia, Pius XI Pont. Max. solemnibus ceraemoniis sanxit, omnibus Eum virtutibus exornatum, atque adeo dignissimum, qui inter caelites aliquando referatur. Et Decretum de eius laudibus referens, elegantia veluti romana exsultat, ut *Alma Roma*, quae diu atque ex consulto longa rerum experientia docta, oculis clausis, si de latino eloquio sermo est, et nulla prorsus difficultate, omnia commendet.

Scit enim atque optime novit, quam recta quamque latine haec promulgari consueverunt. In ipso exordio castior fluit dictio atque elegantior, et lectores a verborum angustiis subito in medias res deduxit, atque argumentum uberioris audiens tractavit.

Tot enim tantisque latini eloquii elegantiis pollet, tamque romano spiritu undique scatet, ut quantocius aere aut marmore descriptum posteriorum memoria prorogari mereatur.

Ad haec veluti cumulus accessit ipse Pii XI P. M. sermo, qui divino spiritu afflatus, audientium mentes tenuit, pectus pervasit, atque voluntates, quo vellet, impulit.

Namque, praeter omnium opinionem, verba addidit, quae in animis nostris aeterna mansura, nos in contemplatione virtutum suarum conquiescentes, quasi e superis profecta respiciamus.

Dum alii doctrinam, alii pietatem, cuncti benevolam amicitiam paternamque Ioannis Bosco mirantur, haec Pontificis Maximi verba, amoris, obsequii, gloriae monumentum referunt. Utinam possim vel leviter quaedam delibare, et nonnulla saltem verba, quae ex eius ore plenissime fluebant! Liceat mihi vel paucissima in medium pro re nata proferre.

Sunt aliquando sidera, quae annuente Domino, pestilenti quodam spiritu afflata, ruinam populis atque infortunium, bella et neces nuntiare tristissima creduntur; sunt et alia interdum quae gratiam praeferunt, atque adspectu, alloquo spem inter gentes reducunt animumque adauent.

Inter novissimos hosce homines – ait – recensendum esse, procul dubio vos mecum putabitis, Ioannem Bosco, sacerdotem, cuius familiaritate fruiti, vidimus et audi- vimus quae posteri admirantes, docili ingenio, moribus sanctissimis, et nos, florente adhuc aetate, ipse, non adversis populorum studiis retardatus, opera perfecit, consilio iuvit, ut christiana rei strenue prospiceret.

Certus Deo servire non sibi, cautioris fortunae illecebras officio posthabuit, et qualem praestare se instituerat, talem usque ad exitum certavit. In omnibus singulari fuit industria, navus, et laboris adeo patiens, ut diem saepe noctemque rebus gerendis continuaret. Verum, sic ferente Dei voluntate, ne adversa deessent ubi virtus sua enitesceret, impotentem adversariorum audaciam christiana patientia fregit.

Idem pius, benignus, recti pervicax, officiosus, vitae puriter actae hoc etiam documentum dedit, quod morbo correptus

omnibus flebilis adventantem mortem placidissime exceptit.

In maxima rerum et animorum concitatione voce et scriptis, catholicam sapientiam professos ab haereticorum pravitate strenue prohibuit.

Optime puerili institutioni consuluit, quum pueros ad sanctitatem dulciter esseducendos praedicavit, eoque enixe admittendum, ne in malum procumbant. Apud nos in primis, de operariis recte instituendis, incandescentibus animis, rerum novarum cupidis, patriae perniciem molientibus, ipse complures receptos aperuit pueris inopia laborantibus, moribus et ludis tutandis.

Vir fortunandis hominibus natus, novis in dies institutis, iuventutis praesidio ad vigilavit. Complures enim atque mirabiles operariorum officinas condidit, ubi eximiis instrumentis ad rationes temporum compositis, pueri rectius ad artes liberaliores arripiendas educantur. Hasce miro sane consilio ad palestrae formam instituit, ut meritis essent praemium, merituris exemplum.

Ad agricolas quoque conversus, ut eorum commodis rectius prospiceret, suburbana praedia late adhibuit, ubi adolescentuli, non modo ex temporum ingenio dictatis in umbra erudiuntur, sed rusticis quoque laboribus durati ad rem agrariam effinguntur. Ad haec libris sapientissimis doctrinam suam exornavit; quibus identidem praeclera alumnorum facinora effinxit, acerrima aequalibus et posteris incitatione. Ut ad tantam rerum amplitudinem adsurgeret, multas est adeptus divitias; sed invictum a cupiditatibus animum exhibuit, et generis humilitatem virtutibus culmulavit.

Quae quum ita sint, – concludit – Nos libentes Ecclesiae matri gratulamur, quae nunquam visceribus lassis, partaque exhaustis omni quoque tempore, magnum illum de Litterarum Romanarum historia compendi, qui, toties editus, etiam-

vit, gratulamur et Astae Pompeiae, quae Ei ortum praestitit, civitati quoque Taurinensi, quae primam fortissimo Viro aciem paravit, ac demum Italiae, quae filium acceptissimum salutat, eo universo late orbi terrarum, qui undique eius nomine percrebrescit.

Post haec verba mirum in modum Romanumque prolata, Pater Sanctus commotus adstantibus benedixit, qui ad Eius pedes humillime provoluti, gratias lacrimis potius quam voce agentes, laudes de Pontifice oratore, cum laudatione egregii sacerdotis alacres miscebant.

I. B. F.

EX ITALIS URBIBUS

In honorem Ulrici Hoepli, quo die octogenimo aetatis anno explens, Mediolanenses magistratus et proceres ad splendidas epulas convocavit.

Quoniam, auctore et auspice Magno illo Viro, qui summus nunc est Italicarum rerum moderator, cuiusque nescio utrum ingenium magis admirer an fortem animum, omnia ferme Romano more agi consueverunt, liceat etiam mihi, qui plus quinquaginta annos in Romanarum Litterarum studiis versatus sum, Romano more, id est latina lingua uti, ut Te alloquar, Ulrice Hoepli, hac faustissima die, qua *lxxx^{ta}* annos natum Nos frequentissimo hoc conventu epulisque, a Te ipso invitati, celebрамus.

Cui enim aptius id pertinebit officium Te salutandi votaque pro Te suscipiendo quam mihi, qui, paullo aetate minor quam Tu es, *xl* abhinc annis quum in Ticinensi Athenaeo doctor essem latinis litteris tradendis, Tecum consilium cepi libellum illum de Litterarum Romanarum historia compendi, qui, toties editus, etiam-

nunc in manibus studiosae iuventutis versatur?

Libenter ego in memoriam revoco annos illos (heu quam remotos ab hora praesenti!) quibus ego iuvenis Te iuvenem visebam in tua libraria taberna, totum diem stantem, vigilem, laboriosum et industrium, omnes et omnia pertemptantem ut optimis libris componendis et exquisitiori doctrinae longe lateque per Italiam diffundae operam dares.

Cuinam, cuinam comparabo Te, amice, nisi Tito illi Pomponio Attico, Ciceronis perquam familiari, qui quum Athenas, in illam omni doctrina perillustrem civitatem, se recepisset, ibique per unum et vinti annos mansisset (ab a. LXXXVI ad LXV a. C. n.), studiis se dedidit, et servorum litteratorum cohorte circumdatus, multa opera graeca et latina optimis exemplaribus describenda curavit, et mercaturam librariam nobilissime exercuit, unde magna pecuniae vim coegit, qua postea vel in deprecandis amicorum periculis aut incommidis, vel in publica inopia levanda usus est? Quo factum est, ut illi Athenenses omnes honores, quos possent, publice haberent, ut Cornelius Nepos tradidit, civemque facere studerent. Ita te, Ulrice, Mediolanenses in deliciis habent, quasi unum de praeclarissimis civibus suis. — Pomponio autem absenti Athenienses statuam, ipsi et eius filiae, locis sanctissimis posuerunt. Denique ut Romam rediit, non otio se dedit, sed, ut erat antiquitatis amator eamque diligenter comprehensam habebat, opus illud composuit, cui titulus fuit *liber annalis*, quo, conservatis notatisque temporibus, annorum septingentorum memoriam perdiligenter complexus est. Alios praeterea libros composuit, et singularum historiam familiarum illustrans, et de consulatu Ciceronis graece scribens. Poeticen quoque attigit, sub clarorum virorum imaginibus facta magistratusque eorum quatinus quinisve versibus describens.

FELIX RAMORINUS.

COLLOQUIA LATINA

Vale dicitur in amici discessu.²

BLASIUS, PASCHALIS, IOANNES.

BLASIUS. — Heus, Paschalis; num es domi?

PASCHALIS. — Non sum.

BL. — Impudens! Non ego te audio loquenter?

¹ Carm. III, 9, 4.

² Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus Paschalis retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

Sic tu, amice Hoepli, nunc splendidum illud volumen edendum curasti, quo horum trium saeculorum Mediolanensis historia narratur tabulisque vividis coloribus depictis illustratur. Cuius historiae primum exemplar gaudeo dono datum iri eximio illi Viro, qui, Potestatis nomine, clavum nobilissimae huius civitatis tenet et gubernacula tractat; cuique ego gratulabundus salutem plurimam dico.

Quando igitur, — ad te redeo, Ulrice, — omnia video cum Pomponio Attico Tecum esse communia, par est Tibi quoque et gratum animum et benevolentiam Mediolanensem non deesse et praemia et honores quos meritus es, decerni.

Evidem quantum in me est, nomine etiam Catholici Athenaei, cuius pars sum, fortasse pro omnibus quoque qui adsunt loqui ausim, votis omnibus expeto, Deumque Omnipotentem oro atque rogo, ut Tu multis annos adhuc vivas et bona peractae vitae conscientia fretus vigeas, ut cum Horatio dicam¹ « Persarum rege beatior », et novos fructus industriae laborisque tui praepares et commodes nobis, ad utilitatem omnium et maiorem gloriam patriae nostrae, qua nihil carius nihil antiquius omnes habemus.

FELIX RAMORINUS.

PASCH. — Imo tu impudentior: nuper ego famulo tuo credidi te non esse domi, et tu non credis mihi ipsi?

BL. — Aequum dicas: par pari retulisti... Sed tu mihi videris cochleae ex more vitam agere.

PASCH. — Qui sic?

BL. — Quia perpetuo domi latitas, nec usquam prorepsis.

PASCH. — Est quod agam domi: foris mihi negotia non sunt. Neque tamen sum tetricus: si prodeambulare lubet hodie, non recuso.

BL. — Plane videtur utendum hoc caelo.

PASCH. — Utamur: adsciscendus est unus et alter socius.

BL. — En opportune se nobis offert sodalis percommodus; lepidus est adolescens; consalutemus.

PASCH. — Ioannes, salve: te quaerebamus.

IOANNES. — Immo valete, sodales amissimi.

PASCH. — Quo cogitas?

IOAN. — In patriam.

BL. — Quidum?

IOAN. — Sic est: arcessor a patre.

PASCH. — Nunquamne es reversurus?

IOAN. — Nunquam, ut opinor.

PASCH. — Siccine igitur nos relinquis?

IOAN. — Ita necesse est.

BL. — Nos miseros! Ubi deinceps similem nanciscamur socium?

IOAN. — Ne vos sollicitet discessus meus: mei similium sat vilis est copia... Praeterea absentes corpore, praesentes animis erimus.

PASCH. — Quandoquidem te a nobis distrahit necessitas, ferendum est.

IOAN. — Quas ultiro citroque dabimus epistolas fovebunt pristinam amicitiam.

BL. — Scribam ego certe creberrimas.

PASCH. — Imo te silentem ambo lacessemus.

IOAN. — Non id patiar ut meo faciat merito.

BL. — O quam triste divertium!

IOAN. — Quid agam? Patris voluntati parendum est!... Sed iam longiorem moram non patior: properandum mihi est.

BL. — Quoniam non est hora tibi ultrius libera, vale igitur. Sit iter felix tibi atque commodum.

PASCH. — Opto tibi incolumem in patriam adventum.

IOAN. — Maximas ago gratias et vicissim omnia precor vobis prospera.

BL. — Bene vale.

IOAN. — Valete.

ANNALES

Societatis nationum supremum concilium.

Societatis nationum supremum concilium Genevae rursus convenit, ut de nonnullis quaestionibus ferret iudicium. Itaque de Silesiae superioris scholis edixit, inconveniens esse, ut alumni Polonicam linguam tantum loquentes, Germanicis scholis inscriberentur. Quod si dubii casus interventuri sint, de iis mixtae — ut vulgo nuncupatur — Commissionis praeses, cui adsit vir legum et locorum peritus ex alia natione — (Helveticus electus est) — iudicabit.

Discrimen alterum de Sarre provincia erat, cuius fodinae a Versaliensi foedere Galliae attributae fuere, ad resarcienda damna, quae fodinis suis inflata per bellum a Germanis fuerant; incolae anno MCMXXXV populi scito affirmabunt utrius partis, Germaniae nempe an Galliae, in ditionem venire malint. Cautum, ut quum, post menses tres, Gallicae copiae recesserint, ferriviarum militia constituantur ad ferreis axibus stratas vias tutandas.

Partes, quarum intererat, huiusmodi

sententias ratas habuere; quod speramus fore quoque de cautionibus, quas legati proposituri fuerint ad arma deponenda, quibusque ii nunc intendunt.

Interim Civitatum Foederatorum Americae Septentrionalis Praeses instat pro conventu a se proposito ad maritimas copias minuendas, contendens ipsum optime cum Genevensium legatorum studiis componi posse. Incertum tamen est an haec desideria optatum assequutura sint exi-
tum; quinimo an Gallia et Italia ipsi trium nationum conventui, Americane scilicet, Anglicae, et Hispanicae, tamquam spectatrices tantum interventurae sint.

Foedera.

Dum Germani cum Russis commercii pactiones ineunt, Italia foederi subscribit iam Parisiis sancto cum Rumenia an. MCMXX, per quod Besserabica regio Rumenis ipsis tribuebatur. Id Russi aegre quidem passi sunt, ad Besserabiae possessionem contendentes, nec spei graviter frustratae latuere et querelae, quas Italia compescere studuit, sollemniter declarans sese nihil in odium Russorum egisse, sed tantum Rumenici populi ius recognovisse, ethnicis rationibus apprime fultum.

Ecce autem Iugoslavorum regnum armis fortiter munit fines tum Italicae tum Albanensis civitatis sub specie compescendi aliquam rerum conversionem, per quam Iugoslaviae fines violarentur ab Albanicis factionibus; quas, in belli casu, ob Tiranae foedus, Itali essent auxiliaturi. Huiusmodi indicium ceteris nationibus Itali renuntiant, quumque Iugoslavonii profiterentur sese omni culpa vacare, proposita est de re nationum animorum quavis perturbatione expertium inquisitio; quam vero Iugoslavi recusare videntur. Eo magis itaque optandum, ut hinc Itali et Albanenses, inde Iugoslavonii discrimen inter sese comiter dirimant.

Sinense civile bellum.

In Sinis res praecipites ruunt. Shanghai urbs a Cantonensibus invasa est: tumultus inde, desertiones, magnae ubique caedes, ita ut factas exteris concessiones, et insulas ab exteris occupatas tueri armis oportuerit. Atrocia pariter, imo magis, Nan-King evenerunt, ubi vastationibus incendiisque accessit exterorum strages, inter quas mortem et duo pacis administris, Christiani evangelii praecones, misere invenerunt.

POPLOCOLA.

VARIA

Infans Mytilene repertus.¹

Est in Lesbo urbs Mytilene, magna quidem et pulchra, ad mare posita euripis distinctam: in quorum oris aedificia exsurgunt magnifica, inter quae viae excurrunt celeberrimae. Aedificia alluuntur euripis, quae pontibus iunguntur ex marmore politissimo atque exquisitissimi operis, ut intuentibus insula, non urbs videatur. Ab hac urbe haud multo magis quam duo millia passuum nobilis cuiusdam atque perditivis viri erat villa latumque praedium, ubi montes floribus, planities tritico, colliculi vitibus, pascua gregibus abundabant; commodis repleta atque oblectamentis omnis generis; adeo mari proxima, ut undis verberaretur atque molli aspergeretur arena; otii sane domicilium atque animi quietis.

Ibi gregem pascens caprarius, cui nomen Lamoni, accidit forte ut infantulum inveniret, quem capra nutriebat.

Haud procul a pascuis dumetum erat in silva hederae prunis atque sentibus adeo densum atque asperum, ut desertae casae

¹ Italice scripsit Hannibal Caro.

speciem referret. Hanc infantulus sortitus erat domum: pro cunis cespes erat tenerae ac virescentis herbae. Huc commeabat capra pastoris deliciae, quae pluries in dies ingressa, diu inobservata morabatur, suique fetus oblitus, alienum curans atque lactans novo ut plurimum alumno adsidebat.

Lamon derelicti fetus misertus, harum discursionum finem respiciebat, donec quadam die, dum grex meridie soporem carpit, divertentem conspicatus eiusque vestigia sequutus, capram deprehendit primum post quasdam genistas, mox inter cespites incidentem ac saepe respiciensem, saltitantemque summis pedibus tamquam vestigia vitaret, quibus a domino indagaretur. Nec unquam ab ea oculos dimovens, qua ingressa fuerat introspecti, eam illico ad infantem accessisse vidit, cui mammas sugendas praebuit, donec esset satiatus; postea, tamquam matrem ageret, modo circa alumnū balando, modo lambens lingua, eum deperire videri.

Haec pastor miratus, uti consentaneum erat, ac dumetum ingressus, masculum invenit, vegetum ac venustum, qui flos inter herbas ei visus est, ac nobili loco natus ex vestibus elegantioribus, quam expositi infantis fortunae par esset, quibus ornabatur; vesticulam enim induebat ex panno purpureo, aureum torquem collo gerebat atque ad latus gladiolum gestabat ebore distinctum. Primo Lamon sola monumenta tollere statuerat, infante relicto; at postea quum hominem puderet, quod a capra humanitate vinceretur, ubi primum nox advenit, omnia ad Myrtalem uxorem defert, monumenta, infantem, ipsamque capram. Cui quidem miranti petentique, num caprae puerulos etiam parerent, rem totam enarrat, quomodo inventum deserere moriturum erubuerit. Tunc utriusque placuit ut, celatis monumentis, infantem pro suo alerent, capra blanditiis delinita; et ut nomen etiam pastorale accederet, Daphnium infantem vocarunt.

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

*Ius bovinum in scypho progestum.
Solana tuberosa ovis farta.*

*Costulae agninae frictae, cum pisorum
ornatu.*

*Pulli gallinacei assi, calore amissio.
Epityrum.*

Suavillum Paschale.

Locosa.

TUCCUS in schola.

- Quaenam sunt bella intestina?
- Bella intestina sunt...
- Nitere!... Sunt quae fiunt...
- Ah! Quae fiunt in stomaco, quum iejunus est!

Postquam Magister de meteorologia disseruit:

- Quid igitur sublime, super caput nostrum est?
- Caelum.
- Quum autem pluit?...
- Umbella!

Aenigmata.

I

Progredior nunquam, progressum quippe ne-
gavit

Mi natura iubens me retro ferre gradum.
Si mihi mutatur tantummodo litterula una,
Obiice ferrato claudio domoque reos.

II

Mene legis recte? Iubeo saltare: choreae
Accingas agiles, lector amice, pedes!
Mene legis retro? Procerus, membro torosus
Fio gigas humeris sustineoque polum.
Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) Miles-Limes; 2)
Canna-bis.

PANCRATIUS

[23]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND — (Latine redditum *Andr. Haberl*)

ACTUS V.

Scena: Obscurus catacumbarum specus.

SCENA I.

SEBASTIANUS. (*Stans solus ad marginem scenae lente et intervallo loquitur*): Abiit! Est decertatum! Caelesti donatus corona ad cor patris requiescit. O mortem pulchram! Medius inter rugientes leones puer stabat regi similis. Sed lucida imago vallo visa est circumdata nulli cernendis manibus. Nam beluae ululantes arenam verberant longoque flexu circumeunt. Tum ille acuta voce per alta silentia: «Panthera, — inquit, — Caeser, meum patrem perdidit, panthera coronam afferet et filio». Pantheram, iratus hisce, Caesar postulat; pantheram omnes circum sonant caveae. Et ecce, clathris recentibus, silentio facto sollicitorum, in molli arena tamquam saltans prodit belua: nunc consistit — nunc raucum murmurat — assilit — caedit — calidus sanguis alte exsilit. Et somnus martyrii placide amplexitur palpebras. Pancratius vixerat! (*Mora*) Panthera se subduxit, ne membra tangerent! non ausa amplius! Martyr caelesti luce circumfusus, cruento tamquam corona gemmea respersus, in arena iacebat albida. Hic adolescentuli decorus exitus! Paucis annis consummavit multos. Vitam herois absolvit hodie. Se inimicos diligens ad necem obtulit.

(*Auditur ex longinquuo cantus psalmi: «Quam iucunda tabernacula tua, Domine exercituum». Voces paullatim appropinquant et funebris pompa in scenam prodit. Praecedunt quattuor Christiani cum cereis. Tum involutum Pancratii corpus, super quo iacent palmae rami. Feretrum deponitur in medio, pedibus ad spectatores versis. Ab utroque latere se disponunt Christiani. Sebastianus accedit, et replicato velo dicit:*)

SEB. Ergo tenes, egregie puer, quod concupiveras. Dormi placide! Ergo, quem plurimum diligebam; me reliquit! Posthac, quum ego solus errabo per hortos, Pancratium mihi omnes murmurabunt rivuli, Pancratium loquentur cuncti ramuli. Tum respiciens, frustra requiret tuam oculus imaginem. Tantum ubi tacito in conditorio lucerna rubros per obscurum locum fundet radios, ubi aureis insculptum litteris in lapide est: «Pancratius martyr», illic me ipse colloquiis Divinis consolabor. Illic quiescat corpus amici martyris, qui me praecurrit in patriam. Illic lacrimans levabo desiderio curaque animum. Adhuc ero per obscuras huius terrae semitas, progeniesque viperarum me circum sibilat. Sed praesagit mihi animus me brevi apud te esse futurum. Ne sis oblitus mei, Pancrati! Vale! (*Corpus operit*).

SCENA II.
CORVINUS et DICTI.

CORVINUS (*exanimus*): Ubinam est? Ah! Ubi est? Me ad illum adducite, ut flexis genibus ab eo veniam precer.

QUIDAM. Post tempus venis; vita iam concessit ex corpore.

CORV. Post tempus me venisset... Quam ruit tempus, quod ne unius quidem usuram horae dederit!

QUIDAM. Ecce eum! Hic iacet (*Velum removent*).

CORV. O imaginem sanctam, et quae dolorem moveat! (*Super corpus ruit*).

SEB. Ergo tu Corvinus es?

(*Ad proximum numerum*).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

[23]

(berl)

quod con-
quem plu-
chac, quum
atium mihi
erat lo-
ciens, fru-
m. Tantum
rubros per
ubi aureis
Pancratius
Divinis con-
ci martyris,
e lacrimans
m. Adhuc
emitas, pro-
sibilat. Sed
pud te esse
rati! Vale!

n est? Ah!
t flexis ge-
ta iam con-
. Quam ruit
uram horae
(Velum re-
quae dolo-


, Sponsor.
CANIS.

ALMA ROMA



OVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

G. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur
pretio quod sequitur:

IOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

IOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius. Actio dramatica. – Venit lib. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-
lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mitendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

HOMINUM FASTIDIA

Vita hominis vapor est ad modicum parens. Ita in sacris libris. Atque utinam vapor hic ascendens a solo et purus et dignus aethere ascenderet, et luce solis iridesceret, et in pace evanesceret! Paludis halitu saepe turbidus, interdum foetidus, hos contagio inficit, illos mortifera obruit umbra, procellis undequaque saevientibus, turbinibus irruentibus quasi monstros dilaceranda praeda, hac illac circumfertur, ac dissipatur. Qua de causa scite, etsi acerbe et vere, vitam dixit philosophus continentem seriem dolorum, exordientem ploratu nascentis, deficientem supremo morientis lacrima. Hinc est illud Horatii:

*Qui fit Moccenas ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat?*

Optime respondet Ovidius: «Quia nitimur in vetitum... cupimusque negata»; atque ideo nemo sua sorte beatus.

Duplex itaque fastidiorum genus, saepe hominibus intolerabilium. Alterum, quod quisque sibi parat sciens, et volens, et prudens, imo callidus, diligens et industrius; alterum quod singulis, aut sponte, aut ingratias ferendum datur, cuiusmodi sunt

invidia civium, surditas, caecitas, infirma corporis membra, et cetera naturae, sive nobis intimae, sive nobis externae, mala, denique mors. Hisce nos aut acquiescimus, aut repugnamus, et modo minuimus, modo repellimus vel voluntario exsilio, vel medicamentis, demum patientia, quae levius fit interdum quidquid vel corrigere, vel abiicere non valemus.

Postremis his amandatis, quae tamen neque pauca numero, neque exigua mole fastidia sunt, priora illa vitae recenseamus fastidia, quae nobis met ipsis nos multo saepe studio comparamus, quasi nec multa, nec gravia essent, quae secum rapit mortalis conditio.

Quae quidem conditio talis est, ut nulla curis aetas careat ab ortu ad senectutem et senium. Videmus namque infantulos, etsi lacte expletos, etsi munditie florentes, etsi nutricis inter ulnas et manus et oscula blanditos, nescio de quo dolere, et requiem invenire non posse. Quousque tandem? Donec fessi motu, fletuque ipso fessi, somno quiescant.

Atque hinc quotidiana praetereo, quae iam inde dolore misellos afficiunt, curisque laniant. Quoties famelici, sitibundi materna petierunt ubera plorantes, desolati! Quoties vel absentem, vel abeuntem ineffabili gemitu lacrimisque prosequuti sunt! Quoties,

matre blandiente pueris visitantis amicae, palluerunt invidia, zelotypi exclamarunt et amarissime doluerunt!

Ista quotidie donec pede certo vestigia signent. Tunc puer gestit paribus colludere, verba reddere... felix! qui nescit se brevi abripiendum ad scholas, ibique horas perpetuas sibi ducendas immobili; ibi vi disceat quae nolit, quae repugnet admittet, et liberi aëris desiderio tabescentem angustae saepe aulae parietes, vitiosus et exiguus aer enutriet.

Iamque agas in duriora actum iam per exosa. Gauderet equis, canibusque, et apri campi gramine, gauderet exlex, gauderet custode remoto, gauderet... Miseria est non habere quae desideras, et horum desiderio perire; magna calamitas est impatienti coërcitiones et poenas instinctus luere; infortunium acerba, magistro stimulante, verba sentire. Quis neget miserrimum esse puerum ad annos usque adolescentiae curis quotidianis distentum?

At ubi viriles induerit vestes, ubi inter homines versari coepit homo, nova surgunt fastidia, taedia nova consurgunt. Praestare videbit aequales et aemulos, et ad honores irrepere et lucra consequi non casu, non merito pro bene factis, sed commendatione hominum, sed intuitu fumosarum imaginum maiorum suorum, sed benevolentia iniusta magistratus. Videbit ista quotidie et quotidie ingemiscet, taedebitque publicae vitae, quae penitus innititur iniquitat. Atque utinam non videat se fraudibus circumventum, calumnias obrutum, atque apud eos, qui possunt, terrimo descriptum lapillo. Quorsum haec? Donec oppressus intereat bili, donec recedat locum cedens non virtuti praestantiori, non innocentiae, sed fraudibus industria nefaria paratis, quibus assuescit aeger desperantis Bruti sententiae, demissam caelo in terram a superis esse virtutem, quam non ipsi tuerentur, sed quam

improbitati darent victimam atque ludi brum.

Tum necessitate repugnandi, exemplo trahenti in perniciem, quum nihil sanctum, nihil inviolatum, nihil inexpugnatum ubique videat, sciatque haec impune omnia fieri, aut infelici mortis cupidini obeundae cedet: his enim, quae nunc sunt, aut improbissimis quibusvis, imperantibus ac triumphantibus victas et ipse dabit manus. Quae quum dederit, quum et ipse potitus erit imperio iisque abundet et affluat, sine quibus videtur voluptuosa et iucunda vita non posse consistere, lacerante conscientia scelerum, recordatione mordente semper, non erit pax ulla, sed bellum, non erit quies, sed diuturnum insomnium ultricibus Manium umbris saepe recursum. Deliciis assuetis obstupescunt sensus, hebetatur animus, iamque praetergressi quae habemus, in ea quae vel negantur, vel non habemus, contendimus.

Quae omnia quum sint pluribus explorata exemplis et lugubri temporum testimonio – heu frequenti nimis! – probata et confirmata, neque illis Horatii carminibus egent ut apertiora patescant, ubi ait:

*Contracta pisces æquora sentiunt
Iuctis in altum molibus; huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terrae
Fastidiosus, sed timor et minae
Scandunt eodem quo dominus, neque
Decedit aerata triremi
Et post equitem sedet atra cura.*

Quae minae? Adlatrantis aeternum et mordentis conscientiae scelerum: magnae enim opes, magna latrocinia; quippe, vel ethnico a poëta monemur:

*Criminis admissi prima haec est ultio, quod se
Indice nemo nocens absolvitur.*

Quinam timor? Mortis, inquam, amarissime separantis, quae dum

*Aequo pulsat pede
Pauperum tabernas, regumque turres,
Sceptrâlagonibus aequat.*

Atqui timor hic, et huiusmodi minae si quemque infelicissimum faciunt, etsi toto corporis robore et firma valetudine florentem, præ ceteris afficiunt senem in annos proximiores morti indeprecabili dilabentem. Accidunt enim morbi, accedit moeror, accedit quotidie crescens debilitas, et sensuum stupor, quo hebescit oculorum acies, aurium perceptio, narium et palatus titillatio, quibus non ultra flores educant horti, non fructus

*uda,
Mobilibus pomaria rivis.*

Age nunc et quotidie morituro para convivium!

*Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium cytharaeque cantus
Somnum reducent.*

Haec hominum fastidia, quae saepe propriis quaesita manibus mors absolvit, atque id praesertim in iis exercet, qui videntium consensu et felices consentur, et beati nominantur.

Contra, durant in fastidia fortes, qui humiliore loco vel nati vel viventes, ruri campisque dant operam, contenti parvo, nec

*Valle permulant Sabina
Divitias operosiores.*

* *

Si quis me roget qua de causa districti laboribus, et interdum exigua se familiari dolentes minus vitae fastidia sentiant et experiantur, nec fere unquam violentas in se manus inficiant, causam brevioribus verbis proferam: quia, a Deo inter haec fastidia positi, divinae ordinationi acquiescent, et intuentes in eum, qui Pater est totius consolationis, illud Augustini præ oculis in corde habent: « Fecisti nos, Deus, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te! »

P. A.

De latinarum litterarum historia pælectiones¹

IX. – **Litterarum reliquiae in vita publica priscorum Romanorum:** I. **Memoria rerum gestarum, pactionum, foederum etc. in publicis monumentis servata.** – II. **Inscriptio columnae rostratae.** – III. **Libri magistratum et tabulae publicae; praesertim libri pontificum.** – IV. **Annales et memoria rerum.**

I. Postquam in duabus pælectionibus, quae praecedunt, indicia rei litterariae in vita privata Romanorum indagare et colligere conati sumus, iuvat nunc ad vitam eorum publicam attentum animum convertere, ibique etiam quae pertinent ad litterarum monumenta cogere atque illustrare.

In hanc rem inquirentibus occurrit statim nobis memoria rerum gestarum, pactionum, foederum, quae a græcis romanisque rerum scriptoribus in lapidibus, vel columnis, vel alia materia, dicitur servata. Quamquam de his monumentis non omnia certa sunt, quin etiam eorum veritatem saepe saepius in dubium vocarunt vel penitus negarunt critici recentiores, liceat tamen hīc, in usum tironum, omnia deinceps enumerare, temporis ordine servato, ea quorum apud scriptores mentio inicitur.

1. Primum omnium pax memoratur, quam Romulus cum Veientibus bello vicitis conclusit, quibus agri parte multatis, in centum annos, ut Livius ait (I, 15, 5) industiae datae sunt. Dionysius Halicarnassensis (II, 55) harum conditionum mentione innecta (*σπονδὰς ποιησάμενος πρὸς αὐτὸν εἰς ἔκατον ἔτη*), ait: *στήλαις ἐνεχάραψε τὰς ὄμολογίας*, eas pactiones columnis incidendas curavit. En primum exemplum rei gestae vel pactionis lapide insculptæ, si tamen Dionysio, non locupletissimo quidem auctori, fides habenda est.

¹ Cfr. fasc. sup.

2. Sequitur foedus a Tullo Hostilio cum Sabinis ictum; de quo quidem nihil apud Livium legitur, qui bello narrato hoc tantum monet (I, 31), devictis Sabiniis, in magna gloria magnisque opibus Tulli regnum ac totam rem Romanam fuisse. Dionysius addit, pacis conditionum exemplaria in columnis incisa Sabinos in templis collocasse (*Τῶν ὄμολογῶν στήλας ἀντιγράφους θέντες ἐν τοῖς νεροῖς*, II, 33).

3. Tertia memoria est Servii Tullii Latinos populos impellentis, ut stipe collata sanum Diana in monte Aventino, collum Romanorum maximo, erigerent, quod confessio esset, caput rerum Romam esse, de quo toties armis fuerat certatum. Ob eam rem, teste Dionysio (IV, 25 et 26), leges foederis a civitatibus facti conscripsit, et feriarum atque mercatus celebrandi ritus constituit; quod ne tempus oblivione obrueret, aenea columna posita, incidit concilii decreta et nomina populorum, qui convenuti interfuerant. Subiungit autem Dionysius: « Haec columna usque ad meam aetatem duravit, in Dianae templo posita, γραμμάτων ἔχουσα χαρακτήρας, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Έλλὰς ἔχρατο, litterarum formas habens quibus antiquitus Graecia utebatur; quod ipsum non leve argumentum quispiam habeat τοῦ μὴ βαρβάρους εἶναι τὸν οἰκίσαντας τὴν Ρώμην, quo probetur non fuisse barbaros eos qui Romanum condiderunt; οὐ γὰρ ἡνὶ Έλληνικοῖς ἔχρωντο γράμμασιν ὅντις βάρβαρος, non enim Graecis litteris usi essent si barbari fuissent ». Si nolis, eruditus lector, audire Dionysium de litterarum veterum forma imperite hariolantem, at de memoria monumenti veteris estne cur dubites?

4. Venimus ad Tarquinium Superbum, cuius est pax cum Gabinis conclusa, postquam Sextus eius filius, admonitu papaverum in horto decussorum, primores civitatis criminando alios, alios sua ipsos invidia opportunos, interemerat, et res Gabina iam orba consilio auxilioque regi Romano sine ulla dimicatione tradita erat.

Dionysius (IV, 58) narrat, Tarquinium, urbem ingressum, regio pro tyrannico genio sumpto (βασιλικὸν ἐκ τυραννικοῦ τρόπου μεταλαβάνω), res suas Gabinis reliquise, eosque donavisse romana civitate; existimare enim firmissimum sibi suisque libris praesidium fore eorum fidem, qui praepter omnem spem servati essent (τὰς ταρπεῖδας σεσωσμένων) et res omnes suas recuperavissent (τὰ ἴδια πάντα κεκομισμένων). Et ut omnis eorum metus in posterum desineret, conscriptis iustis amicitiae condicibus, statim in concione pacta iurisiurandi confecisse (τὰ περὶ τούτων ὅρκια συνετέλεσεν ἐπὶ τῆς ἑκκλησίας παραχρῆμα) et super victimas iuravisse (καὶ διωρόσατο κατὰ τῶν σφαγῶν). Addit Dionysius, harum pactionum superesse monumentum, in templo Iovis Fidi, Διὸς Πιστίου, quem Romani Sancum vocant (ὄν Ρώμαῖοι Σάγκον καλοῦσι), clipeum ligneum (βύρσῃ βοείᾳ περίτονον τοῦ σφαγισθέντος τότε βούς), tectum corio eius bovis qui tunc matatus erat, inscriptas litteris antiquis habentem foederis conditiones (γράμμασιν ἀρχαῖοις ἔγγεγραμμένην (ἀσπίδα) τὰς γενομένας αὐτὸς ὄμολογιας).

5. Aetate regia relicta et ad tempora veritati magis propiora accendentibus, ecce occurrit insigne foedus navigationis et commercii, quod, teste Polybio, auctore sane locupletissimo, primo anno post reges exactos constitutumque consulum magistratum, pactum est inter Romanos et Carthaginenses (anno dviii a. C. n.). Verba referamus ipsius Polybii (III, 22): « Primum foedus (συνθήκαι) Romanis et Carthaginensibus ictum est quum primi consules essent post reges exactos (μετὰ τὴν τῶν βασιλέων κατάλυσιν) L. Iunius Brutus et M. Horatius, quorum tempore evenit etiam ut aedes Iovis in Capitolio consecraretur. — Pactiones quam maxima fide potuimus infra subiecimus. Tanta enim est diversitas antiquae dialecti ab ea (quae nunc viget) apud Romanos, ut nonnulla vel pérítissimi aegre, rebus bene perpensis (μόλις ἐξ ἐπι-

στροσεως), dijudicare valeant ». Sequentur apud Polybium foederis conditiones, omni cura et diligentia relatae. De quibus, qua gravitate est Polybius et auctoritate, nolim dubitare.¹ Quamquam non est silentio praetereundum, Diodorus Siculum, de primo foedere cum Carthaginensibus eo anno tantummodo loqui, quo consules erant M. Valerius et M. Popilius (cccxlvi a. C. n., vide eius *Bibl. hist.*, 16, 69); quod idem facit Livius, monens eo anno « cum Carthaginensis legatis Romae foedus ictum, cum ipsi amicitiae societatem petitum venissent ». Sed hi Diodori et Livii loci haud mihi vindicentur contra Polybii auctoritatem vim habere.

6. Sequitur memoria Porsenae regis, qui in foedere post bellum cum Romanis gestum illis concesso, nominatim, ut habet Plinius senex in XXXIV H. n. libro (14) comprehensum voluit: « ne ferro nisi in agricultura uterentur ».

7. Veniamus ad annum quo consules fuerunt Sp. Cassius et Postumus Cominius, b. est ad. a. cdxciim a. C. n. Insignis est hic annus propter plebis in Sacrum Montem secessionem, quam Livius narrat in libri secundi, cap. XXXII. Eo anno, post Volscos devictos et Coriolos oppidum captum, cum Latinis omnibus foedus ictum est, quod, ut ait Cicero in oratione pro Balbo (53), « nuper in columna ahenea meminimus post rostra incisum et perscriptum fuisse »; quod monumentum etiam Livius memorat loco laudato, monens a Sp. Cassio solum, quia collega Postumus Cominius abesset, foedus ictum esse.

8. Sequitur aheneae columnae inscriptio, quam memorabat Varro (ap. Macrobium, Sat. 1, 13 sub finem) incisam fuisse L. Pinario et P. Furio consulibus (a. ante C. n.

cdlxii), legem continens, cui mentio in tercilaris adscripta esset.¹

9. Anno cdli a. C. n. M. Valerio Sp. Verginio consulibus, Icilius tribunus plebis, post multam cum patriciis contentio nem, dicitur legem de Aventino publicando suasisse, ut plebi aedicandis domibus locus daretur. Livius vix legem latam memorat (III, 31); at Dionysius (X, 32) subiungit legem exstare ἐν στήλῃ χαλκῇ incisam, quam ανέθεσαν ἐν τῷ Αὐεντίνῳ κομίσαντες εἰς τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερόν, in Aventino erexit, in templum Diana relatam.

10. Etiam foederis cum Ardeatibus renovati anno cdxlii L. Papirio Mugilano L. Sempronio Atratino coss. suffectis memoria quodammodo exstare debebat; si quidem Livius (lib. IV, 7) de tribunis militibus eo anno pro consulibus creatis deque interregno quod post fuit loquens, et foedus Ardeatinum memorans praeditis consulibus renovatum, ait, id foedus monumenti esse, consules eos illo anno fuisse quum contra horum nomina neque in annalibus priscis neque in libris magistratum invenirentur; quia, ille credebat, quum tribuni militum initio anni fuissent, perinde ac si totum annum in imperio fuissent, suffectorum consulum nomina praetermissa essent.

11. Venio ad titulum, cuius testis Octavianus ipse Augustus exstitit. Nam anno cdxlvii a. C. n. Fidenatibus, Romanis colonis, ad Larum Tolumnium Veientium regem deficientibus, et exorto inde bello quum

¹ Nempe iam antiquitus post Lunarem Numae anni ordinationem dierum trecentorum quattuor et quinquaginta, animadversum est, identidem nonnullos dies adiungendos et intercalandos esse ut computatio dierum solis cursum (qui trecentis sexaginta quinque et quadrante zodiacum conficit) aequaret. Quum nonnulli, intercalasse primum Manium consulem post initum bellum Aetolicum anno ab u. c. DLXII (= cxcii a. C. n.) dixissent, Varro eos arguebat memorans veterem legem Pinarii et Furii cum intercalationis mentione Videsis ad rem planius intelligendam totum Macrobii caput.

A. Cornelius Cossus, tribunus militum, sub dictatore Mamerco Aemilio, Tolumnium regem proelio interfecisset et spolia detraхisset, in triumpho dictatoris ille spolia opima interficti regis gerebat: in eum milites carmina incondita, cum Romulo aequantes, canere (ut iam supra memoravimus, quum de triumphalibus carminibus sermo esset); post ea spolia in aede Iovis Feretrii prope Romuli spolia, quae prima opima appellata sola ea tempestate erant, cum sollemni dedicatione dono fixit. Titulus in thorace linteо scriptus ab ipso Augusto, qui sedem Feretrii Iovis vetustate dilapsam refecit, conspectus et perfectus est, ut Livius in capite XX^o testatur.¹

12. Ad quartum ante C. n. saeculum descendentes, memorabimus signum Iovis Imperatoris a T. Quinctio Cincinnato post victos Praenestinos devectum ex eo oppido et in Capitolium translatum (a. ccclxxx). Quod Livius narrat dedicatum esse inter cellam Iovis et Minervae, et tabulam sub eo fixam, monumentum rerum gestarum, his ferme incisam litteris: «Iuppiter atque Divi omnes hoc dederunt, ut T. Quinctius dictator oppida novem caperet».

13. Viginti ferme post annos quum civitas pestilentia iam plures annos laboraret, Iudi scenici primum, ut iam narravimus, placamen irae caelestis, instituti sunt. At quum id corpora morbis non levavisset, C. Genucio L. Aemilio Mamerino coss. (anno ccclx a. C.) repetitum ex seniorum memoria dicebatur, pestilentiam quandam clavo ab dictatore fixo sedatam; unde se natus, ea religione adductus, dictatorem clavi figendi causa dici iussit. Id narrans Livius (VII, 3), subiungit: «Lex vetusta est, priscis litteris verbisque scripta, ut qui

¹ In eo titulo Cossus semetipsum consulem, non tribunum militum scripserat. At veteres annales Cossum Consulem decem solum post annos cum T. Quinctio Penco (cdxxviii a. C.) nominabant; unde quaestio inter rerum scriptores exorta erat cuius mentionem initit Livius; sed ea res nihil ad nos.

praetor maximus sit Idib. Sept. clavum pangat. Fixa fuit dextro lateri aedis Iovis O. M., ex qua parte Minervae templum est».

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

MARCELLI THEATRUM

Die xxi superioris mensis Aprilis, natali Urbis sacro, invisere inter alia monumenta licuit effossiones nuperas, quae Italicis primi administri voluntate et Urbani Gubernatoris opera, iam peractae sunt ad restituendum, quo magis poterit integrum, celeberrimum illud Marcelli theatrum, quod superadditae domus, tabernae, tuguria omnino corruerant.

Quamquam, ut laus pro meritis cuique tribuatur, Ursina gens iam ab anno MDCCXCIX illud a saeculari oblivione eruere quadammodo ac luci reddere primum cogitavit et conata est, ut Pernier doctor suo tempore illustravit.¹

Iamvero de eodem monumento inter multos scripserat an. MDCXXXIX Alexander Donatus Senensis in suo opere de Roma vetere ac recenti, atque ita abunde, ut Pernier ipse testatus fuerit per pauca ferme recens innotuisse, quae Donato subdita essent.

Theatri origines enarrat Suetonius, de Julio Caesare tradens:² Destinabat (Iulius Caesar) exstruere theatrum summae magnitudinis Capitolino monti accubans; statimque post Caesaris necem de Augusto subdit: «Idem (Augustus) O. Tuberone, Fabio Maximo Coss. iv non. Maias theatri Marcelli dedicatione tigrim primus omnium ostendit Romae in cavea man-

¹ Cfr. *Bollettino della Commissione Archeologica Comunale*, an. xxix, fasc. I.

² Cap. VIII.

suefactum». ³ Aedificii autem historiam his Donatus persequitur: ⁴ «Idem Augustus quum dedicaret ludis, ut ait Dion, eius gratia factis, Troiam; inter alios Patricios pueros nepos Augusti Caius Iusit; ferae Africanae sexcentae occisae». Quibus in ludis evenit, ut, quod scribit Suetonius,⁵ «laxatis sellae curulis compagibus, Augustus caderet supinus... iussitque, teste Dione, ut ludis Romanis effigies Marcelli aurea, aureaque corona et sella curulis in theatrum inferretur, mediaque inter praefectos iis ludis magistratus collocaretur».

Theatri scenam Vespasianus restituit, atque, ipso Suetonio teste, ludis per quos scena Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque acroamata dedicavit. Voluit etiam Alexander Severus, ut ait Lampridius, theatrum Marcelli reficere, nec vero fecisse dicitur; quod tamen facti iam incendii aut alicuius ruinae certum indicium est.

Obiit Marcellus, referente Dione, ante dedicationem theatri. Itaque quum eius mortem defleret Propertius, de hoc theatro loqui non potuit, quum caneret:

Aut modo tum pleno fluitantia vela Theatro...

Ovidius de theatro Marcelli scribit, quum eius liber iussus abire Palatio ait:

*Altera templa peto, vicino iuncta Theatro;*⁶ quod templum sive Pietatis est, «factum in eius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est», ut scribit Plinius,⁷ atque adeo fabricato etiam theatro, nec tota carceris occupata sede, templum conservare potuit; sive Iunonis aedes, quae, Plinio auctore, in Octaviae portico fuit».

Addendum ex Tacito statuam Augusti a Livia ad theatrum Marcelli positam; «Neque enim-inquit-multa ante quum

¹ SUET., Aug., XLIV.

² Op. cit., XXIX.

³ Aug., XLIII.

⁴ TRIST., 1. III, el. 1.

⁵ Lib. VII, c. 30.

haud procul theatro Marcelli effigiem Divo Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo postscriperat. Idque ille credebatur, ut inferius maiestate Principis, gravi et dissimulata offensione abdidisse». ⁸

Incendia, Claudio Nerone primum, deinde Tito Vespasiano imperante oborta, theatrum graviter labefactarunt; sed caeve exterior facies haud multum immutata est. Dorici autem arcus a Traiani usque diebus cauponum in usum cedebant, passimque adnotantur in lapidibus *sagarii a theatro Marcelli*.⁹

Theatri figurae in «forma Urbis», Septimio Severo imperatore insculpta, reliquum fragmentum vix in Capitolio superstes, quod scenae partem exhibit, quam Constantino imperante integrum adhuc tradit Ausonius, eiusque aetatis *καταλογοί* docent, tunc quoque temporis spectacula ibi prodiisse.

At Gratiani diebus, ut Cestius pons reficeretur, lapides a cavea Avianus Simmachus abstulit, neque deinde Theodosius ipse, munificus antiquitatum cultor, dum Pompeianum theatrum instaurat, Marcellianum reficiendum unquam curavit.

Media ferrea per saecula ipsum paulatim nomen reliquiis immutatum: seu theatrum Antonini, seu templum dixerunt; tandemque saeculo x, civilibus bellis obortis, quae ad xiv usque Urbem pessum dedere, Petri Leonis gens oppidum ex theatro fecit, turrim imposuit, munimenta circum addidit, quibus Urbanus II Pontifex se tutatus est. Inde «Domus filiorum Petri Leonis» aedes nuncupatae sunt, quoadusque an. MCCCLXVIII Lucas Savellus, Iacobi filius, «plures domus et palatia, et antiqua aedificia cum cryptis posita in monte»¹⁰ emit, qui mons, ruinis forte delapsis congestus, deinceps «Mons Savellus» est ap-

⁶ Ann., lib. III.

⁷ Corpus Inscript. lat., IV, 9, 56.

⁸ LANCIANI, *Ruins and excavations*, pag. 494.

pellatus; nam gradus et caveam theatri et chorum ingentes ruinæ obruerant. Atqui Savellæ gentis iussu, saeculo XVI Balthasar Peruzzi architectus aedem gentiliciam in ruinis condidit, intercolumnia occlusit, lajunaria delapsa innovavit, addidit, eleganti facie turres duas summo in monte erexit, atrium denique quadratum lectissimum fecit, haecque, in porta, carmina insculpsit:

*Amphitheatra prius, mox propugnacula, rursus
Diruta, restituit clara Sabella domus.*

Perutianum monumentum ad nostros usque dies intactum paene remansit; at quum, saeculo XVIII, extincta Sabella gente, aedes in regimen «Sodalicii dynastum» cessissent, Dominicus Ursinius magna pecunia eas aquisivit, quorum haeredes adhuc possident.

Ominemur ut novis alacriter sumptis effosionibus et refectionibus Marcelliani theatri reliquiae et restitutiones tamquam sacrae antiquitatis insigne monumentum studiosorum agmini quamprimum fateant!

ROMANUS.



PAUSILYON

*Hic, ubi tam late steriles dominantur arenae
ignes admixtos cineri lapidesque ruentes
desuper ingenti strepitu vomitante Vesovo,
saxa tenent liquefacta solum lentaque genestae,
unde prius veteres agrum dixerunt crematum,
nomine post verso dictum volvunt Cremanum,
quo cives adeunt nunc et sua rura frequentant,
exstructis domibus positisque virentibus hortis,
me tenuere decem menses in amoena receptum
florentem antiquis studiis ignobilis otii.*

*Corporis hic secura quies animique remissi
prorsus ab insidiis hominum diversa paratis,
qui, cum deberent penitus sua probra videre,
stemmata nobilium patrum maculata gerentes
criminibus notis, alieno ac aere gravati,
hinc illinc sicci peragrant sine pace per urbes,
quemque probe emungant laternae lumine quaerunt,
versuram et faciunt perpessi foenus iniquum,*

*quo carent epulas, altis solventibus aera,
perpetuas soveant famulas famulosque clientes,
nobilium qui more gerunt se nulla tenentes
auratis veterum decorant sua pectora bullis;
undique se tactant regum de sanguine cretos,
incident torvis oculis, cervice superba,
spernentes quoque Sacrorum Collegia Patrum,
multa quibus meritis debent accepta referre;
mentiti, duplices, animi sub vulpe latentes,
ascendunt cathedras ignotis verba daturi,
virtutum praeepta docent sine more soluti,
et turpes Phariseos Iudeosque secuti
insimulat repetuntque probos aliosque quietos.
Quin pudet infames alienam carpere famam
dente malo, quorum notae sunt omnibus artes
lippis ac tonsoribus auloedisque theatri?
Propterea fuge, vive procul, procul, inquit amicus,
te sanum, dum tempus habes, his eripe nigris;
mutandae hinc sedes alio, quo tendit amoenus
Pausiliyi collis celebrataque terra Sirenis,
qua sinuosa patet scopulosi littoris ora,
unde parant nautae capturi retia pisces
remige vel subigunt lntres lembosque per undas
Surrentum, Stabias, Prochyten, Capreasque petittum,
hinc conspecta procul viret plaga cuncta Phlegraea.
Haec coluit Pomona loca, ut cecinere poëtae,
Chloris odorato et verno praecinxit amictu;
hic dulces posuere suas Helicone relicto
Pierides sedes, ubi vatis et ossa quiescant,
Mantua quem genuit magnum admiratur et orbis,
cuius Virgiliana est urbs de nomine dicta;
otia grata novo studio huc revocabis et artes
excultas, veterum volves monumentaque vatuum,
quae Sacri Iuvenes iam te didicere magistro;
sic te iterum ingenuas artes docuisse iuvabit
quas nostri patres aevo coluzre vetusto
ac patriam summo decori meritoque fuere;
te manet hic nova progenies, Campana Iuventus,
Sacra Deo, sermonem rite docenda latinum
sub ducibus Patribus Iesu sociisque Ministris,
queis merito commissa fuit provincia Cleri
doctrinis sanctis ad munia sacra parandi,
et qui Almae Domui nomen titulumque dedere
Gonzagæ, Angelici Iuvenis, iuvenumque Patroni.
Macte igitur virtute micat via lactea-caeli
puri ventosae superans vaga lumina lunae,
in mentem revoca Nolani verba Magistri;
non nocet omne malum, Deus in bona cuncta retrorquet
qui dicit servatque suos miseratus ab alto;
iure beatus erit mundi qui munera spernet
et Domini praescripta sequi documenta revolvit.
His sane dictis verbum non amplias addam.*

Kal. Martis an. R. S. MCMXXVII.

IOSUE CACACE.
Neapoli, in Cremano.

AESTHETICAE NOTAE

De sculptura.¹

Restat ut nonnulla circa sculpturae originem et vicissitudines dicamus.

Sculptura, quamvis architecturæ socia, singularia sua habet, propriamque, si ita loqui fas est, personam semper exhibuit.

Prima tamen sculpturae initia incerta sunt. Ex antiquissimis monumentis, quae ad nostram aetatem usque pervenere, colligere licet, artem hanc prima experimenta fecisse circa imitationem naturae inanimatorum, et deinceps circa viventium et praesertim hominis representationem, qui ceteris creaturis pulchrior est, et natura sua aptior ad iucunditatem nobis ciendam.

Sculptura viguit apud Aegyptios, imo ad certam perfectionem evecta est. Mirabiles sunt ob magnam simplicitatem expressionemque statuae *Sciafra*, *Ra-em-Ké*, *Ra-Nefer*, et quamplurima monumenta, quae in Museis asservantur.

Assyria, aegyptiacæ culturæ aemula, sculpturam pariter coluit, et suis operibus in etruscam et graecam artem proxime influxit. Re quidem vera, vetusta Graeciae et Etruriae monumenta vestigia artis Assyriorum praeseferunt.

Item Etrusci, qui Romanis prima initia totius culturæ praebuerunt, sculptoram artem exercuere; praesertim in vasis mirae perfectionis conficiendis, in metallis elaborandis, in fingendis imaginibus ex aere, in armis fabricandis, et in omnibus fere operibus, quae malleo conficiuntur. Innumeræ sculpturae Etruscae supersunt monumenta.

Graeci, quamvis orientalem sculpturam primitus imitati sint, cito sui genii egregiam indolem notam fecere.

¹ Cfr. fascic. sup.

Periclis tempore, graeca sculptura fere ad fastigium perfectionis evecta est. Celebriores statuarii fuerunt: Phidas, omnium peritissimus (ID — ccccxxx a. C. n.), qui iussu Periclis regimen super omnia opera architectonica illius aetatis tenuit. Fuit auctor *Iovis Olympici*, *Palladis*... Alcameni (ccccxxviii a. C. n.) statuae *Veneris* et *Vulcani* tribuuntur. Myron (saec. v a. C. n.) praestitit in fingendis animantibus brutis. Pariter magnam laudem meruere Polycletes (ccccxx a. C. n.), Scopas (L^D a. C. n.), Praxiteles (ccclx—cccdxx a. C. n.), Agesandrus, unus ex auctoribus *Laocoontis*, etc. Quamvis Graeca sculptura saepius voluptuaria fuerit et superstitionis ministra, attamen haud raro summum eximiae formae fastigium tetigit. Exemplo sit Phidas, qui in Iovis statua omnipotentiam et in Minervae simulacro sapientiam divinam adeo expressit, ut praestantius nil fieri posse videatur.

Romanorum sculptura potius ad lucrum, quam ad pulchritudinem ordinata est. Nullius sculptoris nomen, magna laude dignum, memoriae traditum est. Fere unice romana sculptura finxit signa Imperatorum, mulierum, earumque profecto non pudicarum, consulum... Artifices ad hoc ludibrium devenerunt, ut prius simulacrum truncum pararent, et postea incertum caput alicuius hominis eidem aptarent. Quaedam tamen industria in statuis elaborandis non est eis deneganda.⁴

Christiani, e cultu commenticiorum deorum conversi, magis magisque de beneficio fidei solliciti, quam de arte, parvi ethnicorum sculpturam fecerunt, imo pro opportunitate eam aversati sunt.

¹ Vergilius (*Aen.*, lib. VI, vv. 851-55) laudat quidem aliorum populorum sculpturam, oratiam, astronomicam: de Romanis autem diecit:

«Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.»

Sculptura apud nos nonnisi saec. XIII caput extulit in Etruria, auspice Nicolao Pisano, cuius filius et discipulus Ioannes ad miram expressionis amplitudinem eam deduxit. Discipulus Ioannis fuit Andreas Pisanus. Andreae discipulus fuit Orgagna. L. Ghilberti (MCCCLXXVIII - MCDLV) ex aere finxit portas celeberrimas baptisterii florentini S. Ioannis; quod opus valde a Michaëlangelo laudatur.

Tum vero sculptura in dies proficiebat. Celebres evasere Donatus vel Donatellus (MCCCLXXXIII - MCDLXVI); Lucas *della Robbia* ob insuperatam artem figurarem; Iacobus *de Quercu*, Salutati, Andreas *del Verrocchio*, Alexander Leonardus venetus; neapolitani Andreas *Ciccone*, Antonius *Bamboccio*, et praesertim Agnolus *Aniello Fiore*. Insubres quoque praestiterunt, qui Venetiis perillustris scholae fundamenta iecerunt. Haec aetas habenda est quasi aurora valde rutilans *renovatae sculpturae*: sol demum surrexit, Michaëlangelus Buonarroti, cui nullum par eloquium. Notissima eius opera recensentur: Moyses, Bacchus ebrius; Pietas, Christus iratus; Aurora et Crepusulum, Dies et Nox, simbolica illa signa, quae mausoleum tum Iuliani, tum Laurentii *de Medicis* Florentiae exornant. Alia autem sunt deperdita, plura incompleta manent.

Michaëlangeli imitatores digni sunt: Benvenutus Cellini (anaglyptarius invictus), Iacobus Tatti, vulgo *Sansovino*, et Berninius. Sed exinde stylus, quem vulgo appellant *Barocco*, praevaluuit usque ad Antonii Canova aetatem (MDCCCLVII-MDCCXXII).

Interea, renovatione ab Italies peracta, varia fortuna sculptura viguit apud exultiores populos. Apud Hispanos laudantur Alphonsus Berragnete (MCCCLXXX-MDLXI) Michaëlangeli discipulus; Gasparus Becerra (MDXX-MDLXX); cuius inter opera praestat: *Nuestra Señora de la Soledad*; Alphonsus Cano (MDCI-MDCLXVII), aliique. Insuper Hispania sibi proprium sculptu-

rae genus vindicat, idest genus coloratum imaginularum ex pastillo; parvum quidem, sed per pulchrum, in quo optimam famam consecutus est Ioannes Gines, qui floruit ante medium saeculum XIX.

Aevo quod «medium» nuncupatur, Germania parum sculpturam coluit et deinceps Lutherana religio pulchras artes acriter interdixit. Attamen saec. XIX sculptura teutonica suos edidit flores, et plurimum laudantur Dannecker, borussus Rauch (MDCCCLXXVII-MDCCCLVII), Kaeshmann, danus Thorwaldsen (MDCCCLXX-MDCCXLIV), Rietschel e Saxonia (MDCCCVI-MDCCCLXI). Batavi, Belgae, Angli sculptoria artem parum coluere. Inter Anglos praestitit Rickart Westmacott.

Galli ex adverso, in sculptura excellebant. Merito celebrantur Ioannes Boulogne, natus Douai an. MDXXIV qui, sub italo sub nomine *Gian Bologna* dignoscitur; Goujon (MDXXX-MDLXXII); Germanus Pilon (MDXV-MDLXX); A. Ioannes Cousin; Petrus Sarrazin (MDXC); Petrus Puget (MDCXXII-MDCXCIV); Coysevox (MDCXXX-MDCCXV); Girandon (MDCXXX-MDCCXV); fratres Nicolaus (MDCLVIII-MDCCXXXI) et Guillelmus (MDCLXXVIII-MDCCXLVI) Coustou; Franciscus Coudrey (MDCXVIII-MDCCXXVII); Houdon (MDCCXL-I-MDCCXXVIII); Antonius Barye (MDCCXCV); Franciscus Rude (MDCCCLXXXIV-MDCCCLV) et alii plurimi inter recentiores.

Sed post Michaëlangelum, Antonius Canova, Italiae decus exstitit (MDCCCLVII-MDCCXXII); eius opera sexaginta trium numerum attingunt eaque laudatissima. Quo mortuo, sculptura *classica* quasi desivit, et schola *romantica* praevaluit.

Veteres pacificam quamdam corporis immobilitatem, vultus serenitatem, cuiusvis concitati motus absentiam signis mortuum, Coelitum praesertim, convenire existimarent. Recentiores vero non tantum hanc vitae quietem, sed etiam insolitas, transeuntes, gravesque animi commotio-

nes ac vivaciores affectus significare student. Haec nova schola, in quo vita simulacris infusa redundat, improbanda non est, dummodo *verismi* turpitudinem vitet. Apud Italos commendantur L. Bartolini,¹ Baruzzi, Rinaldi, Tenerani, Fanelli, Pampanoni, Dupré, Pizzi, Zandomenichi, Pacetti, Tantardini, Strazza, Vela, Monteverde, Aureli.

G. LEPORE.

DOMINICUS SAVIO

Erit fortassis, qui in hisce scriptis voluntis miretur, quod Dominicus Savio, suavissimus idemque immortalis alumnus meus, tantillus puer et humili loco natus, tot laudibus exornetur et in aliorum exemplum praebeat. At, quot caput est, suos habuit historicos, qui clarissimis verbis eum posteris ad imitandum tradiderunt.²

Et si magnum semper fuit viro optimo probari, quid dices, si habere ipse meruit probatissimum virum, qui rebus gestis et animi virtutibus ingenique, aetatis suae clarissimus fuit et omnium sermone longe lateque percrebescit?

Hic puer sexdecim annos natus, in pago apud Astenses, flebilis omnibus occubuit. Non dux copiarum fuit, qui insignes de hostibus triumphos retulerit, neque audacia in periculis capessendis inclaruit, nec demum devotam animam pro patria vovit. Verum longe aliae sunt viae ad immortalitatem paratae; et illam puer arripuit, qua ad gloriae praemium, vel inscius pervenit.

¹ Inter eius opera laudatissimum est: *La Fiducia in Dio*.

² Vide, sis, prae ceteris IOANNEM Bosco, sacerdotem, Augustae Taurinorum, et CAROLUM SALOTTI, sacerdotem, Romae.

Dominicus Savio, - quo pressius rem dicam atque adamussim - si nobilis Dux agminis aliquando exstitit, cuius vestigia fidissimi socii sunt sequuti, vexillum illud gloriosum portendit, in quo erant descripta divina illa verba: *Mori potius quam foedari!*

Quinimo et aliquot sunt egregia pueri facinora, ac memoratu dignissima, quaeque eum sanctissimis viris parem faciunt, et, multorum sententia, ipsos quodammodo est supergressus.

Namque magistri suae conscientiae praceptis aures praesto habens, virtutis laude ingenii celeritatem cumulavit; eiusque ductu et tutela h:ud poenitendos fructus vel a teneris annis extulit.

Haud mirum, si Deus erat cum illo, atque in eius salutem magna edidit benevolentiae miracula.

Quodam die festo, ad proximum vicum adoratus Augustam matrem cum patre iverat. At fessus itineris, dum de reditu in patriam cogitat, adulescentem forte inventit, qui ulnis tenere amplexatum humeris eum sibi imponit, dicens: *Infelix puer, haud poteris integrum iter durare.*

Et pater opportunum auxilium puero adlatum laudavit, et inter eundum plurimas homini gratias agebat, sperans brevi humanissimum comitem domi honeste sese recipere posse.

At vix ante aedium fores pervenit, quum deposito puero, ex eorum conspectu disparuit.

Quinam fuit optatissimus hic peregrinantium comes?

Nemo unquam cognovit. Ipse, quum rem mirabilem amicis stupescens enarraret, hoc divinum munus Angelo referebat, qui olim Tobiam a periculis in itinere servaverat.

Hic, quum multam iam de se fiduciam in posterum daret, carus omnibus atque acceptissimus, idibus Martii anno octingentesimo quinquagesimo septimo supra

millesimum, inopino morbo praereptus, brevem vitam cum magno sui desiderio piissime finivit.

Ave, dilectissime alumne, meique apud Deum memento, atque in aeternum vale!

I. B. FRANCESIA.

Horae subsecivae

Pater noster:

*Alme Pater, praecelsa tenes qui culmina caeli,
Nomen grande tuum toto laudetur in orbe;
Adveniat regnum, quod nobis ipse parasti;
Velle tuum hic fiat, fit ut in caelestibus aulis.
Des nobis hodie panem, quo vescimur omnes
Quoque die, nostrumque nefas dimitte beni-*

[gnus,

*Ut condonamus pro te peccantibus in nos:
Fac nunquam nos excipiat tentatio prava,
At nos quove malo, te poscimus, exime semper.*

Ave Maria:

*O Tu, pura Dei quam totam gratia replet,
Quae Dominum tecum fers semper, aveto Ma-*

[ria!

*Tu generis muliebris honor, benedicta, beata
Prae cunctis pueros sibi quae genuere per
[orbem,
Et benedictus erit tua quem mox viscera fru-*

[ctum

*Educent servaturum mors quosque peremt.
Sancta Maria, Dei Genitrix, nunc quae sumus,
[ora*

Pro nobis culpa strictis et mortis in hora.

Gloria Patri:

*Gloria sit Patri, Verbo cum Flamine sancto,
Qualis erat cum principio Deus omnia fecit,
Sit nunc, saeclorum pariter per saecula per-*

[stet.

Ad Angelum custodem:

*Angele mi custos, tibi me pietate superna
Lumine commissum repleas, noctuque die que
Custodi, regito vigil, assiduusque gubernata.*

Scrib. Asisii.

GREGORIUS FRANGIPANE, O. S. B.

EX HISPANIA

Iacobus Collell.

Octogenarium virum admodum reverendum, Doctorem Iacobum Collell et Bancells, de patria et de litteris optime meritum, non modo Catalauni, ut suo sanguine cretum, sed cuncti Hispani undique concelebrant. Iuvat quoque in exterorum obsequium, qui ex parum crebra cum litteris Hispanicis familiaritate nullatenus eum noverunt, pauca saltem de eiusdem vita delibare, ut etiam a nobis Latinitatem aliquatenus excolentibus debitus ei derivetur honos. Munus hoc etsi levidense velim benignis ille oculis respiciat, utpote aurea patina Ciceronianae linguae oblatum, quae ipsi perpetuo cordi fuit.

Haud semel lectoribus nostris in his paginis obiectum est inclitum urbis Cata-launicae nomen Vicus, olim tamen Ausonia. Quum in mentem revoco clarissimos per tot saecula viros, qui ex eius foecundissimo sinu ortum habuerunt, aut certe plena suixerunt ubera, de ea canere ausim, quod de Roma cecinit olim Titirus ille Vergilianus :

*Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes
quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Ipse gaudenti animo municipalem per-lustravi aulam, quam depictae tabulae exornant filiorum, qui in aliquo rerum genere incunabula illustrarunt. Ibi Michaëlem a Sanctis cernas, ibi Gulielmum de Monrodonio, Iacobum Callisium, Raimundum Salasazalam, Gabrielem de Avilesio, Lucianum Gallisá S. I., Iosephum Xifré C. M. F., Lucianum Casadevall, Iacobum tandem Balmesium, qui in sua singuli provincia rerum atque cognitionum satis superque totidem populos posteritati consecrare valuerunt.

Neque intercepta est, neque intercipie-tur unquam huius civitatis adeo illustris

propago. Hoc commodum, vertente anno, epherimedes ex suis columnis alte praedicant arduum atque diuturnum commentarium, opus praeclarissimi Iacobi Collell, Vicensis civitatis filii, quem Deus multos annos sospitem tueatur.

Vitale lumen V Kal. Ian. anno salutis MDCCXLVI primum adspergit. Primas apud suos litteras addidicit, ingeniumque acre ab illis unguiculis ostendit. Acolytus altari iam quinquennis deservire coepit, et novennis in patrio seminario ad inferiorem Latinitatis cursum perficiendum inter alumnos recensebatur. Ex eo tempore totus erat in legendis libris, quem litterarum adeo cupidum mater agnoscens de ditissima atque publica bibliotheca episcopali edocuit. Eam postquam semel et iterum est ingressus, deinceps assiduo frequentare non destitit.

Prima litterarum curricula luculenter emensus, Barcinonem se contulit atque ibi philosophiae litterisque rursus egregiam operam navavit. Ad suos inde reversus ecclesiasticos cursus prosecuturus, sacerdos initatus est anno MDCCCLXXIII. Divino verbo mirifice praedicando variisque legendis in seminario disciplinis usque ad annum MDCCCLXXX aetatem exegit. Tunc autem Vicensi Cathedralis Ecclesiae in numerum Canonorum est cooptatus, cuius perillustris Conlegii hodie Arcedianus exstat.

Florente aetate, eximias animi dotes protrulit commentator, quas ab anno MDCCCLXVII ad nostra usque tempora continenter evolvit; unde sexagesimus recurrit annus ex eius commentariensi vita, quam quidem anniversariam commemorationem recentissima linguarum nostrarum dicendi ratione in Latinum facile inducenda *Platinicas Nuptias* vocant.

Foecundissimum eius calamus in folia periodica catholicae veritatis fluenta omni tempore fudit, aeque sermone Castellano, ac praesertim Catalauno, semper tamen

integro, eleganti, amorem patrium resuante. Quis lauros numeret in variis certaminibus iam a iuvenilibus annis sibi partas? Quis vel titulos singulorum afferrat commentariorum, in quorum columnis legentium omnium favore et plausu victorias reportavit? Quis elenchos conficiat opusculorum, quibus locum sibi praestans tissimum apud recentes litterarum cultores opipare vindicavit? Quis Academias memoret, aut litteraria Collegia, quae certatim honoratissimum socium sibi eum recenserunt?

Eius aureum dicendi genus tanti aestimavit doctissimus ille vir atque homo politicus Franciscus Cambó, ut ab inclyto auctore contiones omnes colligendi typisque ex suo mandandi, sumptuosa quidem editione, copiam petierit atque obtinuerit. Id omnium certe erit splendidissimum admirationis tributum scriptori in suis *Platinicas Nuptias* cum re commentaria opportunissime redditum.

Diarium denique *La Veu de Catalunya*, cuius inter conditores is fuit triginta et septem abhinc annos, sollemnes festos ordnavit honores Iacobo Collell ad diem XI Kal. Jun. Vicensi in urbe exhibendos, quibus humillimum votum meum ex animo adiungo.

Cervariae Lacetanorum, iv Nonas Maias MCMXXVII.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

ORBIS LOQUENS

Accepta vox antenna.

VIDUA. — Ignis captare nuntios hoc apparatus soleo, filiis erudiendis, animique causa, praesertim quod proma nunc officina, certis temporibus, non cantus, nec orationes modo, nec acta sola divina vibrat, sed electas undique sapientes idoneas meditationi sententias; quo si velitis uti, pau-

lisper auscultabimus. Ecquid veniat oraculum?

SENEX et **FAMILIARIS**. - Evidem volamus. Et libenter audiemus.

VIDUA. - Undarum igitur reperiam longitudinem.

VOX NATURA FULMINIS ALLATA LOQUITUR: Haec ait Iacobus apostolus: *Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, haec est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.*¹

FAMILIARIS. - *Immaculatum ab hoc saeculo!* Optimum sermonis inter nos argumentum.

VIDUA. - Vestras ea de re sententias mihi pergratum erit audire et conferre.

SENEX. - Nos vicissim scire velimus, quid tu mulier ingenua, liberalis, et brevis licet adolescentiae, multo tamen perita periculo, saeculum videri (quoniam vere non est) censeas?

VIDUA. - Id verbum, «saeculum», quum ne originem quidem eius sciam, rogo vos, docti viri, unde sit ductum?

FAMILIARIS. - Radix *su*, *sues* et genitram significat, non superorum, sed pecundum more vitae. Nam pecora gignuntur, «quae natura prona atque ventri obedientia finxit». ² Ergo saeculum est, quod carne nascitur, at quod *spiritus* tamen *intus alit*. Qui vult ad hunc ipsum reverti, *immaculatum se custodiat a saeculo* oportet.

VIDUA. - Vir bello procubuit. Num filio filiaeque dabo vitricum?

FAMILIARIS. - Caelebs aetatem disciplinae dedi. Num vale collegio dicam Oxonio?

SENEX. - Imo, si potestis, soror fraterque, meliorem disciplinae sequimini semitam. Homo, qui pulvis est, terrenam deteriorem, caelestem alteram habet naturam. Animum immortalem, motibus animi sepultis, liberare, Herculis *hoc opus, hic labor est*. Deum

sequi iubemur, non belluam. Ideo pedibus ac ventre tenus equus ille praceptor Achillis, caput manusque et pectus hominis habet. *Invicem diligite*: non amores, sed dilectionem commendat. *Alter alterius onera portate*: idest, invicem peccata purgate. Curandum igitur in primis, ut solis equos animique vires non mortalis Phaethon, sed summus pater, qui est in caelis, regat. Denique ut in Adamico luto lilyum Christi floreat, cunctis animi motibus oportet mori. Sic Boetius:

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Speque fugata,
Nec dolor adsit:
Nubila mens est,
Vinctaque fraenis,
Haec ubi regnat.

VIDUA. - Sapientiae studium exercitatio mortis vere est.

Tornoduri in Gallia.

IACOBUS TASSET.

PRO IUNIORIBUS

De improbi societate, stulti atque pedestris hominis vitanda.

Fuge pestiferos comites cane peius et angue.

CASTI.

Malo cunctis exemplo nocent homines; stulti alios fastidiunt, pedagogi viles opprimunt. Sed ne tibi quid aliud deterius contingat, vide ne eorum vestigiis adhaereas, eorumque conventui frequenter adsistas. Quemadmodum enim trium horum genus hominum maiorem populi partem constituant eorumque perniciosa est consuetudo; peropportunum videtur interius eos inspirare, ut quantum fieri poterit, longius ceteris amoveantur. Sapientis enim viri est, in hominum inquirere mores non ridendi

causa eorum dementias, neque plorando, sed ne illas potius, imitando addiscas.

Ex malorum exemplis eorumque convictu non pauca neque minoris momenti hinc vobis, adolescentes, instant pericula. De illis igitur primum nobis hodie, vel breviter dicendum.

Exemplo nulla maior potentia: haeret anceps momento puber; sed quam cito dicta redintegrat, quod videt factum instaurat, perditorum subito vestigiis insistendo, continentem paratus.

Ac non raro ementiae sibi gloriae tribuunt perversi illos nequitia superasse, quos principio fuerant odio prosequuti. De beato Apostolo, cui revelata sunt secreta caelestia, Asiae dioecesos pro potestate lustranti, caesariensis Eusebius enarrat. Eum illis in regionibus optimae spei adolescentem comperisse. Charitate sua exceptit eum Ioannes atque instituit. Inde alio profecturus, civitatis Episcopo concredidit et maiorem in modum commendavit. Promisit iste omnis generis sese illius curam habiturum, quod re ipsa praestitit; sed postea, nimia vivendi libertate concessa, aequalium familiaritate, qui solaciis tantum dediti atque suis explendis cupiditatibus intenti, eo usque eum corrupere, ut maiorum quoque criminum ipsorum consiliarius factus fuerit et particeps. Neque hinc subsedit. Praedonum manum ipse constituit, cui duci veluti supremo, flagitosi obtemperarent milites; et quemadmodum ardentiori praeter ceteros, asperaque erat natura praeditus, omnium violentia atque crudelitate superior evasit. Aliquo post tempore in urbem reversus Joannes, ab Episcopo creditum repetit depositum. Errubescens ille, puerum confessus est magistrum latronum et ducem effectum fuisse. Gravi dolore percitus Apostolus, iure praesule meritoque reprehenso, equum consciente, devium requirit, insequitur: scelerati comprehendunt eum vigiles. - «Ad hoc hucusque libens contendi, - ait homo Dei. -

Ad vestrum me imperatorem adducite ». Qum magistrum eminus nosset iste, tum verecundia, tum reverentia permotus, se dat in fugam; laxis habenis hominem sequitur. Ille tum ad istum: - «Quem fugis, fili, quare te subtrahis patris adspectui? Siste gradum; quid times? Annis gravem, solum, inermem parentem agnosce: tibi adhuc spes salutis affulget. Si opus fuerit, pro te libenter moriar, quemadmodum pro nobis omnibus mortem oppetiit Christus. Morare, mihi crede ». Talibus resedit dictis adolescens; atque humi defixis oculis, arma confregit, pariterque propinquatum sibi senem contutus venerandum, submisso poplite, lacrimis obortis largosque fundens fletus, ad eius pedes sese proiecit. Eum suaviter vir sanctus amplectitur, domumque reductum, nunquam amplius deseruit, donec ab bonam frugem reduxit, reconciliavitque plene virtuti, cuius e vestigiis, malis sociorum artibus, laqueis irretitus, penitus deflexerat.

Hoc de malorum comitatibus est retinendum quod alte sacrae praedicanter litterae: «Corrumpunt bonos mores colloquia prava, et meliores indoles contaminant».

Quoties rectae sapientisque disciplinae bona, diuturno labore atque annorum numero comparata, tempuscule quidem misserrime desperita, atro infecta nefariae coniunctionis veneno atque interempta illacrimantur!...

O qui tanta vestris pro liberis estis passi parentes, ne vobis met ipsis graviora superveniant, a malis et pravis malorum exemplis eos maxima avertite diligentia.

HERM. M. IACOBELLI.

Errata corrigere. — In carminis S. ALESSANDRINI superiore mense editii stroph. supremae proxima, vers. 2, typorum error occurrit: ubi enim legendum erat *iram*, scriptum est... *viam*!

¹ IAC., I, 14.

² SALL.

ANNALES

Sinense bellum civile.

Sinense civile bellum inter orbis maximos eventus primas adhuc partes occupat. Ut Nan-King in urbe exteri cives in captivitatem redacti liberarentur, tum Anglicae tum Americanae naves missiles globos eicere debuere, minantes civiles domos in ruinam redigere. Shangai autem concessiones exteris factas magnamque insulam ab exteris habitatam reticulatis vallis defendere oportuit... Sed certamina inter ipsos Cantonenses victores non defuere: scilicet factioes factae sunt, alterae «bolscevicorum», alterae temperatis consiliis faventes. Inde factum est ut legatio «Sovietorum» idest Russorum, militari manu invaderetur, quod aegre Russi passi sunt, quum tamen ad actum nullum re evenirent: optime enim sciunt ab accusatione arma pecuniamque largiendi ad seditiones sovendas sese defendere non posse.

**

Italianam inter et Jugoslaviam dis- crimen.

Discrimen inter Italianam et Jugoslavorum regnum de Albania ortum, videtur proxime ab ipsis utriusque civitatis guberniis iri pacifice compositum. Quod felix, bonum faustumque siet!

Felici autem exitu Itali, in Cirenaica, ad inferioris Bengasinae regionis occupationem devenerunt, possessiones suas usque ad Agedaliam urbem amplificantes, condicioneque sibi costituentes hanc urbem cum Bengasi coniungendi.

Kal. Maiis MCMXXVIII.

POPLICOLA.

VARIA

Apium iter.¹

Hostiliae incolae, qui pagus est vetustissimus ad Padi ripas, primo vere quasdam naves educebant forma latiore et plana, quas diligenter reconcinnatas et delibutas unguentis foetori arcendo, viatico instruebant. Post haec, impositis tantum apte circum dispositis alvearibus cum singulis examinibus, litus radentes, remosque lente agitantes adverso flumine navigabant; apes interim frequentes ex alvearibus prodibant pabulatureae in agris circumstantibus, et ad navem lente procebentur.

**

Ex Anglia.

Vivacem in Anglia vidimus, et adhuc videmus, controversiam agitari circa rogationem legis, publicorum legatorum coetui propositam, qua iure recedendi ex condito ab operibus suis opifices prohibentur.

¹ Italice scripsit DANIELLUS BARTOLI.

Quamquam popularium princeps, Mac Donald, abest - (tenetur enim gravi morbo affectus Neo Eboraci), - eius sectatores a ratione nulla abstinent, ut propositis sanctionibus acriter obstent. Mercenariorum vero omnium a laboribus desertio, quam perciti ingenii homines proposuerant, pluriū suffragium minime assequuta est.

dentem revertebantur innocentia praeda onustae, cera scilicet et melle. Si quando in prata herbosa, in viridaria, in pomaria incidebant, ibi nauta, remis inhibitis, frigus captabat prope quercus annosas altissimasque populos, quibus vestiuntur et opacantur amoena Padi ripae; volantesque interim apes dispalatae pabulabantur eo alacriores in opere, quo magis operandum erat.

**

Auceps.¹

Parcam sibi coenam ex oleribus parbat auceps, quum ei supervenit amicus. Quum sibi aves deessent, nullam enim illo die ceperat, coturnicem cicurem avibus capiendis necaturus adiit. Verum haec necem deprecabatur, dicens: - « Quid tibi venanti sine me retia proderunt? Quis tibi in laqueos coget tot avium catervas? » Dismissa ergo coturnice, ad pullum gallinaceum se convertit. Verum hic clamare: - « Quomodonam, me interempto, diluculi horam cognoscet? Quis ad opera te excitabit? » - « Optime quidem - respondit auceps - sed coenanti aliquid opus est ».

**

Veterum monita.

Sicut hirundines aestivo tempore praesto sunt, frigore vero recessunt, ita falsi amici sereno vitae tempore praesto sunt; simul ac hiemem fortunae viderint, devolant omnes.

Quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis sua causa effingere et constituere nidos, easdem autem quum aliquid effecerint, laboris sui causa passim ac libere solutas opere volitare; sic nostri animi defessi negotiis gestiunt ac volitare cupiunt vacui labore et cura.

Si a multis eligere homines commodissimum quodquam, quam sese uni alicui

certo vellent addicere, minus in arrogancia offendent, non tantopere in vitiis perseverarent, et aliquanto levius ex inscitia elaberentur.

**

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

*Ovi lutea in iure natantia.**Coturnices oryza farta.**Vitulinæ costulae in craticula assae, odoratis tuberibus conditae.**Castaneæ crustulatae cum flore lactis.*

**

Iocosa.

Mater Tuccio suo medicinam praebens:

— Sume, fili mi, haec tibi proderit.

— Malo prodesse alteri; fratri aut amico eam cedam.

Tuccio magister:

— Praesta mihi exemplum rei sevatae a sensibus, quae tangi nequeat.

Tuccius: — Seram candefactam!

**

Aenigmata.

I

Almae sum munus Cereris. Sed si mihi

frontem

Mutabis, galeam condecorabo tuam.

II

Primum dat Christi personam visere terris;

Altera pars anni tempora pulchra notat.

Est totum flos, qui ruri aut grandescit in hortis,
Somnus et invitit conciliare potens.Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Cancer, Carcer*;
2) *Salta, Atlas*.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Libri dono accepti.

DR. CLEM. M. Henze C. SS. R. *Mater de perpetuo succursu. Prodigiosae Iconis Marialis ita nuncupatae monographia.* - Bonnae, sumptibus Collegii Iosephini, 1926. (Vol. pag. 150, pluribus tabulis extra textum locupletatum).

IOS. AERTNYS C. SS. R. *Compendium liturgiae sacrae iuxta ritum romanum.* Editio nona novo missali et recentissimis S. R. S. R. decretis accommodata a J. M. Pluym, C. SS. R. - Taurini, ex off. Marietti, MCMXXVII. - Ven. lib. 11.

P. TOMASO PÈGUES, O. P. *Iniziazione Tomista.* Traduzione e prefazione del prof. D. L. T. Regattieri. - Torino, Casa editrice Marietti, 1927. - Ven. lib. 15.

SAC. DR. ARTURO BONARDI. *La eloquenza sacra.* I suoi principii; le sue leggi; la sua vita. - II edizione accresciuta di una sintesi storica sulla Sacra Eloquenza italiana dai suoi inizi ai nostri giorni. - Torino, Casa editrice Marietti, 1927. - Ven. lib. 8.

DOTT. ANDOMENICO SARTORI. *Il concetto di ipostasi e l'analisi dogmatica ai Concilii di Efeso e di Calcedonia.* - Torino, Casa editrice Marietti, 1927. - Ven. lib. 12,50.

Vulgarización latina. Inauguración del Cursus Académico de 1926 a 1927 en el Seminario - Universidad Pontificia de Canarias. - Discurso de apertura leído en la Iglesia de San Francisco de Borja el 25 de Octubre de 1926 por el Profesor de Latin D. FRANCISCO ARBELO MORALES. - Las Palmas, Tipografía del Diario, 1927.

PANCRATIUS

[24]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND - (Latine reddidit Andr. Haberl)

CORV. Ingratissimus ille, qui hunc angelum interfecerim (*Pressius*): Hunc ego detrusi in horrorem carceris, ut, quum agitaret animam, satiarer voluptate. Sed insania me ipsum perdidit. Ipse per caecum odium miserrime in carcere inclusus adventum praestolabar mortis. Unum me verbum in libertatem vindicare poterat: hisce proferendum labiis prolatum est. O miserrime puer! Semel mites aperi oculos! Verba mea percipe! Mihine ignoscere, Pancrati, poteris?

SEB. Hoc bene spes ab eo, qui dudum veniam dederit, qui a meo latere ad mortem iens, tibi, Corvine, bona sit precatus.

CORV. Heu me hominum miserrimum! Quinam factum est, ut ego adolescentulum hac mente praeditum persequerer! Ego te morti tradidi; tu mihi redditisti vitam! Haec est Christianorum ultio! (*Abscondit manibus caput. Sic manet usque ad finem*).

SEB. (*graviter*): Primus maturescit fructus novi martyris. Miselle frater, nos amplectere! Intelleges quid amicus tibi fecerit. Tu ei non longinquus es. Sed ille nunc non secus atque antea, praesens amat te. Gusta modo, quod Christus docuit: Hominem tantum ad crucis pedem constitutum amore vero amplecti etiam inimicos. (*Amplectitur Corvinum. Aulaeum cadit*).

Compositione personarum facta, quae Christum exhibeat duobus comitatum angelis Pancretium et socios excipientem in caelis, inchoantur strophae infra positae admixto sono organi. Post unamquamque stropham, sonante suaviter harmonio, mutato colore lucis aulaeum surgit et cadit. Supra totam imaginem luceat si fieri possit, inscriptio: « Diligite inimicos vestros ».

HYMNUS.

Iucundis animis tollite laudibus
Herois pugilis lucidam imaginem:
Quam fractis odiis exhibet optime
Cunctis conciliatio!

Concordes socios Christicolas pios
Unitos animis sub Domini cruce,
Nosmet, iungere sis assidue memor,
Martyr sanguine, Pancrati.

Quae vox, quae poterit lingua retexere,
Quae tu martyribus munere praeparas:
Rubri nam fluido sanguine fulgidis
Cingunt tempora laureis.

A nobis abigas lubrica gaudia
Tu qui martyribus dexter ades Deus
Une et Trine tuis da famulis iubar
Quo clemens animos beas.

FINIS.


C. DEL VE

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

IOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

IOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius. Actio dramatica. – Venit lib. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

A

Pretium sub
tentrio-
vendum
Vecchio,

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-
lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

¹ Prima
stri, nunc in
toris, ut ip-
participemus
diebus ab U

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorēm, Romā, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

AD FELICEM RAMORINO

QVI SEPTVAGESIMVM QVINTVM IAM ANNVM EMENSVS
 A NOBILISSIMO SVO DOCENDI MVNERE
 DISCEDIT
 « NON QVASI FERIATVS IN SABBATO »
 « SED TAMQVAM OPERARIVS IN NEGOTIO »
 MANSVRVS¹

*Munere cum excedis, multo perfunctus honore,
 Quem magni debes viribus ingenii;
 Cumque tibi vivax, minime et rugosa senecta est,
 Qua potes in studiis continuare viam,
 Non possum ex animo quin te demirer et ipse
 Signati spatii ferrea iura querar.
 Nempe tuo quicquid lustrasti lumine mentis,
 Perfectum, referens cum novitate, facis.
 Censeris varia doctrina multiplicique,
 Subtile est, cultum, iudiciumque tuum.*

¹ Primas hodie damus huic carmini MARCI GALDI nostri, nunc in Papiensi Athenaeo latinarum litterarum doctoris, ut ipsi nos amplissimis honoribus quodammodo participemus venerando magistro FELICI RAMORINO hisce diebus ab Universitate Catholica, a Sacro Corde nunciu-

pata, in eius discessu tributis. Sit hoc grati animi et obsequi parvum licet testimonium in virum clarissimum, qui nos et opus nostrum ab *Almae Romae* ortu summa benevolentia est prosequitus et prosequitur; sit item augurium, ut *FELICEM* vere eum Deus fortunet in aevum! (I. F.).

*Seu te pertentat Saturnius horridus ille,
 Cui tot sollertes incubuere viri;
 Seu tibi complicitas enodat Persius umbras
 - Difficilis labor - et mentis operta sua;
 Quicquid correctans, vestigia quaeque requirens
 Scriptorum, indagas si Tacitique vices;
 Seu monumenta doces, quibus enitet illa Latina
 In scriptis virtus, interitura nihil;
 Denique sive patres, quos iure Ecclesia laudat
 Summos, explanas, firmaque praesidia:
 Splendida tot praebebas doctrinae signa vetustae,
 Uberibus campis tot segetesque metis.
 Semper enim expositis attente rebus adhaeres,
 Spernis et ambages, irrita consilii.
 Usque viam pergis, definitamque retractas
 Materiem, ut nequeat cognita rursus agi.
 Quid vero numeris permirram prosequar artem
 Scribendi lingua qua uteris in Latia?
 Ipse ego cum fructu meditatus scripta relegi,
 Quae nunc Romanae tradis ephemeridi.
 Nec quantum laudis tribuat studiosa iuventus
 Aut tua praetereo nomina docta colat.
 Quisquis enim vehementer amat, te quisquis honorat,
 Doctrinae fructus concoquiturque tuae.
 Nam duo conectis, quae vix sociantur in unum:
 Est bonitas simplex cum gravitate tibi.
 His tu concilias animos virtutibus, inde
 Et memores reddis, semper et allicies.
 Quod si nunc meritis cumulato munere cedis,
 Sique scholam linquis, non sine maestitia:
 Hic plausus, laudes, conferta hominumque corona
 Omnibus est quanti sis valeasque notae.
 Non obscurus abis, nulli est incognita virtus,
 Virtutis longe lucida signa micant.
 Quae multos gnava duxisti mente per annos,
 Durant: semper erit continuatus honor.*

*Utere iam dulci, post tot perfecta, quiete,
 Utere, quod merito te decet ista quies.
 Laetus quod multi linquis monumenta laboris,
 Quodque tuum plausu concelebratur opus.
 Exemplum das curae multae pervigilisque:
 Exemplum de te ducere iam liceat.
 Ingenio stimulus, studiorum imponis et arti:
 Iam procul e ludo, multa fovere potes.
 Non rude donatum te curis eximis ullis:
 Haud raro senium fertiliora facit.
 Vive diu felix, Felicis nomine dictus,
 Teque omni donet prosperitate Deus.*

D. Ticini, pridie Non. Iun. MCMXXVII.

M. GALDI.

De latinarum litterarum historia paelectiones

Inscriptio columnae rostratae.

Vides, lector benigne, quam multa monumenta iam priscis temporibus apud Romanos exstant, litteris mandata ad memoriam rerum gestarum servandam et egregios cives debitibus laudibus exornandos. Sed horum monumentorum nihil exstat nunc, nisi memoria apud rerum scriptores. Contra, oculis nostris adhuc admirari, perlegere, interpretari possumus illam inscriptionem, quae in columna rostrata incisa est in honorem C. Duillii, qui primus navalem triumphum egit de Poenis anno CCLX a. C. n. Haec enim columna in foro posita erat; titulique fragmenta mar morea, ibi saeculo XVI reperta prope Septimii Severi arcum, etiam nunc in Musaeo Capitolino servantur.

Non est quidem silentio praetereundum hanc inscriptionem a recentioribus criticis

ad Augusti demum vel Claudi aetatem pertinere creditam esse, ab aliquo antiquitatis studioso confictam, fortasse ex ipsius Livii annalibus (secundae decadis nunc deperditae) desumptam. Nihilominus nulla causa est cur eam nos in hac antiquarum rerum expositione praetereamus; nec certe roquin defuerunt memoria nostra, qui eam quaesitis argumentis ut veram et germanam demonstrare conarentur;¹ certe veram habuerunt et Plinius Senior (*H. n.* 34, 5, 20), qui sciebat eam in foro aetate sua adhuc esse et Quintilianus (I, 7, 12), qui frequentiam litterae pluribus verbis adiectae notabat; ut taceamus de Seryio, qui ad G. III, 29 de duabus rostratis columnis Duilio positis loquitur, quarum alteram conspici aiebat in rostris, alteram ante circum.

Utut est, ecce rostratae columnae inscriptionem ita ut suppletis lacunis (a Mommseno) solet exhiberi.²

¹ Videsis Wölfflinum in: *Sitzungber. d. Ak. d. W.*, München, 1890, I, p. 298.

² V. DESSAU, *Inscript. lat. sel.*, I, p. 19.

¹ Cfr. fasc. sup.

secessANosque op-
sidioneD EXEMET · LECIONEsque Cartaciniensis omnis
maxIMOSQVE · MACISTRaTOS Luci palam post dies
nOVEM · CASTREIS · EXFOCIONT · MACelamque oppidum vi
pVCNANDOD · CEPET · ENQVE · EODEM · MACistradud bene
rEM · NAVEBOS · MARID · CONSOL · PRIMOS Ceset copiasque
cLASESQVE · NAVALES · PRIMOS · ORNAVET · PAravelque
CVMQVE · EIS · NAVEBOS · CLASEIS · POENICAS · OMNIS itemque ma-
xVMAS COPIAS · CARTACINIENSIS · PRAESENTED hannibaled
10 DICTATORED OloroM · IN · ALToD MARID PVCNandod vicet
viQVE NAVEis cepeT · CVM · SOCIEIS · SEPTEResmon unam quin
queremesOSQVE · TRIRESMOSQVE · NAVEIS · XXX merset XIII
aurom · CAPTOM · NVMEI CI CI CI CI CI CI D C C
arcenTOM · CAPTOM · PRAEDA · NVMEI CCCI CCCC C . . .
omne CAPTOM · AES CCCICCC 2 · 3 · 4 · 5 · 6 · 7 · 8 . . .
. . . CCCICCC 2 · 3 · 4 · 5 · 6 · 7 · 8 · 9 · 10 · 11 · 12 · 13 . . . pri-
mos QVOQVE · NAVALED · PRAEDAD · POPLOM donavet pri-
mosque CARTACINIENSIS inceNVOS Duxit in
triumpod EIS CAPT

Ne quod dubium tibi relinquatur, lector
benigne, de interpretatione huius tituli,
ecce eum latinitate nostra transcriptum:

«(C. Duilius M. filius M. nepos consul)
Segestanos... obsidione exemit; legiones
que Carthaginienses omnes et maximus
magistratus luci palam post dies novem
ex castris effugient; Macellamque oppi-
dum vi pugnando cepit. Inque eodem
magistratu bene rem navibus mari con-
sul primus gessit, copiasque classesque
navales primus ornavit paravitque. Cum-
que eis navibus classes Poenicas omnes,
item maximas copias Carthaginienses,
praesente Hannibale dictatore illorum,
in alto mari pugnando vicit; vique naves
cepit cum sociis, septiremem unam, quin-
queremesque triremesque naves XXX,
mersit XIII. Aurum captum nummi tria
milia septingenti; argentum captum
praeda nummi (bis?) centena milia; omne
captum aes centena milia (plus) vicies.
Primus quoque navalii praeda populum

«donavit, primusque Carthaginienses in-
genios duxit in triumpho»

De rebus gestis, quae hic memorantur
locupletissimus auctor nobis est Polybius
in I^o Historiarum. Postquam enim causas
et initium primi Romanorum contra Car-
thaginienses belli perspicue exposuit, capite XXII^o narrat, C. Duilium (consulem
anni CCXL a. C.) qui terrestribus copiis in
Sicilia praererat, audita Cn. Cornelii Scipionis apud Liparaeorum oppidum clade,
terrestribus copiis tribunis traditis, ad clas-
sem romanam traiecerat, post, audacter
hostium classem, cui Hannibal praererat,
apud Mylas aggressum esse et apparatus
illius ope, cui corvorum nomen inditum
erat, splendidam illam victoriam de Poenis
retulisse, unde primus Romanorum triumphum
navalem meruisse dicebatur. Post
eam victoriam contra omnium opinionem
reportatam, pergit Polybius (cap. XXIV^o),
Romani προστάχόντες τῇ Σικελίᾳ Siciliae ins-
ulae rebus animum advertentes, τὴν τε

Αἰγεστέων ἔλυσαν πολιορκίαν ἐσχάτως αὐτῶν ἥδη
διακειμένων, et Aegestanos ad ultima iam
redactos obsidione liberaverunt, κατὰ τε
τὴν ἐκ τῆς Αἰγέστης ἀναχώρησιν Μάκελλαν πόλιν
κατὰ κράτος εἶλον, et Aegesta profecti Ma-
cellam oppidum vi expugnarunt.

Quod igitur narrat Polybius in Sicula
terra evenisse post navalem victoriam, id
in Duiiana inscriptione inverso ordine
laudatur. De fuga autem ex castris Seges-
tanis Carthaginiensium omnium maxi-
mique eorum magistratus, qui Hamilcar
erat, testem habemus Zonaram, qui VIII, 1
confirmat μηδεὶς χεῖρας αυτῷ τοῦ Ἀμιλκού
ιλθεῖν ὑπομενάντος, non exspectasse Hamil-
carem donec in victoris manus veniret.
— Quod vero in inscriptione *dictator* ap-
pelletur magistratus qui classi Carthagi-
niensium praererat, mirum fortasse legen-
tibus videbitur; at Cato etiam apud Gellium
(2, 19; 10, 24) hac voce utitur, itemque Iu-
stinus, Trogi epitomator, (19, 1, 7) laudat
Hasdrubalis cum quattuor triumphis un-
decim *dictaturas*. — De numero navium
apud Mylas captarum, praeter Polybium,¹
audire licet Orosium, qui (4, 7) ait: «Han-
nibal, amissa navi qua vehebatur (est ipsa
septiremis), scapha subductus aufugit, tri-
ginta et una naves eius captae, tredecim
mersae, tria milia hominum occisa, septem
milia capta referuntur». ² — De auro, ar-
gento, aere tunc capto omnia significat co-
lumnae inscriptio; nempe aurei nummi
fuerunt tria milia septingenti; argenti, ei
quot significantur signo, quod idem est
ac CCCICCC (centena milia), bis saltem re-
petito; aes denique captum quantum desi-
gnatur eodem signo plus vicies, fortasse
tricies, repetito (100000 × 30 = 3000000);

¹ I, 23, 7: τριάκοντα μὲν τὰς πρώτας συμβα-
λόντας ναῦς αὐτάγδρους ἐπέβαλον, σὺν αἷς ἐγέ-
νετο εἰχιδάλωτον καὶ τοῦ στρατηγοῦ πλόον
(nempe eam quae in inscriptione dicitur: septeresmos
una). Άννιβας δὲ ἀνέλπιστως καὶ παραβόλως αὐ-
τὸς ἐν τῇ σκάφῃ διέφυγε.

² Cfr. *Eutropium*, 2, 20.

quod quae vis pecuniae sit romano nomi-
smate vel peritissimi harum rerum haud
satis sciunt. — De triumpho denique
C. Duilio decreto, periocha Liviani libri
XVII haec habet: «... primus... omnium
Romanorum ducum navalis victoriae duxit
triumphum; ob quam causam ei perpe-
tuus honos habitus est, ut revertenti a cena
tibicines canerent et funale praeseretur». Ex
inscriptione discimus, Duiilium primum
navali praeda populum donavisse, primum
que etiam in triumpho ingenuos Cartha-
ginienses duxisse.

Quod ad linguam pertinet, indicia anti-
quitatis multa deprehendes, studiose lector;
c litteram pro *g* (*lecciones*, *macistratos*,
exfociont etc.); nominativi casus formas
in -os desinentes (*macistratos*, *primos* etc.);
accusandi casus numero multitudinis in
-is vel -eis (*Carthaginiensis*, *claseis*, *om-
nis*, *naveis*), praesertim d litteram in ab-
lativis vocibus adiectam (*obsidioned*, *puc-
nandod*, *marid*, *dictatored*, *in altod ma-
rid*, *navaled*, *praedad*, etc.); verborum
formas in -et pro -it (*exemet*, *cepet*, *orna-
vet* etc.); in -ont pro -unt (*exfociont*); adde:
navebos (= navibus); *olorom* (= illorum);
poploM (= populum), *septeresmon*, *tri-
remos* pro septirenum vel septiremem, tri-
remos vel triremes, etc. etc. — Quod inter-
dum varia forma adpareat (*clases*... *cla-
seis*, *maximos*... *maxumas*, *Cartaginien-
sis*... *naveis*), quod *praeda* scribitur, non
praida, quod illud *numei* et hoc ipsum
praeda structura paratactica cum subiecto
sententiae (*aurom captom*, *arcenom cap-
tom*) iungitur, haec pro argumento habita-
sunt non sincerae antiquitatis; quod vix
probabile existimo, nam qui possumus lati-
ni sermonis condicionem medio ferme
tertio ante C. n. saeculo agnoscere et as-
severare, ita ut certe distinguamus: «id
huius aetatis est, id non»? Nonne poterat
eo tempore iam immutari lingua et novas
sumere formas, ita ut, exempli gratia,
praeda iam a nonnullis enuntiaretur pro

antiquiore *praida?* Nec totius inscriptio-
nis tenor rhetoricum illud sapit quod non-
nullis nimium nasutis philologis aevi no-
stri visum est.

Res igitur adhuc sub iudice relinqua-
tur; euidem non infitor, me ad eorum
opinionem inclinare atque propendere, qui
inscriptionem rostratae columnae ut sin-
ceram et suae vere aetatis adfirmant.

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

DE SANCTO MAXIMO

PRIMO TAURINENSIMUM PONTIFICE

Haud paucos, quos tamdiu *Alma Roma*
lectores habet atque amantes, saepenumero
querentes audivi, libros latine conscriptos
plane desiderari, qui christiana sapientiae
scriptores, quos Patres merito appellamus,
simpliciter in vulgus edant, eosque, quales-
cumque sunt, nobis ostendant.

Ipsi enim, doctrina christiana enutriti,
oratores et philosophi floruerunt, quum
primum christiani in vulgus prodirent,
unde novus sapientiae rivulus, quasi incor-
ruptus quidam succus et sanguis, in lati-
nas litteras influxit.

Ad scientiam vero quod attinet re-
rum expetendarum et fugiendarum, item
que ad animi excelsitatem et magnitu-
dinem, quae humana omnia despiciat,
et infra se posita arbitretur, Plato ipse,
Tullius et Tacitus longe illis cesserunt.

Et ipse Thomas Vallaurius, immortalis
magister meus, qui longa atque sapienti
latinarum elegantiarum consuetudine abre-
ptus, hos quamquam venustae et concin-
natae orationis saecula incusat, quasi bar-
barum atque horridum scribendi genus ple-
rumque usurpassent, in melius conversus,
sese corripit, et ipsos litterarum latinarum
sospitatores quodammodo dicendos esse
profitetur. In his ponere et principem prope-

locum obtinentem, Maximum, primum
Taurinensium Pontificem, non dubitabo.

Ipse enim virtutibus insignis et reli-
gionis studio, vi praesertim caritatis atque
eloquentiae merito inclaruit. Ut apud Insu-
bres, suppari prope aetate, primas Ambrosius
facile de latino eloquio retulit, sic
Maximus tum facundia, tum sapientia con-
spicuus Taurinensibus apparuit. Re enim
vera, in suis orationibus ad populum ha-
bitis interdum ad Ciceronis maiestatem
adsurgit. Et saepe quasi ex tempore, ut
dicitur, ad plebem orabat, quia suos in
religione paterna assiduitate docere con-
suevit, atque Numinum cultum totis viri-
bus oppugnare in deliciis habuit. Quam
ob rem probabilis orator usque appetet, et
cupidissimus suorum salutis, singularis
prudentia et industria fuit. Et tantum ur-
banitatis in se habet, ut Romanus esse
plane videatur.

In maximo pretio Sanctum Maximum
semper habuerunt Taurinenses, eumque
patrem ac patronum excoluerunt. Honore
et titulo exornari doctoris eum voluissent
equidem, et saepe saepius hanc rem a
Pontificibus Romanis assidua prece exo-
rarunt. Verum quum complures civitates
in Italia eum sibi civem atque Episcopum
attribuant, lis adhuc sub iudice versatur.
Taurinenses vero, quum prae ceteris suum
appellant, labentibus annis, suum, praeter
omnium contestationem, attribuendum
esse iure confidunt.

Eius enim dictio ea certe enitescit styli
virtute, ut nihil sit iucundius, nihil ex-
pressius. Quis illo gravior, quis acerbior
in pravis moribus vituperandis, ut a peccatis
abstineant; quis demum in docendo
subtilior? Et eo studio ad maximorum
oratorum imitationem se composuit, ut in
summo honore penes omnes habitus sit,
et elegantissimus latinae linguae cultor,
et inter praestantissimos oratores iure po-
neretur.

Eius opera pluries in vulgus edita,

magno equidem litterarum romanarum
decore lectorum manibus etiam nunc te-
runtur.

Sub finem saeculi christiani decimi
octavi, Pius VI, Pontifex Maximus, admira-
rantibus omnibus, Romae in uno modo
volumine collectas omnes Maximi nostri
orationes in vulgus edi iussit, atque ele-
gantissimis verbis praefatus Victorio Ame-
deo tertio Sardiniae Regi in eius obse-
quium et benevolentiae significationem di-
cari voluit. Iuvabit et hac nostra aetate in
medium proferre nepotumque in mentem
revocare amplissimas laudes quibus Pon-
tifex Caroli Emmanuelis I praesertim
fidem commendavit: «Eum principem
splendori generis, quod a claris augustis
que imperatoribus duxerat, insignem iun-
xisse in Ecclesiam pietatem, ac summis
opibus, invictaque animi magnitudine,
constantia, firmitate, tam strenue pro Sede
Petri fideque pugnasse, ut *antiquam suorum progenitorum aestimationem servarit, integrumque perpetuo retinuerit virtutis et gloriae hereditatem.*

Haec autem editio Romana, omnium
librarium artium elegantias exornata,
omnibus commendata, nunc plane deside-
ratur. Cui volumini in vulgus primum
ingressuro, Horatius immortalis carmine
suo omnia adprecatus dignissime diceret:

Silicet ut prostes Sisiorum pumice dignum!

Novissime, memoria nostra, Carolus
Ferreri, singularis exempli sacerdos, idem
que eximius orator, magnificam maximi
eloquentiam admiratus atque eius eloquii
amplitudinem itemque suavitatem, mode-
stam utique S. Maximi Orationum editio-
nen curavit, quae multitudine lectorum
rapidissime evanuit. Nil mirum sane, si
Subalpina regio, etsi in multas partes
divisa et ingenio saepe et institutis dis-
sona, tanti Viri opere consilioque brevi
tamen in unum morum consensum co-
alescere consuevit.

SENIOR.

De Sienkiewicci fabula Milesia quae in-
scribitur «Quo vadis?», cum Man-
zonii «Sponsis», comparata.¹

Memoria tenemus, fabula Milesia, quae
inscribitur «Quo vadis?», vix in lucem
edita, quanto hominum studio atque admir-
atione accepta sit. Vere dici potest, nul-
lum fere eius generis librum, si Manzonianum
illum excepis, tantum publico
usu fuisse contritum. Neque solum indocti
aut scioli, qui eiusmodi narrationibus de-
lectari solent, eam avide arripuerunt, sed
etiam sapientissimus quisque haud indi-
gnum sua gravitate putavit in eius lectione
aliquid temporis consumere. Multae tum
controversiae, aliis aliter iudicantibus,
exstiterunt. Fuerunt qui artem scriptoris
quasi falsam vituperarent negarentque
eam conformatam esse ad aeternam pul-
chritudinis speciem animis nostris divi-
nitus insitam. Istam pulchritudinem arti-
ficio quadam arcessitam esse: itaque fore
ut brevi et illa imperitorum admiratio et
hic doctorum hominum adsensus evane-
scerent. Alii in ipsa narrationis materia
nihil admodum novi inesse dicebant; eam
multis rebus refertam arguebant, quae in
libris per vulgatis invenirentur; multa ex
Renano, multa ex Wisemano esse depon-
pta. Quin etiam genus universum fabulae
ad modum Wisemanianae «Fabiolae» con-
flatum esse, quum tamen hic scriptor in
moribus illius aetatis describendis auda-
cius versatus esset. Haec aliaque eiusmodi

¹ Quae de summo Manzonii opere, Angelo Perugini auctore, in superioribus mensis Martii et Aprilis fasciculis edidimus, mihi in mentem revocarunt scriptum hoc desideratissimi magistri mei, ac deinde collegae, Antonii Cima; quod eo libentius referre hodie cogitavi, quia tum memoriam renovaret doctoris clari-
ssimi, cito nimis ab humanarum litterarum cultu
abrepti, tum novam occasionem praebaret saeculari
commemoratio Manzonianae immortalis operis iterum
participandi. (I. F.)

tum disputabantur: quae vera sint, nec ne, in medio relinquemus. Nunc nonnulla dicenda de imitatione, quam multi in hoc libro reprehendere sibi visi sunt; cuius rei indicium certius ac firmius ferre licet. Nam in arte scriptoris examinanda, quum sua cuncta placent, fieri potest ut, praediudicatis opinionibus acti, a recta via aberremus. At, contra, ubi statuendum sit, quantum auctor ipse sibi, quantum ceteris debeat, non in opinione, sed in ipsa veritate versamur.

Ac mihi quidem rem tetigisse praeter omnes videntur ii, qui contendunt Sienkiewictum vestigiis Manzonii nostri instituisse, quum multa ostenderent, quae ex divinis illis «Sponsis» quasi ex aliquo purissimo fonte derivasset. Nos vero in quibusdam ephemericibus eamdem sententiam probare conati sumus, quum tamen de aliis quicquam compertum haberemus. Quod, opinor, magnum argumentum est contra ineptum quemdam criticum, qui cum leviter tum petulanter haec mera somnia esse iudicavit. Nam si plutes, quum alias de alio nihil unquam atdiverit, eamdem sententiam defendunt, fatendum est, in ea sententia aliquid veri inesse; nisi forte tu, cuius oculi ad solem caecutiunt, melius atque acrius vides quam Julius Cappuccini, quam Atilius De Marchi, quam Aeneas Guarnerio, quam Felix Martini, quam Guido Mazzoni, quam Carolus Pascual, quam Christophorus Pasqualigo, quam Cajetanus Quadri, quam Albertus Rondani, quam sexcenti alii, quorum nomina longum est recensere, qui omnes se idem sentire declaraverunt. Sed istum Aristarchum male natum relinquamus, et ad rem redeamus.

Sunt igitur apud Sienkiewictum, quae item apud Manzonium inveniamus, quod animadvertis quoque vir quidam doctus, Antonius Cavalli, in libello Placentiae

emisso.¹ Qui quum de utraque fabula prudenter iudicium ferret, tum ita eas inter se comparavit, ut concluderet Sienkiewictum miro quodam modo, quamvis aliam materiam tractavisset, Manzonianam fabulam expressisse. Quod etsi fortasse nimium videbitur, tamen operae pretium est eius praecipua argumenta summatis referre.

Principio, uterque scriptor aetatem certam describendam sumpsit, idque et doce et perspicue fecit.

Apud utrumque idem fere est contextus narrationis, quum bini sponsi, multis obiectis difficultatibus, impedianter ne sua vota persolvant. Quorum casus mirum quantum inter se similes sunt. Quae de Lucia narrantur a Manzonio, raptus, fuga, occultatio, eadem de Lygia a Sienkiewictio; alterius causa Innominatus totum vitae suae genus convertit, itemque propter alteram Vinicius. Atque ut apud illum publica mala, fames et pestilentia, magnam vim in Luciae fatum habent, ita apud hunc incendium Urbis et Christianorum caedes cum Lygiae casibus conectuntur. Sed tandem utrumque sponsorum par, e gravissimis periculis emersum, matrimonio feliciter iungitur.

Ac multo magis utriusque fabulae similitudo appareat, si quis singulas res a quoque scriptore enarratas consideret. Vinicii amor initio cupiditati impotenti Roderici consimilis est; quorum festinatio, quum servos exspectant ad virginem rapientem missos, iisdem fere verbis - (ut ego quoque animadyerti) - ab utroque describitur. Neque aliter effinguntur huc Luciae, illic Lygiae casti amores; huc Rentii, illic Vinicii anxius animus, quum uterque per urbem, pestilentia aut incendio vastam, pererrat incertus, vivamne an mortuam eam sit reperturus. Quorum alter in valedicinari, alter in carcerem, quum fur-

¹ V. Biblioteca delle Scuole Italiane, mense Aprili MCM.

¹ Prof. ANTONIO CAVALLI, *Quo Vadis?*, Studio critico, Placentiae, typis Solari, MCML.

tim se immiserit, in ipsam tandem casu quodam incidit.

Minus fortasse adsentiendum est huic viro docto, quum personas utriusque fabulae inter se comparat. Quod scribit, Vinicum ex tribus personis Manzonianis esse confusum, Roderici, Innominati, Rentii, laudo; sed quid Petronio cum Atilio comite et Ferrante? ex quibus unam Petronii personam conflatam esse putat. Chiloni vero quid cum Abundio? Uterque, fateor, timidus ignavusque; sed alter perfidus ac puniendi doloris cupidissimus, alter, si quaeras, haudquaquam improbus. Quod autem existimat, personas Petri et Pauli, elatas nimis ac divinas, vix a scriptore ullo effungi posse, multis exemplis haec opinio refellitur. In quo genere animadvertisendum erat, colloquium Chilonis et Pauli haud minimam similitudinem habere cum colloquio Innominati et Friderici cardinalis; quin etiam, ut iam docui, verbis ipsis haec colloquia conspirant.

Ex iis, quae adhuc adnotavimus, apparet, hunc virum doctum - (quamquam id nusquam aperte confirmat) - iudicare, Sienkiewictum scientem ac dedita opera Manzonii vestigia sequutum esse. Ego, contra, crediderim, id eum imprudenter fecisse. Nam si quae siveris ex ipso Sienkiewictio num Manzonium imitatus fuerit, responderit fortasse, quum librum suum conscriberet, fabulam Manzonianam minime sibi obversatam fuisse. At si proprius eius fabulam consideraveris, perspicuum erit, ut modo vidimus; multa in ea inesse, quae Manzonii opus redoleant. Non tamen Sienkiewictio dicendum erit, quod olim Cicero Ennio: «Si fateris, sumpsisti; si negas, surripuisti». Saepe enim accidere solet ut scriptor aliquis invitus excitet res in sua cogitatione iampridem positas, easque in novas formas conversas ita prodat, ut et ipsius et non ipsius esse pariter dici possint. Est enim quoddam

imitationis genus, quod vel imprudentis scriptoris animum subire et quodammodo sub eius stilum irrepere videatur.

ANTONIUS CIMA.

IN FESTO BEATI PETRI

SALUS ITALIAE PONTIFEX!

*Immane quantum luminis indiges
Praeclara proles, quae Italiam incolis,*

*Ne, face missa veritatis,
Per tenebras rapeare lugens.*

*Specta supernum sidus ab aethere,
Quod sole splendens clarus, emicat*

*De Sede Petri indesinenter,
Gentibus omnibus ad salutem.*

*Tu sola in omnes Natio praevalens
Tam gloriosa, atque ut Domina imperas*

*Orbis magistra, et commoraris
Perpetuo in populos verenda.*

*Te barbarorum haud contudit impetus,
Non Te venenum polluit haeresum,*

Constans iter rectum secuta,

Mirifice gradiens preebias.

*Ast undenam tanta haec tua gloria
Et vis? sed a Pontifice effluit,*

Quem possides de iure pleno,

Atque hominum generi invidenda?

*Equis tui dux per medios stetit
Hostes, nisi alti claviger imperi*

Petrus regens, qui spiritali

Te gladio tegit ac tuerur?

*Delenda fors narratio quaelibet
Si de potenti Pontificis manu*

Victorias a Te relatas

Non reputes ubicumque tentas?

*Certe salus stat pro Italico solo
Romana sedes, quae ut fuit antea*

*Saeclis remotis, nec negandumst,
Sic erit indubia et futuris.*

*Ergo Petrum et nunc suppliciter voca
Verum patronum; cordis ab intimo*

*Exquire pacem; tum beate
Omnimodam et cito consequeris.*

Anagniae, Kal. Iun. MCMXXVII.

JOSEPHUS RINALDINI S. J.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

De Romanorum conviviis.

Duplicem fuisse conviviorum rationem dici iure posse propterea videtur, quod alia publica, alia privata exstiterunt. Atque publica quidem illa erant, quo aut multa pars populi, aut universa multitudo vocabatur. Huius fuere generis, quae a consulibus designatis senatorio atque equestri ordini parari solebant; uti patet ex Plinio (XIV, 15) et Vopisco in *Aureliano* (XII). Praeterea quae a belli duce triumphum acturo cunctis vulgo praebebantur; quae singulari nomenclatura *Coenae triumpahales* nuncupata, teste eodem Plinio (IX, 55). Denique illa, quae vel ludorum, vel dedicationum, vel aliarum celebritatum causa agebantur.¹ Quae sane universa convivia, ad quae habenda amplio admodum loco opus erat, in Capitolii plerumque porticibus celebrari sollempne fuit.

Privata autem erant, quae domestico more inter amicos inibantur. De his sermonem instituemus, quum de prioribus illis nihil ultra peculiare adeo emineat, ut in eo diutius necesse sit immorari.

**

Privatarum aedium locus, ubi coenabant Romani, appellatus a re ipsa *Coenaculum*, *Coenatio* ac *Triclinium* est. Atque haec certe communia fuere nomina. Sed et singulare porro aliud, ab aliquo petum numine, eidem indere non rarum fuit. Itaque celebre est Luculli triclinium *Apollo* apud Plutarchum nuncupatum.

Constitutum autem coenaculum fuit primitus in ima domo; tum ad superam translatum; idque in causa fuit, quamobrem tota tandem summa illa aedium pars, ampliata appellatione, coenaculum voca-

retur. De qua re sic Varro (IV, 1, 33): « Ubi coenabant – inquit – Coenaculum vocabant. Posteaquam in superiore parte coenitare coeperunt, superioris domus universa, Coenacula dicta ».

Ex hac altera coenaculi notione primum est cognoscere quid sibi voluerint universa illa scriptorum loca ubi coenacula a pauperibus habitata produntur. Nimurum in consuetudinem demum venerat, ut superae aedium partes inquiline huius generis locarentur. Itaque Iuvenalis (X), ut iudicaret egenorum domos a Neronis ditiorum opibus inhiantis fuisse tutas, inquit:

*Egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors: rarus venit in coenacula miles.*

Quoniam autem ad huiusmodi domicilia scalis ascendere necesse erat, hinc, ubi plura essent in una domo aliis alia superstructa coenacula, plures etiam scalae forent oportebat; unde est factum, ut nonnunquam ipso scalarum numero coenaculorum numerus designaretur. Hac ratione Martialis (I, 118):

Et scalis habito tribus, sed altis.

Ob hunc eundem coenaculorum usum *coenaculariam* facere dicti fuerunt, qui conducta coenacula tota aliis per partes elocando quaestum faciebant.

Ceterum non una tantum coenatione Romani vulgo homines contenti erant, quum quisque ferme, quo ea foret anni temporibus opportunior, tum aestivam, tum hibernam habere vellet. Eiusmodi morem prodidit Varro (I. R. R., 13) his dictis: « Ut spectent sua aestiva triclinaria ad frigus orientis, hiberna ad solem occidentem ».

Id praeterea ad pompam praecipuum invexit luxus, qui malo publico natus quolibet irrepere consuevit, ut illius lacunar, quorumdam machinamentorum ope, pluries inter coenam immutaretur. Huc pertinet Seneca illud (*Epist.* 90): « Qui versatilia coenationum laquearia ita coag-

mentat, ut subinde alia facies² atque alia succedat, et toties tecta, quoties fercula mutentur ».

**

Hora, qua Romani convivia inibant, occidentis fere solis erat, nimurum aestivo tempore nona, hiberno decima. Hinc Tullius:³ « Accubueram hora nona, quum id litterarum exempla in codicillis exaravi ». Rursus, ad Herennium:⁴ « Visit triclinium stratum... vos huc hora decima venitote ».

Quum igitur id esset vulgari consuetudine constitutum coenandi tempus, hinc quae convivia maturius instituerentur, « tempestiva » discriminis ergo dicebantur. Cicero ad Atticum:⁵ « Multa – inquit – a me tempestivis conviviis disputantur ». Et in Verrem:⁶ « Statuitur Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio ». In quam ipsam rem illa quoque dicendi ratio de die convivari fuit adhibita. Hac ratione Catullus, in *Carmine XLVII*:

*Vos convivia lauta sumptuose
De die facitis.*

E quibus universis locis illud praeterea paret, convivia huius generis non semper male audiisse: etenim ubi non inde erat, ut gulae largius indulgeretur, probro non vertebantur. Contra autem, quae « tempestiva » dicta aliquoties occurrint, ea quidem nunquam non in deteriore partem accepta sunt, eo scilicet sensu, ut semper effusionem edendi bibendique licentia secum ferrent; licet, quod ad vim nominis attinet, utraque tempestiva, atque intempestiva unum idemque fuerint, quae nimurum sive ante, sive extra tempus inirentur. Illorum igitur eruditorum auctoritati non acquiescimus, qui eo tempestiva convivia ab intempestivis discrepasse asserunt, quod

altera instituerentur temperius, altera longius protraherentur: etenim huius quidem generis sententiae non nimopere antiquitas suffragatur. De his interim postremis sic facta habetur mentio apud Curtium (V, 2): « Quum intempestivis conviviis dies pariter noctesque consumeret ».

Ex eo autem, quod relatum est, statam coenandi horam veteribus sub vesperam fuisse, ne tandem id concludas ante hoc tempus eos omnino cibo abstinuisse. Vulgatissima enim consuetudo fuit, ut circa meridiem aliquid eiusmodi sumerent, quo ruens stomachus fulciretur; id quod vocatum *Prandium* est, quale prorsus significatur verbis illis Horatii:

*Pransus non avide, quantum interpellat inani
Ventre diem durare.*

Ad hoc, alia duo diei tempora exstiterunt, quibus etiam per nonnullos esuidabant opera, videlicet matutinum et nocturnum. Mane, praeter pueros, hellunes *Ientaculo* delectabantur: qui ipsi *Comisationi* praeterea vacare solebant, quae fuit post legitimam altera coena ad multam noctem producta. Quare Suetonius de *Vitellio* (XIII) narrat: « Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispartiebat, in ientacula, et prandia, et coenas, comisationesque.

(*Ad proximum numerum*).

S. A.

De artibus curandi tuendique corporis.

I.

De quiete et exercitiis.

Motum ad sanitatem multum conferre, nemo ibit negatum. Nomine motus omnis generis exercitia intelligo, quales sunt ambulatio, cursus, saltus, equitatio, vectio, navigatio, et cetera huiusmodi. Apud veteres quinque exercitorum genera in laude erant posita: cursus, lucta, pugilatus, sal-

¹ *Epist. fam.*, IX, 26.

² IV, 51.

³ IX, 1.

⁴ III, 25.

tus; iactus disci, saxi et iaculi. Qui in his exercitationibus excellebant πένθοι, seu, ut apud Festum, quinquetiones dicebantur.

Ceterum, motus de quo loquimur, membris corporis soliditatem affert, calorem nativum auget, adeoque ὀστάθεια aliquam inducit, quando corpora, quae exercitationibus et laboribus induruerunt, externis iniuriis non facile sunt exposita, ut ad auram frigidiusculam vel urentem solis radium, illico Herculem implorent, quem admodum illi qui otio liquescunt et cum Sardanapalo culinam curant.

Motum comitetur expedita nutritio, quia calorem excitat, qui digestionem et appositionem promovet.

De utilitate motus ingeniose scripsit Palingenius:

*Exercere etiam corpus mediocriter apto
Tempore conducit multum, nam causa caloris
Est motus, stomachumque iuvat roburque reducit,
Humoresque super vacuos putresque resolut.*

Quia vero exercitorum magna est diversitas, quorum quaedam non omnia corporis membra aequaliter exercent, sed nonnulla magis afficiunt seorsim – (gratia exempli, cursus exercet crura, remigatio brachia, vociferatio thoracem, omnesque partes formandae voci destinatas) – eligant qui studiis vacare solent illa pae ceteris, quae, quantum fieri potest, universum corpus uniformiter moveant. Quamobrem medicorum alpha Galenus, parvae pilae lusum commendavit, de quo libellum in lucem edere et relinquere voluit.

Sphaeristerium etiam cum globis et annulo ferreo laudem iure meruit: nos alias pilis ludendi species hodie habemus, inter quas illa eminet, quae pilam reticulo mittit ad locum destinatum intra quatuor parietes. Huc accedit illud exercitium, quo folliculus coriaceus, aere repletus, brachiali ligneo propulsatur in aërem, etc.

Refertur inter exercitia saltatio, non circulatorum, quae impetuosa corporis agitatione, periculosa, quin etiam indecora

merito censemur; sed quae modesta est, aliquid virile, decorum, ac generosum servat: reges ipsi hanc artem exercabant, et philosophi, Socrates, Plato aliique, eam in deliciis habebant. Promovet enim morum elegantiam, concinnam membrorum corporis compositionem, motumque decorum.

Natandi quoque exercitium iam a Graecis et Romanis adhibitum est, quo multi fortissimi viri in summis periculis constituti vitam servarunt, ut Iulius Caesar, Sertorius, Scaevola. Ne utilitatem dicamus, quam illa corpora, quae maxime humectationem ac refrigerationem postulant, hoc exercitio consequuntur.

Neque dicam de arte insiliendi ac regendi equos...

Quia itaque inter exercitia quaedam reperiuntur vehementia ac laboriosa, quaedam mediocria, nonnulla levia, in rem erit eorum qui in studia incumbunt, ut quilibet hic terreni sui tabernaculi constitutionem et conditionem pensiculatus perpendat; nam corpora valida ac robusta facile vehementiora exercitia ferunt; at graciliora moderata eligant ne vires deiiciantur, spiritus dissipentur et in calidioribus temperamenti accendantur; nam huius temperamenti homines, potius ad udorem quam sudorem moveri oportet; istud est, moderate et tamdiu, donec cum florido colore rorida quaedam intumescens in corpore deprehendantur. Ex quo iterum emergit illud: « Aestate breviorem, Decembribus autem horis, diurniorem exercitationem esse commendabilem. »

Aestate, exercitia sub umbra, *patulae sub tegmine fagi* instituta, merito illis praefreruntur, quae in libero et aestuoso aere suscipiuntur, sub sole; haec enim humores fundunt et corpus nimis calefaciunt; quod pae ceteris observabunt illi, qui saepe caput dolent, quibus cerebrum est imbecillius. Neque hoc nauci aestimant

dum, quod exercitia prandio et coenae sunt praemittenda, alias calor dissipatur, concoctio turbatur et cibi semicotti e ventriculo abitionem maturant: hinc cruditati et variis morbis via sternitur. Id quod iuvenes imprimis observabunt, qui equitationi, palaestrae, saltationi in academiis operam dare consueverunt.

Interea tamen lenis deambulatio non proscribitur post pastum, quae efficit ut cibi sensim sidant ad ventriculi fundum, id quod est in rem bonae digestionis.

Studiosi et hoc in genere auream ament mediocritatem, ne malis semitam aperiant aut inerti quiete torpescant et contabescant, sed ut alternis vicibus quies et motus decenter excipient. Nam etiam in hoc passu adamant alterna Camoena.

DR. HAVEMANN.

Colloquia varia eademque familiaria latine composita

Rei argumentum.

Nuperrime, quum Urbem meis negotiis peterem, in ipso prope Romae limine, in peregrinum occurri, qui longe veniens, atque italicae linguae nescius, magnis in angustiis versabatur. Ad me tamen, qua vero causa nescirem, confidentius accessit, et patro sermone a me plurima postulavit. Ei libero ore, sed Romanorum eloquio usus, respondi:

— Tu e Germania profectus, tuorum magistrorum exempla sequutus, Romanorum veterum lingua certe calles; ac propterea romane te loqui iubeo, sique omnia quae tibi lubent explanare potero.

— Tu facis ut bono sim animo. Si scires mei pectoris angustias! Namque quum Urbem appropinquarem, magnus subitusque timor me incessit, qui totam prope-

modum laetitiam immortalis Urbis visendae minuit primum et mox penitus delebat.

— Qua de causa?

— Mente enim mea diu multumque haec mecum ipse volutabam: quomodo peregrinus, qui unice germanico meo sermone utor, aliarumque nationum linguae omnino nescius, quomodo, inquam, per Roman scite atque commode deambulare potero, eiusque vetera invisere monumenta atque admirari, quae passim, recentiore vocabulo vos *pulcritudines* appellatis, si novam Romanorum linguam plane ignorem?

— Loquere latine!

— Et sufficit? Tu rem incredibilem narras!

— Sed veram! Romae enim, in praesentiarium, vel tantillus puer tantilla verba nunc latina didicit et tibi tutissime recitat, quasi, plane dixerim, quum Roma cuncta dominaretur. Litterae enim latinae haud sunt amplius, ut paullo ante, pestilenti sidere afflatae, sed suum in scholis apud nos locum habent. Hoc nomine per compita et per vicos si pueros forte, qui alares vagantur, latine fando interrogas, rectius tibi fortasse respondere paratos invenies.

— Hoc mihi magnae levationi est.

— Attamen nimis ne crede colori! Et noster Phaedrus optime nos monet: *Decipit prima frons multos*. Omnes utique in scholis linguae latinae vacant; eam tamen non omnes similiter arripiunt. Tu vero si Urbem nunc primum petis, et tuto pede incedere cupis, latino sermone utere, et facile invenies qui te intelligat, te doceat teque veluti manu perducat.

Interea immānis curruum machina, vi aquae evaporatae acta, viciniorem Urbem acutissimo sibilo salutat, omnesque peregrinos monet itineris terminum appropinquare. Quae rerum hominumque turba atque confusio!

Dolens quod subitus ad Urbem adventus nostra colloquia abruperit, et multos sermones, quos cupide serebamus, intercepit, comitem, quem vidi etiam inter suos colloquenter, voce vultuque salutavi omnia bona auspicatus, et Romam, nescio quid meditatus, sum ingressus. Verum hac optime occasione arrepta, ex una in aliam transiens sententiam, hanc tandem sum amplexatus: - Et si in omnium commodum haec ipsa colloquia in vulgus ederem, quid mali? Nonne, immo, utilitatis aliquid?

Manum ad opus admovi, sicque *Almam Romanam* adivi.

I. B. FRANCESIA.

delectare, sed etiam ad legentium mores confirmandos prodesse possent.

Nunc vero satis dolere non licet, ut dictum est, ex hac affluentia librorum, in quibus magna cum fascinatione nugacitatis par inest turpitudo, gravissimam animarum iacturam exsistere. Etenim quam plures huius generis scriptores fulgentissimis imaginibus impudica facta depingunt; obscoenissima quaeque, modo tecte, modo aperte et procaciter, omni castimoniae lege neglecta, enarrant; subtili quadam analysi vitia carnalia vel pessima describunt eaque cunctis orationis luminibus et lenociniis exornant, adeo ut nihil iam in moribus inviolatum relinquatur. Id omne quam perniciosum sit, praesertim adolescentibus, quibus fervor aetatis difficiliorem efficit continentiam, nemo est qui non videat. Volumina autem illa, tenuia saepe, parvo venalia prostant apud bibliopolas, per vias et plateas civitatum, in stationibus, quae dicuntur, viae ferreae, eademque in manus omnium mira rapiditate veniunt et familias christianas in magna et luctuosa frequenter discrimina adducunt. Nam quis ignorat litteris eius modi phantasiam fortiter excitari, effrenatam lidi binem vehementer accendi et cor in coenum turpitudinum trahi?

Inter mala huius aetatis funestissima, quae doctrinam christianam de moribus penitus subvertunt, atque animabus Iesu Christi emptis pretioso Sanguine, admodum nocent, imprimis numeranda sunt ea litterarum genera, quae « sensualitati » et libidini aut etiam lascivo cuidam « mysticismo » indulgent. Huiusmodi sunt praecipue fabulae romanenses, narratiunculae commenticiae, dramata, comoediae, quarum quidem scriptorum incredibiliter foecunda sunt haec tempora quotidieque maior ubique copia diffunditur.

Quae ingeniorum commenta quibus tam multi, maximeque iuvenes, tantopere capiuntur, si pudoris et honestatis finibus, non sane angustis, continerentur, non solum sine fraude

¹ Instructio d. d. 3 mens. Maii 1927.

omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum» (MATT., 7, 21).

Ne quis vero illa opponat: in pluribus illorum librorum nitores et ornamenta orationis vere laudanda inesse, psychologiam hodiernis inventis congruentem paeclare doceri, lascivas autem corporis voluptates eo reprobari quod exprimantur, ut sunt, foedissimae, aut quod interdum cum conscientiae angoribus coniunctae ostendantur, vel quod patetiat quam saepe extrema turpissimi gaudii luctus cuiusdam poenitentiae occupet. Nam neque scribendi elegantia, nec medicinae aut philosophiae scientia - si modo his litterarum generibus ea continentur - nec mens, quaevis ea sit, auctorum impedire unquam possunt quominus lectores, quorum generatim, propter naturae corruptionem, magna est fragilitas magnaque ad luxuriam propensio, paginarum immundarum illecebris sensim irretiti, et mentibus pervertantur et cordibus depraventur, ac, remissis habenis cupiditatum, ad sceleram omnis generis delabuntur, vitamque ipsam, sordibus oppletam, fastidientes, haud raro se ipsi interimant.

Ceterum quod mundus, qui sua quaerit usque ad contemptum Dei, his libris delecatetur, eosdemque divulget, mirandum non est; sed maxime dolendum, a scriptoribus, qui christiano nomine se iactant, operam studiumque in tam exitiosas litteras conferri. Numquid fieri potest ut principiis ethicae evangelicae adversando, adhaereatur Iesu benedicto, qui omnibus, ut carnem cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigant, praecepit?

« Si quis vult - inquit - post me venire, abneget semetipsum, et tollet crucem suam, et sequatur me » (MATT., 16, 24).

Atque eo quidem audaciae et impudentiae scriptores processisse non paucos videmus, ut ea ipsa vita suis libris in vulgus spargant, quae Apostolus vel nominari a christifidelibus vetuit: « Fornicatio autem, et omnis immunita... nec nominetur in vobis, sicut decet

santos » (*Eph.*, 5, 3). Discant isti tandem aliquando se duobus dominis servire non posse, Deo et libidini, religioni et impudicitiae. « Qui non est mecum - ait Dominus Iesus - contra me est » (MATT., 12, 30), ac certe cum Iesu Christo non sunt scriptores sordidis descriptionibus bonos depravantes mores, qui societatis civilis ac domesticae sunt verissima fundamenta.

Itaque perspecta litterarum lascivarum colluvie, quae quoquo anno latius omnes fere nationes inundat, Sacra haec Suprema Sancti Officii fidei et moribus tuendis praeposita Congregatio, Apostolica auctoritate ac nomine SS. D. N. Pii Divina Prov. Papae XI, omnibus locorum Ordinariis mandat, ut omni qua possunt ope tanto tamque praesenti malo mederi conentur.

Profecto ipsorum est, qui a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei, in omnia, quae in suis dioecesis typis imprimantur et edantur, solerter diligenterque invigilare. Neminem autem illud effugit, libros, qui toto orbe hodie vulgantur, longe crebrios esse quam qui a Sede Apostolica examini possint subici. Propterea Pius X s. r. Motu proprio « Sacrorum Antistitum » haec edixit: « Quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exsulent fortiter contendite, solemnni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat, adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut senior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit ».

Nec vero talium voluminum et opuscularum pleraque, quamquam perniciossima, speciali Supremae huius Congregationis censura plecti valent. Quare Ordinarii ex canone 1397 § 4 C. I. C. per se aut per Consilia a vigilantia, quae quidem Summus idem Pontifex, litteris encyclicis « Pascendi dominici gregis » instituit, sedulo naviterque gravissimum istud munus explere studeant; neque

opportune denunciare in dioecesanis Commemtariis praetermittant eosdem libros uti dannatos et quam maxime noxios.

Præterea quis ignorat Ecclesiam generali lege iam statuisse, ut libri pravitate infecti, qui morum integritatem data opera vel ex professo laederent, vetiti haberentur omnes, proinde ac si in *Indicem* librorum prohibitorum relati essent? Consequitur inde ut peccatum letale ab iis admittatur qui sine permissione debita librum non dubie salacem legant, etiamsi ab auctoritate ecclesiastica non sit nominatim damnatus. Et quia de hac re, maximi quidem momenti, falsae et extiosae opiniones obtinent inter christifideles, ideo locorum Ordinarii pastoralibus admonitionibus curent, ut imprimis parochi eorumque adiutores animum in id intendant, et fideles opportune edoceant.

Insuper omnibus declarare qui libri nominatim, pro singularum dioecesum necessitatibus, ipso iure prohibiti sint Ordinarii ne omittant. Quod si fideles a volumine quopiam arcere efficacius celeriusque se posse existiment si peculiari decreto illud improbent, hoc suo iure omnino utantur oportet sicut, gravioribus causis postulantibus, id ipsum consuevit S. Sedes, ad praescriptum canonis 1395 § 1 C. I. C.: «Ius et officium libros ex iusta causa prohibendi competit non solum supremae auctoritati ecclesiasticae pro universa Ecclesia, sed pro suis subditis Conciliis quoque particularibus et locorum ordinariis».

Denique Suprema Sacra Congregatio omnes Archiepiscopos, Episcopos et reliquos locorum Ordinarios iubet, occasione relationis dioecesanae, quidquid contra libros lascivos statuerint et exsequuti sint, Sancto Officio manifestare.



Lectio certa prodest, varia delectat: qui, quo destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est.

Non refert quam multos, sed quam bonos habeas libros.

SENECA.

ANNALES

Oeconomicus Genevensis convenitus.

Genevae conventus alter, mense Maio, habitus est multarum nationum, ad pactiones de commercii inter omnes populos instituendas. In quo, postquam rerum status per omnem orbem late in examen est revocatus tum circa negotia quae quaestus causa exercentur, tum circa agrorum cultus, quum ad conclusiones ventum est, acris disceptatio exarsit hinc inter privilegiorum fautores, inde inter assertores libertatis. Tum denique legati in id consensere, ut coetus tres constituerentur, qui, rebus sedulo perpensis, cautiones essent proposituri de industriae artibus, commerciis et agricultura, quae ex angustiis, quibus in dies urgetur, Europam - et fortasse non Europam unam - eripere valeant. Utinam!...

**

Anglicum cum Russia discrimen.

Interea grave inter Angliam Russiamque discrimen ortum est. Constat, inter duos populos commercii foedus fuisse iam a tempore initum; ex quo factum est, ut «Sovietica» legatio ad ipsa commercia moderanda sedem suam Londini posuerit. Anglico vero gubernio innotuit, sub commerciorum specie, civilem Bolscevicorum et politicam actionem a legatione ipsa agitari, imo eam et documentorum Anglici regni possessionem sibi quaerere. Itaque Londinensis magistratus publicae securitati praepositus, quadam die, ex improviso, legationis sedem invasit, omniaque eius loca, nec sine favorabili exitu, pertentavit.

Clamare inde Moscovitarum gubernium et populus; violati hospitii Anglicos ministros accusare, minari... Chori partes sibi sumit «laburistarum» Anglici factio,

eo fortasse magis, quod irae plena ob iritos suos conatus factos in legis rogationem, quae manus labores moderaretur opificumque ex condicto ab operibus deserentes coerceret: instat, ut quaestio iudicario publicorum legatorum coetui dirimenda tradatur... Frustra rursus; quinimo publicus coetus legibus ferendis commercii foedus abrogat, et quamlibet coniunctionem amicitiamque cum Russico gubernio rescindit.

Ominemur ne ultra procedatur!

**

Hispanica festa.

Cum magno exultantis populi concursu et obsequii amplissimis significationibus, per Hispaniam omnem solemnia celebrata sunt in Alfonsi XII regis honorem, vigesimo quinto anno expleto, ex quo ille solium concendit.

Liceat et nobis fraterno animo Hispanorum laetitiae participes fieri, votaque Deo efferre, ut salvum, felicem Augustum virum diutissime sospitet!

POPULICOLA.



VARIA

Brachmanae.¹

Malabaricus rex in primis Indiae clarus perhibetur ac potens; quippe quem ceteri eius tractus reges principem ac superiorem agnoscent, et patrio sermone *Zamorinum*, idest imperatorem appellant. Is quattuor ordinum homines habet in suo regno: dynastas ac satrapas, quos vulgo *Caimales* vocant; sacrorum antistites et procuratores: ii vetustissimae originis et nominis *Brachmanae* sunt; rei bellicae studiosos, qui *Naires* dicuntur; quartum obtinent locum opifices et agricolae; reli-

¹ Ex MAFFEI historiis.

quum vulgus institutorum est, magna ex parte Arabum, Persarumque et Aegyptiorum ex haeresi Mahometana et Iudaica, qui pretiosis mercibus admirabili solertia et peritia permundis, ad amplas ferme opes pecuniasque perveniunt.

Sed apud omnes praecipuo in honore Brachmanae sunt, patetque ea secta latissime; horum scitis omnia publica et privata sacra subiecta sunt; hi caeremonias et iusta funebria suo arbitratu praescribunt; iidemque magno suo quaestu prodigia, sortes, auguria et omina interpretantur; horum disciplina institutisque reges ipsi imbuntur, omnibus magnis parvisque in rebus mirandum in modum illis obnoxii. Sed non unum est Brachmanarum genus; quippe alii liberis operam dant vivuntque in hominum frequentia; alii caelibem agunt vitam, quos hodie proprio vocabulo *Iogues* appellant, *Gymnosophistas* olim Graeci dixerunt: iisque partim longissime peregrinantur, stipem emendantes, et victus vestitusque asperitate nacti existimationem ac fidem, credulas hominum mentes portentosis mendaciis, variisque superstitionibus in fraudem impellunt: partim in solitudinibus aviis et subterraneis specubus durissimo vitae genere, inedia, vigilia, nuditate, frigoris aestusque patientia semetipsi discruciant, abstinentque ab omni corporis voluptate ad certum annorum spatium; quo exacto, in *Abdutos* (id nomen ordini) magna cum gloria referuntur. Ii, tamquam humano fastigio celsiores, et omnium rerum licentiam adepti, nullis iam tenentur legibus, et in omni scelerum et flagitorum genere impune voluntur. Est etiam suus *Iogibus* rector maximus, qui vectigalia perampla dispensat, vocatosque ad se certis temporibus impostores, varias in regiones ad praedicanda impiae vanitatis deliramenta dimittit. Illi omnes, mirum quam densa in caligine, et quanta in veritatis ignoratione versentur!

* *

Leo aegrotus lupus et vulpes.¹

Senem leonem in spelunca aegrotantem visitatura veniebant animalia, vulpe excepta. Lupus occasione arrepta, vulpem apud leonem accusavit, quippe quae nihil faceret ipsorum regem, quem visere dignabatur. Haec dicenti adfuit vulpes et postrema lupi verba audivit. Leo in ipsam infremere. Sed vulpes se defendendi facultate impetrata: «Quisnam vero - ait - ex tota visitantium turba de tua salute sollicitus fuit, quantum fui ego, quae in omnem partem circuivi medicinam tibi quaesitura, quam tandem inveni?» Leo anxius petere quaenam haec esset: - «Excoriati lupi - ipsa inquit - pellem calidam tibi induere». Dein ad lupum laniatum morentemque conversa: - «Dominum, - ait, - ad benevolentiam movere oportet, non ad odium neque ad iram».

* *

Pro iudicibus mensarum elegan-
tibus.

ESCARUM ORDO:

Avellanae gallinaceae in iure flui-
tantes.

Acupenseris filula americano ritu.

Coturnices assae, anserino iecore far-
tiae.

Oluscula et lycopersica esculenta.

Bromelia ananas congelata.

Ofellae ex amygdalis.

* *

Locosa.

Pater Tuccio:

— Sume decem haec chilogrammata funium, fratri meo adducturus.

Tuccius sese sarcina onerans:

— Equod pondus! Fuissent saltem decem gossypii chilogrammata!

Tuccius schola redux festive matri:

— Nummos, quos mihi promisisti tandem repetere possum: nondum enim in negligentium subselliis sedeo!

— Itane vero? Ut miraculum sis operatus?

— Nullum miraculum: subsellia hodie resina illita sunt!

* *

Aenigmata.

I.

Oppositi pluviae si splendid lumina Phoebi,
Condecoro vitta versicolore polum.

Litterulam muta: fio mendicus, egenus,
Aulam Dulichii suetus adire ducis.

II.

Pars prior arridet terrae de vertice caeli;

Altera pars mensem dissecuuisse solet.

Partibus his mixtis quod prodit, lector amice,
Id summo totum dicere iure potes.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Arista, Crista*; 2) *Papa-ver.*

Libri dono accepti.

Virgilio scacciato dal campicello. — Traduzione in versi italiani di DUILIO ZUANELLI del carme di Francesco Sofia Alessio: *Ver-gilius agello pulsus.* — Pieve di Soligo, typis Boschiero et Bernardi, 1927. (Ven. lib. 5).

Sac. CAMILLUS COLLI LANZI. *Theologia moralis universa iuxta codicem iuris canonici* in memoriae auxilium aptiori methodo digesta; seminariis, examinatoribus, et concursum adeuntibus perutilis. — Vol. II: *De Virtutibus Theologicis; De Virtutibus Moralibus; De Virtute Religionis; De Virtute Iustitiae.* — Taurini-Romae edid. officina libraria Mairietti, MCMXXVII. (Ven. lib. 16).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.


¹ Ex italicis fabulis NICOLAI TOMMASEO.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius. Actio dramatica. – Venit lib. 2.

(*his vero qui extra Urbiem hos libros mitti invocant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pri ingulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI,
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Sociis

venum dantur,

mmodata apud

scenis accom-

s. — Si tegu-
decorat., lib. 6.

2.

rit publici cursus
is).ROMÆ col-
num MCMXXVI,
uimus libella-
licet 600, pror nummariam
nite requiren-
12, Via del
non sinit ut
endi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia preelectiones¹

Libri Magistratum et Pontificum.

Aliud genus monumentorum ad vitam publicam pertinentium nunc tibi considerandum est, studiose lector, nempe *Libri et Commentarii magistratum*, qui passim a scriptoribus memorantur. Velut Livius (IV, 7, 10), de consulibus loquens, quibus Ardeatinum foedus renovatum est (anno CDXLIII a. C. n.), monet, nomina eorum neque in annalibus priscis neque in *libris magistratum* inveniri. Nimirum facili coniectura ad suspicandum ducimur, omnes magistratus Romae, inde a remota antiquitate, invento scripturae usu, libros suos habuisse, in quibus et indicem collegarum et collegii acta quotannis perscriberent. Huius generis laudantur, ut exemplum proferam, *tabulae vel libri censorii*; Cicero enim in *Oratore* (156) locutionem refert in censoriis tabulis repartam: «*fabrum et procum centuria*», ubi verba *fabrum, procum*, adhiberentur pro eo quod esset *fabrorum, procorum*.² Item Varro in sexto de l. l. (86) praescriptum quoddam a censore servandum ex iisdem

referebat, cum carmine et formula ab eo enuntianda. Item Gellius in *Noctibus Atticis* (II, 10) verbum quoddam memorabat in censoriis *libris* scriptum, de cuius sensu Servius Sulpicius jurisconsultus Varronem ipsum per litteras rogavisset.¹ Eosdem libros vel tabulas Dionysius Halic. (I, 74, IV, 22) vocat *τιμητικὰ ὑπομνήματα*, vel *γράμματα*.

Etiam *commentariorum consularium* mentionem invenio apud Varronem (*l. l.*, 6, 86), qui ex iis formulam refert ab eo enuntiandam qui exercitui imperaturus sit: «Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc: Calpurni, voce inlicitum omnes Quirites huc ad me. Accensus dicit sic: Omnes Quirites, inlicitum visite huc ad iudices, etc. etc.»

Quod ad *praetores* attinet et iuris dictationem, quis non suspicetur, innumera volmina de tam magna re labente tempore acervata esse? Tot reorum, tot causarum, tot iudiciorum qui poterat non servari memoria? Visne exemplum adduci? En Ciceronem in P. Vatinium testem perorantem et tribunatum totamque vitam eius acerrima reprehensione vituperantem; qui

¹ Cifr. fasc. sup.

² Cfr. *De lege agr.* I, 2, 4; *De har. responsis*, 30.

¹ Verbum est: «*favissae Capitolinae*»; quae erant cellae et cisterne sub terra in area capitolina, ubi reponi solebant signa vetera ex templo collapsa, et aliae res religiosae.

turbas memorans a Vatinio excitatas quum postulatus lege Licinia et Iunia, dicta sibi die a C. Memmio praetore, nulla vi abstinisset ne causam diceret, ex illo inter alia hoc etiam quaerebat, num sciret fureorem eius et violentiam diligenter a C. Memmio in *publicis tabulis* esse notata atque testata (34).

Etiam *quaestorum commentaria* memorare liceat. Nam Varro in sexto de l. 1. 91, vetus commentarium laudat anquisitionis M. Sergii M. filii quaestoris, qui T. Quinctium Trogum capitatis accusaverat; eiusque commentarii nonnulla refert verba, quae nunc praetereo.

Quod si magistratus par est libros suos habere et servare, eo magis sacerdotum collegia libros et tabulas habuisse suspicabimur; in primis pontifices, quorum munus et officium in re publica tam magni habebatur. Laudantur igitur saepissime *pontificum libri* vel *commentarii*, qui vocantur etiam *libri pontificii*, vel *pontificales*. Cicero in primo *De oratore* (193) animadvertebat in *pontificum libris* nonnullam antiquitatis effigiem, unde verborum vetustas prisca cognosceretur, et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declararent; et Varro de nominibus pecorum loquens in quinto de l. l. (98) arvugas (*harvix-igis*) seu arietes memorabat, quorum exta in sacrificiis in olla non in veru coquerentur, de quibus et Accius scripsisset et in *pontificis libris* videre licet; Seneca denique, ep. CVIII ad Lucilium (31), monens provocationem ad populum antiquitus etiam a regibus fuisse, aiebat: «Id ita in *pontificalibus libris* et alii putant et Fenestella».

Si ex me quaeras, lector benigne, num inter libros et *commentarios* nonnihil discriminis intercederet, respondebo, *libros* ferme praescripta de sacris faciundis continere, et ius pontificium, *commentarios* responsa et decreta pontificum comprehen-

hendere de singulis sacris faciendis omittendis. Festus (p. 212, *T. de P.*) s. v. *opima spolia* hoc ex *libris pontificum* praescriptum refert: «Pro primis spoliis bove, pro secundis suovetaurilibus, pro tertii agno fieri debere»;¹ Cicero autem in *Bruto*, Ti. Coruncanio (cons. a. cclxxx a. C. n.) non defuisse facultatem dicendi suscipitur «quod ex *pontificum commentariis* plurimum ingenio valuisse videtur»; manifesto significans, ingeniosum aliquod responsum eius in illis monumentis servari. Differre igitur *libri* a *commentariis* videntur, quamquam non semper discrimen a scriptoribus servatum esse testimonio est Plinius, qui *N. H.* 18, 14 praescriptum quoddam («augurio canario agendo² dies constituantur priusquam frumenta vaginis exeant») ait scriptum esse non in *libris*, sed in *commentariis* pontificum.

Praeter pontificum etiam aliorum sacerdotum libri laudantur, ut *Saliorum* (VARRO, *L. l.*, 6, 14), *Augurum* (id. 5, 4), *XV virorum* (CENSORINUS, *de die n.* 17, 9). Hi sunt ai iεροφαντων γραφαι vel iεραι βιβλοι, de quibus loquitur Dionysius (*Ant. Rom.*, 8, 56; 10, 1; cfr. 1, 73); at libros pontificis prae ceteris multo maioris momenti fuisse in Romanorum republica nemo non fatebitur.

Ad quos ut redeamus, iuvat nonnullos eorum attentius considerare. Primum de *indigitamentis* mentionem faciamus. Utinam exstaret *Granii Flacci* liber, quem de hoc arguento ad Iulium Caesarem scripserat, a Censorino (*de die nat.* 3, 2), laudatus! Nam certe de ea re meliorem notitiam haberemus; nunc pauca indicia

¹ Cfr. SERV. *ad Georg.*, I, 272: quae feriae, a quo genere hominum vel quibus diebus observentur, si quis scire desiderat, *libros pontificales* legat.

² Cfr. FESTUM s. v. *rutilae*: rutilae canes, i. e. non procul a rubro colore immolantur, ut ait Ateius Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandae saevitiae causa sideris caniculae.


hinc illinc expiscanda sunt nobis, maiore labore, fructu minore. Erant autem *indigitamenta* nomina varia Deorum quae humanis precibus invocari mos erat; velut virginis Vestales, ut habet Macrobius in primo *Saturnalium* (17), ita *indigitabant*: «Apollo medice, Apollo Paean». Nomina autem Diis ex variis officiis imposita erant, et, ut veteres rem animo concipere consueverunt, huiusmodi *nomina* totidem *numina* fiebant; ut, verbi gratia ab occasione Deus *Occator* diceretur, a Sarritione *Sarritor*, a stercoratione *Sterculinus* (vel *Sterculus*), a satione *Sator*¹ etc. etc. Inter libros pontificales igitur, ut Servius monet, locum habebant *indigitamenta*, nomina numinum continentia. - De huius vocis etymo alii aliter opinati sunt. Plerumque ea vox *ind-ig-itare* dicitur a radice *ig.* *ag.*, unde *aio*, *nego* = *neigo*, *ad-ag-ium ac-sare* = axare (*axamenta memento carminum Saliarium*), ita ut *ind-ig-itare* idem sit ac invocare. Alii contra, memorantes Deos *Indigetes* Romae excoli, i. e. Deos patrios, in loco natos (*indu-getes*, cfr. *indigena*), quibus opponuntur *Dii novenses* vel *Novenses*² (nove insidentes), h. e. peregrini, ex externis nationibus ducti, in hanc opinionem venerunt, non posse verbum: *indigitare* vel *indigetare* ab *Indigetis* velli atque abstrahi; *indigitare* idem esse ac *indigetem facere*, quasi Deos peregrinos invocando proprios sibi et quasi patrios facere; postea sensum vocis ampliorem factum ad omnes Deorum invocationes pertinuisse. Ad rem facit carmen devotionis, quod P. Decius Mus, Valerio pontifice verbis praeeunte, enuntiavit quum in bello adversus Latinos (a. cccxl a. C. n.) *Dīs Manibus* pro se devotus (Liv., 8, 9): «Iane, Iuppiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, *Dii Novenses*,

Dii indigetes, Divi quorum est potestas nostrorum hostiumque, Diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto feroque, ut populo Romano Quiritium vim victoriamque prosperetis, hostesque pop. Rom. Quiritium terrore formidine morteque adficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro republica Quiritium, exercitu, legionibus auxiliis pop. Rom. Quiritium legiones auxiliaque hostium mecum Manibus Tellurique devoveo».

Re bene perpensa, ad hanc alteram sententiam mihi accedendum esse videtur; *indigitare* nil est aliud ac Deos Indigetes precari, opem et auxilium eorum rogare. Quod cum nominibus eorum pronuntiatis fieret et id ad Deos referretur hominum vitam pro sua quemque portione adminiculantes, inde factum est ut *indigitare* eodem sensu atque invocare acciperetur. Certiora diceremus, si Varronis libros *Antiquitatum Romanarum*, *Rerumque Divinarum*, praesertim extremos libros de Deis certis et incertis, de Deis praecipuis et selectis legendos haberemus; sed quid non invidit nobis temporum iniuria?

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINUS.



DE SANCTO MAXIMO

PRIMO TAURINENSIMUM PONTIFICE¹

Sanctus noster, ad omnia Episcopi munera obeunda paratus, turbulentissimis reipublicae tempestatibus abreptus, tantummodo, quantum ei vel civium salus, vel immensa pauperum cura, vel ipsum religionis studium, tribueret otii, ad scribendum conferebat.

Ad haec, imperii sede Byzantium translata, nostra regio, sibi in omnibus relicta,

¹ Cfr. SERV. *ad V. Georg.*
² VARR., *L. l.*, 5, 74. Feronia Minerva novenses a Sabinis.

¹ Cf. fasc. sup.

gravibus aerumnis undique vexabatur. Complures enim dominabantur tyranni, qui illuc potissimum spectabant, ut publicis exactionibus provincias expilarent, et largitione militum voluntates redimerent, et auro pacem atque otium a barbaris gentibus impetrarent. Interea dum militaris licentia, bella intestina, foedissima luxuries et perditio mores rempublicam pessimant, admirabilis adstitit Episcopi virtus, qui rem prudenter administrando, cives in magna rerum perturbatione, in pace retinuit, afflictas opes erexit, et omnia meliora auctoritate ac pietate propius sperare iubebat.

Si Demosthenes in Philippum olim Athenienses impulit et Tullius Urbem a Catilinae coniuratione in libertatem vindicavit, et noster, rerum necessitate compulsus, nullum officiorum genus in cives publice privatimque omisit.

Minax enim atque furens, Barbarus ille miles, qui appellari est passus *Flanaganum Dei*, ad Taurinensium portas adstitit novissima omnia civibus adferens.

Fas mihi sit verba exponere, quibus de Attila Urbi minitante, animos civium Sanctus Maximus sustulit, ipse solus civium immoderantiam retinuit atque tumultum refrenavit.

Dum omnes de relinquenda urbe turbatim cogitant, et quomodo se se ab effera Barbarorum incursione liberent, eos ultro occurrit sicque confidentius a fuga retrahit:

«Quid patriam fugis? - inquit. - Si vis salvus esse, tua potius peccata subterfuge. Si tu peccare desieris, victus es inimicus. Dicit ab Abraham scriptura divina, per decem iustos patriam posse salvari. Igitur si iusti sunt, qui salvam faciunt patriam, utique iniusti sunt, qui relinquuntur, et si ibi propter praesentiam suam consequuntur gratiam, necesse est, ut hi propter fugam desolationem mereantur. Iniustus plane et impius certe filius qui periclitant-

tem deserit matrem. Mater enim quodammodo dulcis est patria, quae te genuit, quae te nutrit, quae ut fugere possis, te dixit fecit.

«Arma autem haec nostra sunt, quibus nos Salvator instruxit, oratio, misericordia atque ieiunium. Ieiunium enim melius quam murus tuerit; misericordia facilis liberat, quam rapina; oratio longius vulnerat, quam sagitta. Sagitta enim non nisi proxima conspectum percutit adversarium; oratio autem longius positum vulnerat inimicum. Sic namque S. Eliseus propheta, quum vellet eum rex Syriae captivare, ac suae subdere ditioni, multisque eum armorum cinxisset agminibus, non est territus, non turbatus; sed ait nuntianti puero: *Noli timere; plures enim nobiscum sunt quam cum illis!* O fides sancti Prophetae! Non timet adversarios, quos perspicit, quoniam scit Angelos secum esse, quos credit; non metuit terrenas insidias, quia caelestia adesse sibi novit auxilia... *Plures enim sunt nobiscum, quam cum illis.* Mira res! Plures de caelo defensores meretur sanctitas, quam in terris oppugnatores adduxit improbitas!»

In omnibus quae dicit tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat, quum interim haec omnia, quae vel singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata, et illa, qua nihil pulcrius auditu est, oratio praesefert tamen felicissimam facilitatem. Quae, teste Quintilliano, ut virtutes in Cicerone eluent, in Maximo splendescere videntur.

SENIOR.

MONITUM.

Ut iam diu consuevimus, fasciculi mens. Augusti et Septembbris in uno prodibunt, qui primis Septembbris mensis diebus edetur.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

Qua ratione hic Vergilii versus intellegendus sit (Aen. IV, 19): *Huic uni forsan potui succumbere culpae.*

Dido Annam sororem alloquens, amorem quo vehementer in Aenean impellitur ei aperit; cuius quum speciem, generosos animos, aspera fata bellaque confecta memoraverit, haec addit:

Si mihi non animo fixum immotumque sederet, ne cui me vinclo vellem sociare iugalii, postquam primus amor deceptam morte fecellit, si non pertaesum thalami taedaeque fuisset, huic uni forsan potui succumbere culpae.

Credo equidem, eum qui postremum hunc versum nulla praesumpta opinione legat, statim verba *huic uni* cum verbo *culpae* coniuncturum; itaque omnes fere quos contuli intellexerunt.

Clarissimus vero Hermenegildus Pistellius, quem nuper mortuum et litterae et res publica deplorant, aliam interpretationem, dubitanter tamen, proposuit, quam Hieronymus Vitellius memorat, suadetque in eiusdem laudatione amice aequae ac venuste conscripta.

Hi ergo illis verbis *huic uni*, quae a voce *culpae* sequuntur, Aeneam putant denotari, tamquam si scriptum esset: *ob hunc unum.* Quae interpretatio plane nova non est; eam enim veri simile est Hannibalem Carum sequutum esse, qui his verbis italicice versum reddidit:

*solamente a lui
forse m'inchinerei;*

Caesarem Aricium quoque, cuius interpretatio fere aequae sonat:

m'inchinerei: forse a quest'uno

(quamquam suspicio non abest quin hi aliter legerint verbis *succumbere culpae* sublati, atque ante verba *huic uni... potui*

iis quae in versu XVI sunt, *me vinclo sociare iugalii*, suggestis, ut Peerlkam contendebat, inani arguento, iam a Servio refutato, innexus); at certe Pistellium antecessit O. Berrinius, undecumque hanc interpretanti rationem hausit,¹ qui sic italicice reddit: «*Pel solo Enea avrei potuto soccombere alla colpa di tradire la fede.*»

Fateor mihi quoque hanc interpretationem primum probatam fuisse: nam quum Dido saepius Aeneam vehementer memoret: - *quis novus hic... hospes, quem sese ore ferens, - quibus ille iactatus fatis, - solus hic inflexit sensus,* - pulchre etiam in hoc versu, qui maiorem quamdam gravitatem, quam Servius sentit, prae se fert, Aeneae mentionem facere videtur, idque propriam vim sermoni confert.

Verum quanam ratione hunc casum dativum Pistellius explicet? Illud enim maximi momenti est quod cl. Felix Ramorinus animadvertisit: qui italicice dicat - *per lui solo* - nonne causam exprimit? Nullo autem pacto dativus causam exprimere potest; sed alia verborum compositio ad hoc adhibenda et, velut: - *ob*, seu: *propter hunc unum.*

Dixerit quispiam, hunc dativum tamquam illum qui «commodi» appellatur, intellegi posse; quod mihi difficile ad credendum videtur. Caesar sane (*De B. G.*, I, 20) haec habet: «Praeterea se Divitiaco fratri condonare dicit», ubi «Divitiaco fratri» intellegendum esse «ob amorem Divitiaci fratris» ea quae praecedunt dilucide ostendunt; Divitiacum scilicet pluribus verbis flentem a Caesare veniam petuisse. Ita in hac re Dido dicenda esset iam non de flagranti sua cupiditate ex-plenda cogitare, sed potius de studio quam in ipsam Aeneas ostendisset; at unde id e rerum verborumque contextu colligi -

¹ Comment. *Aeneid*, Paravia, MDCCCLXXXIX.

tur? Nunquam enim Aeneas se Didonis amore captum esse patefecerat.

Illa igitur mihi interpretatio probatur, quae omnibus fere placuit; non enim licet incerto quodam sensu iudicioque ductis alter scriptorem intellegere quam recta dicens ratio postulat; et quis nescit quot quantaeque mutationes in veteres auctores inductae sint, ut ornatior atque efficacior oratio appareret, quas diligentior inquisitio prorsus sine causa esse ostenderet?

Cupiat quispiam ut hac fortiore locutione Vergilius sententiam suam aperuerit; at si illud *huius uni* a voce *culpae* disiunxeris, Latini sermonis naturae rationique vim feceris.

Mediolani, a. d. xiii kal. Mart. a MCMXXVII.

SAC. M. PELLEGRINUS,
Catholici Athenaei alumnus.

AUGUSTUS HLOND

Pius XI Pont. Max. inter Patres purpuratos adnumerari proximis his diebus voluit Augustum Hlond, domo Polonia, Archiepiscopum eumdemque Posnaniae Primatem. Hic, anno saeculi elapsi octogesimo, humili loco natus, amissso patre, domestica matris consuetudine altus est atque excultus. Mox vel adolescentulus, divino veluti consilio afflatus, reicta patria, quae adhuc externa dominatione premeretur, atroci catholicis tempore, nullis periculis deterritus, Augustam Taurinorum petiit, ut sub Salesianorum disciplina in litteras incumberet, et adiuvante Deo, nomen aliquando sacrae militiae daret.

Quam vero exspectationem sui concitaverat, singulari consilio, lenitate, industria morumque probitate sustinuit. Ad haec, brevi admodum tempore, latinas litteras easdemque italicas sic arripuit, ut

suorum doctorum iudicio, nedum intersacrorum alumnos cooptaretur, sed tamquam ad maiora vocatus, Romanum mittetur, ubi tutissime in Gregoriano Archigymnasio philosophicis studiis operam daret.

Augustam Taurinorum reversus, ita se opere et comitate superioribus suis probavit, ut florenti aetate, ingenio praeclarus, sacerdotio auctus, domui praeferetur, quam primum in Polonis eius ductu consilioque Salesiani aperirent. Suorum autem spem nedum non fefellerit, sed, difficilimus temporibus, mira auxit sollertia solidavitque. Vindobonae, maxima rerum hominumque prudentia inclaruit, et non modo solers puerorum magister apparuit, sed et amplas aedes cum hortis, ex suaefamiliae consilio exstruxit, ut quotidie ad diversandum pueruli post scholam adfluerent et diebus festis in disciplinam convenirent grandiores natu, qui profestis diebus opere distinerentur.

Claris familiaritatibus floruit, et, exar- descente bello, quod universam Europam miserrime est depopulatum, suffragante Theodoro Valfré de Bonzo, apocrisario apud Franciscum Iosephum Austriae imperatorem, captivis praesertim Italis curae et solatio fuit; eosque invisens, adspectu, alloquio pene consolator adsidius, ipsorum spem reduxit animumque adauxit. Et Achilli Ratti, tunc apud Polonus, nomine Benedicti XV Pont. Max. legatione perfuncturo, civili quoque prudentia inclaruit; qui, in maxima rerum et animorum concitatione, graviora ei concredita munera, praeter omnium opinionem, peragere potuit. Idem ad summum Pontificatus apicem evectus, egregias Hominis virtutes admiratus, atque obsequii memor et eximiae devotionis erga Pontificem, Augustum nostrum, pietate et doctrina insignem, primum Episcopum Katovicensem designavit, et deinde, incredibili omnium laetitia, ad sedem Posnaniae transtulit.

In quo munere obeundo, parem diffi- cili tempori animum in promptu habuit, et civis modestiam et Pontificalem dignitatem optime adiungens, brevi omnium benivolentiam sibi comparavit. Quin imo consilium, auctoritas, animique magnitudo eum summis viris aequavit, qui religionis et Pontificis iura libero ore defendit.

Egregiis editis operibus, optime iam de patria et religione meritus, Romanam purpuram praemium tulit; et mox Var- saviae, quae Poloniae est altera urbs caput, admirantibus ordinibus, a Reipublicae praeside, grandibus caeremoniis Galerum, novae suae dignitatis praetiosissimum insigne, accipiet. Ei nos gratulati, nomine quoque universae Salesianorum familiae, diuturnam incolumentem ex animo adprecamur, et apud universam Polonorum gentem, novum rerum ordinem, catholico nomini faustum, felicem laetantes auspicabimur.

I. B. F.

De certamine poëtico Hoeufftiano

ANNI MCMXXVI

Ab Academica Nederlandica accepimus, et libenter edimus:

In certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXVI, praemio aureo ornatum est carmen c. t. *Vestalis*, quod fecit HERMANUS WELLER Ellwangensis.

Praeterea haec, magna laude ornata, sumptibus legati edi poterunt, idque hoc ordine:

Prope Galaesum.

Arvernus.

Ab auctoribus carminum quibus inscribitur: *Prope Galaesum* et *Arvernus* petimus ut scidulae aperiendae veniam dent.

Crux amphiteatro Flavio restituta

CARMEN ALCAICUM

*Quae iam madentis sanguine martyrum
Romanae arenae in medio nites*

*Crux alma rursus, iure aveto,
Romulidis populisque cunctis*

*Salutis arra atque unica gentium
Spes! Te impia olim depulerat manus,
Augusta Te reddit, locoque
Restituit proprio et decenter!*

*Festis sonant circum undique plausibus
Arcus et antra, et vox pia civium
Hymnos, preces gratesque multas
Tanto operi meritas, repedit.*

*Huc denuo laeta agmina confluent
Frequens piorum, ut mos fuerat prius,
Flexa hic genu signum verendo
Christiadum omnigenum redemptum.*

*Hinc sacra stabunt limina posteris,
Ullis profanis non maculandaque,
HAEC EST VOLUNTAS NATIONIS
Italicae in meliora euntis.*

*Fidens in hoc signo oh! Patria ambules,
Et continenter per medium hostium,*

*Ut ante Constantinus, arma
Arripiens superanda nunquam,*

*Vinces aperte, at nonnisi per Crucem,
(In qua salus est vitaque stabilis)*

*Victrix manebis gloriosa,
Inviolabilis usque in aevum!*

JOSEPHUS RINALDINI, S. I.

Anagniae, Prid. Kal. Iul. MCMXXVII.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

De Romanorum conviviis.¹

Is olim apud Romanos mos viguit, ut coenantes mensis assiderent. Quapropter in illud I Aen., 176:

Perpetuis soliti patres considere mensis,

sic Servius adnotat: «Maiores nostri sedentes epulabantur».

Dein vero mutata ratio est, invaluitque ut in lectis (*tricliniaribus* ob usum dictis) accumberent. Id autem ita fiebat, ut supera pars corporis in cubitum sinistrum prope mensam reclinaretur; infera retrorsum porrecta iaceret, dorsumque apposito pulvillo fulciretur, et, quum plures in uno lecto convivae essent, ut qui summum lecti locum occuparet, pedes ad dorsum ferme alterius protenderet; is vero occiput ad medium corpus prioris, pulvillo interposito, obverteret, ac sic deinceps reliqui disponerentur.

Ex qua discumbendi ratione duo praecepit datur noscere. Primum, quam apte Horatius (*Sat.*, I, 4) de conviva iam nauseante ac deiecto, qui mox exquisitoribus propositis scitamentis ad edendum iterum assurgat, dixerit: *Languidus in cubitum iam se conviva reponet*; siquidem non illi aliter, quam cubito innixi cibum capiebant.

Alterum porro longe gravioris momenti illud est, quoniam pacto Ioannes Apostolus supra pectus Christi in coena recubuerit, quod refert ipse in *Evang.*, XXI. Nimicum quum Iesus hunc ipsum recumbendi morem per Iudeam iam vulgo receptum ex communi consuetudine servaret, id quod vel solae illae τοῦ ἀνακλίνεσθαι et τοῦ ἀναπίπτειν (recumbendi) voces saepius in Evangeliiis de coenis usurpatae satis ostendunt, percommode fuit dilecto

discipulo, qui infra Christum discubuerat, caput obrepente somno in sacrum eius pectus reclinare.

Sed et illud insuper observandum hinc se praebet, quum altera lectorum pars mensae esset applicita, alteram porro ita parietem versus abiisse, ut inter hunc illamque tale spatium intercederet, quale ministrantibus circa servis necesse foret. Atque hinc (ne quae sciri digniora sunt per nos omittantur) intelligas licet, quam facile potuerit Maria Magdalene in convivio Pharisaei accedere ad Dominum «et stans retro secus pedes eius, lacrymis... rigare pedes eius».

Iam lecti ipsi ternos plerumque convivas excipiebant; inter quos honoratior ille habebatur, qui locum medium occuparet; post hunc qui summum. Nec raro tamen quattuor in quoque lecto convivantes erant: id quod diserte tradidit hoc versu Flaccus (*Satyr.*, I, 4):

Saepe tribus lectis videoas coenare quaternos.

Sed ad singulas mensas terni lecti plurimum aptari solebant; quo ex numero locus ipse coenae *Triclinii* appellationem desumpsit: nonnunquam verotantummodo bini, unde et *Biclinii* nomen, minus usu tritum, duxit originem.

Quum autem haec fuerit unica quondam ratio, ut plures circa mensam collocarentur lecti, posterior tamen aetas id etiam excogitavit, ut unus tantum lectus ei aptaretur; maior ille quidem minorve, prout varia esset mensae magnitudo. Is, praeterquam quod vulgo *Stibadium* vocatum est, nomen quoque *Sigmatis* desumpsit, a Graeca litera Σ, quae tunc temporis hoc pacto C deformari solebat. De eo loquitus est Martialis (X, 48):

Septem Sigma capit: sex sumius, adde Lupum.

Idem lecti genus, ubi sex modo admittendis idoneum esset, praeter communes aliis nomenclaturas, *Hexaclinon* quoque Latine audit.

¹ Cfr. fascic. sup.

Quod ad reliqua tricliniarium horum lectorum attinet, a stramento, sive iunco funium instar torto, constructos eos primus fuisse creditur. Indicare id quodammodo videtur vox ipsa *Stibadii*, quae non perperam a Graecanico στιβά deduci possit, quod *stramentum* sunt Glossae veteres interpretatae.

Postea vero e ligno communiter illi facti; denique ambitionis vis non modo e lectissimarum quarumque arborum materia saepissime confinxit, sed etiam eburneos, argenteos, aureos aliquando paravit. Cuicuimodi tamen iidem essent, stragula vulgo veste, sive toralibus sternebantur. Itaque a Tullio (*Tuscul.*, V, 21) de convivio, quo exceptit Dionysius Damoclem, ita narratur: «Collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto». Et Horatius (*Epist.*, I, 5), amicum ad coenam invitans, ait:

Haec ego procurare et idoneus imperor, et non Invitus, ne turpe torat, ne sordida mappa Corruget nares.

* * *

Quum plures lecti mensam ambiebant, quadrata haec esse debuit, quo recta illorum latera lateribus huius commode aptarentur. At in stibadio, cuius arcuata erat figura, rotundam omnino eam adhiberi necesse fuit: unde enatum, ut saepe *Orbis* a Latinis appellata sit. Sive autem quadrata, sive rotunda foret, semper id in eius positione servabatur, ut, reliquas ipsius partes obeuntibus lectis, una ministraturis famulis libera vacaret.

Rotundae mensae vel tribus sustentabantur pedibus, vel uno; cuius postremi generis dictae *Monopodia* fuere, ac longe prae prioribus illis maiore in pretio habitae. Huc respicit Horatii sermo (*Satyr.*, I, 3):

*Modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo sit mihi mensa triples, et
Concha salis puri.*

Quoniam vero eiusmodi mensarum fulcra non facile ditiores, nisi et ex ebore, et in alicuius animantis conformata imaginem patiebantur; idcirco Juvenalis (XI) inquit:

*Nil rhombus nil dama sapit: putere videntur
Unguenta atque rosae, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, et magno sublimis pardus hiatu.*

Materia quoque praestantes mensas sibi quaerebant copiosi homines. Quapropter quum pauperiores fagineis contenti essent, acernas illi, necnon eburneas parabant. Sed nec labentibus annis illud defuit, ut argenteae quoque aureaeque in medium prodirent.

Iam mensam pro coenae usu *Manteli* seu *Mantelo* (quum utroque modo efferaatur) quodam nimirum gausape ad id comparato, sternere mos fuit. Hoc a *Mappa* plurimum distasse, optimum e re nata fuerit animadvertere. Scilicet haec non villosa, ut illud, quod laneum fuerit oportet; sed levis, utpote e lino, fuit, nec aliud quam tergendif manibus orique munus praestitit. Hanc praeterea quisque secum conviva ad privata publicaque convivia plerumque gerebat; illud a convivatore ipso apponebatur. Patet hoc ex illo Martialis (XII, 29):

*Attulerat mappam nemo, dum furtu timentur:
Mantile e mensa surripit Hermogenes.*

Verum mappas etiam a domino epuli fuisse interdum praebitas declarant satis verba Flacci, quae superius attulimus.

Denique religiosa et sacra apud veteres mensa habebatur.

Itaque adesse ei solebant quorundam deorum imagines, qui propterea θεοὶ ἐπιτραπέζιοι sunt appellati. Ex horum numero fuit Hercules, de quo sermo est Statio (*Silv.*, IV, 2):

*Haec inter castae genius, tutelaque mensae
Amphitryoniades.*

S. A.

PARVUM ANTIBARBARUM

Parvum antibarbarum in nostris paginis editum, iam in volumen collectum sub praelo est, atque speramus fore ut ante finem currentis mensis Iulii in vulgus prodeat. Litteris humanissimis Felicis Ramorino, quas norunt lectores nostri, auctor hanc operis rationem addidit:

Ad hunc libellum exarandum renatus nuper, opera Pii XI P. M. atque summorum civitatis et studiorum in Italia Moderatorum, latinitatis cultus me impulit, a quo disiungi profecto non potest tum in eloquio, tum in scriptione, puri sermonis voluntas. Atqui et in scholis, quae latine loquuntur, et etiam in libris publicisque documentis non solum infimae latinitatis adhiberi plerumque vocabula videmus, sed, quum nulla sit necessitas, nova ex arbitrio inventa, vel ex recentiorum linguarum radicibus efformata; ne de iis dicamus, - ut ex. gr. de pluribus adiectivis, quibus vis nominis facta vulgo est - quorum nativa significatio omnino transversa est.

Ad haec aliaque vitia praecavenda animum intendi; quum autem plura verba alia aliis magis propria ad mentis cogitatum exprimendum occurrerent, eadem adnotavi, phrasesque addidi, quae sensum magis aperirent.

Quod ad fontes attinet, non solum ex antiquis aureis scriptoribus hausit; sed, quum praesertim de rebus communis usus sermo esset, ex perennibus illis Plauti et Terentii fodiinis; ex recentioribus autem, quum maxime de novis rebus esset argumentum, libris praecipue usus sum Petri Angelini, magistri quandam mei desideratissimi; Antonii Cima, cuius pariter magisterio adolescens, ac deinde amicitia sum recreatus; Thomae Vallauri et Stephani A. Morcelli, lexicisque Wabneri, Georgii et recentissimo Aloisii Luciani.

Scio equidem opus neque perfectum neque absolutum a me confectum fuisse; quodcumque sese offert, sit bonae voluntatis indicium, et specimen studii atque industriae, quae libenter magisque curis solutis libenter amplificanda relinquo.

JOSEPHUS FORNARI.

Colloquia varia eademque familiaria latine composita

I.

Adventus in Urbem.

Advenienti in Urbem multa sunt itineris viatica, et saepe saepius impedimenta, quae quidem longa peregrinatio postulat.

Viduli enim, sarcinae, sarcinulae, nec non marsupia necessaria sunt ad custodiendas res usui aptas; quod vero ad pecuniam pertinet, iam nonnullis annis, non te amplius premit argenteum aureumque: tibi sufficiunt tesserae quaedam chartaceae, quae publica auctoritate in vulgus editae, pretium sibi conferunt in immensum.

Parvulae haec paginae modo centum valent, modo et mille libellas, quas aureas dicebamus. Earum vero iusta atque publica aestimatio, vel inter extraneos, oritur admodum ab auro, quod nobis parce ac superbe permittunt vel Angli vel Americani septentrionis. Hi enim *dollaris*, illi *sterlinis* omnia terrarum fora et commercia invadunt, vexant ac dominantur. Et omnes praesentis orbis terrarum nationes, quae liberae suique iuris esse fatentur atque inaniter exsultant, proh pudor! ex arbitrio ipsorum pendunt; apud quos est ius, est mos, est norma totius nummi agendi.

Verum ipsa haec rerum miseria nobis est cuiusdam consolationis occasio. Uno-

enim pugillo multa decies centena millia continere fas est, et nullo prorsus labore tecum longissime ferre. Sic levior peregrinaris, omnisque aeris pondere vacuus, hoc illuc celerius discurrere poteris.

Ut ut est, ad magnam Urbis stationem est perventum! « Ut mare sollicitum stridet refluenteribus undis », hominum viatorum multitudo ad exitum eodem tendit, atque inquieti simul omnes exire student, omnes anxii ad ostia currunt. Felix qui caute incedit!

Sit apud te assiduus sarcinarum baiulus, qui, cuncta tua bona cumulatim gerens, te fidus subsequatur, et etiam ab omnibus importunis facilissime liberet. Tu dic tantummodo: *Veni!* et ipse, ut olim iniquae mentis asellus, ad magnum sarcinarum pondus intrepidus accedet. Tunc prae manibus tene itineris schedulam, nec alii cedito quam ianitoribus. Vae tibi, si eam amiseris, aut pro nihilo eam destruxeris! Iterum pretium itineris solvendum erit et amplius, poenae nomine. Estne iam tibi in promptu taberna diversoria, ubi morari cogitas? Sin, autem, vide quot curriculorum series! Dummodo velis, te ad commodum diversorum eorum quodlibet adferet, suntque pueri, qui sarcinas tuas accipient, teque libenter atque honeste perducent.

At, at, primum fas est cum baiulo rem agere. Cave, ne stricte eum habeas! Regaliter omnino ipse pertractandus est! Alioquin te malis verbis opprimet, et publice te vexabit, et illud repetet: Hanc mihi mercedulam das? « Viveret in terris te si quis avarior uno ». Evohe! baiulatores nostri et carmina recitant! Est nobis recentissimum numisma ex *nihil* compostum... Ex *nihil* tu dicis? Admodum. Ne mireris, hospes, de nomine. *Nihil* nos recentiores dicimus aes quoddam vilissimum, quod in numismatis usum adhibemus. Et quam hilari vultu popellus illud assumpsit, putridam chartam indignatus

ad minimum pretium significandum! Sunt propterea *nihil*, quae viginti centesimos valent, quae et quinquaginta, quae libellam unam, binasque. Quinque vero decemque iam iterum argentum portendunt. *Nihil* tamen haec quam callide composita, quantum ingeniose! Sed... sed cerebrum non habent... et baiulatores id optime sciunt!

Si cupis potius vectura perduci, in hac re mens est dubia, Desideras rhedam duobus equis evectam? Ecce illam! Patentes sint aut tectae, lubet? Adest et vectura recentissima et vi *benzinae*¹ acta, quae commode ac circa fidem, rapide te ad arbitrium feret. Currus hic *Automobilis* dicitur. Semel si adhibeas, vel una hora vel tempore certo, pretium differt, at absque ulla verborum contentione. Est autem monitum, quod *taxametron* audit, ac semel quum legeris, te omnibus curis liberet. Ita est, nec verbum addam.

Iam vero omnes alii alio sunt elapsi... Ut optime in Urbe diuque versentur, etiam atque etiam rogo.

I. B. FRANCESIA.

De artibus curandi tuendique corporis

II.

De somno et vigilia.

De motu et quiete diximus, cum quibus amice conspirat doctrina de somno et vigilia. Nam ille quies est et cessatio; haec vero actus et sensuum exercitatio. Somnus moderatus calorem nativum intro ad centrum vocat, concoctionem adiuvat, vires reficit, spiritus instaurat, omnesque vitales,

¹ *Benzina* miserrimus olim liquor, ad maculas tergendas potissimum adhibita, nostris diebus in immensum pretiosior effecta, ad marinias et terrenas transiectiones inservit.

animales et naturales operationes corroborat. Somnus vero immoderatus, spiritus obnubilat, cruditatem gignit, aciem mentis hebetat, memoriam obtundit, segnitiem, stuporem et ad omnes actiones inhabilitatem inducit. Ergo « ne quid nimis », ut in communi vita, sic etiam hoc loco merito laudabitur.

Tempus somno destinatum est nocturnum; noctis enim frigiditas calorem naturalem repellit, et amica silentia lunae quietem suo ductu imperant. Ablucinantur itaque qui cum noctuis et vespertilionibus naturae ordinem dedita opera invertunt, noctu vigilant, interdiu autem dormiunt quando natura et aurora spiritus ad superficiem corporis actionesque obeundas allicunt. Hi arborem Indicam infelicitate imitantur, quae *lacca* dicitur; haec oriente sole deflorescit penitus; sole occidente, flores resumit amoenos.

In vulgus utique notum est diverbum: « Aurora Musis amica ». Isto enim tempore coactionis organa quasi feriantur, omnesque vires et spiritus in universo corpore vegetiores reperiuntur, ut ex voto studia cedant.

Latinum « mane » a prisca ac sepulta voce « manum » aiunt descendere; quod idem erat ac bonum, quasi matutinum tempus bonum sit et optimum. In Hebraica lingua vox *schachar* notat auroram, cuius radicem significare « meditari, inquire » nonnulli scripserunt, quod aurora contemplationibus rerumque sublimium investigationi apta sit. Ipsa etiam iuventus ab eadem radice vocatur *schacharuth*, ut in ista aetate non obliviscatur auroram, sed illa utatur. Saepe igitur iure Horatius:

...ante diem librum cum lumine posuit.

Qui hoc in genere sequuntur et tempus matutinum probe impendunt, nae hi recte faciunt. Illi autem, qui illico a coena lucubrationibus nocturnis indulgent, suffitus

sibi faciant, et tremula luminis crispatione oculorum aciem hebet seros *hyberni ad luminis ignes*. Id tamen multis in more positum est: hi calorem et spiritus a digestionis organis abducunt, cruditatem furent et promovent, caput vaporibus repellent, ingenii acumini male consulunt, et plerumque somno matutino prolixiori, nobiliores diei horas sine omni opera et fructu elabi sinunt, quando in multam lucem stertunt, ut clarum mane oculos feriat, propioreque sit meridies quam aurora, quum a nido caliduscule tandem aliquando avelluntur, quod raro fit absque sera poenitentia.

Quando vero lucubrationes a coena damno, illud non adnuo, ac si a coena pleno ventriculo sit dormiendum; nam vix quemquam nescire arbitror, quod istiusmodi somnus, cruditatis et catharri fons et origo statuatur, quippe qui insiginem vaporum proventum ad caput ablebat, qui postea in suis nubibus densati descendunt et depluant in subiectas partes, non sine molestia, saepe etiam cum periculo et sanitatis iactura. Expedit itaque horam unam atque alteram a coena, legitimo tempore instituto, vigilare, lento passu obambulari et postea cubitum ire. Quod si non nemo, necessitate impulsus, de nocte scriptio aut meditationi vacare cogitur, per umbraculum viride saltem oculos munit, ne quid detimenti a tremula candelarum flamma aut a luce quavis alia arte comparata capiat.

Quamdiu est dormiendum? Aegre certis horis poterit definiri, propter naturalium et circumstantiarum diversitatem. In aetate consistente ad minimum sex horas somnus duret; novem autem non excedat. De infantia et senectute non loquor; nemini enim ignotum esse potest, infantibus vix sufficere noctem brumalem, quam Capricornus longis dotavit tenebris. Senes etiam propter siccitatem, quae magnum climactericum ferme comitatur, quemadmodum

umbra corpus, vigiliis infestari consueverunt, quae non nisi suavi somno, temperari et emendari queunt. His iure merito tamquam emeritis condonatur, imo suadetur, ut horis matutinis quieti sese dedant, somnique rorem madentem expectent, quando circa noctis meridiem excubias egerunt, quod itaque surgentia sidera expedire non potuerunt, imperent, suadantque cadentia sidera somnum.

De somno meridiano quid statuendum sit, saepe quaeri solet. Verbo dicam, quod res est. Anni viridiores ab illo somno sese caveant, quando quidem exhalationes excitat, quas ob brevitatem perfecte resolvere nequit, et sic mala cerebro minari videtur.

Quid denique de decubito? Decubitum supinum: « Ableget quisque Garamantes versus et Indos »; decubat primum somnumque ineat latere dextro, ut digestio a calore hapatis iuvetur, vapores a capite arceantur et chylus facilis descendat ad *aιματόσεως* officinam. Postea se devolvat in latus sinistrum, brachiis et cruribus aliquantulum contractis, non divaricatis, sed coniunctis, ut musculi et nervi suavem capiant quietem.

Caput in decubitu sit parum elevatum nec pelliceis plumisque tegumentis nimis involutum, ne liberori transpiratione prohibita, destillationes deinde sequantur.

Et ut concludam hoc caput, meminerint lectores, quod dici assolet, tamdiu nos vivere quamdiu vigilamus, et si somnus est « gelidae mortis imagio » lectulos esse veluti loculos, quibus corpora demortuum hominum asservantur. Quis itaque sterteret ac si bibisset « pocula Lethaeos forsan ducentia somnos », non secus ac si vivus cuperet sepeliri. Vigilandum est, non fallendum, sed impendendum nobile tempus, quod cito avolat. Tempus autem illi impendunt qui tempore aestivo cum sole surgunt; vere ineunte, exortum eius anteverunt, nec in plumis haerent, dum claram mane oculos ferit; quique hiberno

tempore horas antelucanas meditationibus et laboribus suis impendunt. Huius diligentiae postea fructus uberrimos et dulcissimos consequentur.

DR. HAVEMANN.

ANNALES

Angliam inter et Russiam discri- men.

De discrimine Angliam inter et Russiam, quod in superiore hac civilium eventuum recensione nostra nunciavimus, in publico Anglorum legatorum coetu legibus ferendis est iterum disceptatum: quum vero ab internis rationibus administer fidem dedisset, rationes inter fabricatores et mercatores Anglos Russosque detrimentum nullum passuras, dummodo negotiatores unice in negotiis actionem suam impenderint, et gubernii adversarii ab hostilibus ausibus suis recesserunt.

* *

Genevenses Conventus.

Geneva urbis conventuum omnium centrum vocari proculdubio poterit. Horum novissimus, ad quem universarum gentium legati advenerunt, de laboris libertate fuit. Disceptatio maxima agitata est circa operariorum ordines, quos plures nollent tutelae atque inspectioni guberniorum obnoxios.

Interim et Nationum societas sessionem suam habuit, in qua vero nullum alicuius momenti argumentum est pertractatum.

* *

In Graecia.


In Graecia nova rei publicae constitutio edicta est, cuius cardines praedicantur civilis novi regiminis confirmatio, pax ac tranquillitas ordinis. Utinam!

**

Sinense civile bellum.

« Nationalistarum » quae vulgo dicitur pars ita victrix videbatur, ut nunciatum fuerit ipsam Pekinum urbem ei nunc favere, atque brevi futurum ut concordiae pactiones constituerentur. Revera nihil de iis; ut fumus dilapsae, bellumque civile cum atrocitate sua perdurat: Cian-Tso-Lin, supremus septentrionalium copiarum dux, sese dictatorem renuntiavit.

POPULICOLA.



ROMA SACRA

SS. D. N. PII PP. XI allocutio habita in S. Concistorio d. XX mens. Iunii MCMXXVII.

Die xx mens. Iunii habitum est in aedibus Vaticanis Sacrum Consistorium, in quo novi Purpurati Patres renunciati sunt JOSEPHUS ERNESTUS VAN ROEV, Archiepiscopus Mechliniensis, et AUGUSTUS HLOND, Archiepiscopus Gnesensis et Posnaniensis.

Priusquam vero Pontifex ad eorum electionem deveniret, allocutionem summo Catholicae Ecclesiae Senatui habuit, in qua, postquam apostolici sui ministerii solacium exposuit, quod paterno animo contigerat ex habita tertii pleni saeculi a condito Conlegio Urbano Christiano nomini propagando commemoratione, moeroris maiores causas enucleavit.

Atque primum ex Sinis. « Per interminatos Sinarum tractus, intestino exagitatos laceratosque bello, ubique et trepidatio et vastitas et luctus; in missionales nostros, in religiosas sorores, in utrorumque stationes, in domos orbis pueris puellisque tutandis barbare saevitum; nec vero incendia nec caedes defuere. Quae quidem omnia, opinamur, Sinensis populus, suapte natura gene-

rosus, et publicae tranquillitatis amator, non admiraret nec toleraret, nisi civilis discordiae socialisque eversionis semina invecta aliunde essent. Neque enim Sinenses ignorant, se in oculis nostris ferri; quodsi in eo multum gloriati laetatique sunt, quod ipsis dedimus, atque ad Apostolorum sepulcra Nosmet consecravimus, sex indigenas episcopos, at aestimationis et caritatis, qua vetustissimam nationem illam prosequimur, significaciones longe graviores, quotiescumque per occasionem licuerit, daturi equidem sumus. Atque utinam ad eorum res componendas aliquid aliud conferre possemus quam preces, quas Deo et adhibemus et adhibituri sumus. Publico interea ornatos volumus praeconio et missionales et fideles, qui, in tanta rerum perturbatione qua Sinae conflictantur, in officio suo animose et fortiter perstitere ».

Ad aliam praeterea gentem, quae pro christiani nominis libertate paene universa cruentatur, cogitatione sua latum se dixit Pontifex: « Quod iam pridem Mexicanus episcopatus, clerus populusque facit divino Ecclesiae Conditori martyrium, - inquit - non tam inlustre dixeris quam inter inlustriores annalium nostrorum fastos, ad immortalem rei memoriam, referendum; extorribus autem relegatis episcopis, quibus nihil esset antiquius quam gregi adesse cuiusque suo, gregem consolari, pro grege mori, iterum iterumque paternam gratulationem caritatemque nostram, in hoc amplissimo consensu vestro, significamus. Avulsi quidem sint de honoris sui sedibus; at nemo avellere eos poterit de complexu nostro, nemo prohibebit quominus eos sequatur atque adeo comitetur desiderium fletusque populi sui. — Quamquam non eorum populares tantummodo, sed etiam omnes excultae christianaque gentes admiratione eos et comploratione prosequuntur: quo in genere imprimis digni, qui a Nobis commorentr, sunt Foederatarum Americae Civitatum episcopi, qui Mexicanae Ecclesiae illustrare causam et afflictorum conlegarum inopiea succurrere non cessant ».

Barbara haec « doctrinarum contagioni illarum debetur, quae palam occulteque ad societatem hominum reique publicae ordinationem evertendam, nulla fere gubernatorum providentia, disseminantur et tamquam mortiferum virus in venas ipsas Civitatis permanant; preces omnibus effundendae apud Deum sunt pro populis misere laborantibus; « quibus utinam concordiae religiosaeque libertatis dies tandem aliquando illucescat ».

Deinde ad Gallicum gregem Pastor amantisssimus est conversus: hinc aliae solacii ac doloris causae. « Preclarum quidem solacium - dixit - Nobis afferunt e Gallia filii seu singulatim seu gregatim, maxime iuvenes, qui aut per se ipsimet aut per Antistites suos non cessant cum se iudicio iussisque nostris subiicere, tum gratias Nobis agere: quibus placet denuo Nostram approbationem grataque testari voluntatem. Aegritudine vero illud Nos afficit non mediocri, quod, ut verbis utamur Apostoli, sunt... - quamquam non ita multi - etiam inobedientes, vaniloqui et seductores... docentes quae non oportet¹ ...quos, sicut idem Apostolus, oportet redargui.² Namque de eorum sententia agendique ratione si quidem sileamus, idem vere sit atque pernicioso errori servire - quemadmodum ab ipsis Galliae episcopis declaratum est, - eos item in contumacia confirmare eorundemque vaniloquia, seductiones et falsas doctrinas fovere: neque enim solida animorum pax ac tranquillitas nisi in veritate et in ordine, caritate quidem duce atque effectrice, consistit. Quod autem semel iterumque declaravimus, id ipsum hodierno die confirmamus: qui cumque vere resipuerint in animumque sincere induxerint nimis iam diuturnum pessimi exempli resarcire flagitium, quod in Ecclesiam universam, in Gallicam potissimum, admisere, paterna eos cum benignitate et caritate exciperemus et complecti paratissimi sumus. Atque fore, Dei misericordia, quam suppliciter coti-

die imploramus, ut brevi omnes se ad se revocent et ad communem Patrem redire velint, vehementer speramus ac confidimus. Etenim supra quam credibile est dolemus atque angimur, quotiescumque subit cogitatio animum, fieri aliquando posse, ut vel ad unum e dilectis iis filiis, qui ab officio desceiverunt, illud accommodare cogamur, quod prima Ecclesiae aetate - neque enim Sanctae huic Matri defuit unquam ab filiis lugendi causa - Ioannes, Apostolus ille caritatis, dicere coactus est: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, permanissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.*³

« Maxime vero eorum casum maelemus, si qui sunt - quod pro certo affirmatur, quamquam Nobis vix credibile ad hunc diem visum est, - qui, caeci quum sint, caecis se praebent duces: quorum in mentem satius erit verba illa Domini redigere quae omnino oblitii videntur: *Vae vobis, duces caeci*²... *Numquid potest caecus caecumducere?* nonne ambo in foveam cadunt? ³ In foveam scilicet erroris et discordiae, quia resistunt ordinationi *Dei*, qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis, ut praecclare docet Augustinus.⁴ Quorum quidem caecitas, ducum, scilicet, et pedissequorum, inde iam manifesto appareat, quod contra ipsum christifidelium omnium Patrem et Magistrum reapse se extollunt, quamquam verbis se eius agnoscere ac vereri auctoritatem profitentur. Aiunt enim, Nos, in causa quae agitur, vel rerum ignaros esse vel falsa eductos vel a nostris administris, quorum fidelitatem nolumus hic peculiari sine laude praetermittere, per obscuras machinationes et per commenticia scripta deceptos, vel partium studiis, ad imperii cuiusdam restitutionem, servire, vel alicuius nationis amore abripi vel, auctoritatis Nostrae

¹ Tit., I, 10-11.

² Ibid.

³ Io., II, 19.

⁴ MATTH., XXIII, 16.

⁵ LUC., VI, 39.

⁶ Ep. CV, c. v, 16 - P. L., XXXIII, 403.

fines praetergressos, aliena patriae caritati iubere: quae quidem omnia, in Nos per quam iniuriosa, non tam declarationibus Nostris, iteratis et expressis, atque ipsi veritati evidentissime repugnant, quam redolere amentiam videntur. Interea indociles istos filios monere cum Apostolo non dubitamus: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer aut ab humano die; sed neque me ipsum iudico... qui autem iudicat me, Dominus est.*¹

« Placet ingratum sollemnibus concludere iisdemque gravissimis verbis, quibus Ambrosius Noster itemque Cyprianus Episcopus et Martyr Ecclesiae unitatem inlustrant, non eam solum quae ad fidei pertinet dogmata, sed eam etiam quae in auctoritate et obedientia continetur. »

Quae quidem verba quum retulisset et in laudem Galliae Episcoporum convertisset, conclusit breve intexens elogium Venerabilis Alani de Solminihac, Episcopi Cadurcensis, de cuius heroicis virtutibus sollempne decreto hesterna die promulgaverat, non sine providentis Dei consilio factum arbitratus, ut nobilissima eius causa, quae tamdiu iacuerat, hisce ipsis diebus, tam bono cum exitu, instauraretur, et in luce catholici orbis praeclarum huius e Gallia Episcopi exemplum splendesceret.



VARIA

Noctua.

Contentio olim fuit de imperio aves inter et quadrupedes; quae quum nullo pacto componi posset, eam armis dirimere constituerunt. Quare quum frequentes convenissent atque hinc aves in frondosis arboribus aciem instruxissent, inde vero quadrupedes in amoena planicie signum pugnae committendae exspectarent, noctua timens ne proelio vinceretur, a suis perfuga ad castra hostium transit, rata se ibi

¹ *I Cor.*, IV, 3.

non modo incolumen fore, sed ad aliquam insignem dignitatem evectum iri. Sed quid inde factum? Quum aves, aquila duce, omnium volucrum ferocissima, victoriam retulissent, perduellem noctuam cepisse traduntur, eamque hac poena multtassee, ne unquam interdiu volitaret.

* * *

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Puls ex casei cremore.
Scomber in butyro ad pistrinum coctus.
Columbi in craticula assi cum solanulis tuberosis recentibus.
Acidula cerasa atque pistacia gelida.
Crustula varia.

* * *

Locosa.

TUCCUS magistro:

- Ecce nigri Libyes tam perlucidi sunt?
- Quia oleo corpus late perungunt.
- Neque timor est ut maximis illis aestivis caloribus suis frigi possint?

Magister Tuccio, postquam de animalibus mammatis diu est loquutus:

- Eia igitur, Tucci: cui familiae canis attribuitur?
- Familiae profecto, quae eum emit.

* * *

Aenigmata.

I.

Undis dilutus sum gnarus tollere sordes;
Rho mihi subnectas: irrito molle palatum.

II.

Cauda caputque petra; est inter pronomina
[pectus?]

A toto - heu miser! - vitiantur saepe puelli.
Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Iris;* *Irus* -
2) *Sol-idus.*

STANISLAUS FUGIENS

[1]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

ARGUMENTUM.

Stanislaus Kostka, nobilis adolescens Ponionus, quum ad annum decimum tertium aetatis suae vitam in paternis aedibus innocissimam duxisset, missus fuit studiorum caussa Viennam Austriae una cum Paullo fratre natu maiore. Dedit primum in ephebo, quod ibi Societas Iesu regebat; sed eo mox disturbato, ut Paullo obsequeretur vel invitatus concessit habitatum in aedes lutherani hospitis. Quam vivendi rationem inierat domi in Polonia, et maioribus excoluerat virtutibus sub disciplina Patrum S. I. in Viennensi collegio, sancte persequebatur. Eam ob causam Paulli iram et odium contra se excivit, qui quum liberioris esset ingenii ad sua studia illum contendebat pertrahere, blandis invitationibus et dolosis consiliis primum, deinde vero minis, conviciis, verberibus, indignis usquequa modis. Quae dum sanctus adolescentis constanti perfert animo, nec tamen ab officio ne transversum quidem unguem se abduci patitur, in gravem incidit morbum et in praesens devenit vitae discrimin. Sed beatissima Virgo Maria, quam Stanislaus uti filius dulcissimam matrem colebat studiose, illi se videndum praebuit cum puerulo Iesu, eumque a morbo recreatum nominatim monuit ut Societati Iesu nomen dare ne cunctaretur. Quod ille dum exequi studet, nec patrem aut fratrem sibi faciles fore speraret, consilium coepit fugiendi et Romam usque contendendi. Facilem fugae praetextum dabat ipsa germani asperitas. Ergo viatoriis sibi vestibus comparatis clam aufugit, et peregrini habitu Vienna Dilingam primum, deinde Romam devenit, et a S. Francisco Borgia, qui tunc temporis Societatem universam moderabatur, inter tiro-

nes adlectus est ad S. Andreeae in colle Quirinali. Fugam generosi adolescentis caelestia signa cohonestarunt: inter quae ea commemorantur: Quum Paullus, qui ex litteris, quas ad hanc rem Stanislaus reliquerat, fugam tandem cognoverat, concitato cursu fugientem insequeretur, prope praetergressus fratrem non agnovit; mox id quod erat suspicatus, quum currum reflexisset, equi repente consternati conciderunt nec, quamvis auriga ferox instaret, ultra progredi potuerunt. Stanislaus vero flumen, quod iter intercipiebat, sicco vestigio traiecit; et in aedem lutheranorum, quam ipse catholicam putarat, ingressus, vehementerque id dolens, ab angelis ipsis meruit eucharisticam dapem accipere. Porro sanctus adolescens, decem vix mensibus in Societatis Iesu tirocinio inter omnes religiosae perfectionis exercitationes traductis, beatissimo fine e vita migravit an. MDLXVIII, ipso die festo Mariae sanctae sideribus receptae, ab ea, uti suppliciter exoraverat, ad caelum evocatus. Illustris beati Stanislai fuga argumentum est huius dramatis, quod coram R. P. Ioanne Roothaanio, summo Soc. Iesu Magistro, egerunt quinque discipulis ipsius P. Nozzii, ferialibus autumnalibus an. MDCCXLIV, dum rusticarentur in suburbano prope Cryptam Ferratam; nobis autem placuit in nostris paginis edere.

DRAMATIS PERSONAE:

PAULLUS, STANISLAUS, germani fratres,
BILINSKIUS, educator,
FULCIUS, cubicularius,
NAEVOLUS, servus.


Scena, sive locus in quo peragitur drama, est aula maxima in aedibus Viennensibus Paulli et Stanislai.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italicas libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis.

Fridianus = Francisculi prandium

Singulæ pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integral ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

De latinarum litterarum historia preelectiones¹

Post indigitamenta, alii pontificum libri illustrandi sunt, h. e. *Fasti*. Notum est vel puerulis prima latinitatis elementa discen-
tibus, *fastos* dies apud Romanos appellari,
per quos lege agi liceret (*OVID., Fast., I. 48*),
i. e. praetoribus omnia verba sine piaculo
liceret fari (*VARR., I. 1, 6, 29*); *nefastos*
contra, per quos nefas fari praetorem: *do-
dico addico*, sed haec tria verba sileren-
tur (*Ov., I. c.*). Addendum est, a diebus
fastis et nefastis toto caelo differre eos qui
appellantur *festi* et *profesti*. Festi nempe
Diis dicati erant, profesti hominibus
ob administrandam rem privatam publi-
camque concessi (*MACROB., Sat., I, 16, 2*);
festis inerant sacrificia, epulæ, ludi, feriae;
profestis et *fasti*, et qui dicebantur *comi-
tiales*, quibus cum populo agi liceret, ex.
gr. ad suffragium ferendum, et *comperen-
dini* quibus vadimonium dicere liceret, et
stati qui iudicij causa cum peregrino in-
stituerentur,² et *proeliales* quibus fas esset
hostem lacessere et rem repetere.

Feriarum, quarum dies inter festos erat,
quattuor genera erant, aut *stative*, aut
conceptivae, aut *imperativae*, aut *nundi-
nae*; *stative* universi populi communes
et constitutis diebus ac mensibus (nos:
«feste fisse») ut Agonalia, Carmentalia,
Lupercalia; *conceptivae* quae quotannis
a magistratibus vel sacerdotibus concipie-
bantur ut dies certi vel etiam incerti ut
Latinae, Sementivae, Paganalia, Compi-
talia (nos: «feste mobili»); *imperativae*
quas consules vel praetores pro arbitrio
potestatis indicerent; *nundinae* quibus
rustici convenirent negotiis propriis vel
mercibus provisuri. ¹

Feriarum ratio, ut in universum festo-
rum dierum, ut ait Cicero in primo *de
legibus* (12, 29), in liberis quietem ha-
bebat litium et iurgiorum, in servis ope-
rum et laborum.

Praeter fastos et nefastos, festos et pro-
festos, distinguendi adhuc sunt dies *religiosi* et *puri*. *Religiosi* vel *atri* vel *fu-
nesti* dicebantur (*GELL., IV, 2, 5*) tristi omne
infames, in quibus res divinas facere et
rem quamdam novam exordiri temperan-

¹ Cf. fasc. sup.

² PLAUTUS in *Circumloge* (2, 1, 5): «Si status con-
dictus cum hoste (i. e. cum peregrino) intercessit dies,
tamen est eundum quo imperant». Cfr. MACROB., I, 16.

¹ Erant etiam quaedam feriae familiarum pro-
priae, ut Aemiliae, vel Iuliae, vel Claudiæ; et feriae
singulorum, ut dies natalis vel dies funerum et expia-
tionum.

dum erat, ut erat, ex. gr., dies Alliensis clavis, et in universum dies postriduani (i. e. postridie Kalendas, Nonas, Idus).¹ Erant etiam dies ad aliquid tantum religiosi, ut Kalendae, Nonae, Idus nuptiis copulandis religiosi et devitandi erant; et dies quibus ancilia Saliorum movebantur religiosi erant ad iter (Liv., xxxvii, 33). Nec dies *religiosi* in universum cum *nefastis* confundendi sunt; Gellius (iv, 9, 5) monet, multitudinem imperitorum prave et perperam religiosos dies appellare nefastos, quamquam Horatius ipse a vulgari usu non abstinuit, quum arborem in caput suum caducam nefasto die positam esse dixit ab illo qui primum eam sacrilega manu produxisset (C. 2, 13, 1).

Denique in memoriam revocemus etiam dies, qui *intercisi* dicebantur, eos nempe, quibus mane et vesperi nefas esset, medi tempore inter hostiam caesam et exta porrecta fas (nempe fari liceret), rursus quum adolebatur (i. e. sacrificium in ara numini propitiando fiebat) non liceret;² ut exemplum habeas, dies qui vocabatur sic: «quando Rex comitiaavit, fas» dictus erat ab eo quod eo die rex sacrificio ius diceret ad comitium; ad quod tempus nefas esset, postea fas esset; itaque post id tempus lege actum saepe (VARR., 6, 31).

Quae quum ita sint, ad pontifices redeuntes, tirones admoneamus, omnium dierum, vel fastorum et nefastorum, vel festorum et feriatorum indicem in anni ordinatione pontificum collegium solum servare et populo nuntiare consuevisse. Et quoniam annus, a Romulo primum, ut fertur, ordinatus, post a Numa emendatus intercalandi more inducto, menses omnes a nova luna incipiebat, pontifici minori haec antiquitus provincia delegabatur, ut novae lunae aspectum observaret, visamque regi

¹ Ob eam causam quam ex Verrio Flacco narrat GELLIUS, IV, 17.

² VARR., 6, 31; MACR., Sat., 1, 16.

sacrificio nuntiaret; sacrificio autem a rege et minore pontifice celebrato, pontifex calata, i. e. vocata, in Capitolium plebe iuxta Curiam Calabram, pronuntiabat quot numero dies ab eo die, i. e. a Kalendis, ad Nonas superessent, aliis verbis, quintanae an septimanae Nonae futurae essent. Qua re cognita totus mensis innotescerat, quum nono die post Nonas semper *Idus*, i. e. plenilunium fieret, et inter Idus et sequentes Kalendas sedecim dies numerarentur.

Item pontificum erat dies fastos et nefastos, festos et profestos, puros et religiosos nuntiare. Quod fieri non poterat, nisi tabulas haberent anni mensibus diebusque descriptis; quibus tabulis *fastorum* nomen inditum est. Scimus autem a Livio (ix, 46), Cn. Flavium, aedilem curulem anni ccciv a. C. n., ut ius civile, ita fastos in penetralibus pontificum ad id tempus repositos, in albo circa forum proposuisse, ut quando lege agi posset, ab omnibus sciretur. Brevi factum est ut index dierum marmore etiam insculperetur;¹ et etiam nunc plura fastorum exstant exemplaria, quorum contextum in Corpore Inscriptionum Latinarum (vol. I.) editum repertus.

Ab indice dierum fastorum autem idem nomen ad aliam rerum memoriam a pontificibus servatam transiit, i. e. ad indicem consulum et magistratum cuiusque anni. Hinc sermo est de *fastis consularibus*, de *fastis triumphalibus*, de *fastis sacerdotalibus*, etc. Officium igitur erat pontificum, quotannis nomina consulum ceterorumque magistratum inscripta servare. Servius qui dicitur Danielis, vel auctus, ad VERG. Aen., 1, 373 haec habet: «Tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua *praescriptis consulum nominibus*

¹ Inter cetera scimus M. Fulvium Nobiliorem consulem anni cccxxix a. C. n. Fastos a se descriptos in aede Herculis Musarum posuisse. Cfr. MACR., Sat., 1, 12, 16.

et *aliorum magistratum... etc.*». Index consulum autem etiam in *libris linteis*, in Monetae aede repositis, servabatur; nam plus semel quum quaestio de consulibus esset, Licinius Macer, ut ex Livio habemus, eos libros citabat auctores (LIV., IV, 20, 8). Ut exemplum proferam, anno cccccxxxiv a. C. n. Livius ait (iv, 23) diversa de consulibus anni retulisse Lic. Macrum et, cum Valerio Antiate Q. Tuberonem; Macrum eosdem consules superioris anni rectos esse (C. Iulium L. Verginum), Antiatem et. Tuberonem M. Manlum et Q. Sulpicium in eum annum edidisse; et Tuberonem et Macrum tamen libros linteos auctores profiteri. Livius subiungit, Licinium haud dubie libros linteos secutum esse, Tuberonem esse incertum veri.¹ Quam magnam auctoritatem hoc testimoniun et libris linteis et rerum scriptoribus addat, nescio equidem; at profecto colligitur, in libris linteis indicem consulum servari. Harum tabularum exemplum habemus etiam nunc in iis qui dicuntur *Fasti Capitolini*, in foro romano iam dum reperti et in Museo Capitolino asservati; quorum editioni qualis est in Corpore Inscr. Latin. Mommseniano, nonnihil utile sane et magnae doctrinae fructum adiecit Pais noster; vide alterum volumen eius operis quod inscribitur: *Ricerche sulla storia e sul diritto pubblico di Roma*,² et duo volumina quibus Fastos Triumphales populi Romani edidit doctoque commentario instruxit.³

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINO.

¹ Cf. etiam LIV., IV, 7, 12 et IV, 13, 7.

² Romae, 1916.

³ Romae, Nardeccchia, 1920.

AESTHETICAE NOTAE

De Pictura.

Pictura vulgo appellatur *colorum ars*; coloribus enim pictura a ceteris artibus extemplo discriminatur.

Simplex *diaphysica*, seu ars delineandi, principium est et fundamentum picturae: sed pictura tunc perfecta censetur, quando *delineationi* accedit varia colorum dispositio, id est *color*. Nam Picturae proprium est non solum res prominentes in superficie plana representare *per lineas graphicas*, ita ut per lucem et umbram revera prominentes appareant; sed insuper *per colores* eas ita effingere, prout de facto in natura inveniuntur. Et sicut colores naturales, multimodis distincti radiis, solent iucundam in spectantibus admirationem excitare; ita colores arte facti plurimum placent, si per belle mixti et ordinati appareant.

Princeps picturae obiectum est homo, ut de sculptura dictum est. Suprema autem et insita humanae vitae relatio est ad Creatorem: ideoque Deus ipse, caelites, virtutes..., uno verbo, obiecta supernaturalia adamant congruis symbolis a pictura reddi.

Cetera pinguntur, quia homini inserunt et sunt utilitati, vel ornamento, vel iudicandae contemplationi. Ex quibus rebus consurgit picturae obiectum secundarium, quod maximam habet extensionem. Hinc animalia, arbores, flores, urbes, naves, bella, flumina, montes, instantes solis lunaeque radii, nix, pruina, etc. possunt ac solent coloribus exprimi.

Tabulae, in quibus regiones, oppida, nemora, portus, litora et alia id genus de pinguntur, *Topia* audiunt.¹

¹ *Topia* apud veteres inveniuntur quidem, ast ut ornamenta et accessoriae partes. A recentioribus vero

**

Pictura propriam habet materiam et formam. Colores luce umbrisque contemplati, superducti telae, tabulae, parieti, vitro, vasis, marmore sunt materia picturae.

Forma autem propria et praesens est *expressio externalium relationum hominis*, nempe ad Deum, ad alios homines, ad circumstantem rerum omnium natum.

Haec naturalis, viva, peritunda ac varia relatio est id, quod primo capitur et attingitur a pictura; cetera vero requirunt quidem et exoptantur; ast integratatis et concomitantiae causa. Hinc, dum sculptura primo in repraesentanda intima praeuersum hominis consentanea partium compositio consistit, seu in exprimenda relatione inter animam et corpus, et directe saltem ab exterioribus relationibus abstrahit; pictura, e contra, in exprimenda partium congruentia praeuersum hominis ad exteriores res posita est, et quodammodo ab internis relationibus prescindit. Ipsa pulchritudo psychologica, quae summopere optatur in sculptura et pictura, diversis modis ab iisdem exprimitur: in prima enim est tantum manifestatio animi per motus corporis; in secunda vero est manifestatio animi, sed relatione habita ad res externas. Ideoque pictura, quamvis videatur et affinis reapse sit sculpturae, ab ea tamen non solum materia, verum etiam forma differt. Supremus igitur mentis conceptus in pictura est evehere ad formam perfectam, claram, vivam, varias relationes, quae in rerum universitate sunt,

easque signis sensibilibus exterius manifestare.

Definitur ergo pictura: *Ars pulchra, quae praeuersum hominis cum circumstantibus rebus relationes exprimere studet, in superficie plana, per figuram coloribus adumbratas.*

Signa, quibus pictura finem suum spectantibus patescit, sunt *lineae diaphractae* (*Delineatio*) et *colorum contemplatio*, ut supra dictum est. Delineatio certum superficie planae spatium determinat, personarum lineamenta efformat, quae prominentia vel relevata apparent per lucem et umbras. Color autem vivas spirantesque facit delineatas figuras.

Interna vero animi affectio (*status psychologicus*) in humana figura primo manifestatur per lineamenta, et postmodum per colores magis magisque revelatur. Colores naturalem habent significationem; ex. gr. color vivax, roseus, purpureus, rubicundus iucunditatem refert; e contra, color pallidus, niger, violaceus moestitiam vulgo exprimit.

Eximius pictor mente gerit novam et praeclaram artis sua formam; secus *Genius* non esset. Sed insuper linearum ministerio, colorumque varietate, vivacitate, nobilitate, mente conceptam pulchritudinis formam animoque fotam debet adstantium delectationi commonistrare. Hic itaque pictoris labor, hic praestantia, ut sciat eximiam humanarum relationum vitam sibi efformare, calleat delineationis colorum artem, et unam sine alterius detrimento adhibeat. Fuerunt enim pictores, qui delineatione, alii coloratione, alii vero ultraque praestitere.

**

per se et directe exprimuntur, et eo perfectionis devenirunt, ut merito habeantur *creations* saeculi xix. Cfr. Guthmann Johannes; Woermann Karl; Michel Emile; Max Haushofer... qui de historia, progressu et natura *Topiorum* egregie egerunt.

Pictura, naturae interpres et aemulatrix, id tandem obtinere conatur, ut specantes persimilem admirationem, delectationem, easdemque affectiones sive dulces

et laetas, sive tristes et ingratas subeant, quas subire consuevere ab exterioribus relationibus figurarum naturaliter coloratarum. Communibus legibus pictura subest; sed potissimum hae normae adstringuntur, quae in illas reincident: ¹

a) Pictura debet quidem aemulari, simulare, transformare obiecta naturalia ad veri similitudinis tramitem; nunquam vero ementiri, corrumpere, adulterare naturae leges et relationes. Quae desperat convenienter exprimere, relinquat. Multa certe sunt quae coloribus arte factis vix aut nunquam aequari possunt: lux tremulans in undis, radius oculorum, rosea labia, splendor gemmarum, et sim. His rebus adicere animum non praesumat.

b) *Expressio psychologica* in figura humana suos habet limites, quos praetergressa displicet. Hinc manifestatio quorundam affectuum, qui vel deformitatem membrorum exigunt, vel protervam animam arguunt, vitanda est.

Timanthes multum laudatur, quia in percelebri suo opere, in sacrificio nempe Iphigeniae, manifestum quidem fecit adstantium dolorem, sed perbelle vultum Agamennonis celatum duxit: infandus enim dolor patris certe lineamenta vultus deformasset. E contra pessime se gessit pictor incerti nominis, qui Medeam pinxit in actuali natorum occisione coram populo. Unde Horatius: *Ne pueros coram populo Medea trucidet.*

Attamen huiusmodi affectus aliquando recte exprimuntur, praeuersum ad contrarias affectiones magis magisque revelan-

Inter veteres oratores, sive Graecos sive Romanos, et Christianos, hoc maximum est, mea sententia, discrimin; quod Graeci et Romani, in liberis civitatibus, eo admidum contendunt, ut superatis adversariis, ad suprema reipublicae munera perveniant omniaque pro arbitrio obtineant. Omnes enim propter exquisitus orationis genus et propter assiduitatem in causis et industriam, animos hominum ad se dicendi novitas convertit.

Ita Tullius primum Quaestor, deinde Aedilis curulis et Praetor incredibili po-

¹ Pictores haud raro contra historicam veritatem errant, quum ex. gr. Mariam Cleophae ac reliquias Marias adolescentes una cum Christo patiente depingunt, quae quidem filios iam apostolos. habebant; quum Magdalena ad imum crucis gemmis et pretiosis vestibus ornatam vel seminudam repreäsentant; quum S. Franciscum elegantem, expolitum, depeñumque effingunt; cum S. Hieronymum galero rubro exornant, et sim.

¹ Cifr. fasc. sup.

G. LEPORE.

DE SANCTO MAXIMO

TAURINENSIO EPISCOPO¹

puli voluntate fuit renuntiatus, ac tandem consulatum adeptus, ob detectam et extintam Catilinae coniurationem in primis enituit.

E contrario, in corruptissima urbe vivebat Maximus, et rigidi censoris personam, uti Pontificem maxime addebet, sustinens, in vitia aetatis suae indignabundus invehitur. Rerum mortalium optime expertus, telis ex pectore potissimum depropmtis, acrius saepe et pugnacius instat; et diuturno rerum usu, pleniorum humana natura cognitionem nactus, vel quum declamatorio quodam more insurgit, illa utitur argumentationis forma, quae ad uniuscumque captum magis est accommodata. Sic noster contra errores Nestorii et Euthy- chetis assidue pugnavit.

Recte factorum laudibus insignis posteris Maximus narrabitur, qui egregium senilis prudentiae specimen dedit, quum nefarios homines, qui tenebricosis quasi lateribus erumpentes, nec modo religioni insidias struerent, palam versabantur, sed alacres, erecti, per foras urbis et per conciliabula volitabant, et sub speciem patriae et religionis, haeretici veterem compagem lavare nitebantur, qua civilis hominum consociatio continetur, sapientia detexit, auctoritate omnino delevit, Taurinenses vero summo catholicae fidei magistro accepti laeti, Pontifici suo confertissimi stipati circumfunduntur, et fidei, constantiae et pietatis documentum detulerunt.

Haud erit abs re, Eum planissime disserentem audire, qui suos monet ne in peccata ruant, et poenitentiam in primis exerceant. « Tota Ninivitarum civitas in tribulatione ieiunavit, nos quoque, temporum angustias sustinentes ieiunare debemus. Legimus in Prophetis, quum Nini- e civitati subversio divinitus immineret, et iuxta sententiam Dei destruendi illam tempus ingrueret, consistentes in ea aliud non habuisse praesidium, nisi ut abiectis crapulosis epulis, ieiunia continuata susci-

perent, et divitiarum ambitione seposita, humilitate se et paupertate induerent, scilicet ut exinde remedium perciperent, unde eis perditio contingebat, hoc est ut iram divinitatis, quam luxuriando provocaverant, abstinendo lenirent, et offensam quam in eos superbia contraxerat, humilitas¹ mitigaret. Dicitur enim in illa tribulazione, ipse Rex, deposita imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilio procinxisse, atque in sacco² se diebus ac noctibus volutasse. Sapiens ergo Rex, qui sciret quemadmodum adversa sibi superare deberet, hostes enim virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens plane Rex, qui intelligeret, quibus armis uteretur, pro temporis qualitate; quum enim insidiantur illi homines, apprehendit arma bellica, quum irascitur ei Deus, corripit arma iustitiae ».

Haec verba, hoc nimirum consilio insero, ut videoas Maximum hic atque illic, pro re nata, aetatem iam latini eloquii senescentem redolere, atque ab aurea puritate passim recedere. Sed quod apud Maximum occurrit, temporibus potius, quam scribentis ingenio tribuendum.

Et suos habebat identidem in aedibus clarissimorum hominum coetus, cum quibus diu ac familiariter versabatur. Ad Episcopum tamquam ad patrem convenire unusquisque consuescebat. At quam mira hominum rerumque diversitas! Non equidem de Platone amplissime disserebatur; neque de summo quolibet Socratis discipulo; sed pauperiores adibant, qui annonae caritate compulsi, ad Patrem confugiebant, ab ipso auxilium rebus in adversis quaeritabant suisque fessis animis quietem secura mente postulabant.

Is ad eum pauperum concursus erat, ut querenti, ubinam Episcopus habitaret,

¹ Vilitatem prius dicerent aureae aetatis scriptores.

² Habitus anachoretarum christianorum, quem ignorarunt Romani.

satis erat dicere: « Ubi pauperum coetum conspexeris, illic et procul dubio Episcopi domum ». Quo facto, ita Pontifici Maximo carus fuit atque acceptus, ut in Concilio Romano proximus ab Hilario, qui Leonem exceperat, sederet. Studiose a suis haeresim repulit, et ethnicorum superstitiones, quae apud Taurinos populosque finitimos admodum invalescerent, perpetua alacritate eradicator.

Ad haec veluti cumulus accedit caritas, qua unice caleret, in Beatam Dei Matrem, Virginem Mariam. Ei unice accepta referenda est nobilis illa civium devotio erga Augustam Matrem, quae maxime laudatur et hodie ubique gentium celebratur. Ea enim pietas in Virginem, quam *Consolata* vulgo appellant, est in pectoribus civium tam altis fixa radicibus, ut tot labentibus annis, nec impiorum voce, saepe licet opposita, scriptisque, ne tantillum quidem laefactari potuerit.

Sacrarium ab ipso conditum, semel atque iterum vicissitudine temporum dirutum, at divino veluti spiritu e ruderibus detersum, splendidiore cultu restitutum, novis et amplissimis accessionibus auctum, auro, marmoribus, opere tectorio exornatum, Taurinensium pietas pro loci religione et dignitate devotorum impensis suis dedicandum curavit.

Salve, o Virgo Mater, potens, propitia Taurinenses totamque Subalpinorum regionem, maiestati tuae devotam praesenti sospites ope!

Diuturnis interea doloribus afflictatus, memorabilis constantiae exemplum omnibus reliquit. Sub vitae finem, ut rei christiana, pro temporum difficultatibus, laboranti pro viribus prospiceret, Concilium Augustae Taurinorum cogere statuit, ad quod omnes circa antistites accivit.

Aeterna spectans Maximus quievit anno Chr. cmxi.

SENIOR.

AD SS. VIRGINEM GUADALUPAE Mexicanæ Provinciae Patronam

*Mexici Patrona Potens fidelis,
fac, solutis hic Satanae catenis,
concinat partae pia turba pacis
laeta triumphum.*

*Saevit in fratres nimium scelesti
hydra sectarum, maledicta toto
orbe, quae repens vomitat trisulco
ore venenum.*

*Caedis Herodis renovatur horror,
saecula perversi redeunt Neronis,
Gallici Motus repetita nota
damna videmus;
ense discurrit petitura cunctos
rite devotos scelerata turma
a rebelli praeside, saeviore
missa tyranno;*

*igne succedit loca saepa castis
apta servandis pueris, puellis,
templa concludit spoliata sacris,
aere, ministris;*

*Praesules sacros removet revinctos
vinculis a sede, vetat docere
scripta divinae documenta vitae
nomine legum;*

*aera ut exsolvant aliena tristes
quaequae compilant rapiuntque sancta,
infimas guttas olei ex dicata
lampade siccant.*

*Iam nec offerri potuit sacraeae
aedis altari super impetrata
una Caelesti placitura Patri
hostia pacis!*

*Praeses immisis, ruit hora praeceps,
qua lues poenam sceleris nefandi:
ex novo bello duplicata cernes
agmina Christi;*

*te caducum hic triste manet sepulcrum,
firma sed fulget Crucis arbor Almae,
quam maris nusquam quariant minaci
murmure fluctus!*

*Inferi nunquam valuere portae,
Daemonum frustra fremuere turmae,
Martyrum Christi crux esse semen
usque probatur!
Virgo, moerentes aditura natos
huc ades, prisco veneranda cultu,
hic opem confer miseris tuaeque
munera pacis.*

Pausilypi, ad Neapolim, an. MCMXXVII

IOSUE CACACE.



Colloquia varia eademque familiaria latine composita

II

Diversorium

Brevi admodum tempore, seu vix prope commodius te collocaveris, quum subito stabit carpentum; tum machinae magister, industrius ac celerrimus descendit, et ostiolum vecturae aperiens, hilari vultu dicit:

— Here mi, pervenimus. En diversorium, ubi te optime manere pervelim. Si tibi aliquando utilis esse potero, libentissime utere. Tuus sum! Tibi enim servire est mihi maxime munus.

— Da mihi; cur illa hasta in porta?

— Ab ipsa aliquando panditur Italorum vexillum. Integre distentum laetitiam significat, medium vero moerorem. Quod non mihi, non tibi, nec patriae unquam accidat, adprecabor.

Dixit et evanuit.

Accurrunt complures pueri, qui sarcinas detrahunt atque in domum adducunt. Est qui gallice interrogat, est qui anglice; est qui germanice... Multa equidem verba seruntur, et velocissime instant, quae quasi hospitem tundunt et multitudine quaestio- num eum propemodum opprimunt.

Brevi tamen, remotis ceteris, unus ma-

nabit ad latera, atque vicissim sarcinas tollens te persequi iubet.

At in ipso aedium vestibulo est quod viatorem tenet; attente enim adspergit, ad scalarum initium, textile pictum affabre, nec nobis a Barbaris commendatum, sed ab Italis confectum cum litteris latine conscriptis: AVE! Quae tenerrima vox! «Vigilant nostra semper in urbe Iares!»

Hospes hanc vocem salutatoriam mira accipit voluptate, et grato animo, par pari referendum esse reputans:

— Gratias vobis, — saltem cogitat, — pro felici omni, ago quam maximas, maioresque pro munere habebo.

Quo commodior et magis gaudens in superiores aedium partes ascendas, novae scalae regio propemodum cultu e marmore sunt aedificatae. Hinc inde manubria lucidissima, et, quo melius procedas et pedibus parcas, est pretiosa fascia, quae, «linoleo» contexta, ab imis gradibus usque ad supremos distenditur. Quum primum ad superiora coenacula perveneris, a te iterum puer postulat:

- Visne superius ascendere?
- Unam an binas cellas desideras?
- Visne quoque balneo recreari?
- Cupisne modo manus lavare?
- En peniculum, ut itineris pulvere te breviter detergas.

Responde:

— Mihi sufficit una cella, sed satis ampla et ad publicam viam.

Ille statim:

— Eccillam, quae tibi erit aptissima. Et fores aperit, et praecedens, te in conclave introgredi iubet.

— Sino te, tuo libere vivere modo. Redibo, ut te ad mensam reducam.

— Et gratias, — dices, — refero. Hoc mihi magnae levationi est. Fessus sum admodum viarum.

Dices, et laetus in sede parumper residebis, namque.

Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque recumbit.

Paulo post adsurgens, aperi fenestras, universamque cellam uno oculorum ictu perlustra. Cuncta quae facile cernes memorare iuvabit.

Est ipsa cella euidem parva, sed apta, omnique recentiorum invento egregie comparata. Ipsi sunt binae ac perlucidae fenestrae, quibus pendent parvula velaria imaginibus picta, et tuo quae nutu manibusque mire se se elevant atque descendunt. Sic e desiderio lux penetrabit modice et recedet.

In medio stat mensa amplior et optime vermiculato opere variata, in qua sunt posita ordinatim impedimenta viatoris. Et circum stant complures sellae leves et arte perfectae. Illa sedes longior, quam *sislunga* vulgo dixeris, et secus parietem orientalibus praesertim viris accommodata, te, post prandium, recipere ad quiescendum aptissime potest.

Nullae euidem honesta vitae illecebrae desunt. Et maior alia sella, binis fulmentis aureis ornata, atavorum desideratissima, se optime tibi offert. Interea ex improviso admiratus sistis. Curnam miraris?

Te adspicientem et tibi ipsi obvius alter in te respicit, et gestus tuos non dubie componit. Tacite mussitabis:

— Videone recte, an somnior?
— Macte animo! Recte autumas. Est euidem mirum speculum, idque, tanquam grande ostiolum, integrum repositorium abscondit.

Quam elegans et simul quam perfectum! Ante ipsum et Demosthenes, uti fertur, se se ponere potuisse, omniaque notare, quae in actione, quum diceret ad Athenienses, evitare debuisse, vel corrigerem, vel potius perficere.

Aperi et omnia diligentius observa...

Unum restat, ut ad podium accedas, et urbem oculis commode perlustrare possis.

Apertis foribus repenti admiratione per-

culsus, recte intra te voce exclamare poteris:

*En illa inclita Roma, quae
Imperium terris, animos aequavit Olympo!*

Quae sane rerum hominumque multitudo! Quae mira in varietate securitas!

Patet ante oculos latissima via, quae, ex more, viro aetatis nostro clarissimo dicta, est multarum invicem aliarum initium, et vecturis omnis generis hinc inde discurrentibus, percursa. Adest quoque haud longe posita pro rhedis statio vi electrica raptis, quae, novis semper peregrinis repletae, totam prope Urbem percurrentes, ad Centralem Stationem, summa diligentia, contendere videntur.

I. B. FRANCESIA.



De Romanorum conviviis¹

Ubi omnia ad coenam in promptu erant, convivae coenatoria veste, cui *Synthesis* nomen, ipsam plane pallii formam referente, amicti, floribus frondibusve non raro redimiti, unguento caput delibuti,² positis soleis discumbebant.

Atque hic, antequam ad coenae partes accedamus, duplex convivarum genus notare proderit. Eorum alii ab epuli domino vocabantur; alios invocatos ducebant secum illi ipsi, qui invitati fuerant. Hos *Umbras* appellari placuit, quippe qui, tam-

¹ Cfr. fasc. sup.

² Serta atque unguenta conviviis exhibita saepissime a scriptoribus memorantur. E reliquis ita per Flaccum (II, Od., 3):

*Huc vina, et unguenta, et nimium breves
Flores amoena ferre iube rosae.*

Et Od. 7:

*Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.*

quam umbra corpus, alios consecarentur.
De hoc genere loquutus est Horatius (I,
Epist., 5):

Locus est et pluribus Umbris.

Eorum autem noli arbitrari similes ulla
re fuisse *Parasitos*. Hi enim quaerendis ci
bis unice mancipati, ipsi suis iocularibus et
adulatoriis artibus coenas captabant, in
que aliena convivia irrepabant.

Verum iam coenae missus inspiciamus.
Tres prorsus hi erant, per quos coena ipsa
tripartito dividebatur: *Antocoenium*, *Coena*
(voce stricte accepta) et *Secundae Mensae*.

Antocoenium, sive *Antcoena*, quae et
Gustus et *Promulsis* vocata est, praeter
lactucas, olivas, lucanicas, imprimis com
pletebatur ova. Qua de causa Venusinus
poëta (I, *Sat.*, 3) ut coenae simul initium
finemque indicaret, hac ratione est usus:

*Si collubisset, ab ovo
Usque ad mala citaret: Io Bacche!*

Et Cicero (IX, *Fam.*, 20): « At quem
- inquit - virum? Non eum, quem es so
litus promulside confidere. Integrum fa
mem ad ovum affero ».

Cur autem is totus missus promulsidis
sibi quoque nomen adsciverit, intelligetur
illlico, ubi sciatur fuisse in more positum,
ut eum mulsi potio subsequeretur. Id vero,
quo primam sedare sitim solebant, vinum
fuit melle temperatum: de quo haec enun
tiat Flaccus (II, *Sat.*, 4):

*Aufidius fortis miscebat mella Falerno
Mendose; quoniam vacuis committere venis
Nil nisi tene decet: leni praecordia mulso
Prolueris metus.*

Alter missus lautissima quaeque fer
cula inferebat: inter quae etiam quod
esset praecipuum, *caput coenae* Latinis
dictum, quemadmodum Graecis Κεφαλὴ
δεῖπνον. Idque est in illis Tullii verbis (V,
Tusculan., 34): « Quum Tyrannus coena
visset Dionysius, negavit se iure illo ni
gro, quod coenae caput erat, magis fuisse
delectatum ».

Et apud Martialem (X, 31):

*Multus tibi quatuor emptus
Librarum, coenae pompa caputque fuit.*

In hac autem coenae parte *Structorum*
ars ac dexteritas praecipue emicabant.
Erant illi quidem servi ad id positi, ut ex
certarum legum praescripto cibos scinde
rent, ac viritim distribuerent. Ipsi *Scisso
res*, *Carptores* et *Diribitores* dicti, et etiam
Chironomontes, a χειρ (manus) et νόμος (lex);
quippe qui « certis eruditae manus ductibus »,
uti loquitur Seneca, munus obirent.
Quod ipsum variis simul gestibus fungi
solebant. De tota hac ratione sermo est
Iuvenalis (V):

*Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem species, et Chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia; nec minimo sane discrimine referit,
Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.*

Illud modo per occasionem scito, potuisse
convivas, quae pars sibi obtigisset, eam
consanguineis amicisve mittere; eique
designandae rei aptatum hoc fuisse locu
tionis genus: « de mensa mittere ».

Secundis mensis poma, omnisque ge
neris bellaria proponebantur; idque fuit
« instaurare epulas ». Hoc pacto apud Ma
ronem (VIII, *Aeneid.*, 283):

*Instaurant epulas, et mensae grata secundae
Dona ferunt.*

Quod ad potionem attinet, id modo
singulare dicendum suppetit, adsuevisse
veteres pro diversis anni temporibus vi
num vel calidum, vel frigidum epotare.

Ad horum prius quod attinet, moris
fuit ut per hiemem merum calida tempe
rarent. Hinc Martialis (I, 12) scripsit:

*Iam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.*

Quod quidem calidae potionis genus
quantopere in deliciis esset, vel ex eo ar
gui possit, quod vulgo in thermopolii ven
ditaretur. Quare apud Plautum (*Curcul.*,
II, 3) de hominibus vino deditis dicitur:

Quos semper videoas bibentes esse in thermopolio.

Rursus vero aestate vinum nivis ope re
frigerebant. Ad id usui fuit « colum niva
rium », vasculum argenteum cribri instar
perforatum: in quod postquam nivem
inieccissent, paullatim vinum infundebant,
quod per illam frigescens in vas infra po
situm defluebat. Verum pro colo paupe
riores lineum solebant saccum usurpare.
Unde ortum Martialis epigramma (XIV,
103) cum lemmate: « Colum nivarium »:

*Setinos inbeo nostra nive frange trientes;
Pauperiore mero tingere lina potes.*

Tum statim posthac aliud inscriptum:
« Soccus nivarius »:

*Attenuare nives norunt et linta nostra,
Frigidior colo non salit unda tuo.*

Addere postremo huc illud abs se non
erit, nonnunquam unguenta potui ab iis,
qui plus ceteris delicias sectarentur, fuisse
immixta. ¹

Restat ut de quibusdam legibus con
vivialibus pauca dicamus; sed de iis alias.

S. A.

AD TUBERCOLOSIM ARPENDAM

De « sanatoriis ».

Apud omnes constat hodiernas respu
blicas, easque praesertim, quarum populi
industriis artibus magis addicuntur, vel
vitam plerumque in officinis conclusam
pertrahunt, in tetterium tubercolosis
morbum totis viribus contendere. Carita
tis simul atque humanitatis rationes ubi
que concurrunt, ut contagium arceatur,
beneque valentes corruptionem vitent.
Quod quidem incoepsum civilis consortii
maxime interest, atque non tamen priva
torum, sed etiam rei publicae rectorum
opera dignissimum est. Hinc nosocomia

¹ Cfr. PLIN., XIII, 3.

illa perfectissima, quae « sanatoria » vo
cant ubique nunc constructa, quae quidem
certis legibus constituere oportet, quarum
notitiam omnes habere iuvat.

Itaque qui morbum vix contraxerit at
que ab eo leviter afficiatur, trimestre
saltem in praecipuis nosocomiorum huius
modi aedibus morari opus est.

Locus ad densam silvam seligendus
mediaque altitudine, vel in colle, quem
lata vallis praecingat, libere tamen in
meridiem prospiciens. Ager circum late
patens, undique a finitimis saeptus, terra
arida, cloacis maxima diligentia deductis
persulcatus, atque quo melius queat fru
gibus carens, aqua, contra, ad potum sa
luberrima abundans, et quae facile possit
asservari.

Aedes aut unica, aut bina contigna
tione; gradus lenes, ambulacra vasta at
que libera, per quae udosis tempestatibus
aegroti deambulare commode valeant.
Pro unaquaque vero aegrotorum centuria
decem saltem cubicula unum tantum lectu
lum habeant, decem binos, cetera sex
ad summum accipient. Aulae ad collo
quendum prope triclinium pateant; plu
rima denique cubicula pro famulis acce
dant, itemque valetudinariis curatoribus,
scholariis, tandemque coquina, cavea, gla
cialis fovea; omniaque ita disposita, ut
nullus odor ad aegrotorum cubicula efflet.

Balnea pariter cum tabulis, piscinae,
spoliaria, cubicula ad linta lavanda et
mundanda machinis vapore vel electride
actis; pariterque templum, et aula ad cada
verum sectiones peragendas.

Decubitoria triginta saltem aëris men
suras pro singulis aegrotis contineant, at
que altitudine pateant ad tres saltem men
suras et dimidiam.


Aulae collocutoriae ampliores esse non
debent quam triginta aegrotos deceat.

Pavimenta, muri, lacunaria, rotundis
semper angulis, ut facile mundari queant;
muri aut coloribus oleo illitis depingen

tur, aut maltha cooperientur, usque ad tria circiter altitudinis brachia. Fenestrae simplices dupli vitro atque transennis claudendae; atque ianuae mundae nulloque ornamento insculptae. Calor et aër ex centrali una machina diffundantur: aëris temperies quindecim inter et viginti thermometri gradus servabitur: lux electride parietur.

Ut autem familiis operariorum, qui morbo maxime afficiuntur, caveatur, providendum est; atque praeterea domus ad convalescendum erigantur quocircum agriculturae laboribus intendere aegroti queant: his enim tantum, postquam e sanatorio exierint, operam dare eos oportet. Quum vero sine dubio recognitum sit tanti morbi semen semper abditum manere ubicunque latet egestas, haud satis profecto est officinas maximas lustrasse, vel pro ludis aut scholis leges ad praecavendum morbum constituisse, vel sanatoria aedificasse ad aegrotos colligendos arcendamque corruptionem, aut pecudes corruptos statutis normis reiecssisse, nisi maximo huic paupertatis morbo tandem aliquaudo remedia afferantur.

R. S.



PRO IUNIORIBUS

De compositione latina.¹

Non equidem satis est verba propria et accommodata rebus invenire, nostramque orationem perspicuitate et ornatu, quasi luminibus, illuminare; nisi haec omnia structura quadam et in ordine componamus, et quasi contexamus.

Danda igitur in primis opera est, ut ita scribamus, ut ab omnibus etiam me-

diocriter eruditis facililime intelligamur; quod quidem assequemur, si a communi quodam et usitato genere orationis non abhorrebitus, nosque totos ad illius Ciceroniani candoris et facilitatis imitationem conferemus; dabimusque operam, ut fluere sponte oratio, non trudi atque impelli, et tunc maxime natura ipsa effundente provenire, non artificio praesribente excoxitari videatur. Illa enim optima atque artificiosissima sunt, quae nos facere nullo negotio posse confidimus. Nam si Ciceronem aut Sallustium, aut alium quempiam eius temporis consideremus, nihil facilius existimabimus, quam eorum in dicendo candorem et simplicitatem assequi. Quod si tentare id atque experiri velimus, nihil difficilius inveniemus.

Texenda igitur ita nostra oratio est, ut naturalem illum candorem et Romanae linguae simplicitatem, quantum fieri potest, praeseferat; quod consequemur si ita perspicuitatem servabimus, ut neque longiores ambitus faciamus, neque inter se verba obscure atque ambigue impliceamus, neque sententias inusitato quodam modo, aut impropriis peregrinisque vocabulis inculcemus. Postremo si ordinem quemdam non in verbis modo, sed in sententiis quoque singulis et materia universa servabimus. Ordo autem in verbis sic servandus, ut neque verba suos casus, neque substantiva suas adiectiones longe positas disiectasque desiderent, et quasi exspectent, neque inter se ornandi studiodictiones singulae implicentur; quale esset si Ciceronianum illud: «Orationem autem latinam legendis nostris pleniorē efficies», ita implicaremus: «Orationem autem nostris latinam legendis pleniorē efficies».

Videndum etiam est, ne verba ita collocemus, ut alium, quam nos volumus, sensum efficiant. Nam, ne ab eodem exemplo discedamus, si verba commutes: «Orationem autem pleniorē legendis nostris

latinam efficies», sensum omnino alium ac diversum effeceris. Item, si negationes alio atque alio loco posueris, non eumdem sensum feceris. Aliud est: «Non omnis, qui litteras discit, doctus est»; et aliud: «Omnis, qui litteras discit, non doctus est»; et aliud: «Omnis, qui litteras non discit, doctus est». Item non idem est: «Ego te non vidi», et: «Non ego te vidi»; posteriorius enim plerumque interrogat.

Videndum item est, ne sensum in aliarum quoque dictionum ordine pervertamus. Nam si velimus dicere: «Ego non solum te, sed tuam quoque familiam diligo», non recte sic dicemus: «Ego te non solum diligo, sed tuam quoque familiam»; nec sic: «Ego te non diligo solum, etc.». Verbum enim «diligo» aut utrique praeponendum est sic: «Ego diligo non te solum, sed universam quoque familiam tuam», aut utrique postponendum, ut in principio fecimus. Sed haec, quoniam et plura sunt, quam ut breviter comprehendendi possint, non sunt hīc latius repetenda.

Illud autem in ordine observandum est, ut semper crescat in verbis sententiisque oratio, ut «Homo prudentia, mansuetudine, modestia, atque omni virtute praeditus»; virtus enim et ea, quae dicta sunt, et alia multa complectitur; proptereaque primo in loco ponenda non erat. Contra, nonnunquam particularia quam universalia vehementiae plus habent, proptereaque posteriore loco ponenda sunt hoc modo: «Amo te cum propter alias virtutes tuas, tum vero ob egregiam singularemque modestiam»; plus enim modestiae, quam ceteris virtutibus ratio datur. Videndum itaque in hoc genere diligenter est, ut nonnunquam decrescat et minuatur vis illa et vigor orationis: omnibus autem, quas diximus, rebus ita ratio subiicenda est, ut in illis nihil dubitari possit.

Rationes et rationum confirmationes ita texendae inter se et coniungendae sunt, ut non solum sententiae sententiis, propo-

sitionibus conclusiones, explicaciones divisionibus, partes partibus, sed verba etiam singula verbis ipsis respondeant, referanturque ita, ut omnia inter se quibusdam quasi hamis loricae modo inserta et concatenata sint, ut destrui et quodammodo retexi non possint.

Danda autem opera est, ut neque verba neque partes alias omittamus, quae aut obscuram aut ambiguam orationem redundant; nisi quum verba tam propinquā sunt ut intelligi alias superlativi non possint. Nihil contra ornatus tantum gratia sine magna ratione apponendum est; frustra ea enim ornamenta sunt, quae ratione ac specie omnino carent. Quod quidem necessario dicendum est propter imperitos quosdam, qui tum denique se ornatissime loqui putant, quum orationi vel supervacaneas particulas multas apponunt, vel detrahunt necessarias. Illa igitur optima cumpositio erit, in qua nihil deerit, quod desiderari; nihil supererit quod auferri possit.

Quoniam autem oratio per aures in annum transfunditur, aures autem numeris ita capiuntur, ut Aristoxenus non ignobilis philosophus animam harmoniam quandam dicere non dubitaverit, numeris quibusdam quasi pedibus feratur, et aures perfecto quodam et, ut ita dicam, rotundo verborum ambitu impleat necesse est; qui quidem quum pro qualitate materiae nunc tardius incedit, nunc celerius currit, tum graviorem, tum acutorem harmoniam, sive concentum, ex sese parit. Quum ita instabilis est, ut tenorem servare nullum queat, et incomposito verborum strepitū inanem quemdam et immodulatum sonum efficiat, ab auribus confestim animoque respuitur. Quamquam id aures iudicare, nisi doctae atque assuetae sint, plane non possunt, sentiunt tamen optimum illum atque absolutissimum sonum quoquo modo etiam indoctae. Sed ut in musica minima quaeque deprehendere nisi peritissimus

¹ Ex opere AURELI BRANDOLINI, cognomento LIPPI, cui titulus *De ratione scribendi*, lib. III.

artis non potest, sic in hac re ultimam illam atque absolutissimam perfectionem intelligere aures nisi assuetae omnino non possunt. Atque haec quae dicimus eo spectant ut intelligamus nos artificio ac praecptis ullis numerosam orationem aut nostram facere, aut cognoscere alienam non posse, nisi aures numerosis orationibus audiendis longa consuetudine sonum illum optimum a minus bono discernere doceamus. Qua quidem in re assidua nos Ciceronis lectio in primis iuvabit. Quamquam autem neque qui audiunt hoc tempore numeros satis intelligunt, neque qui dicunt aut scribunt eos magnopere curant, tamen vel ut intelligamus quid nobis servandum sit, si veteres imitari velimus, vel ut eorum in scribendo artificium atque observationem cognoscamus, pauca de numeris ex Ciceronis praecptis atque observatione perstringam.

Orationem igitur apud Graecos primi omnium Thrasymachus Chalcedonius et Leontinus Gorgias numeris adstrinxere, ut quem poëtas cum voluptate, se cum severitate audiri viderent, et voluptati audientium varietatique consulerent. Gorgias autem paribus paria redolere et contraria contraria referre primus instituit, eaque se ad vitium usque delectatus est. Isocrates deinde, moderatione quadam adhibita, rem maxime excoluit. Latini eam rem tantopere admirati sunt, ut quem aliquid numerose cecidisset, tota concio pariter exclamaret. Caius quidem Gracchus dum oraret, servum cum organo quadam post se habuisse dicitur, qui ei numeros modosque succineret. Cicero in eo genere, quantum intueri licet, palmarum videtur fuisse assequutus: ita nihil etiam in familiaribus epistolis quotidianoque sermone non numerosum efferebat. Neque vero tota oratio numeris tamquam versus adstringenda est; sed ita a principio fluere ac ferri debet comprehensio, ut deponi et quiescere in fine, non cadere aut prolici

videatur. Et quamquam clausula ipsa, id est finis comprehensionis, maxime debet esse numerosa, cetera tamen omnia, quae ad finem illum ducunt, numeris et modulis quibusdam carere non debent, ita ut auditor aut lector a principio videre finem illum atque exspectare videatur.

(*Ad proximum numerum*)

ANNALES

Genevenses conventus.

Genevenses conventus alius alium subsequuntur; in quorum altero, ab Italibus promoto, «*Unio populorum omnium ad auxilium vicissim ferendum*» constituta est. Non vero eumdem felicem exitum sortitus est qui iterum ad navales copias imminuendas est congregatus. Post multa inter Foederatas Civitates Americae Septentrionalis, Angliam, Iaponiam verba habita, legati infecta re discesserunt.

* *

Vindobonenses motus.

Vindobonae gravem a «*Communistarum*» factione excitatam seditionem gubernium, cui Seipel preest, fortiter oppressit. Multae tamen direptiones et rapinae; quas vi vincere oportuit, eo magis quod opificum ab operibus, ipsisque subvectionum officiis, desertiones difficiliorem rerum statum reddidissent.

* *

Rumenorum luctus.

Die vigesima mensis Iulii Sinajae in castro diem obiit supremum Ferdinandus, Rumenorum rex. Licet iam diu aegrotaret, ita ut eius mortem omnes proximam fa-

cile praesentirent, haec tamen cum moere magno a populo cognita est, qui virum optime de patria meritum vehementer diligebat.

Ei successit Michaël nepos e filio Carolo, - qui successione regni se iampridem abdicaverat, - puer annorum sex, sub tutela regentis, quod vocant, consili.

* *

Regia itinera.

Europam plures iam dies peragrat Fuad, Aegyptiorum rex. Postquam Angliam visitavit, Romam venit, magnis laetiae et obsequii significationibus acceptus. Summum quoque Pontificem adivit, deinde Venetas contendit, indeque in Galliam ibit, quo uxor eum sequetur.

Sit hic eventus novum inter gentes pacis indicium!

POPULICOLA.

VARIA

Calusius et Alferius Cintrae in Lusitania.¹

Cintra locus est ad Oceanum, Olisiponem proxime, quo negant alium esse in tota Lusitania incundiorem, vel propter purissimam aëris temperiem, vel propter irriguas valles, quas pleniore alveo in mare decurrens, Tagus flumen interluit. Sunt ibi magnae arborum proceritates et virescentes circum montes in scenam positi: in silvae autem recessu, non sine quadam religione Ioannis Castri suburbanum ostendunt, qui, Indicis bellis feliciter gestis, non minus innocens in flagitiosissima provincia, quam manu fortis adversus hostes repertus est. Eo cupidissime ex urbanis sordibus se conferunt beatiores, sparsique per villas, quas nit-

¹ Ex BOUCHERONO.

dissimas habent, conviviis et venationibus aestatem traducunt. Illuc etiam rusticatum ivit Calusius, et memorabilis haec eius peregrinatio fuit ob initam tunc primum cum Victorio Alferio amicitiam.

Olisiponem hic venerat equos et amores cogitans, ac Britanniam brevi navigaturus; nam varius et multiplex nulla in re adhuc acquieverat. Forte contigit, ut primariam urbis matronam ambo salutatum adirent, ibique in multo sermone Calusius a circumstantibus rogaretur, ut nonnulla carptim e nostris poëtis legeret. Tunc Guidium casu oblatum coepit recitare, delecta ode ea, quae ad Fortunam inscribitur, quum Alferius non idem amplius esse, sed modo attonitus perculsusque videri, modo subsilire atque interruptas voces emittere; postremo significantibus præ admiratione inter se omnibus, divinum id esse clamitans, ubertim flere.

Tunc enim vero poëeos vim primum sensit vir egregius, quo intellecto, Calusius ignotus ignotum amplexus et fortis illos ardentesque oculos intuens: «Certum – inquit – omen agnosce: hancflammam sequere; et tu aliquando in numeropœtarum venies, meamque de te vaticinationem posteri accipient».

Sic ille popularem suum, magnum futurum, in laudis curriculum impulit, quemadmodum Herodotus in maximo Athenarum conventu Thucydidem adolescentem exemplo suo dicitur impulsisse. Inde nobilis illa exstitit necessitudo, quam uterque coluit sanctissime, et Alferius, parta iam nominis immortalitate, scriptis commendavit.

* *

Mus rusticus et mus urbanus.¹

Mus rusticus cum urbano amicitiam inierat, qui ad coenam a socio quadam die invitatus, mature advolat. Quum vero

¹ Italice exaravit NICOLAUS TOMASSEO.

nullos alios cibos apponi videret nisi aliquam et hordeum, dixit: « Amice, eam agis vitae rationem, quae formicas deceat; multo ego opulentior: veni et opipare comedemus ». Iter statim ingressi, ubi domum pervenient, urbanus apponit legumina, frumentum, dactylos, mel et poma. Exsultabat amicus praes gaudio, urbanique fortunae benedicens, suae maledicebat. Iam iam manducaturi erant, quum ecce tibi nescio quis portam recludit: pavore perculsi, latebras petunt. Exeunt denuo nuces comesuri: quid? ecce alter, quidpiam in conclavi queritans; quem mures videntes, in latibula rursus confugint. Tum rusticus, fame laborans, ad amicum conversus ait: « Vale, bone amice; vescere pro libidine, et copia fruere, periculo semper obnoxius et pavore anxius; ipse miser, parum hordei arrodere contentus, timoris et suspicionis nescius vivam ».

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

MENSES ORDO:

Promulsis de tergore suis suaviter aspero et super crustis composito.

Pastilli vermiculati, lycopersici malatice conditi.

Barbati nulli ad craticulam acti cum cappari embammate.

Bovillae costae istillato adipe tostae.

Acetaria ex nasturiiis officinalibus.

Placenta de persicis pirisque.

**

Iocosa.

Ludimagister de Centauris sermonem habuit; in quem meditans Tuccius:

— Quum illi cruditate stomachi labarent, cuius auxilium invocabant? Medici ne an veterinarii?

Tuccio mater:

— Numne, uti te monueram, fratri natu minori meliorem piri partem dedisti?

— Quinimo optimam; semina scilicet, ut sereret, integrumque piri arborem sibi haberet!

**

Aenigmata.

I.

Duarum sum syllabarum
Animal amphibium;
Signum doloris inseras,
Habes clarum oppidum.

II.

In primis tutas do vobis omnibus escas;
Nihil deinde nisi circulus esse queo.
Nos sumus uniti Romanae gloria linguae:
Est vir, quem dixit libera Roma patrem.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Sapo*; *Sapor* -
2) *Cos*; *Comes*.



Libera a pittaciis responsa

Cl. v. VINC. GOM..., *Csorna*. — Accepimus, tibique gratias referimus.

Cl. v. ADALB. GIAR..., *Panormi*. — De illo homine nullam iam diu notitiam habuimus.

Cl. v. FR. SO... AL..., *Radicenae in Calabris*. — Ne ad nos quidem hoc anno certaminis illius prospectus missus est.

A SECRETIS.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

STANISLAUS FUGIENS

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

[2]

FULCIUS

Puto: sic enim amaritatem istam expues,
Et moerorem ex animo prorsus omnem
[exhaeris.

PAULLUS

Suade hoc tui similibus: non me plumbeum
Natura finxit, aut inopem consili boni.
Abi in rem malam cum consiliis istis malis.¹

SCENA II.

FULCIUS

Abiit iratus, ut solet cum intelligit
Ab aliquo improbari forte suam sententiam.
Iamdudum, ut fatear, hac me taedet in domo
Servire servitutem quamvis optumam
Et mercede quidem liberali admodum satis.
Hic iuvenes duo nobiles, gratiosi, divites,
Ut litteris et bonis operam dent artibus,
Procul commorantur a patria et parentibus.
At vero non tam sunt iidem facie similes,
Ab uno quippe eodemque nati sanguine,
Quam moribus et ingenio inter se dissimiles.
Qui natu maior est, levis, asper, sui impo-

[tens,
Vivendi potestatem nactus e libidine
Aetatem per luxum degit et socordiam;
Aleas, convivia, coetus aequalium agitat,
Seseque turpe et suam dedecorat familiam.
Ille alter contra gravis, modestus, continens,
Et ad exemplum factus virtutis unice:
Solum agere, nemine uti familiariter,
Litteris mentem aut rebus piis intendere,
Exemplum ut potis suis esse aequalibus.
Verum quis credet? Fratri ob istoc ipsum

[odio est.
Qui postquam illecebras cadere sensit irritas
Ut ad sua vel nolentem studia adduceret,
Iurgio, convicio, maledicto, verberi

¹ Exit.

Nil parsit. Acceptus indignis innocens modis
In morbum nuper incidit: vix dum bene
Convaluit: hae sunt ipsi induciae datae.
Nunc autem quantum video eius constantiae
Labefactandae novae parantur machinae.
Haec ego tacitus improbo, atque adeo mihi
[non placent,
Ut servitutis huius faciant taedium.

Praesertim quod qui custos adolescentibus
A patre additus est, magister is sane bonus
Officiorum, sed officii immemor sui,
Maioris natu fratris licentiam probat,
Connivet callidus, aucupatur gratiam,
Dictis iuniorem factisque persecens malis.
Ista ut videam?

SCENA III.

BILINSKIUS, FULCIUS
BILINSKIUS

Fulci!

FULCIUS

Ecquis me?... (Lupus ut aiunt in fabula).
Bilinskium summum suum salute impertit
[Fulcius.
Scin'? Paullus hinc modo discessit iratus.

BILINSKIUS

Scio.

FULCIUS

Iratus admodum.

BILINSKIUS

Id quoque scio, nec miror: mihi etiam per-
[saepe irascitur;
Sed postquam bilem concoxit, supplex
[humilisque ad me venit,
Quippe intelligit quam strenuus eius cupidi-
tatibus adiutor siem.
Ceterum de fratre non ille iniuria conqueri-
[tur et dolet.

FULCIUS

Quamobrem?

BILINSKIUS

Nimium sane, ut tutem vides,
 Ab his, quae quidem adolescentiam decent,
 [abhorret moribus:
 Rustico natum patre dicas, et genere pror-
 [sus indignum suo.

FULCIUS

Velles, credo, probitatis omnis ut esset reti-
 [nens minus.

BILINSKIUS

Non equidem istuc: satis est si norit se trac-
 [tare nobilem
 Ut aequum est adolescentem in victu, cultu,
 [et consuetudine.

FULCIUS

Ille vero sic ingenio est: contemnit haec
 [vulgaria.

BILINSKIUS

Erras, Fulci: ingenio pervicaci utique est;
 [mei sed muneric
 Esse puto quidquid ille peccat corrigere.

FULCIUS

Id vere autumas.

BILINSKIUS

Et maiori itidem, uti convenit, obsequentem
 [fratri reddere.

FULCIUS

Hoc itidem probari potest, si modo fiat
 [recte atque ordine.

BILISKIUS

Fiet spero: nam studeo imprimis compluscu-
 [los illum dies
 Ab illis suis avertere praceptoribus...

FULCIUS

Au au, mi bone,
 Num vultis vos saevidicis, quibus antea, rur-
 [sum utier modis?

BILINSKIUS

Noli istuc in animum inducere.

FULCIUS

Verebar prope.

BILINSKIUS

Immo dum sinat
 Paulli indoles nimium praefervida, insidias
 [et dolos struam.

FULCIUS

Novi te peritum in hisce artibus.

BILINSKIUS

Aliquid certe effectum dabo
 Sed prius cum ipso colloqui animus est.

SCENA IV.

NAEVOLUS, FULCIUS, BILINSKIUS.

NAEVOLUS.

Tandem reperi...

FULCIUS.

Oh salve, Naevole.

NAEVALUS.

Etsi non moneas memini.

BILINSKIUS.

Ut superbe!

NAEVALUS.

Te iamdudum quaerito.

Herus te volt.

FULCIUS.

Men?

NAEVALUS.

Te, inquam.

FULCIUS.

Paullus?

NAEVALUS.

Scilicet:

Turbidus est: minus belle, puto, obdormivit
 [nocte proxuma.

FULCIUS.

Vult fortasse iterum irasci.

BILINSKIUS.

Adito.

(Ad proximum numerum).

prope.

nmo dum sinat
rvida, insidias
t dolos struam.

bus.

effectum dabo
animus est.

LINSKIUS.

eri...

salve, Naevole.

udum querito.


is?

Scilicet :
uto, obdormivit
nocte proxuma.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

103, edi-

n auctoris
ud ephebea

blici cursus

MAE col-
MCMXXVI,
us libella-
600, proummariam
requiren-
Via del
i sinit ut
possit.

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De doctrina Tertulliane libelli qui inscribitur "De corona",¹

Quicumque adhuc coronarum usum a primis Christianis reiectum attigerunt haud sane dubitarunt hoc in primis adfirmare, morem illum suam ab idolatria originem traxisse, ac me scilicet adsentientem ii omnes habebunt; sed non ita ut credam hanc unam Tertullianae illius indignationis causam fuisse; quin immo idolatriam, vere ut dicam, strictim ac tum praesertim Tertullianus attingit, cum, occasione abrepta, de mortuos coronandi apud ethnicos usu deque cultu consecrationis, quae secunda idolatria erat, sermonem instituit (*De Cor.*, X). Nonne autem multa ab eis proleta, ut Tertullianis verbis utar (*De Cor.*, VIII), quos saeculum deos credebat, tamen et in Christianorum usibus, et in

pristinorum sanctorum et in Dei rebus, et in ipso Christo deprehendi possunt? Atqui nullus in ea Tertulliani stomachus, quippe quae neque aliena a Christianorum disciplina, neque contraria viderentur; nam «dicimus - ait Tert. - ea demum et nostris et superioribus usibus et Dei rebus et ipsi Christo competisse, quae meras utilitates et certa subsidia et honesta solatia necessariis vitae humanae procurant, ut ab ipso Deo inspirata credantur, priore prospectore et instructore et oblectatore, si forte, hominis sui; quae vero hunc ordinem excesserunt, ea non convenire usibus nostris» (*De Cor.*, VIII, 16). - Quibus quidem ex verbis demum, ut opinor, erui potest prima Tertulliane fervoris causa et origo; immo vero studiosius hunc locum perlegenti facile persuasum erit, inexpiable illud coronarum odium cum Tertulliani ingenio ac moribus cumque Christianorum disciplina congruere. Brevi ut dicam, coronae scilicet, vivis floribus quomodocumque capiti nexae, rigidum, austерum Tertulliani in primis offendebant animum, utpote cum ornamenti tantum - minus ad honestatem modestiamque christianam accommodati - vice fungerentur, neque meras utilitates aut certa subsidia necessariis vitae humanae procurarent. Ornamentum dixi; et in memoriam nunc revoca, lector, Ter-

¹ Italica Officina Paraviana, post mortem clavisimi viri Caroli Pascal moderante Aloisio Castiglioni, recens suum corpus scriptorum latinorum resumpsit Tertullianum libellum «De corona» edendo, quem, ad fidem praecipue codicis Agobardini, recensuit, praefatus est, appendice critica criticisque annotationibus et indicibus instruxit Iosephus Marra. Humanitati editoris debemus hasce praefationis paginas, quae de doctrina ipsius libelli sunt, in ALMAM ROMAM referre; de quo amplissimas gratias habemus, dum auctori ex animo gratulamur.

tullianum ipsum duos conscripsisse *de cultu feminarum* libros, quibus cum id agat, ut intellegant Christiani frustra se curare et colere corpus, quod omnibus momentis pro Christo perditum velint aut velle debeat, tum etiam omne genus ornamenti non tantum non appetenda Christianis, verum etiam exsecranda hic illic demonstratur.

Quae cum ita sint, eius loci rationem intelligere poteris, in quo Septimus non modo coronis vivis floribus, sed etiam christiana innixus disciplina, quovis coronarum genere Christianis interdicit

«Et urgemur a communione naturalis disciplinae converti ad proprietatem christiana totam iam defendendam per ceteras quoque species coronarum, quae alii usibus prospectae videntur, ut aliis substantiis structae, ne, quia non ex floribus constant, quorum usum natura signavit, ut ipsa haec laurea militaris, non credantur admittere sectae interdictionem, quia evaserint naturae praescriptionem.»¹

Corona denique in numero erat - ex Tertulliani sententia - «irrationalium utensilium», neque aliud in capite, feminarum praesertim, erat nisi «formae lena, summae lasciviae nota, extrema negatio verecundiae, conflatio inlecebrae» (*De Cor.*, XIV). Accedit etiam quod coronam Christiani capite gestantes et «myrto et olea et inlustri aliqua fronde et centenariis quoque rosis de horto Midae lectis» innexam (*De Cor.*, XV), iniuria contumeliaque Christum affiebant, cuius tempora corona spinis tribulisque foedaverat. Ex quo suspicari licet Tertullianum Christianorum usui eam vindicasse Christi coronam, quae tamen nunquam in Dei rebus fuit, utpote cum *Romanorum militum fuerit commentum*, quamque *populus Dei nec publicae unquam laetitia nec*

*ingenitae luxuria nomine admisit (De Cor., IX); at, verum si loqui volumus, et hoc coronarum genus - ne reprehensionis fortasse ansam aliquam adversarii habent - Tertullianus damnasse videtur, qui maxvlt Christifideles in Christi conspectum sese nudo capite ostendant; quam ob rem, nulla interposita mora: «Serva Deo, Christiane, - pergit - rem suam (h. e. caput) intaminatam. Ille eam, si volet, coronabit. Immo et vult, denique invitat. Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitae» (*De Cor.*, XV).*

Quae cum ita sint, considera, lector, quam alienum, immo prorsus supervacuum sit in quaestionem vocare num Tertullianus usum unum damnaverit gestandi capite coronam, ceterisque coronarum usibus indulserit. Qua quidem de re Tertulliani studiosum quandam breviter disceptasse compri.¹ Sed haud prospere ei rem cessisse vel inde credo, quod, quae congesit argumenta ad sententiam confirmandam Tertullianum ceteris indulsisse coronarum usibus, ea vel omnia, vel pleraque ex scriptoris ipsius silentio tantummodo hausta esse videntur. Quod si animum parumper ad eos adverteris Tertulliani locos, quos afferit vir ille doctus, quibus eius sententia fulciri videatur, facile eum ex praeiudicata opinione ductum esse fateberis. Ut ut res se habet, hoc in primis mihi persuasum habeo Tertullianum quemvis damnaturum fuisse coronarum usum, nisi totum ad id, quod animo intenderat, perficiendum, sese convertisset, deque Christianis laureatis tantum disserere animum induxisset. His enim verbis rem suam circumscriptisse videtur: «At nunc quatinus et illud opponunt: Ubi autem prohibemur coronari? hanc magis locali substantiam causae praesentis aggrediar, ut et qui ex sollicitudine

¹ Legem commentarium qui inscribitur *Civitatis catholicæ*. Ser. XVII, vol. VII, 1899.

*ignorantiae quaerunt instruantur, et qui in defensionem delicti sc. coronarum usus) contendunt, revincantur, ipsi vel maxime Christiani laureati, quibus id solum quaestio est, etc.» (*De Cor.*, I).*

Ceterum ad singulos iuvat aggredi Tertulliani locos, ex quibus vir clarissimus adductus est ut ad eam, quam diximus, sententiam accederet. Ante omnia, quae adnotavit ille¹ in Tertulliani verba «miles... solus libero capite, coronamento in manu otioso, etc.» quid valeant nescio, quippe quae ne tantulum quidem viri docti sententiam confirmare videantur.

Nonne mecum, benigne lector, statues futurum fuisse ut ille miles coronam sane, nulla mora interposita, abiceret, ni quod eam manu tantummodo gestaret satis fuisse superque ad id, quod animo intendisset, plane perfecteque perficiendum? Ceterum consideranti vocem, quae est «otiosus», idem apud Tertullianum valere atque «inutile» seu «ineptum», nimis ad arbitrium efficta viri docti animadversio videbitur. Neque video scilicet quid ponderis sententiae afferant illius viri docti quae legimus verba in 42º Apolog.¹ capite: «nos coronam naribus novimus». Quem locum vir doctus ita illustrandum sibi facile persuasit: «Floribus igitur in formam innexis coronamenti Christiani quoque utebantur, ut nares suavi afficerent odore». Quidni? At confidebat sane Tertullianus adversarios omnes, non a communis sensus consuetudine abhorrentes, vel hoc sibi esse concessuros, minus profecto oportere ille flores adhiberet in coronae formam innexos, qui floris auram naribus haurire tantummodo vellet. Quam ob rem cum magna nimirum tum fides tum auctoritas illis adiungenda sit Ter-

¹ Verba in poculum crede referenda sunt ad morem illum, quo folia ex coronis decerpita, et in poculum coniecta una cum vino bibere solebant veteres, quod coronas bibere dicebatur.

coronae formam coniunctis, pariter uteris». In quo quidem illud est cognitione dignissimum, quod verba, quae sunt *condere - spargere - credere* nonnisi cum floribus liberis, solutis sane congruere possunt. Quam ob rem id potius concludamus licet, eversorem illum, quem diximus, coronarum, quemvis suo opere damnavisse coronarum usum, Christianorumque odio quodvis coronarum genus subiecisse.

Sed non ante praefari desinam, quam duo haec monuero, ante omnia alios quoque christianos scriptores eadem sensisse, de coronarum usu, atque Tertullianum, eosdemque quovis coronarum genere Christianis interdixisse, velut Minucium Felicem, Cyprianum, Clementem Alexandrinum; deinde non obliviscendum esse Ecclesiae disciplinam religionemque recentiorum temporum Christianis coronarum usum permisisse. Quod enim ad primam attinet animadversionem, ait Min. Felix in *Octavii* cap. 38: «*Quis autem ille qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus et rosam veris et lilyum et quidquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? His enim et sparsis utimur, mollibus ac solutis, et sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoscite: auram boni floris naribus ducere, non occipito capillisve solemus haurire*». Tum etiam Cyprianus *De Lapsis*: «*Ab impio sceleratoque velamine, quo illic velabantur, sacrificantium capita captiva, caput vestrum librum mansit. Frons cum signo dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronae se domini reservavit*». Quod autem ad coronarum usum pertinet recentiore permisum disciplina non absonum puto ea referre, quae adnotavit C. Sagittarius in locum quendam Clementis Alexandrini (*Paedag.*, lib. II, cap. 8): «*Clemens Alexandr., qui ob spineam Christi coronam Christianis omnibus coronarum usu interdicit, nimis videtur rigidus, cum*

abusu licitum etiam usum tollens. Sane religio Christiana coronas non tollit: imo vero ipsi Spiritui Sancto complacitus est florum decor et coronarum usus. Certe in Apocalypsi non modo quatuor et viginti senatoribus, sed et ipsi Christo aptatur corona, non illa spinea prompta e supellectile carnificum, sed victrix, triumphalis et gloriosa».¹

JOSEPHUS MARRA.

De disciplinis pueris traditis apud Romanos

Indignor legens apud plerosque Romani initia temporis quavis penitus institutione caruisse, haud aliter ac si Romuli urbs, quae ab ipsis exordiis imperium totius orbis aperte affectabat, non hominum, non virorum conventus, sed quasi pecudum armentorumque ovile, nisi potius intratibium cubile ferarum haberetur. At haec quanam de urbe narrantur? Nempe de ea, in qua providae rectorum mentes sanctissimis prudentissimisque legibus caverant, ut singula conspirarent in civitatis iubar et incrementum, collegia religionibus addicta quamplurima constituerant, ac delicatissimum iussum dederant, quod quidem egregiae urbanitatis argumentum est, ut occursanti romanae feminae vir dexterum viae cederet latus. Et quonam in tempore? In eo quidem, de quo Tullius scribit: «*Inveteratis iam litteris et disciplinis Romuli aetatem venisse scimus*». Et quonam in regione? Scilicet in ea,

¹ C. SAGITTARIUS, *Harmonia Passionis Iesu Christi* (Lips. ed. I Gross et Soc., Ienae impr. typis Nisan). Part. II, § 321.

quae Sabinos, quae Etruscos finitos habebat, unde pontifices, augures, salios ceteraque sacerdotia, annum in duodecim menses distributum, fastos nefastosque dies hausit, fasces, trabeas, curules, annulos, phaleras, paludamenta, praetextas, pictasque togas, tunicasque palmatas, omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas emineret. Numquid Urbis ipsius aedificia, curiam, Capitolinam arcem, templaque Statoris Iovis ceterorumque deorum, et illud, quod adhuc durat, maximae cloacae portentum rudes facere potuissent homines atque imperiti? Quid ea quibus Roma ingens domi militiaeque facta quotannis, quotidie crevit?

Haec non verborum testimonia sunt, sed testimonia factorum, quibus necessum est supponere causas, quibus populus late rex sua domi iura tuebatur, quum extra amicis populis suppeditaret subsidium, inimicis vel proditoribus bellum intra ius fasque inferebat, nec ad internecionem, nisi lacesitus ad ultima usque, saeviebat. Quinimo scimus divitibus patriciisque Romanis in more fuisse liberos in Etruriam dimittere, ut optimis disciplinis imbuerentur; magna enim sapientiae laus et fama Etruscis fuit.

At quonam initio pueros disciplina docebat? Quonam adolescentulos ad graviora evehebat? Quo peracto stadio satis eruditii habebantur?

Ut hisce respondeamus, tres, ut ita dicam, divisiones aetatis imbuendae distinguere et enucleare debemus, quae tamen ita temperandae sunt, ut indoli Romanorum apprime convenient, ac temporis lamque hic ponimus in ipso limine maximi fuisse apud eos robur corporis, ideoque ubi adolescentibus ea esset aetas, qua vires exercere in Campo Martio et palaestra potuissent, tantum studiis dabatur, quantum viribus non officeret exercendis, ac tantum dabatur exserendis augendisque viribus, quantum studiis disciplinisque,

quibus erudiendi essent, non noceret.¹ Haec autem studia, supervacaneis quibuslibet amandatis, dividebantur in ea, quae bonum patrem familias, quae callidum ducem terra marique decerent, quae oratori denique praesto essent sive in curia, sive coram iudicibus, sive coram militibus, sive coram populo aliquid ageret. Communem autem hisce arithmeticam colebant. Publici vero ludi, publicae scholae, in quas pueri confluenter, ut mos nunc est, Romae exstisset non videntur, aut si extiterint, certa ad nos nondum notitia pervenit. Dixi «nondum»; quia sive lapis, sive opus inscriptum emicare potest, quo minus tempore remur, et audaciam superbae affirmationis evertere. Hoc unum scimus, singulos patres familiarum de liberis instituendis curare, sive singuli singulis praceptoribus darentur, sive praceptoribus plures, qui collata stipe rependerent.² Studia vero quibus alebantur primum, circa legendi scribendique artes versabantur; et, si Cornelio Nepoti credimus, non mediocriter incumbebant, ut eleganter pronuntiarentur ea, quae dicebantur latine, cuius quidem rei testis est in tertio *De oratore* Cicero, qui monet quo delicato sensu latinitatis et enunciationis Romani uterentur, ita ut quodcumque aut asperum, aut hiulcum, aut patulum, aut hians, aut blaesum, aut peregrinum, aut rusticum, aut horridum aegre in oratoribus ferrent, passim autem in sermone domestico repudiarent.

Profecto ab initio nihil de graeca lingua actum est, sed latinae tantummodo vacabant; fortasse et in affinem etruscam. Tum

¹ *Romanis solemne viris opus, utile famae Vitaeque et membris; praesertim cum valeas et Vel cursu superare canem, vel viribus aprum Possit.*

(HORAT., *Epist.*, lib. I, 18). — Quae fusius enumerat vers. seq. — Cfr. etiam *Sat.*, lib. I, 25-26.

² Pulcre rem expedit HORATIUS idem in *Sat.*, lib. I, 6; vv. 71-78.

primum de graeca coeptum, ubi Graecae coloniae sive e Sicilia, sive e Lucania in Romanam rempublicam negotiis, finibus contentionibusque inciderunt. Atque ex hinc illa grammaticorum sequentium quaestio, utrum institutio puerorum a latino potius vel a graeco sermone inchoaretur. Post hac, pone tamen, arithmeticā disciplinā sequebatur, quae, meo iudicio, non nihil difficultatis praeserferre solebat, non suapte, sed notarum causa. Quod enim nunc, dispositis ad modum columnulae notis, facilime habemus, qui proprio in ordine monadas, decadas, ecatontadas, milia et miriadas habemus, aegre, immo nullo negotio possemus summam confidere, si modum eundem romanis characteribus sequeremur.

Et si haec in addendo, quid in deducendo, quid in multiplicando, quid in dividendo? Horatius noster, etsi festivus et facetus, ut semper, asperam tamen huiusmodi numerationis et computi semitam confitetur.¹

At difficultatem difficultatibus addebat ratio ipsa numerorum duplex: nam, dum romani numeri per notas X. C. M. gradirentur, pecunia, libra, mensura per duodecim gradiebantur, ita ut pessum dato et subverso penitus ordine, in numeris XII, XXIV, XXXVI, XLVIII, LX... CXX... CXLIV capita computandi haberentur.²

Utebantur ad computum insuper quibusdam cautionibus, in quibus formulae multiplicationis, deductionis et divisionis continebantur. Has pueri in scholis memoriae mandabant, ut rem familiarem vel publicam, mercaturam, aut huiusmodi negotia administrantibus praesto essent. Utebantur tabula pythagorea, prouti nostri, et praeterea modum summae ac multiplica-

tionis per digitos enunciandum habebant, qui adhuc, praesertim apud villicos in quibusdam Italiae regionibus, in more est, et certo praefixo numero decadum dextro brachio, monadum sinistro, levi negotio eodemque brevi, vel obscuriora ostendebant, ita ut senior Plinius memoriae tradiderit hunc ritum a sculptoribus romanis adhibitum in statuis dolandis, quippe viri, qui simulacro reprezentabantur, digitis porrectis aetatem dicentes suam.

Quum autem omnia non reipublicae institutis, sed arbitrio docentium administrarentur, in disciplinis hisce tradendis, patet nullos esse libros communes et exemplares, quibus conformarentur singuli, sed omnia ad praceptorum voluntatem libitumque confici.

Haec dixisse sufficiat de prima puerorum institutione apud Romanos; namque ultra progredi res hactenus notae non sinunt.

G. P.

AESTHETICAE NOTAE

De pictura.¹

II.

Non immerito cogitare possumus hominem, ut sibi praesentem semper haberet imaginem parentum vel amicorum, sive absentium, sive mortuorum, delineationis artem creasse, et postmodum colores delineatis signis superduxisse. Sed picturae initia admodum sunt incerta; eius tamen vestigia apud antiquissimos populos inventa sunt; eaque rudia et *monochroma*.

Apud Aegyptios, Indos, Persas, Hebreos, pictura ut plurimum fuit per ambages efficta, et religiosa; adhibuit mar-

¹ De arte poetica, vers. 325 et seq.

² Cfr. I. DELLA MARTINA apud Gallicum commentarium *Revue des cours et conférences*, mens. Aprilis MCMI.

¹ Cf. fasc. sup.

mora, vasa, papyros. Etiam antiqui Etrusci picturam coluere, ut monumenta testantur.

Sed ex omnibus populis palmam praeripiuit Graecia, ubi pictura summam perfectionem consequuta est. Plinius (*Hist. nat.* XXXV, 32) asserit: « Quatuor coloribus solis immortalia illa opera fecere, ex albis melino, ex silaceis attico, ex rubris sionipide pontica, ex nigris atramento, Apelles, Aetion, Melanthius, Nicomachus, clarissimi pictores ». Et pariter Cicero (*Brutus*, 18): « In pictura Zeuxim et Polygnotum et Timanthen et eorum qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus, formas et linea menta laudamus: at in Aetione, Nicomacho, Protogene, Apelle iam perfecta sunt omnia ».

Hisce nominibus addi debent Cleophan tes, qui, teste Plinio (III, 5), primus fuit Graeciae pictor (c. DCLX ante C.); Parrhasius, Zeuxis aemulator (c. CCCXX a. C.), aliique.

Romani in pictura longe Graecis inferiores evasere: ut celebriora nomina Fabius Pictor, Turpilius, Pedices, Ludius. Romanorum tabulae graecam imitationem praeseferunt. Horatius recte scribit:

*Graecia capta, ferum victorem coepit et Artes
Intulit agresti Latio...*

Romani enim plus rebus militaribus, quam artibus addicti fuerunt.

Pictura vixit apud primos Christianos in cryptis et catacumbis: fuit simplex, sed magnopere expressa et eximium characterem religiosum fere unice commonstravit. ¹ Palam venit una cum Christianis Constantini tempore, et viguit praesertim apud Orientales usque ad aetatem Leonis Isaurici. Tunc, vero, orta haeresi Iconoclastorum, picturae quamplurimae, tum sacrae tum profanae, destructae fuere. Tabulae superstites in Occidentem deportatae, influxum in artem occidentalium exercuere.

¹ Cfr. WILPERT, *Roma Sotterranea. Le pitture delle Catacombe Romane*, Roma.

Haec forma, *byzantina* appellata, sat debilis et imperfecta usque ad finem mediæ, quod dicimus, aevi perduravit. In musivo opere excelluit.

Attamen a *byzantina* schola iam pictura se subtrahere coepit saec. XIII, praesertim in Etruria, ingenio et studio Giuntae Pisani, Guidi Senensis, Bonaventuræ Berlinghieri, et Margaritonis Aretini. Deinceps pictura in dies floruit, et fere omnes Italiae provinciae propriam scholam insti tuerunt.¹

Cimabue (1240 † 1302), Giotto (1276 † 1336), Ioannes Faesulanus, B. Angelicus, (1387 † 1445), Thomas Guidi Masaccio (1401 † 1443), Leonardus de Vinci (1452 † 1519), Michaëlangelus Buonarroti (1475 † 1564), *Scholæ florentinae* conditores, aut magistri exstitere, quae multos in posterum assēclas nacta est, quorum nomina longum est recensere. Haec schola preeminent delinea tione, sed etiam coloribus laudatur.

Schola Senensis saec. XIII initia habuit; floruit saec. XV et occidit, quum a Cosimo I De Medicis ann. 1555 Senarum urbs in servitatem redacta est. Haec schola *laeta dicta* fuit; colorum enim praesertim vivacitate plurimum spectatores laetificat.

Schola Romana complectitur auctores, qui ortum duxere in Latio, Sabina, Umbria, Piceno et in territorio Urbinati. Pariter saec. XIII orta est. Princeps huius scholæ est Raphaël Sanctius, urbina (1483 † 1520), qui eximius inter pictores omnes merito habetur: primatum enim tulit in delineatione simul et colore. Peculiariter digni sunt memoria Petrus Perusinus et Julius Romanus, prior magister, alter discipulus Urbinatis.

Schola Neapolitana-Sicula originem directe e Graecia duxit. Adservantur antiquissima et insignia vestigia huius scholæ; sed suam nobilitatem amisit. Saec. XIV

¹ Picturae accenseri debent omnia opera accessoria vel minima, quae tamen coloribus exprimantur.

renata est, ac praeeminet vivacitate colorum. Saec. xvi laudabiliter Romanam imitata est artem. Princeps huius scholae fuit Salvator Rosa (1615 † 1673).

Schola Veneta prodiit saec. xiv, et saec. xv maximam obtinuit perfectionem ob peritiam Giorgionis (1477 † 1511) et Titiani (1477 † 1576). Haec schola superior omnibus est colorum elegantia.

Ne plura dicamus, Mantegna (1431 † 1506) fuit princeps Scholae Mantuanæ; Antonius Allegri (Correggio), (1494 † 1534) Scholae Mutinensis. Fuere insuper inferioris nominis scholae.

Interdum, inito saec. xv (ann. 1428), Ioannes Burges, Van-Eyck, adinvenit, seu melius *rationem* diffudit *pingendi per oleum*, et exinde apud cultiores populos *Picturae Scholae* institutae sunt. Celebriora nomina referimus.

Apud Hispanos - Ribera, Zurbaran, Alphonsus Cano, Velasquez, Herrera, Silva, E. Murillo.

Apud Gallos - Ioannes Cousin, Claudius Lorrain, N. Poussin, Le Brun, Magnard, Ludovicus Boulogne, Louvenet, Lesueur, Veni, Regnault, David, Girodet, Prudhon, Gérard, Gros, Vernet, Guérin, Gericault, Ingres, Delaroche, Scheffer, Gudin.

Apud Belgas et Batavos - Van Eyck, Vander Helo, Rubens, Van Dyck, Jacobus Iordaens, Wouwermans, Van der Meulen, Berghe, Temérs, I. Steen, Ruisdaël, Paulus Potter, Backhuysen, Van den Velde, Rembrandt, Van de Heltz, Gérard Douw, Necher, Metzut, Overbeeck, Terburg, Van Huysum, Van Spandonck, Van Brec, Navez, Verboeckhoven.¹

Apud Germanos - Albertus Durer, Lucas Kranach, Hobbein, Cornelio, Schonorr,

Kaulbach, Hess, inter quos clarissimus Mengs († 1779).

Apud Anglos - Reynolds, Weist, Lawrence, Wilkie, Stanfield, Turner, Smircke.

Saeculo xvii pictura universam culturæ corruptionem passa est. Saeculo xix *schola Classicismi* pene obsolevit; postea *schola Romanticismi* sequuta est. Sed de pictoribus nostrorum dierum omne iudicium omittimus. Votum tamen ex animo proferimus, ut surgant pictores, qui possint auctores *Iudicii universalis* et *Transfigurationis* aemulari.¹

G. LEPORE.

DE SANCTO AMBROSIO

MEDIOLANENSIMUM EPISCOPO

Ad hunc praeclarum hominem libenter accedo, eumque maxime laudandum esse praedicabo, eo potissimum nomine, quod, domo et gente Romanus, mirabile Romani populi ingenium in omnibus protulit. Ipse, ex communi eruditorum sententia, principem locum inter oratores facile obtinuit tum ob ingenii celeritatem, quod acerrimum ac docile est nactus, tum ob domesticam patris disciplinam, in qua haud poenitendos fructus adolescentulus percepit.

Verum quod Treviris in Galliis natum esse perhibent, anno christiano tercen-

¹ Mira adinventio nostræ aetatis est *ars photographica*. Photographia pergrandis est utilitas ad humaniora studia, praesertim vero ad « artes plasticas ». Quidquid lucidum caelo, terra, marique, sive in quiete permanet, sive motu quamvis celerrimo ruit, photographia adamassim exprimit. Ipsam oculorum aciem exsuperans, minima quaque attingit, et contemplationi subiicit. Photographia non tantum mechanica, verum etiam ars pulchra est dicenda. Propius vero picturae accedit. - Cfr. *Estétique de la Photographie*. - Photoclub de Paris, 1900.

tesimo et quadragesimo, ubi pater eius Galliarum praefecturam obtinebat, Gallici scriptores, gloriola quadam adlecti, hunc suum præ ceteris, et temere omnino atque falso adtribuunt. Perperam vero atque inepte; namque, non modo, mortuo patre, Romanum illico contendit; sed saepius in scriptis Romanum se esse praedicat, et multas Romanorum civium gentes sibi parentes profitetur.

Reapse optime illum Romanum exhibent, tum primum purum eloquii genus, quod identidem in scribendo usurpat, tum dein nobilis quaedam verborum sententiarumque abundantia, quae patricium maxime addecet; tum denique auctoritas atque maiestas, quae in omnibus tanta inest, ut ab eo dissentire pudeat.

Eadem hac aetate complures iam homines existunt, qui Christiana sapientia imbuti, ad litteras animum adiunxerunt, et primas facile retulerunt.

Iuvat enim in medium referre haec gravissima Sancti Augustini verba: « Nonne aspicimus, quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Ut de vivis taceam, quanto innumerabiliores Graecis! »

In Urbe maxime celerabatur Victorinus, summus litterarum doctor, ad cuius scholam omnis Romana pubes, quae ad supra reipublicae munera capessenda tenderet, frequens disciplinæ causa, adfluere consuevit.

Sed anno ccclxix, consulari dignitate atque iudicis auctoritate exornatus, Aemiliae, Insubriae atque Liguriae praefectus, Mediolanum, sedem magistratus sui, Ambrosius se contulit. Laudes, quibus Tacitus Agricolam consulem in Britaniam praefectum, posteris tradidit et commendare studuit, graphicè ei accommodare non dubitabo: « Sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excel-

saeque gloriae vehementius quam caute adpetebat. Mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum ».¹

In hac tam nobili tamque frequente civitate omnium animos brevi ita sibi benigno alloquo et familiari consuetudine, iustitia quoque et humanitate devinxit, ut mortuo Auxentio, praefecto suffectus fuerit. Ipse enim non leviter, more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, sed quamquam nondum sacro ablatus baptismate, ita sanctissimis moribus et consilio enituit, ut omnibus mirum in modum se se aptissimum comprobaret. Non equidem segniter ad voluptates et commeatus munus retulit; sed noscere provinciam, nosci et exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil adpetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. Uno verbo, ita se in omnibus optime gessit, ut cum maximis eum protinus coaequarent.

Ad haec, cohorta in urbe seditione, ob mortem Episcopi, parem atroci tempori animum in promptu habuit, et Arianis, rerum novarum cupidis, civitati perniciem molientibus, audacter obstitit, et populum de successore deligendo dissidentem miti ingenio est allocutus, omniaque ad concordiam perduxit. Namque Ambrosius pro munere suo ecclesiam ingressus, et pacatis verbis dissidentes ad se convertit et divinitus propemodum animorum commotionem compescuit sibique devinxit: dum repente puer Ambrosium Episcopum salutat, et universi populi vox erumpit et Ambrosium Episcopum depositit:

Paem inter se conciliant, conféruntque concordiam.

Verum, magna animi potentia, nunc prece, nunc auctoritate honorem recusat, eorumque precibus resistit, et praefectum se esse praedicat, et permansurum esse totis viribus minitatur.

¹ De Vita et moribus T. Agricolae, IV.

Colloquia varia eademque familiaria latine composita

III. lentaculum.

Ad horam circiter decimam ante meridiem, uti constat apud omnes, in diversoriis prima mensa parari solet. Hic olim et apud veteres Romanos usus erat, ut antequam ad forum accederet quisque ad munera sua agenda, cibum leviter sumeret, ut ieunium aliquomodo solveret. Haec prima mensa *prandium* vulgo appellari consuevit.

Sub vesperum autem, quum magni illi orbis domini, rebus publicis absolutis, dominum revertebantur, curis expediti et sibi unice inservientes et domui, coenabant.

Hanc vero, cibis omnibus exquisitissimis refertam, dubiam aliquando appellabant gaudentes.

Quem usum adhibuerunt postea Barbari, atque in suam regionem translatum, nobis tandem restituerunt, honorem nominis sibi retinentes, ut suam tamquam consuetudinem nobis superbe permetterent.

Sic enim passim audias gallicum hunc ordinem ab Italibus ipsis appellari.

Uno verbo, brevis haec mensa, ex more Gallorum, *dejunē* dicitur; aliquando *lentaculum cum furcella*, quoniam, praeter *capheti* - quo nomine Arābicām potionem vulgo appellamus - cum lacte poculum, fertur et caro antea cocta et frigida, et assum ac salsa menta, aliaque id genus complura.

Sic, ad mensam dulciter vocatus, alacer accedes et manu veluti ductus ad locum liberum cum perveneris:

- Hic sede - audies - et libens comedē.

Ipse vicinis tuis comiter subridebis atque tacitus expectabis.

Tabula est communis, et hinc inde multi clamosi adveniunt et familiater in sella sua assidunt. Magnus interea fit convitantum

rumor, et sua quisque proximo curiosiora exponit.

Tu timidus vicem tuam opperieris, attentis oculis circumspiciens. En tandem puer ad latera tua dicens:

- Quid tibi placet? Ecce in ferculo est *lucanica*, quam Bononiae industria invexit. Est enim sapide itemque gustui suavisima, et ad famem excitandam valde apta.

- Novi optime - responde. - Et apud nos cognoscitur, et omnes eam rigidioris gustus viri maxima cum voluptate aestimant, et in primis mensis honorant.

Paulo post idem puer adest, et hilari vultu te bellissime compellit:

- Hoc est optimum assum vitulinum, in quo parando primas semper coquus omnium iudicio ferre consuevit. Opportune semper hoc advenit!

Postea circumferuntur mala, persica, pyra... et tandem illud *caphetum*, quod callens omnino esse debet atque nigerimum. Eius fragrantia, veluti e rosarum copia odor, cum fumo passim expanditur, et alacer quisque, vel labiorum periculo, calidissimum absorbet.

Saepissime et novissima illa potio confertur, quae Anglis acceptissima *Thea* appellatur. Vide autem ne sumere obliiscaris et frustula suavissima, quae nos *dulcia* generatim dicere consuevimus.

Post improbum hunc laborem omnes aliquantis per in cubiculo conquiescere solent.

Verum in tempore ad mentem mihi venit, varia hic esse quoque liquorum genera; sed in primis vina illa celeberrima, quae ex circumstantibus Romanorum castris in Urbem afferuntur.

Tunc demum antequam universi hinc inde dilabuntur, ad supremam prandii partem est per ventum, in qua virilis sexus maxime olim dominabatur; hodie vero, sic ferentibus satis, altera quoque generis humani pars, quae delicatior credebatur, et in hac re aliquem sibi honorem usurpare praesumit.

Re enim vera, omnes, veluti ex composite, ex vestium sacris capsulam quamdam elegantiores, ex corio potissimum et varie compositam detrahunt, ubi bacilli ii custodiuntur, quos *cigarros* Hispani primi nuncuparunt.

Sunt hi bacilli ex foliis tabaci, arte quadam confectis atque involutis; qui quum in altera parte igni acceduntur, spiritum trahunt et, inter suavissimam fumi nubeculam, fragrantiam. Novissime maximi in Italia aestimantur, qui in Florentiae officinis conficiuntur, atque adeo *Tuscanici* advocantur; apud exterios qui in Havana.

Ludus hic, veteribus omnino absconditus, atque ab America profectus, in universum terrarum orbem ingressus in immensum crevit ac publicis aerariis in primis factus est utilis.

Qui usus vero, passim et vitium merito dictus, nostris diebus et foemineum sextum invadit. Quae tempora! Qui mores! Hae vero potissimum, magna cum voluptate, sumum ex *fistulis*, hauriunt, quibus ex Hispania pariter vulgo factum est nomen (*Hispanica* enim haec fistula dicitur) compositis e foliis carthae tritum tabacum apte involventibus. Singulæ paucis centesimis prostant, et rapide consumuntur. Vere

*Haec est mortalis vitae certissima imago;
Funus qut transit, sed manet ipse cinis.*

I. B. FRANCESIA

ANNALES

Nationum societas.

Genevae Societatis Nationum supremum concilium est iterum congregatum, apud quod Polonorum legatus rogavit ut infestorum bellorum interdictio sollemnis a Societate ipsa decerneretur. Quae stione instituta, cuius summa tandem esset arbitratus ad discrimen quodvis solven-

dum aptus, fuse ad rem enucleandam loquuti sunt et Scialoia, Italorum legatus, qui rem nimis ante tempus propositam asseruit, et Briandus Gallorum, qui hymnum universae paci cecinisse tantum vius est; Chamberlainus denique Anglus, qui fidem suam in futura omnium populorum pace affirmavit, sed Italici legati menti proprius accedens, infesta bella est quidem deprecatus; eam vero esse adhuc Nationum Societatis vim contendit, quae impar rogatae legi ferendae esset. Itaque mentio tantum in arguento rata est.

Quae a legatis Italo atque Anglo enunciata sunt vera quidem esse, in ipso hoc conventu apparuit. Controversiam enim exortam inter Rumenos et Hungaros de sarcendis damnis Hungaricis dominis allatis in agris intra fines Rumerorum ex pacis pactionibus nunc inclusos, Rumeni Nationum Societati explanandam detulere. Obsttit vehementer Hungaria, impetravitque ut Hagensi Curiae definienda transmitteretur.

Denique nova concilii membra ad tempus creata sunt.

Delectio in Cubanam, Finlandensem et Canadensem civitatem cessit.

**

Discrimen inter Galliam et Russiam.

Discrimini inter Anglicum et Russicum gubernium exortum, de quo alias mentionem fecimus, alterum nuper accessit Russici ipsius gubernii cum Gallico.

Rokowskius enim, Russorum apud Gallos legatus, non dubitavit edicto cuidam a «Communistarum» factione universo orbi emiso imprudenter subscribere. Inde congruentes Gallorum irae atque protestationes, quae remotionem legati saltem obtinebunt.

Cui eo facilius accessurum credimus Russorum gubernium, quod Rakowskius,

falso eidem affirmaverit sese de redimendis Russicis apud Gallos debitibus certas rationes convenisse, dum navis, contra, adhuc in alto navigat.

Bellici ignes.

Effusa bellī civilis flamma in Sinis et apud Mexicanam civitatem misero fato etiamnunc heu! reluet.

POPULICOLA.

VARIA

Italorum Gallorumque certamen ad Bardulos.¹

Quum (anno MDIII) de nonnullis militibus, qui Rubosii capti fuerant, redimendis praeco Bardulos venisset, a nonnullis Italis gravis armaturae equitibus quaedam in Gallos dicta fuere; quae quum a praecone in Gallorum castris relata essent, vicissimque ab illis esset Italis responsum, sic utrinque animi accensi sunt, ut ad suae utriusque gentis honorem tuendum, tredecim Galli et totidem Itali gravis armaturae equites, tuto in loco, ad extremum usque spiritum inter se ferro decernerent, conventum sit: locus ad pugnam in patenti planicie inter Bardulos, Andriam et Quadratum constitutus; quem ad locum, certo militum numero comitante, utrique venirent. Tamen ut insidiae abessent, utriusque gentis imperator cum maxima exercitus parte suos ad medium iter deduxit; atque dum proficiscuntur, hortatur, ut quum ex omni exercitu selecti essent, animo et factis conceptae expectationi, responderent, quae talis esset, ut in eorum manibus et virtute, communi omnium

consensu, nobilissimarum nationum honos positus esset. Gallus prorex suos monebat hos eosdem Italos esse, qui Gallicum nomen sustinere non ausi, quotiescumque ab Alpibus ad extremam usque Italiae oram cucurrisse, nullo unquam suae virtutis facto periculo, semper ipsis cesserent, quos ne nunc quidem nova animi generosi magnitudo aut virtus excitaret, sed quum Hispanorum stipendiis militarent, eorumque imperio subiecti essent, illorum voluntati repugnare non potuisse: qui non virtute, sed fraude et insidiis pugnare assueta, libenter alienorum periculorum otiosi spectatores essent; sed quum primum Itali in arenam adducti essent, eorum a quibus semper percussi fuerant, armis et ferocitate ex adverso conspectis, ad timorem consuetum reversos, vel pugnare non ausuros, vel timide pugnantes facilem ipsis praedam futuros, quum adversus victorum ferrum, Hispanorum vanis iactabundisque verbis nixum fundementum minime idoneus clypeus sit.

Italos vicissim Consalus non minus pungentibus aculeis incitabat: pristinos gentis honores et armorum gloriam, quibus olim orbem terrarum domuissent commemorat; esse nunc in horum paucorum, qui a maiorum suorum virtute minime degeneres essent, potestate positum; cunctis mortalibus patefacere, si Italia cunctarum gentium vietrix, a paucis annis exterritorum incursiones passa erat, eius rei non aliam quam suorum principum impudentiam causam fuisse, qui ambitione interesse diffidentes, ut se invicem deprimerent externa arma accersissent. Gallos nullam in Italia victoram vera virtute adeptos, sed vel Italorum consilio, vel armis adiutos, vel tormentorum fulminibus censem fuisse, quorum terrorem, quod ea res nova in Italia esset, non illorum virtutis metum, viam illis patefecisse: iam oblatam esse occasionem coram praecipuis Christiani orbis gentibus, totque suae

nationis nobilissimis viris, qui ab utraque parte, summopere ipsorum victoriam exoptarent, ad tam illustre spectaculum animis oculisque conversis, ferro et propria virtute dimicandi; meminissent se omnes apud totius Italiae celeberrimos duces educatos, perpetuoque in armis vixisse, et variis in locis singulos praeclaras virtutis documenta dedisse. Itaque aut ipsis palam Itali nominis in eam gloriam, in qua non modo maiorum suorum temporibus fuerat, verum etiam ipsimet vidissent, reponendi a caelitibus datam, aut si tantum decus istis manibus obtineri non posset, Italiam alio in statu quam ignominiosae perpetuaeque servitutis futuram, desperandum penitus esse.

Nec minus vehementes erant reliquorum utriusque exercitus ducum ac militum stimuli, quibus ut sibi ipsi similes essent, et propria virtute gentis sua gloriari et splendorem extollerent, singulos accendeant.

His adortantium vocibus in campum deducti, animo ardoreque pleni, in diversa septi parte utriusque constitere. Datur signum: infestis hastis velut acies ternideni equites concurrunt; quo in concursu quum nullus superior existisset, magno animo atque impetu aliis sumptis armis, singuli virtutem suam, omnibus spectatoribus ex utroque exercitu tacite confitentibus, ad tam illustre certamen nec magis strenuos, nec magis dignos milites eligi potuisse, egregie ostenderunt.

Sed quum iam minime parvo temporis intervallo pugnatum, et solum multis armorum frustis plurimorumque utrinque vulneratorum sanguine tectum, et adhuc anceps proelii eventus esset, spectantibus magno silentio, nec fere minore, quam ipsimet, animi angore atque sollicitudine intuentibus, accidit ut Guilelmus Albimontius italicus, ab uno Gallorum equo deiicetur; dumque Gallus ferociter, ut eum interficiat, equo in eum incurrit, Franciscus

Salomonius, ad socii periculum accurrens, Gallum, qui ad Albimontium opprimentum intentus sibi ipse ab illo non cavebat, ingenti vulnere interficit; mox una cum Albimontio et Miale, qui saucius humi iacebat, erectis, venabulis quae in hunc finem attulerant correptis, plerosque hostium equos confodere.

Quare Galli iam inferiores facti, singuli a singulis omnes ab Italibus capti fuere, qui magna a suis laetitia recepti, postea Consalvum, qui illos ad medium itineris spatium exspectabat, obvium habuerunt, a quo incredibili plausu atque honore cunctis illis tamquam Italicae gloriae assortoribus gratias agentibus, accepti, ac triumphantium more captivos prae se ducentes, tubarum atque tympanorum sonitu, tormentorum tonitruis militaribusque acclamacionibus caelo reboante, Bardulos ingressi sunt: vere digni viri, quorum nomina ab Italibus omnibus posteriorum memoriae litterarum monumentis commendentur. Fuerunt autem hi: Hector Feramusca capuanus, Ioannes Capoccius, Ioannes Bracalo et Hector Iuvenalis romani, Marcus Carrarius neapolitanus, Marianus sarnensis, Romanellus foroliviensis, Ludovicus Aminalis terniensis, Franciscus Salamonius et Gulielmus Albimontius siculi, Mialis troianus, et Riccius atque Tanfulla parmenses, omnes in armis aut sub Aragoniis regibus aut sub Columniis educati.

Est autem incredibile quantum hic conflictus Gallici exercitus animum depresso, et, contra, Hispanici auxerit, utrisque ex hoc paucorum experimento totius belli fortunam exitumque praesagientibus.

Villicus eiusque filii discordes.¹

Filos discordes monebat villicus pater, qui, postquam vana verba iactavit ut illos corrigeret, factum adiecit. Convocatis omni-

¹ Ex Italiae historiae FRANCISCI GUICCIARDINI lib. V. Latine vertit I. P.

¹ Italice exaravit NICOLAUS TOMASSEUS.

bus imperavit ut virgas afferrent; allatas in fascem redegit, quem mox filii praecipit singulis ut frangerent. Quod quum frustra conati essent, pater soluti fascis virgas singulas singulis frangendas dedit; quod nullo negotio illi fecerunt. Tum pater: «Sic vos concordes hostis neque vincere, neque domare poterit; discordes vero et contendentes fraude aut vi facile superabat».

**

Noctua et aves.

Venientes nonnullae aves ad noctuam rogaverunt ut, relictis tectis domorum, in viridibus arborum ramis, ipsarum more, nidificaret, unde clarior dulciorque cantus evadit. Succrescentem prope querum ei ostenderunt, quae locum adulta opacaret. Noctua deprecabatur ne sedem ponerent in arbore viscum gignente alitibus funestum. Verumtamen aves, eius consilium aspernatae, in queru cantantes consederunt. Viscum natum anceps collegit, quo plerasque est venatus. Tunc, mutato consilio, noctuae prudentiam laudibus extulerunt.

**

Pro iudicibus mensarum elegan-
tibus.

MENSES ORDO:

*Lixulae ex solanis tuberosis, Romano more.**Bos caeparum latice obrutus.**Artocreas ex faselulis.**Turdi assi igni, in crustulis compositi.**Lac mellitum cum castaneis tostis.**Poma recentia.*

**

Iocosa.

Magister Tuccius:

— Quanam anni tempore natura pulchrior videtur?

Tuccius : — Feriarum tempore.

¹ Italice exaravit NICOLAUS TOMASSEUS.

Tuccius gloriose mentitur se Venetas visitasse. Tum ex circumstantibus quidam:
— Vidisti igitur Sancti Marci leonem ...
— Certe! Atque ipso illo tempore quum ei cibus apponebatur!

Aenigmata.

I.

Primos deme prius, si vis reperi secundos,
Postremosque legas medio variante priorum;

A crescat matremque invenit: patris alma co-
[rona est;
O fit saepe salus nautis luctantibus undis.
A tibi stanti sive moventi salvus adesto!
O sol aureus exit equis inventus et horis.
A manibus divis contenditur arcitentis;
O Superos nisi flectere quis, Acheronte mo-
[vebit.

II.

1) Vocalem resonō; 2) me circuit aequo-
[ris acta;
1+2) Sum cicur et patiens auxiliorque tibi.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Rana, Ravana;*
2) *Cicer-o.*

***********Libera a pittaciis responsa.****C**l. viris E. Io. ... et A. HAB. ... — Undenam diuturnum silentium vestrum?**C**l. v. CAES. MAMB..., *Mediolani*. — Accepimus, tibique amplissimas gratias referimus.**C**l. v. ADALB. GIAR..., *Panormi*. — Li-
bros non mittimus, nisi prius eorum pre-
mium solutum fuerit.**C**l. v. PET. BRO..., *Philadelphiae* —
Duorum annorum subnotationis pretium
debes, quod ab humanitate tua, uti pro-
mittis, exspectamus.**C**l. v. Ios. FREI..., *Berolini*. — Papae!
Haud nugas egisti! Pulchre, bene, recte!**R**. v. P. Ferd. M... *Romae*. — Tibi in
omnibus assentior; sed quomodo re perfici-
endum? ...**A SECRETIS.**Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

STANISLAUS FUGIENS

[3]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

NAEVOLUS.

Perge; move te ocius, obsecro,
Ne nos teque conviciis obsurdet, si vel ces-
[ses paullulum.

Nae ventriosus iste pulcre lepidam hic vitam
[gerit,

Sesquipedem illum aqualiculum curans suum,
Quippe otiosus otioso in munere.

At mihi ut ulla nunquam detur defesso quies
Cave sis. Tot domini sunt qui aliquid sem-

[per imperet;

Tum sedulo faciendo facio ut nemini faciam
[satis.

BILINSKIUS.

Mala est tota servorum natio et semper que-
[rula:

Quo demereris eos plus cures tibi, eo te plus
[oderint.

NAEVOLUS.

Tu pro tua crassa sapientia loqueris oracula;
Ego tam exili cerebro hoc scio, amorem ab

[omnibus

Sibi mereri bonos, atque odium item malos.
Ut noster minor herus, vah! lepidum capi-

[tulum...

BILINSKIUS.

Qui facit?

NAEVOLUS.

An non merito ab omnibus feratur in oculis?

BILINSKIUS.

Omitte iam
Ineptam istam loquacitatem, cucule.

NAEVOLUS.

(De industria
Illum collaudavi, ut hunc male tangerem.)

BILINSKIUS.

Ehodus dic, est ne is domi?

NAEVOLUS.

Nescio; visam, si vis... Sed ecum ipsum.

BILINSKIUS.

Sane percommode.

NAEVOLUS.

Numquid aliud?

BILINSKIUS.

Hic ut facessas.

NAEVOLUS.

Ego vero admodum libens.

SCENA V.

STANISLAUS, BILINSKIUS.

STANISLAUS.

Salvere te, mi educator, gaudeo plurimum.

BILINSKIUS.

Ades opportune: tecum ipse volebam collo-
[qui.

STANISLAUS.

Monuit id modo Fulcius: tu quidquid est
[loquere.

BILINSKIUS.

Magnae, Stanislae, mihi curae es; id quod
[patriPrimum debo, qui te fidei credit meae,
Tum etiam tibi praesertim his morato mori-

[bus.

STANISLAUS.

Credo, adeo usque de me commeruisti bene;
Et si quid polliceri possum aut recipere,
Efficiam tuas ut mihi curas nunquam expo-
[bres.

BILINSKIUS.

Novi tuum ingenium liberale: nunc pervelim.
Tuæ prolixius servias valetudini,
Quam gravis male conflictavit aegrotatio.

STANISLAUS.

Operam do.

BILINSKIUS.

Sed assidue te solum degere,
Nihil laxare animum, nunquam genio obsequi
Honeste... vin' dicam plane? id mihi non

[placet.]

STANISLAUS.

Noli, mi tu, vereri quidquam.

BILINSKIUS.

Immo istuc ago,
Et mente dudum agito quod te plurimum

[juvet.]

STANISLAUS.

Nihil tale necesse est; atque alio verius
Istas, si me amas ex animo, curas conferes.

BILINSKIUS.

Etsi scio meum ius esse ut te cogam
Quae ego imperem facere, non adeo duriter
Tecum nunc tamen agam, nec pro imperio
[omnia].

Id quo consultum tibi sit, ego prospexero:
Tu reputa esse tuum alienis consiliis regi.

SCENA VI.

STANISLAUS.

Quid isthaec sibi vult oratio? quidve com-
[moditas],
Quantam huius expertus non sum dudum
[antea]?
Metuo ex occulto ne mihi parentur dolii,
Ut vitam hanc paullatim atque hos mores
[exuam].

Iampridem pugno cum malis hisce artibus,
Periculi hac in domo mihi plena sunt omnia;
Cui quave in re tuto fidam non satis scio.
Ergo quod mente verso facinus urgendum est.
Res omnes abdicare spesque noxias,
Et Lojolidum transcribere nomen agmini,
Certus decrevi. Immissum hoc mihi divinitus
Consilium diu celaram tacitus in pectore,
Prudentia ductus stulta heu! pueriliter.
At divina Mater et Mater eadem mea,
Dignata nuper me morientem visere
Filiolum in sinu gerens suum,
Postquam salvum atque incolumen eripuit e

[funere].

Me iussit eo properare quo dodum vocor.
Nunc ego si cum patris et fratri gratia
Istuc unquam sperarem posse perfici,
Veniam ořarem, afferrem caussas, adderem
[preces].
Sed quoniam haec penitus interclusa mihi
[via est],
Deo parere decet vel eorum ingratitiis.
Itaque unam mihi spem reliquam in fuga
[sitam],
Quo compos voti fiam, video. Clanculum
Vestes paravi ignotas, ne quis noscitet
Ex urbe proficiscentem: tum cetera
Exploravi prudens: tantum in hoc cum ani-
[mo] excubo,
Abeundi mihi opportuna ut detur copia.
Ea fortasse opportunitas adest prope;
Et quid facta opus sit, resque et tempus
[consulet].

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

BILINSKIUS, PAULLUS

BILINSKIUS

Noli, Paulle, adeo praeeeps agere: sed mihi
Ausculta potius.

PAULLUS

Quid igitur suades?

BILINSKIUS

Dic fratri
Te in suburbanum ad aliquot concessurum
[dies];
Eoque per speciem valetudinis tecum ipsum
[ducere]
In primis velle.

PAULLUS

Cedo quid sit hinc profecturum boni?

BILINSKIUS

Multa hinc eventura spero commoda: primum
[tibi]
Fratrem obligabis, ut se in posterum facilior-
[rem] tuae
Det voluntati.


(Ad proximum numerum).

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia preelectiones¹

De priscis annalibus et de vetera rerum gestarum memoria.

Restat ut de priscis annalibus et de vetera rerum gestarum memoria sermonem instituamus. Notum est, ab initio, memoriae publicae retinendae causa, res omnes singulorum annorum pontificem maximum litteris mandare consuesse, et in album referre, tabulamque domi proponere, ut potestas esset populo cognoscendi.² De hac re Servius qui dicitur Danielis, vel auctus fusius loquitur: « Ita autem, inquit, annales conficiebantur; tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua, praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratum, digna memoratu notare consueverat, domi militiaeque terra marique gesta, per singulos dies; cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros veteres rettulerunt, eosque a pontificibus maximis a quibus fiebant, *annales maximos* appellantur ». Hic duae res distinguenda sunt, nempe tabulae in regia adfixae cum nominibus consulum et rerum memoria, et libri *annales* post inde derivati et octoginta

numero in publicum editi, *annalium maximorum* nomine.⁴

Id quidem non nisi P. Mucii Scaevolae opera factum esse (anno ferme CXXIII a.C.n.) constat; postea huiusmodi annales scribi desitos esse quum iam scriptores usu litterarum instructi exstitissent.

De annalibus maximis quod opus fuit sequentis aevi, non est nunc nobis sermo habendus.

In tabulis autem pontificum, quae ligneae et gypso oblita erant, quaeque, quotannis propositae, post in tablino servabantur, quid demum inscriberetur facile suspicari possumus; nempe, post nomina consulum, res eo anno memorabiles, et solis lunaeque defectiones, et caritatem annonae,² et varia prodigia, praesertim terrae motus,³ potissimum denique res bellicas, et foedera et paces, nec non leges

¹ *Maximos* appellatos esse quia a pontifice maximo redacti essent, testantur SERVIUS, FESTUS, MACROBIUS (3, 2, 17). Recentiores existimarunt ita dictos esse quia maioris molis essent quam ceteri.

² Unde Cato in IV *Originum* dicebat, non libere sibi scribere, quod in tabula apud pontificem maximum esset, quoties annona cara, quoties lunae aut solis lumine caligo aut quid obstitisset. GELL., 2, 28, 6.

³ Postquam nuntiatum erat Senatui, in sacrario in regia « hastas Martias movisse » (GELL., 4, 6, 1), Senatus sententiam suam ferebat, quibus Diis hostiisque procurandum esset. Quod pontifices in tabulas referebant.

¹ Cfr. fasc. mens. Augusti et Septembr.

² Cfr. Cic., *De oratore*, 2, 52.

latas rogatas, ad summam res eas omnes quae a pontificum collegio memoratu dignae existimarentur.¹ Haec omnia quum fastorum consularium quasi appendix essent, quis mirabitur, etiam rebus gestis hoc ipsum nomen fastorum inditum esse? tantum ut Horatius de antiqua rerum memoria loquens, his verbis uteretur: «Tempora et fastos evolvere mundi» (*Serm. 1, 3, 112*) et: «Tempora quae notis condita fastis inclusit volucris dies» (*Carm. IV, 13, 15*).

Quid denique sibi vellent pontifices tabulam quotannis proponendo, verum profecto vidit Peter² aiens, initio non id contendisse ut apud posteros servaretur rerum memoria, sed ut ad eos qui tum vivebant earum notitia celerrime perferretur, velut postea in *Actis Diurnis a Caesare compositis* res eo consilio conscribebantur, ut populo innotescerent et quidem ea ratione qua id fieri illi placebat.

Utcumque res est, videat lector quam magni momenti fuerint inter reliquias litterarum ad vitam publicam pertinenter tabulae annales pontificum. Dolendum quidem est incensa a Gallis Urbe (a. cccxc a. C. n.) vetustiora istiusmodi monumenta interierisse; sed non est dubium quin apud pontifices ars res gestas litteris tradendi iam priscis reipublicae temporibus non sine peritia quadam excoleretur.

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINUS.

¹ Hos rerum indices ipsis fastis calendaribus, seu hemerologiis adiectos esse, singulis diebus apposita nota rerum memorabilium, ut Seeckio visum est (v. PETER, *Historicorum Romanorum reliquiae*, 2, 1924, p. VIII) non est verisimile, quum ista tabula plus trecentarum quinquagenerum linearum esse deberet.

² Op. cit., p. IX.

oo

Dupliciter miser es, qui felix ante fuisti:
Dupliciter felix, qui fuit ante miser.

Christianorum sepulcralia symbola de animae beatitudine aeterna

Qui veterum Christianorum Romana coemeteria ingreditur, is statim ubique signa in tabulis, olim sepultra claudentibus, conspicit, eorumque nonnulla saepius quam cetera iterata. Neque aliter videre est ubicumque lapidaria, quae vocant, Christiana musea fuerunt constituta. Praecipua autem eiusmodi signa haec sunt: anchora, columba, palma, piscis, arbores, bonus pastor, ovis, agnus, figura orantis manibus expansis, vasa, cum avibus nonnunquam in iis bibentibus, portualis turris, navicula, pavo, equus, monogrammata, coronae, dolia, amphorae, artium instrumenta, aliaque. Haec omnia aliquid assimilatione quadam significasse haud dubium est; immo aliquando non una, sed duo et amplius signa in unico simul cernuntur sepulcro, ita ut singularem videantur cogitationem, et etiam orationem componere.

Ita columba et agno anima repreäsentatur; sed naviculae sub figura quoque apparet; quod si portualis turris accesserit, ad quam navicula dirigatur, obvium symbolum est; portus scilicet (caelum), ad quem anima veluti ad terminum navigationis (spiritualis) pervenit.¹

Nedum columbae, aves aliae incisae aut depictae conspicuntur, praesertim pavo, qui optime animae immortalitatem effingit, iuxta antiquam ethnicorum opinionem. Quamquam sunt et qui in eo symbolum videant resurrectionis, quod pavo pennas autumni tempore amissas, splendidiores verno tempore producat.

¹ In coemeterio Callisti portualis cuiusdam turris figura apparet, plures litteras continentis, quae Graecum vocabulum *AOPATA* id est «invisibilia» produnt: nempe, ut I. B. De Rossi explicavit, praemium illud significatur «quod oculus non vidit». In alio sepulcro portualis turris inter coronam et palmam cernitur; hoc est inter victoriae signa.

Phoenix quoque animam immortalem adumbrat, ut in passione S. Caeciliae mentio est: «Quem (Maximum) sancta Caecilia iuxta Valerianum et Tiburtium sepeliit in novo sarcophago, et iussit ut in sarcophago eius sculperetur phoenix ad iudicium fidei eius, qui resurrectionem se inventurum, phoenicis exemplo, ex toto corde suscepit».

Sicut navicula ad portuale lumen directa, ita equus ad palmam, vel ad Christi monogramma currens, spiritualem animae significat cursum, de quo et Ioannes in *Apocalypsi* et Paulus in suis epistolis plures loquuntur.¹

Ad palmae et coronae significationem, quae praefatis accedit, intelligendam, iuvat acta SS. Mariani et Iacobi revocare, in quibus hanc martyribus visionem apparuisse legimus: «Adcucurrit ad nos obvius puer, quem constabat esse alterum ex geninis ante triduum cum matre passis, corona rosea collo circumdatu et in manu dextra palman viridissimam praeserens».

Neque aliter innuere videtur columbae figura rostro arbores, flores fructusve, praesertim uvam petentis, aut bibentis in vase.

Sed locus in quo iustorum animae aeterna frui beatitudine putabantur Graeca, seu ex origine Persica voce *paradisus* vocabatur, quae nemus floriferum, vel hortum sonat. Atqui in tabulis sepultra tegentibus haud facile erat hortum nemusve delineare; itaque duae arbores, aut etiam arbor una hanc paradisi imaginem exhibuere.

Sed cum columbis in hisce gaudentibus vas quoque interdum invenitur. Quaenam huius vasis significatio?

Distinguendum: sunt enim vasa quae *amphorae* vocantur, fragilia, utpote ex cocta argilla conflata, ad liquores servan-

dos; et vasa calicis formam reddentia. Quod ad altera attinet, memorandum est non solum in *Actibus Apostolorum* Paulum vas electionis factum fuisse; sed Tertullianum et Lactantium de humano corpore veluti de vase fictili¹ atque «vasculo, quo tamquam domicilio temporali spiritus caelestis utatur»² esse loquutos; Prudentium autem in suo *Peristephanon* angelum induxisse ita S. Vincentium martyrem alloquentem:

*Pone hoc caducum vasculum,
Compage textum terrea,
Quod dissipatum solvitur,
Et liber ad caelum veni.³*

Alterum vasis genus reddit pluries eam calicis formam, ut de calicis eucharistici significatione dubitari non possit. Atvero non semel propter adjuncta quaedam id sentiendum est. Ita, exempli gratia, praeter calicis figuram, quandoque avis ac saepius columbae imaginem cernimus ad calicem contendentis, vel in eo bibentis. Si igitur columba, quae flores fructusque petit, pro anima aeternitatis pacisque bonis fruente accipitur; columba calicem petens, vel ex eo ad sedandam sitim hauriens, pariter de aeternae beatitudinis fruitione intelligenda est. Refrigerium animae sub similitudine sitis aquarum fontibus explendae praesertim a primi aevi excogitabatur Christianis, Davidicum illud forsitan commemorantibus: «Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus».⁴

* *

Defuncti anima in pace recepta figura personae orantis saepissime adumbratur.

¹ *De patientia*, X.

² *Div. instit.*, I. II, c. XIII, *P. L.*, VI, 321.

³ Lib. V, n. 301 et seqq., *P. L.*, IX, 396.

⁴ Cfr. etiam S. August., *Confess.*, lib. IX, c. 3, *P. L.*, XXXIII, 765. - Nonnunquam una cum calice dominum quoque, vel inter duo vasa atque etiam inter duas columbas cernitur: estne id caelestis convivii symbolum dicendum?

¹ Cfr. praesertim *II ad Tim.*, IV, 7; *I, ad Cor.*, IX, 24.

Haec tamen perraro ita delineata erat ut defuncti personae quantulumcumque consimilem imaginem referret; quandoque potius de statura in infantium sepulcris cura erat. Pleraeque *orantis* figurae foeminei sunt sexus, sed orantes alterius sexus non desunt et, quod plus est, interdum mulieris figura viri animam repreäsentat, et vice versa.

Fuerunt qui eiusmodi figuris aliquando Virginem Mariam vel Ecclesiam adumbratas esse dixerint; sed nobis valde probantur ea quae doctor egregius Wilpert contra illam opinionem argumenta attulit.¹ Et quidem in primis notandum est, nomine *orantis* omnes indicari figuras, sive marmoribus inscriptas, sive in muris depictas, sive denique sculptas, quae in sepulcris cernantur, exclusis tamen illis, quae eodem modo Noe, Danielem, Abraham, Isaac aliosque interdum orantium instar referunt. Plures eiusmodi figurae nomine defuncti instructae sunt; earum igitur significatio indubia prorsus habetur.

Aliae ipsam defuncti aetatem et sexum quodammodo innuant. Praeterea ex sepulcribus inscriptionibus deducitur, superstites vel defunctis pacem aeternam ominatos esse, vel eos iam in felicitatis possessione putasse, vel, postquam aeternam beatitudinem iis augurati sint, eos esse precatos ut pro viventibus intercederent, vel, denique, quum eos iam aeterno gaudentes arbitrarentur praemio, illis instantissime quasi intercessionibus apud Deum sese commendasse. Atqui his plerisque cogitatis aliis prorsus congruit figura orantis, veluti animae adumbratio, quae aeterno fruatur gaudio, atque de viventibus sollicita sit. Id praeterea exemplis pluribus confirmatur, in quibus orans interparadisi symbola apparet; scilicet iuxta bonum pastorem, veluti ad Christum recepta, iuxta arbores, inter flores, candelabra

aliaque signa, itemque apud picturas in horto arboribus florigeris exornato. Quod si aliquando ad orantis figuram est columbae apparent, columba haud symbolum animae hic effingit, sed pacis, ut columba Noetica. Re quidem vera, idem symbolum in quadam coemeterii Callisti inscriptione apparet, solo cum nomine *EIPHNH*; ibidem in alia tabula coemeteriali columba cum ramo olivae cernitur revertens ad arcam, in qua non quidem Noe, sed mulier orans stat.

Orantis igitur figura animam beatam, aut quam eius parentes beatam iam putarent repreäsentat, proindeque hoc habitu et martyres celebratissimi, raro licet, depicti inveniuntur. Sic S. Ianuarius, cuius figura in Neapolitanis cryptis inter duo candelabra conspicitur, ad latera duas alias orantes figuras gestans, humilioris quidem staturalis, sed quae aetatis inter se differentiam clare innuant: Ianuarius, qui gigantea statura eminet, ut mos inde a saeculo v sanctos repreäsentandi ferebat, advocati munere hic fungitur. Haud aliter de ceteris sanctis aliquando factum est, qui praeterea nedum mortuorum, vivorum etiam veluti patroni ac tutores sumebantur.

Et, ne longiores fiamus, haec satis de argumento dicta sint.

S. S.

DE SANCTO AMBROSIO MEDIOLANENSIMUM EPISCOPO¹

In tanta animorum concordia, Ambrosius, quum Dei voluntatem cognosceret, Baptismum accepit; erat enim catechumenus, sacrisque rite iniciatus, ac servatis omnibus ex iure Ecclesiae ordinum gradibus,

¹ WILPERT, *Ein Cyclus*, pag. 30 et sqq.

¹ Cf. fasc. sup.

bus, octavo die, qui fuit septimo Idus Decembbris, episcopale munus suscepit.

Mirum sane quam cito alium fecit Deus! Summus subito factus, aequalitatem in omni vita sequutus, tironis veluti modestiam et pontificalem dignitatem miscere coepit, Iuvabit, vel in re sacra, ad Ciceronem respicere, qui inter senatores adscriptus, ita de se deque munere suo optime diceret: «Idcirco in hac custodia et tamquam in specula collocati sumus, ut vacuum omni metu populum, nostra vigilia et prospicentia redderemus». Pietate et doctrina ad sanctorum imaginem suos effingit, et ut sarta tecta Ecclesiae iura servaret, improborum convicia et impotentiam aspernatus, difficillimo tempore, turbas tunicati populi non expavit, certus cuilibet se obiectare periculo quam tantillum ab officio recedere.

Non iam «res italas Romanorumque triumphos» adfectat, neque «Romanos regrum dominos» in mentem revocat, «gentemque togatam»; sed in Iesum totus conversus, de eius regno ampliando unice cogitat, et leves quosque labores considerat, dummodo novos Ipsi discipulos adquirere possit. Catholicam doctrinam uti matrem adamavit eiusque disciplinam acerrimo studio defendit, multosque Arianos ad fidei veritatem convertit. Et in suo munere agendo Romanum esse maxime meminit. Atque adeo vel ab rerum novarum initio, in sacris concionibus adsiduus apparuit, et disertus equidem, pugnax identidem quum populum ad pietatem excolit et docet divinam sapientiam, quum privatus in aedibus amicos et fideles accipit, dulci semper alloquo vultuque sereno allicit atque recreat. Honorem enim reputat non solum datum, sed sibi concretum ut in suos admodum reverteret fructus.

At unde tot munera hauriebat? En ipse in promptu responsum dabit. Scripsit enim in volumine *De officiis*: «Vobis, — inquit, —

quasi liberis tradimus ea quae illi Davidi spiritus sapientiae infudit, et nobis manifesta sunt per Davidem, et sunt comperta visu, hoc est, legem eius scriptam atque historiam. Quum iam effugere non possumus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotii necessitudo... Non igitur mihi apostolorum gloriam vindico. Quis enim hoc, nisi quos ipse Filius elegit Deus? Non prophetarum gratiam, non virtutem evangelistarum, non pastorum circumspectionem, sed tantummodo intentionem et diligentiam circa scripturas divinas opto assequi, quam ultimam posuit Apostolus inter officia sanctorum, et hanc ipsam, ut docendi studio possim discere. Unus enim verus magister est qui solus non didicit quod omnes doceant, et ab illo accipiunt quod aliis tradant (*De officiis*, L. I, 3).

Hisce positis, si de eloquentia S. Ambrosii sermo est, hoc est in primis dicendum, ad facultatem eius oratoriam, plurimum contulisse immensam illam doctrinæ segetem e sacris scriptoribus petitam, quam ipse aetate maturior hausit atque in eis perlegendis est continuo conversatus, ut merito videatur ad christianos a divino scriptore primus transtulisse. Et ut poëta Italorum princeps, Dantes Allighieri a Vergilio poëticam artem arripuisse candide est professus:

*Ipse magister es, et duxor meus unicus, hausi
Unde stylum, late quo mea fama sonat;*¹

et postea de Aeneide...

*quae fecit me esse poëtam,
Mater ut, atque nutrix, qua sine nil cecini.*²

¹ Tu sei lo mio maestro, e lo mio autore,
Tu se' solo colui, dal quale io tolst
Lo bello stile che mi ha fatto onore!

² Dell'Eneide, dico, la qual fiamma
Fummi, fummi nutrice poetando:
Senz'essa non formai peso di dramma.

Qua in re eo praesertim videtur spectare, ut doctrinae varietatem, adhibito iudicio et delectu, ad elegantem vitae et philosophandi usum accommodaret. Ceterum quum sapientia christiana usque ad suam aetatem nondum fuisse latinis litteris explicata, Ambrosius primus eam recte illustravit, et luminibus etiam oratoris usus, omnem Romanorum copiam et elegantiam expressit. Ipse autem christianorum praecincta arripuerat, non disputandi causa, ut magna philosophorum pars, sed ita vivendi.

Mirandum sane quanta hominum frequentia, cuiuscumque generis et religionis, suavitate eius eloquii atque sapientia ad eius aedes itaret, et omnes modestia hominis adlecti diu multumque ad eius latera, pietatis gratia atque sanctitatis vitae, permanerent.

Consilium, auctoritas, magnitudo animi eum summis viris aequabant. Quae quum ita sint, audientium aures ac pectus invadit, et voluntates quo velit facile impellit. Doctrinam alii mirantur ac pietatem, omnes flexanimam eloquentiam. Ita omnibus probabatur, ut omnes libenter suam semper sententiam sequi viderentur. Inter alios et sanctum Augustinum, clarissimum illud Ecclesiae lumen Iesu Christo peperit, quemque suam coronam gaudiumque esse libero ore omnes profitentur.

Publicae pacis nuncius, ac populi consolator adsiduus, olim impotenti Ariano rum factio exagitatus, parem atroci tempori animum in promptu habuit, et in seditione urbis, in templum cum populo secessit, ibique suos a potentiorum iniuria solleter prohibuit, alloquo, adspectu spem reduxit animumque adauxit.

Pacatis denique animis, adclamantibus ordinibus universis, in sedem suam triumphans evectus est, dum omnes, ut diu plaeideque ibi populo suo interesset, adprecantur.

SENIOR.

EPICEDION

Dilecto fratri meo Laurentio
pax Christi.

Quo fugis heu frater? queis nunc absconderis
[antris?

Quae loca, Laurenti care, remota tenes?
Heu heu vixisti: quâ tam cito functus abisti

Vix cepta vita, qui mihi dulcis eras?
Ceu tener e terra nascens flos caesus aratro,

Sic celeri iuvenis funere raptus abis!
Vix animi dum pandebas munera rari

Amplexu raptus cerneris esse meo.
Complesses saltem cedentia lustra senectae,

Aut exspectasses me pare sorte dari!
Ast heu! tu properas, moestumque relinquis

[amicum,
Quem mors iam tecum saeva manere negat.

O Mors, ergo viros separas sic dira beatos,
Quies unum studium, queis amor unus

[erat?
Siccine iucundos, mors caeca, revellis amicos?

Sic teneros flores te resecare iuvat?
Transis, et ecce dolor, facis et moerentia corda;

Ensis amaritiem spargit ubique tuus!
Pocula dira tuo bibi repleta veneno,

Viscera quae cruciant mentis amara meae.
Nos Deus haud ullo morituros condidit aeo:

Qui morimur cuncti? Mors gravis unde

[venis?
Pròh dolor! Adami tristis te culpa vocavit,

Imperitque tibi sceptrum cruenta dedit.
Cur non permansit primus status ille beatus,

Unquam quo nulli mors subeunda foret?
Et mihi sunt heu heu! solvenda tributa dolori,

Hoc mihi non ullo tempore maior erit.
Tristitia tu vina mihi potanda dedisti;

O Deus! En posito gratus adoro genu.
Moerentem quicumque vides me dicito verax:

Num poterit fatum durius esse meo?
Unigenam Domino promptus mactabat Abrá-

[ham,
At scimus cultro non cecidisse patris,

Namque aries huic sufficitur mactandus in
[ara,

Isque Deo vivens victima grata fuit.
Haud aliter mihi, summe Deus, patrique

[dolenti
Fecisses! ast heu! victima nostra perit.
Jacob dilectum natum deflebat amare,

Discretum credens ungue fuisse ferae;
At Ioseph inter vivos erat, atque saluti

Ipse futurus erat, laetitiaque patri.
Laurenti bone, num caris solatia tanta

Sunt speranda tuis, fors redditurus eis?
Hei! spes vana foret: non nos modo sangui-

[ne tinctam
Conspicimus tunicam, temet at exanimem.
Impositam pheretro, mulier viduata marito,

Cur sobolem sequeris sic lacrymosa tuam?
Distat adhuc tumulus, fortis vir at ecce pro-

[pinquat
Qui cineres rursus vivificare potest.
Hic tangit pheretrum, surgas et voce potenti,

O iuvenis, clamat, qui redivivus adest.
En cessant tristes lacrymae, rursumque beata

Unigena gaudes, foemina, prole tua.
Infelix! haud tanta mihi dat gaudia Numen,

Fratrem dilectum frigida condit humus!
Quid despero? potest caelum lenire dolorem,

Nam forti parent ipsa sepulchra Deo.
Felices vos germanae, quas Christus amore

Prosequitur; vobis num lacrimare licet?
Asisii.

GREGORIUS FRANGIPANE, O. S. B.

De certamine poetico Ruspantinio

Proximis hisce diebus publici iuris factus est exitus alterius certaminis ex legato Ruspantinio a Romano atheneo pro latino carmine indicti.

Palmam retulit

ADULFUS TERRALBI,
doctor litteris tradendis in lyceo Hieracensi, cui a Benito Mussolini nomen, qui ecclit: Omnia somnia.

Praeterea peculiari laude digni habitu sunt, iuxta alphabeticum ordinem eorum nomine evulgato:

1) Alafridus Bartoli (*Me Musa latina beat;*)

2) Raphaël De Lorenzi (*Dulces ante omnia Musae;*)

3) Albertus Dolfari (*Dulce solum;*)

4) Aldus Grossi (*Magni celebrat monumenta Maronis;*)

5) Angelus Nardis (*Nil mortalibus arduum est;*)

6) Carolus Vignoli (*Nostrae corda gentis.*)

Clarissimis viris, qui latinae apud Italos poëeos dignitatem tam strenue tuiti sunt, ac praesertim ALAFRIDO BARTOLI et ANGELO NARDIS, *Almae Romae* ab incunabulis sociis amantissimis, ex animo gratulamur.

Tertium Ruspantinum certamen nondum indictum est; quinimo scimus illud ad incertum tempus fuisse dilatum.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

ANDREAS AVENARIUS S. V. D. EMMANUEL
Jové C. M. F. suavissimo amico sal.

Haec illa fides est, qua conglutinantur amicitiae et conservantur? Quod genus hoc hominum? Quaeve hunc tam barbara morem permittit patria?... Nulla permittit patria, mi Emmanuel, ut, a quo tibi gratum factum sit, huic septem menses non respondeas. Possum equidem, cur ita factum sit, aperire; sed ne mora fiat, ea oratione malo supersedere.

Illud velim pro certo habeas, me nullum fere praetermittere diem, quo tua animo meo non subeat memoria, me cum ceteris amicis tuis memoriam egisse etiam matris tuae. Non illa quidem in summa senectute a statione vitae avocata est,

sed tamen proiectiore quam esset aetate, matura caelo, quam tuo satis diu delectata esset sacerdotio. Si igitur tu in tanta opportunitate rerum post tres menses pectus adhuc plenum doloris fateris, quid aequum fuit sentire me, cui natu maximo mater nata annos tres et quadraginta xviii mensibus ante ineundum hunc ordinem erepta esset! Itaque, quoties ille dolor recruduerit, — nam quibusdam anni diebus mortuorum parentum nos vehementius tangere solet desiderium — illam non tam discessisse, quam praecessisse statues, et identidem dices non errare Deum in vocandis ad se homunculis.

Perlectis autem consolationibus discipulorum tuorum, tacitus tecum: O fortunatum magistrum, qui tam praeclarum industriae fructum atque amoris percipiat!

Apud me autem si quaeras, quid tanto intervallo temporis gestum sit, duo longiora feci itinera: unum, quantum tibi a Cervaria fere ad Compostellam est, feci in Austriam ad diem Ascensionis Domini, quo die, qui quondam aulae imperatoriae episcopus fuit, non longe ab urbe Vindobona sexaginta sex nostrae congregationis sacerdotes sacravit, inter quos Matthiam, fratrem meum. Ei igitur rei interfui, et quum interposito triduo primum Rem Divinam ageret. Illam autem domum, quae ex Gabriele Archangelo vocatur, quum ipse ante annos xvii novus sacerdos reliquissem, facile imaginabere, quot quantarumque rerum memoriam illis diebus renovaverim. Reditus fuit per Salisburgenses Alpes et per Bavarorum urbem. Interiecto mense, in Silvam Bohemicam properavi, ut festo Petri et Pauli apostolorum die eidem fratri, eo die primum sacra facienti in patria, adessem. Quae fecisse itinera nunquam poenituit, sed mihi crede laboriosos fuisse dies, quum praesertim magnam partem nocturna essent itinera et rebus saepe ad multam noctem protractis somni contraherentur spatia.

Moles autem scholastica duarum hebdomadarum absentia aucta erat. Haec procrastinandarum litterarum gravissima causa. Et speraveram equidem, quibus hebdomadis schola essemus vacaturi, me ad epistolare negotium nocturnum occasionem, sed haud scio an cum aliis eodem atque mecum modo agatur.

Ipsarum feriarum tempus hisce officiis et illis, hacce recula et illa, opinione elabitur citius. His autem mensibus omnibus, quoties *Almae Romae* fasciculus redditus erat, valde mirabar, quod praeter nos duos nemo unus commercium epistolaram usurpaverit. Quo etiam plus spatii his litteris vindicari iure video, si quidem usus linguae Latinae tot mensibus effecit, ut in pittacio huic rei jacenti in mensa mea nominum Latinorum quaerendorum satis magnus conflaretur numerus.

Sed ista priusquam te nube involvam, pro eo atque meritus es in proxima epistola tua ago gratias. *Funorbile* et *funorbi* placent; sunt enim Latina vocabula.

Quadam nocte insomni venit in mentem: Quidni, ut *hippodromum* et *aerodromum*, etiam *cyclodromum* dicemus? Sic erunt collusores illi *cyclodromi*. Et *catadromus* tuus me adduxit, ut deinceps totam illam aream, in qua adolescentes nostri pilam agitant, *catadromum* vocitatus sim.

Schedinummias sagaciter dico excoxitatas.

Loculos et *exscriptivam chartam*, dum meliora erunt inventa, recipio. *Loculos*, si bene videam, appellabimus etiam istas tabulas, quae apud nos in foratis culinarum parietibus onerantur cibis illinc in singula triclinia portandis. *Guichet* rem nominant Galli.

In religiosarum seminarum domibus, ad dextram aut sinistram partem portae, cylindrus est versatilis, per quem res dantur minoris formae quae sint: *tour* dicitur Gallice. Quod si nos *loculamentum*

versatile appellaverimus, rem fortasse tetigerimus.

Atmosphaeram dicemus an melius aliquid?

Interrogatus sum, quid esset *Kravatte*; respondi: *Nodus collaris*.

Quid *Prellbock*, arietum genus in extremis orbitis viarum ferrearum, cui currus motrice machina pulsi impingunt, quem Galli *butoir* dicunt? *Repagulum*, inquam, vel, *repulsorium*.

Quid, *Sprungbrett* (*trappolino* Italorum) est? — Nescio, inquam. Cogitanti postea *þnua* occurrit vel *saltrum* vel *salторia* aut *saltica tabula*.

De *Base-ball* ludicro illo, in quo pila pedibus agitanda hominum durare corpora instituit, quid dicerem? Ut aliquid videatur dictum, *pilam basium* appellaverim, adiciens me rem scripturum in Hispaniam.

Omnes, si narravero Titium *operacionem* subisse chirurgicam a chirurgis secum esse intelligent. Placetne tibi *operatio illa*?

Portis publicis huius Xaverianae domus ea affiguntur ferramenta, quibus prementibus ultro redeunt valvae. Fuit cum portis sic instructis inscriptum: « Ne portam attraxeris, quae claudatur per sese ». Istorum autem desidero ferramentorum nomen. *Clastra* dicerem, nisi eo nomine aliae significantur res. *Reductoria* audeo vocare, ubi quis vocem extorserit propriam.

Quoties iam desideravi in schola latine, quas nos verbi « formas originarias » vocamus! Audias haec fere in meis scholis: « Redde formarum origines! » vel: « Quae verbi sunt radices? » vel: « Primitivas verbi volo audire formas ».

Quoties iam illud desideravi, quod esset nostrum, *Ständer* [= Staender]. Quod ubi Gallis usu venit, *porte* dicunt, adjuncto nomine eius, quae portetur rei, ut hoc, *porte-monnaie*, vel certe hoc: *porte-par-*

pluies. Utinam, *statumen* liceret dicere, aut *stativum*. Hoc stativum in nostris est vocabulis exteris, et est ille tripus, quo sustinetur photographicus apparatus vel theodolitus.

Nuper quidam iussit sibi reddi Latine: *Litterarischer Abend*, quod Gallice dicas: *Soirée littéraire. Litteratum coetum* dixi, vel, *Vespertinum consessum litterarium*, non iguanus quam dixissem exile.

Non horret lingua mea ex paucis his mensibus, *rubramentum* dicere, sicut dicimus atramentum, et a tingendo derivavimus *tinguentum* ut ab ungendo unguentum, ut violaceum atque viride habeas tinguenta.

Quin etiam apud Vitruvium repperi, quod illud *refrain* vocare liceat: *frequamentum* dico.

Habesne, quo exprimatur melius *carroussel* quam, *ludicram equitationem*?

Postremo in illo, quod supra dixi *pittacio* scripseram: *Broetcheneinlegeapparat* octo syllabarum compositum.

Res nuper a pistore nostro postulata est. Quam quum latine appellare coepissem, *collyridum* venit in mentem et, *immitendi apparatus*: nam ille apparatus sibi cupiebat concedi, quo facilis in furnum torrendas immittere collyrides posset. Qua sum audacia, *immissorium collyridum* appellavi rem, iam principio cupidus tuam audire de ea audacia sententiam.

Sed nimium iam diu tua video abuti patientia longioresque, quam velle, conscripsi litteras semina spargens novorum vocabulorum. Iam consisso pittacio, unde ista tibi afflata nubes est, aliud in conspectu mensae loco ponam, primumque illic scribam hoc: *Causeries françaises* non quo, quid id sit latine percontaturus sim, sed maius quiddam volvo in animo. Quod quid sit aut quale, si Deo propitio diutius vixerimus, in proxima epistola videbis. Vale.

FUNEBRIA EX CADAVERIBUS CONVIVIA

Vita erumpit e morte: ita enim abdita leges volvuntur; inde etiam ad mortuorum aetatem aestimandam explorandumque viros doctissimos studiorum rationes duxisse credimus. Nec dicat fortasse quispiam: Ecce huiusmodi inquisitio? Sancta enim et salutaris est supremi fati cogitatio.

Sed harum investigationum et aliud iuxta doctrinam sapientiamque naturae gravissimum pondus est, et quaestionum etiam, quae legalem, quam vocant, medicinam attinent; multum enim ac saepe interest utrum huic vel illi anno hominis mors adscribatur; quam quidem «cadaveris aetatem» nuncupari nemo mirabitur.

Meghin, Lutetiae Parisiorum medicus, multa iam pluribus abhinc annis ad rem experimenta tentavit, planeque ostendit cadaveris corruptionem ab aliquot minimorum animantium speciebus maxime perfici, quae statuta quadam vice et lege ad detrimenti ultimi opus alias aliae sequuntur. Quin etiam singulae, quae exinde denotantur phases, distincto et proprio odore etiam significantur. Iamque praeter microbia haec, octo insectorum genera una cum acaris quibusdam cadaveri corrumpendo vacant, eodemque microbiorum ordine adveniunt. Praecipuis enim aeris odoribus ex cadavere undique circum manantibus sua quaque vice funebres larvae illiciuntur. Cuius corruptionis militias hodie simul recensemus.

Vix itaque moriens homo ultimum efflavit anhelitum, advolat statim muscarum agmen ex *Curtoneura* et *Calliphora* familia, quae in carnem non maceratam vires exercent suas. Tertia autem vel sexta post mortem die, quem iam corruptionis odor acrior diffunditur, alter prope-

rat vorax manipulus ex muscis *Luciliis* et *Sarcophagis*, quas acarus *Uxopeda* comitatur. Adipes autem mortui ingluviem interea coleopterion quorundam titillat ex *Darmestes* familia, atque papiliones *Anglossa* nomine distinctas.

Octavus ubi advenerit mensis, «lapsus», quem dicam, vel delabentem undique statum cadaver induit, ad quod conveniunt, ut escam sumant, muscae ex quarto agmine *Prophila* et *Autorneya* ex turmis, et coleopterium *Crecrobio* ex genere: utile est tamen scitu prophila ex eodem genere muscam enasci, quae sua germina in corrupto caseo deponit. His ex germinibus larvae illius prosilientes ensuntur, quae in sapidissimo caseo, quod *gorgonzola* Itali appellamus, passim videamus.

Post annum a morte elapsum, quae moliores sunt in cadavere partes in nigerrimum solvuntur liquidum: tunc in lacum descendit quinta legio ex muscis *Ophina*, *Phora* ac *Tyreophora*. His copiose tandem epulatis, dum vix paucissima liquida supersunt bibenda, sextum agmen accedit *Silpha*, *Hister*, *Saprinus* ex manipulis constans, cui et auxilia adsunt ex acaris *Triglophonibus*.

Horum omnium labore conviviisque expletis, binos iam annos a morte cadaver dinumerat. Coleopterii tunc sequuntur *Anthrenus* et *Darnestes* tineaeque minusculae, quae pellem, pilos, tendines vorant, ceteraque omnia, quae putredo delere non potuit.

Ultimum denique manipulum, ingluvie minime incitatum, coleopterii *Fenebrio* et *Pitinus* instruunt, qui micis ex ceteris septem epulis relictis contenti sunt.

Iam vero nihil tunc ex cadavere quam ossa arida supersunt, quae contra parasitas et tempus diutius obsistunt.

Hos complexus caro hominis in sepulcro experitur!

DR. R. S.

Colloquia varia eademque familiaria latine composita

V.

Meridies

Est meridies, et hinc atque illinc plurima opificum turba, ex officinis egressa, summa festinatione, et grandibus passibus domum contendit. Sacra quoque aera variata ratione horam civibus portendunt. In primis, vigil militum speculator, solemnem diei horam atque securam omnibus bellici tormenti strepitu praescribit. Tunc res mira ubique adspicitur. Qui horologium parvulum sibi habet, ut certum sibi temporis momentum affirmet, et secure vivere possit, si celerius currit, retrahit, si vero tardius se movet, ut festinet pellit... Sic quotidie in Urbe, sicutque per saecula Romani facere consueverunt. Et quoniam antiquitus id digitis fiebat, popellus romanus, argute, qui suus est mos, dicere solebat horam sic optime currere, operantibus digitis. A mena dito enim nos Itali dicimus quod facimus egregie, quodque digitorum auxilio in horologiis corrigimus vitium.

Hospitem nostrum, hac ipsa hora, aedibus egressum hue atque illuc se conferre vides, quasi nescientem quo ire velit, siniestrorum an dextrorum. Ei se ita gerenti obvius fias opportune atque humanissime eumque sic amice vel e longe compella: — «Quo tendis, amice? Ignarus forte viarum, viam certam quaeris, ubi quiescas?...» — Quo vadam recto, et ipse fortasse, nescirem. Si non putarem me nimis alta adscendere, lepide Horatii verba usurparem, et forte me via sacra ire, nescio quid nugarum cogitantem.

— Tu vero non vadis per viam sacram, ut olim poëta, sed per viam novissimam, nec sanctam; per viam, cui est nomen a Joanne Lanza.

Hoc nomine arrepto, noster, tacitus sic secum mussitat: — «Lanza! Quid est? Quid significat hoc nomen?» et altius postulat: — Lancea fortasse esset tibi dicendum. Ad *Lancearum* officinas forte hac itur?

— Magno in errore versaris, hospes, si ita reputas. Est admodum ut antea dixi. Hic enim Ioannes Lanza, fuit equidem vir vivus et verus, at repentinus omnino, sed sapiens imprimis, qui rerum novarum cupidissimus ad suprema regni gubernacula audacissime pervenit. Fuit Subalpinus, Casili sancti Evasii humili loco natus, et in prima rerum italicarum perturbatione, fluctibus civilibus rapi passus, ad maiores reipublicae gradus evectus, diu universam Italiam consilio iuvit et potentia rex. Sic satis de homine. Via, ut vides, ampla est atque pulchra; multis quoque ornata splendidis aedibus, cum quacumque de principatu contendere potest.

Abhinc paucos annos haec urbis regio deserta adhuc atque invia, nobis dedecus erat atque fastidium. Nunc vero, subversis molibus, ruderibus egestis, vel elegantibus bonarum artium spectatoribus adprobatur.

Sic speciem Urbis insigniter auget.

Si vel tantisper ultra progrederis, in scalam incidis, quae in collis veluti dorso posita magnifice et commodius te ad Sancti Petri in vinculis templum ducit.

Sunt hinc inde amplissimae puerorum scholae, sunt et pulchriora palatia, quae hanc quoque Urbis partem, olim miserrimam, maximo cultu exornant.

Si vero tibi est adhuc cupiditas cum ceteris et S. Petri hanc basilicam mecum visendi, aptius in crastinum faciam. Vale.

I. B. FRANCESIA.



MONITUM

Anni exitu appropinquante, secum ipsi reputent socii nostri humanissimi, num subnotationis suaे pretium solverint: ni fecerint, moram statim interruptant...

EX ITALIS URBIBUS

De Concilio Regionali Episcoporum in Subalpinis.

Omnis Subalpinorum Episcopi, magno apparatu et sollemni ritu, in aedibus Archiepiscopi Taurinensium itemque Cardinalis, per triduum simul coniuncti rebus suis sacris alacres recens incubuerunt. Aderant, honoris gratia, in primis Canonicorum Templi Maioris aliique cum universis Religiosarum Congregationum Superioribus, et Urbis Curionum Collegio.

Quod quidem, suffragante civili potestate, factum est cum maxima civium concordia, qui, positis sic animis, enixe admirabantur, quod Ecclesia libere et placide posset populo christiano interesse.

Haud sunt amplius tam saeva et infesta religioni tempora! Ad haec, quum, dimisso Episcoporum Concilio, ex more, religiose supremam omnes imponere manum vellent, ad Templum Augustae Matri dicatum, cui est titulus *La Consolata*, innumera civium prosequente multitudine, ut Deo gratias agerent, se contulerunt.

Quae quidem cuncta maxima animorum tranquillitate evaserunt.

Sic primum in Subalpinis post libertatem ab Rege Carolo Alberto civibus concessam. Neque abs re haec dico. Anno enim quadragesimo octavo supra millesimum et octingentesimum, Episcopi nostri, ut pro novorum temporum ratione fidelibus sibi admissis recte consulerent, quum esset exactus in exilium Aloysius Franzoni Archiepiscopus, ad villulam Episcopi Monregalensis adiverunt. At, lamentabili casu, quod in salutem animarum constituerent adnitembantur, in opprobrium verterunt improbi, et parum absuit quin magna animorum seditio inter nos nasceretur. Ipsi Oratores populares nunc in publicis consiliis, nunc apud plebem Episcopos

incusabant quod rerum novarum osores patriae perniciem molirentur.

Et illi qui pacem portendebant atque animorum concordiam et cum periculo vitae eadem praedicabant, quod discordias seminarent, ultiōes atque excidia praeferrant, incusabantur!

At nostris diebus, quae rerum, temporum, hominumque differentia!

Sic, Deo favente, omnia cum dignitate sunt facta, neque paucorum vafritia, commodis suis omnino servientium, non clamores multitudinis inconditae ex compagno per vicos, per compita irruentis, quominus funderent preces ad Deum, pios prohibuerunt.

Et Episcopi Subalpini, sui securi de vetere disciplina instauranda libere admotum inter se disserere potuerunt, et ipsi satellites regii, insigni pompa, aderant, et eos populus amore ac veneratione est undique prosecutus.

Haec demum quorsum spectent Italorum animi verissime testantur.

SUBALPINUS.

PRO IUNIORIBUS

De compositione latina.¹

Neque hoc sane difficile factu est illis, qui se in scribendo aliquandiu exercuere. Nam ubi primum sententia mente concepta est, confessim verba ultro sese offrerunt, et in ordinem et numerum quemdam digerunt. Requirunt autem non eosdem omnia numeros, sed alios alia, pro diversitate materiae et orationis genere. Contentiones enim celerius currere, narraciones tardius ferri debent. Tarditatem orationi et gravitatem spondeus in primis afferat, qui duabus syllabis longis constat.

¹ Cfr. sup. fasc. VIII-IX.

Celeritatem paean maxime conficit, qui tribus brevibus et longa, vel in principio vel in fine posita, continetur. Dactylus, qui longa et duabus brevibus conficitur, utrius generi est accommodatus. Iambus, qui ex brevi et longa est, demisso et humili sermoni aptissimus est, propterea que eo maxime comici utuntur.

Principia a longis, ut plurimum, syllabis facienda sunt; fiunt etiam a brevibus nonnunquam, ut Cicero: « Animadvertis, judices et novum crimen ».

Paeā is, qui primam longam et tres breves habet, et in principio et in medio passim optime collocatur: in fine decet. Is vero qui tres breves et longam postremam habet Aristoteli et Graecis maxime placet; in fine Cicero eum non valde probat; nam ultimam syllabam ne in versu quidem, quanta sit, referre arbitratur. Quintilianus longam esse censem oportere. Ego Ciceroni, qui plurimum dixit et scripsit, magis accedo.

Cavendum autem est, ne hexametri versus principium initio dicendi aut scribendi faciamus; quale dicitur reliquissim Livius: « Facturus ne operae precium sim »; quod qui emendare voluerunt « facturus ne sim » postea scripserunt.

Sicut etiam finis hexametri et pentametri vitiosus est; in quem Asinius et Brutus incidere saepenumero solebant, ut video placuisse Catoni. Et Hieronymus noster, quamquam non his rebus erat intentus, in translatione Geneseos ait: « Da mihi animas, cetera tolle tibi », - quod ego non accusandi Hieronymus, sed vitii ostendendi gratia posui.

Clausula autem optime desinit in diachoreum, id est in duos trocheos, ut: « Patri sapientiam, filii temeritas comprobavit ». Trocheus enim ex longa et brevi conficitur. Sed videndum est, ne frequentius idem finis, quamvis optimus sit, satietatem afferat; afferunt enim etiam optimam satietatem.

Optimus est etiam in fine creticus, qui ex longa, brevi et longa conficitur, si ante se habeat vel dactylum, vel pyrrichium, qui duas breves, vel tribrachum, qui tres item breves habet, quale est: « Quamdi tantas iniurias patiemur? » et: « Facite, ut bonos servare videamur ». Geminatus etiam idem optime claudit, ut: « Virtus est servare quamplurimos ». Patitur etiam ante se anapaestum, qui duabus brevibus et longa conficitur, ut: « De viro loquar non solum bono, verum etiam nobili ». Dactylus quoque non claudit male, si eum iambus, vel creticus antecedat, ut: « Hoc nostra ratione concluditur »; male autem si spondeus vel trocheus antecederet; quale esset: « Hoc ratione nostra concluditur », vel: « Hoc nostra ratione clauditur ». Illud autem advertendum est, pedes omnes, si dictionibus singulis contineantur, pessime rationem inchoare et claudere, ut in Iugurthini belli principio apud Sallustium notat Quintilianus: « Falso queritur de natura sua genus humanum »; in fine quale esset, quod modo dicebam: « Ratione nostra clauditur ». Quod quidem et in pedibus bene coeuntibus vitiosum est.

Spondeus bene claudit, praesertim quae « incisa » nominantur, si eum antecedat creticus, ut: « Similis caussa, qua plurimum uti solebat Demosthenes ». Item si anapaestus, ut: « Loquar de muliere non solum nobili, verum etiam nota ». Item si iambus, ut: « Tu optimum munus exeres »; qui mo'ossus efficitur, qui est ex tribus longis. Contra, spondeus optime iambum praecedit, ut: « Iisdem in armis fuit », et: « Quid futurum sit, nescio ». Claudit autem male spondeus, si eum vel spondeus, vel pyrrichius, vel dactylus, vel paean, vel tribrachus antecesserit.

Amphibrachus etiam, qui longam inter duas breves habet, auctore Quintiliano, etiam claudit non male, ut: « In Africa fuisse ». Sed ego in ratione dichorei, qui eodem in loco est, fieri censeo. Idem tro-

chaeum et pyrrichium, qui paeana conficiunt, optime cadere existimat, ut: «Quanta eos a plebe romana maneret invidia»; quem pedem Cicero dicit vigere in principio, in fine iacere.

Bacchius, qui est ex brevi et duabus longis, etiam geminatus recte concludit, ut: «Quae ratio fuit, ut ab homine tibi amicissimo venenum timeres?»

Trochaeus quoque non solum geminatus, ut diximus, sed etiam spondeo praecedente recte cadit, ut: «Quod hic potest, nos possemus». Item pyrrichius inter duos trochaeus, ut: «Scipio suos omnes virtute superavit».

(*Ad proximum numerum*).

AURELIUS BRANDOLINI.

ANNALES

Ex Hispania.

Quarto exeunte anno, ex quo Primus ille De Rivera gubernii summa assumpsit, venia et oblivio hostilium animorum concessa est, atque novus publicus legatorum coetus congregatus, ad corporis, ut aiunt, consultivi formam redactus, quem rex, ex Mauritania, ubi amplissimis honoribus acceptus fuerat, redux, sollemni ritu inauguravit, quem tamen ritui socialistarum factionis legati minime interfuerint.

Inchoatis deinde huius coetus laboribus, rogatio legis lata est ad gubernand rationem ita reformandam, ut eorum, quibus summum imperium concredatur, fir mior largiorque fiat potestas munus suum exercendi.

Balcanici motus.

Inquieta semper Balcanica regio sese offert. Istip, in urbe australis Serbie, Kovacevik, copiarum dux, a tribus seditionis Bulgaris proditorie interimitur, quo-

rum duo a Iugoslavorum militibus custodibus vicissim necantur; tertius captivus factus est. Vehementes inde Iugoslavici gubernii apud Bulgarios reclamatio et minae... Res tandem ita est composita, ut iustum in finium locis periculis maxime obnoxii a Bulgarorum gubernio indiceretur.

In Rumenia autem Manolescu doctor, qui administratorum collegii, cui Averescu praeerat, fuerat particeps, ex Gallia redux, prodigionis accusatus, quippe Caroli principis redditum procuraret, in vincula detruditur. Hinc qui Bratiano, nunc gubernii praesidi, obsistunt, societatem inter se conflant, ei coniurationis fallacem visum exprobrantes, aut saltem artificiosam veritatis superlationem.

Atvero in dubium reverari non potest, agricolarum factionem, Carolo principi faventem, adeptos sibi multos in dies procurare, ita ut belli civilis timor commenticius omnino dici nequeat.

**

Sinense bellum civile.

Interim civile bellum in Sinis perdurat. Nunciatum recens est Pechinum urbem in magno discrimine versari, quod Feng dux Ciang-Tso-Lin urbis defensorum fudisset, Russorum opum auxilio. Ex adverso, recentiores nuntii retulerunt, Fengi potius rem perditam, nunc saltēm, habendam esse.

**

Operariorum ab operibus deser tiones.

In Germania nonaginta metallicorum millia ex condito labores suos deseruere, gubernii anxiā sollicitudinem profecto excentium.

Auctoritas tamen «laboris supremi administrī» ea feliciter fuit, ut per arbitrorum sententiam, quam partes sequi tenerentur, discrimen dirimeretur.

POPULICOLA.

VARIA

Wilhelmus Borserius in Hermini ex Grimaldiis avaritiam.¹

Fuit Genuae iampridem quidam nobilis vir, nomine Herminus ex Grimaldiis, qui, ut omnium opinio serebat, maximis possessionibus et pecunia quemcumque alium divitem civem, qui tunc temporis in Italia esset, longe superabat. Sicuti vero ille cuicumque alii Italo opibus praestabat, ita avaritia et sordibus quemlibet alium sor didum et avarum, qui in terris esset, praeter modum vincebat. Namque non solum in aliis honorifice excipiendis sumptui parcerbat, sed in iis, quae ad corporis cultum opus erant, praeter universalem Genuensium morem, qui magnificam induere vestein consueverunt, maximos defectus, ne sumptus faceret, perferebat, atque item in cibo et potu. Quapropter, et iure, ei cognomen ex Grimaldiis exciderat, et ab omnibus tantummodo Herminus de Avaricie vocabatur.

Accidit, ut, quo tempore iste, sumptui parcendo, rem suam augebat, Genuam adveniret quidam egregius vir aulicus, bene moratus et eloquens, nomine Wilhelmus Borserius, qui, cum aliquot dies in urbe mansisset et complura de Hermini sordibus et avaricie audisset, eum visere constituit. Herminus auditione et fama iam acceperat, hunc esse virum praestantem; ideoque quum ipsi, etsi avaro, non nihil tamen comitatis esset, humanissimis verbis et laeto vultu exceptit, cum eoque de multis et variis rebus sermonem intulit, dumque inter se colloquuntur, secum adduxit una cum aliis Genuensibus, qui cum eo erant, in pulcherrimam domum, quam recens aedificandam curaverat; et postquam totam ei ostendisset: «Wilhelme - in-

¹ Ex Italico vernaculo.

quit - quaeso, scisne tu, qui multa vidisti et audivisti, mihi indicare rem nunquam visam, quam in huius meae domus aula pingendam curare possim?» Tum Wilhelmus inepto eius sermoni: «Hermine, - respondit - rem nunquam visam haud existimo me tibi indicare posse, nisi forte sint sternutamenta, aliave id genus; sed, si vis, unam quidem te docebo, quam te nunquam vidiisse puto». Addidit Herminus: «Dic mihi, quaeso; quaenam est haec?» minime id responsi, quod dedit, ab eo expectans. Cui statim Wilhelmus: «In huius domus aula liberalitatem de pingendam cura».

Herminium, hoc verbo auditio, repente is incessit pudor, ut ad animum mutandum ferme omnino contra quem usque ad illud tempus habuerat, impulsus fuerit, et dixerit: «Wilhelme, eam ita pingendam curabo, ut nec tu, nec quisquam alias unquam iam mihi iure dicere possit, me eam non vidiisse aut cognovisse».

Exinde vero - tantam vim habuit verbum a Wilhelmo prolatum - omnium nobilium virorum liberalissimus et humanissimus fuit, et qui cum advenas tum cives honorificantius, quam quivis aliis, qui ipsius aetate Genuae esset, exceperit.

**

Graculus gloriosus.⁴

Graculus quidam, inani superbia tu mens, pennas quae pavoni deciderant, infelicitate quum invenisset, suis sibi detractis, illis se exornavit, ratus se ita dignitate et honore valde auctum iri. Tum graculos comites despiciens, formoso pavonum gregi, quasi unus ex illis, se immiscuit. Pavones rem mirari, intueri inter se, susurrare, alter alterum interrogare: ut paucis dicam, brevi res comperta. Tum in gloriosam et impudentem avem omnes

⁴ Ex Italico vernaculo.

irruere, pennas illi eripere, nudatamque irridere et rostro fugare. Graculus miserandum in modum sauciatus totoque corpore sanguine manans et pudore suffusus vicem suam tacite gemere, huc illuc, sursum deorsum cursitare, flebiles crocitus edere. Tandem pavones, saeviendo fessi, retro abeunt; ille autem ad genus suum redire coepit, quumque pennis nudus esset, iter pedibus conficiebat. Appropinquantem graculi conspicerunt, omnesque simul illi occurserunt illusuri. Verum postea, ubi implumem tamque male habitum conspicati sunt, irridendi cupidinem in commiserationem verterunt, et eorum quidam, quos prius despiciatu habuerat, eum sic compellavit: «En quo te pertraxit gloriae et honoris cupiditas! Alienis pennis iure nudatus es, qui tuis ipse te expoliaveris».

Suo quisque habitu vitam degat.

*

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

MENSES ORDO:

*Pastilli retorti columbino pectore
farti.*

*Pullus elixus, odoratis tuberibus cir-
cumfusus.*

Tacetum suillum.

Botulus ex foeniculis.

*Ovi luteum in mulso actum. - Cupe-
dia Sabaudica.*

Poma.

*

Iocosa.

- Ecquid lacrimas, Tucci?
- Quia pater me percussit.
- Ecce te percussit?
- Quia lacrimabam.

Tuccius in schola.

Postquam magister de domesticis ani-
malibus disseruit, Tuccium interrogat:

— Dic igitur nunc, Tucci, quod animal
tibi videatur magis homini adhaerere.

Tuccius post brevem meditationem:
— Sanguisuga!

Aenigmata.

I.

Amicus vectus *integro*, cui dempserat
Caudam, me laetus in *secundum* sustulit;
Et morae causam sciscitatus *principe*
Voce, inquit: Mihi cur te negas hospitem?

II.

Prima arcet *pars*; est melior *pars altera* no-
[strum];
Utraque heu constans, dimidium est hominis.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Partus, Portus,*
Artus, Ortus, Arcus, Orcus; 2) *A-sinus.*

**

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. PHIL... REBH..., *Bruchühlbach*, et
PETR. CAS..., *Palmi in Calabris*. — Suo tem-
pore accepimus. Acceptilationis testimonium
iis tantum mittimus, qui eiusdem pretium sub-
notationis pretio addiderint.

Cl. v. GEOR... BARN..., *Londini*. — Non se-
mel diximus fasciculorum, quibus titulus
Communia vitae, ne unum quidem venalem
superfuisse.

Cl. v. LEOP... VER..., *Genuae, ALIISQUE*
QUI IDEM PETIERUNT. — Ut superius adnota-
vimus, certamen poëticum Ruspantinum tertium nondum indictum est; neque praevide
datur novae inductionis tempus.

Cl. v. IOAN... PAR..., *Panormi*. — Limatius
dicendi genus tibi acquirendum est, ut in
certamen illud descendere cum spe victoriae
possis.

Cl. v. GE... NAR..., *Lutetiae Parisiorum*. —
Pro! In cistellum!

A SECRETIS.

STANISLAUS FUGIENS

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

BILINSKIUS.

Cogendus erit aliquo sollertia modo.

PAULLUS.

Cogi non potest. Quid tum? Edic.

BILINSKIUS.

Tum quod in mentem venit tibi
Ab hac molestia ut te prorsus liberes, remittas
[volo domum:
Aliqua profecto dabitur causa, quae facile
[probetur patri.

PAULLUS.

Iam non suades tantum, sed persuades probe.
Conveniam igitur statim et colloquar.

BILINSKIUS.

At in primis moneo illud, ut
Blandissima oratione...

PAULLUS.

Tu dictum puta.

SCENA II.

BILINSKIUS.

Hoc si quam inventum a me est astute et
[callide,
Tam facile processerit e sententia, initium
[fore video ut

Paullatim inter duos fratres coeat concordia:
[augeam

Sic porro unius erga me benevolentiam
[itemque alterum
Etiam conciliabo mihi, cui fortasse nunc

Displiceo aliquid. Et Fulcius ipse, quem
[modo

Consilii huius participem feci, collaudavit
[maxime.

Unum veteor, ut Paullus facilitate rem
Ac lenitate gerat: illius novi equidem inge-

[nium satis.

PAULLUS.

Nugae.

BILINSKIUS.

Mane:

Deinde erimus ibi opportune locum nacti, ut
[tantisper deserat
Vitae severitatem: hoc si semel obtines,
Versare illum pro arbitrio erit nobis in pro-

clivi.

PAULLUS.

Logi.

BILINSKIUS.

Denique avertemus aliquandiu ab illis suis...
[(nosti satis)

Quos colit scilicet, observat, et audit unice;
Quorum usu et suasione id discit, ut in more
[vivendi suo

Perstet obstinatio.

PAULLUS.

Somnia.

BILINSKIUS.

Scin' tu denique? His tuis
Responsionibus enecas. Quaere qui te melius
[consulat,

Aut ut tibi lubet facito.

PAULLUS.

Hem, audi, desino.

BILINSKIUS.

Vis, non vis: quid hoc malum rei est?

PAULLUS.

At sunt recte prospicienda omnia. Quid frater
Si nolit animi caussa?

BILINSKIUS.

Oportet blanda invitatione...

PAULLUS.

Blandam invitationem ab illo respui.

SCENA III.

NAEVOLUS, BILINSKIUS.

NAEVOLUS.

Non h̄c durare quisquam, si sic sit, potest.
Scire equidem volo quae sit haec domini
[protervitas.

BILINSKIUS.

Quid gannis? quid tibi vis?

NAEVOLUS.

Heu heu! occidi miser:
Paullus infregit pugnum adeo clementer mihi,
Ut, nisi reflexissem collum, dejecisset ex hu-
[meris caput.

BILINSKIUS.

Tuo factum merito.

NAEVOLUS.

Itane? Misit me modo
Arcessitum ad se fratrem: cum renuntio
Domi non esse, mercedem liberaliter
Continuo dedit. Hem! Prope denasavit,
[viden'?

BILINSKIUS.

Dicebam hoc eventurum: ingenio nimirum
[ille est praeferox;
Et vero imperavi, ut sedate vellet agere.

NAEVOLUS.

Quae est haec miseria? Haec cine tandem ut
[perferam?

BILINSKIUS.

Etiam taces?

NAEVOLUS.

Nae ille continebit posthac, si sapiet,
[manus.

BILINSKIUS.

Fratrem vedit adhuc?

NAEVOLUS.

Nihil istuc ad me attinet.

BILINSKIUS.

Heus? infortunium dabo, ni mihi dixeris.

NAEVOLUS.

Nondum puto.

BILINSKIUS.

Adibo igitur, ut eius in tempore comprimam
[iracundiam,

Ne mea cogitata coepaque disturbet male.

SCENA IV.

NAEVOLUS.

Enimvero meus herus cerebrosus est satis;
Sed si ei aliquando ob fratrem cerebrum
[finditur,

Insanit, obvioque parcit nemini.

Atqui ego scio cur immerentem illud oderit,
Et in extremas terras amandatum velit.

Nimirum nimis ab illius probis moribus in-
[telligit

Reprehendi vel tacite satis ineptos suos.

Ea cruciatur gratia et corde uritur...

(BILINSKIUS *adveniens cum PAULLO*).

(Stanislauum mox huc adducet Fulcius).

NAEVOLUS.

Eheu! par coit optimum. Cavebo prudens;
[nec hodie
Istis dolandum tergum committam meum.

SCENA V.

BILINSKIUS, PAULLUS.

BILINSKIUS.

Nonne iam multus monueram, ut te compe-
[sceres?

PAULLUS.

Dedi operam: at postquam renuntiavit Nae-
[volus

Fratrem non esse domi, non frustra suspicans
Illum aut in templum isse, ut consuevit, pro-

[ximum,
Aut apud illos nigros bipedes commorarier,
Quos sibi magistros virtutis esse deputat,

Ibi nonnihil concalui vel invitissimus.

BILINSKIUS.

Nunc ergo comprime te, et fratrem adeun-
[tem bono

Sermone, vultuque perquam benignus excipe.

Tibi certe facilem fore facilius senties.

(Ad proximum numerum).


Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus = Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.



SOCIS ET LECTORIBUS Commentarii nostri humanissimis Natalitia quae imminent festa et novum annum bona, fausta, felicia ex animo ominamur.

De consiliis, quibus rem nostram in ann. MCMXXVIII, qui decimus et quintus vitae nostraræ erit, expeditur simus, in primo novi voluminis fasciculo, ut iam diu assuevimus, loquemur: id hodie affirmare sufficiat, in incoepio nos perstituros illa ipsa fide, illa animi inflammatione, et incitatione mentis, quibus illud abhinc tria lustra, suadente immortali Pontifice PIO X sumus aggressi, et Pontificum qui ei successerunt favore aucti, intermisimus nunquam.

Sic in via, qui nobis iamdiu accesserunt, non modo fideliter nos comitari pergent, sed socios novos acquirant, qui latinitatis causam, quae humanitatis omnisque civilis cultus causa est, et ipsi suscipientes, longe lateque in dies ubique per ALMAM ROMAM effundant!

Premium annuae subnotationis immutatum manebit; scilicet pro Italia

libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas libell. 30 exaequet.

ALMA ROMA.



Novissima de latinis litteris paelectio¹

*Senectutis non inertis
grato et honesto munere
fungar.* CIC.

*Rector Magnifice, Clarissimi Collegae,
Humanissimi Auditores quotquot estis,
cum lectissimis adolescentibus huius
Athenaei alumnis.*

Quoniam institutis nostris fatalique quadam lege haec mea ex cathedra oratio extrema debet esse, et quasi cum Ovidio

Alloquor extremum maestos abiturus amicos,²

¹ Habuit Mediolani in auditorio maximo Athenaei Catholici a docendi munere discessurus. Non sine animi permotione quisque hanc magistri doctissimi itemque pientissimi orationem leget. Faxit Deus ut in litterarum et christiana sapientiae bonum is ita servetur in aevum, ut proposita sua omnia perficere valeat! (I. F.).

² Trist. 1, 3, 15.

nescio utrum ea re laetandum magis mihi sit an dolendum. Doleo equidem, alumnos meos, quos semper vehementer amavi et diuturno labore tot annos latinis litteris erudiendos curavi, iam mihi relinquendos esse et deserendos, ita ut palaestra quasi studiorum meorum subtrahi videatur. Sed contra quum ingravescerent aetatem, imno urgentem iam senectutem meam considero, ingenique vires, quae nunquam non exiguae fuerunt, ipsa naturae necessitate, cito defecturas praevideo, laetor sane, me a docendi munere liberatum iri, dilectosque huius Athenaei alumnos in disciplinam iunioris praestantiorisque magistri venturos esse.

Sereno igitur et hilari animo habeatur mihi, tamquam cycnea vox, novissima de litteris latinis praelectio.

Qua primum eos alloquens qui hoc anno iam ad finem vergente auditores mei fuerunt, in memoriam revocabo, quam fœcunda studiis et cum poëmatis omnis generis, tum libris de rebus gestis, orationibus vel forensibus vel ad rem publicam pertinentibus, commentationibus grammaticorum rhetorum philosophorum, dives et uber fuerit ea latinarum litterarum aetas de qua locuti sumus, quam *Ciceronis aetatem* appellare consuevimus. Nam quum non tenuis rivulus, sed abundantissimus Graecæ humanitatis et doctrinae amnis Romam, in civitatem armis victricem, fluxisset, par erat multos Romanorum, etiam inter civiles contentiones et bella cum exteris gentibus gerenda, exemplaria graeca nocturna diurnaque manu versantes, imitanda suscipere. Unde factum est ut plurimi extarent omnis generis poëtae et prosae orationis scriptores. Quos enumerare et e tenebris in lucem vocare conati sumus, etiam si, deperditis eorum operibus, per pauca passim fragmenta legi possint.

Nimirum in latinis litteris tradendis non huc tantum spectandum est ut opera

summo artificio perfecta perlegamus, illustremus iisque delectemur, sed omnis doctrinae humanitatisque historia comprehendenda est, adeo ut quae cogitarent, sentirent, quae animis percepta haberent etiam inferioris ordinis homines et ipsa servorum multitudo, nobis quodammodo aperiantur et innotescant. Non est igitur historia nostra praestantissimorum tantummodo operum expositio et explanatio, sed etiam, vel potius, eius officium est, cultus et humanitatis romanae quae fuerint itinera flexusque ostendere et quasi virgula attingere.

Praeter litterarum historiam, ante auditores meos ordinis secundi, nonnullos ex celebrioribus latinis scriptoribus, ut munus est eius qui has litteras tradendas suscepit, interpretari aggressus sum. Juvenalis Satirae, Martialis Epigrammata, Apuleii Madaurensis Metamorphoses in manibus fuerunt, locique non pauci horum operum perfecti sunt nobis et explanati, tum variis codicum lectionibus passim perpensis ut optima lectio seligeretur, tum et rebus et locutionibus ex memoria morum, temporum, personarum illustratis. Omnes auditores mei mecum animadverterunt admiratique sunt quantum efficacitatis, quantum argutiarum et eloquentiae et urbanitatis habuerint vel sequioris aevi scriptores apud Romanos.

Denique discipulis meis huius anni academici auctor fui, omnemque curam et operam posui in promovenda latine scribendi facultate. Dudum enim persuasum est mihi, perperam Italos antiquitatis studiosos hanc artem parvi facientes neglexisse; perperam hanc ardenter et coruscum lampada nobis a maioribus traditam in decursu recipere recusantes, obscurari nos et extingui passos esse; quum contra non exigua laus - in Italia natis - habenda sit, et tot excellentium virorum, a Fr. Petrarcha ad Ioannem Pascoli exemplo illustrata, Romanorum

linguam ita callere, ut non solum scriptores, leges, monumenta recte interpretari possimus, sed etiam usurpare eam sermonibus, commentationibus, epistolarum commercio; cum praesertim illa lingua publice semper utatur Catholica Ecclesia et in liturgia et in decretis suis Actisque edendis et promulgandis.

Sed de huius anni laboribus et de iis quae ad utilitatem discipulorum nostrorum nuper elaborare conati sumus hactenus. Quoniam extremus hic apud auditores collegasque meos sermo habendus est, patiamini me, plus quinquagenariam docentis et studiosi vitam recolentem, audacter aperire vobis, quibus rebus nonnihil videar cognitiones nostras in Latinarum litterarum studiis promovisse.

a) Primum, in *textu*, ut aiunt, *critico* nonnullorum ex latinis scriptoribus constituendo, spero me haud frustra operam impendisse. Ut multis abhinc annis, editionem cum italicis notis Commentarium Iulii Caesaris de bello Gallico et civili paraturus, qua potui diligentia florentinos codices, praesertim Riccardianum contuli, et nonnihil profecisse videor ad Caesaris manum passim agnoscendam, ita propioribus annis Persii Satiras ad meliorem quodammodo frugem restitui, ni omnia me fallunt, duobus Laurentianis codicibus adhibitis, qui, licet aetate posteriores sint codicibus recensionis, ut dicitur, *Sabiniane*, tamen lectionem genuinam passim ex optimo ectypo nunc deperdito exhibent, ideoque in huius scriptoris *crisi* locum suum et numerum habere debent, ut ex mea editione (Paraviana anni MCMXVIII) manifestissime patet.

Etiam in Augustini *Confessionum* textu ad bonam frugem restituendo, post recentiores editiones praesertim Teubnerianam, vidi equidem, perperam Codicem Sessorianum saeculi VIII, propter antiquitatem ita praepositum esse ceteris, ut hi

omnes negligenter; nam contra quidam eorum, iam a Maurinis editoribus adhibiti, saepe saepius puram et genuinam lectionem, nullis interpolationibus vitiatam minoribusque lacunis, exhibent, adeo ut ad eos sine cunctatione redeundum sit. In universum iam multis exemplis confirmatum esse videmus, non semper libros sequiori manu conscriptos negligendos esse præ antiquioribus codicibus; hi enim quamvis ad *αὐτόγραφον* textum proprius accidentes, minime tamen mendis expertes sunt; illi contra, quamvis posterius scripti, possunt ex optimo fonte derivati esse et sincerioris magisque genuinae lectionis gloriam sibi vindicare; vel ut nuper alumni mei Florentini diligenti opera Lucretianis quibusdam codicibus in Laurentiana bibliotheca perpensis collatisque, apparuit manifestissime, emendamenta quaedam a Lachmanno et Briegero, Germanis editoribus, excogitata ad vitia removenda Leidensium codicum *Oblongi* et *Quadrati* quibus illi unice fidebant, iam reperi in libris recentioris quidem aetatis at ex antiquo exemplari derivatis, quos eiusdem auctoritatis esse ac codices Leidenses dicendum sit.

b) Venio ad historiam litterarum, in qua semper elaboravi non sine fructu, spero; eam enim cum multis commentationibus exponendam tum in duabus praesertim locis illustrandam aggressus sum, hoc est in primis indicis Romanae humanitatis atque artis colligendis aperiendisque, vexata quaestione non omissa *de versu*, quem vocant, *Saturnio*; atque in fama nonnullorum scriptorum et tamquam nova vita apud posteros perseveranda; de Cornelio Tacito loquor, qui incredibile dictu est quam magnam vim inter homines nulla non aetate habuerit tum studia excitando, tum exempla et argumenta scriptoribus praebendo, tum denique sententias et regulas publicae privataeque vitae supeditando.

c) Tertia studiorum meorum provincia interpretatio latinorum scriptorum fuit, tum poëtarum tum prosae orationis. Quorum, non exiguo numero quidem, opera quaedam notis adiectis ita instruxi, ut omnis interpretandi difficultas amovereatur. Qua in re huc semper spectavi ut, et singulorum verborum et eorum comprehensionis vi cognita et bene perspecta, legentes ad res statim et sententias animum advertere cogerentur. Pertaesum enim me erat eorum rationis, qui, in scholis praesertim, Caesariana, ut exemplum proferam, vivida et prope perfecta oratione abutebantur, ut casuum vel temporum usum discipulos docerent, neglectis his quae multo potiora sunt descriptionibus locorum, rebus gestis virorum, civitatum, exercituum, ceterisque rebus, quas ut lectoribus suis traderet vir ille summus certe stilum manu sumpserat.

d) Quod tamen non ita velim intelligi, ut latini sermonis studium p[re] historia rerum et cognitionum neglexisse credar. Quin in promovendo linguae latinae studio plurimus fui; et quos libros de hac re in usum scholarum ordinis secundi confeci, vel formam verborum (*morphologiam* appellant), vel eorum copulandi collocandique rationem exponens, vel integræ et sincerae latinitatis praecepta non sine copia exemplorum et schematum illustrans, eos etiamnunc confido, ad id quod quaerimus, i. e. ad patrum sermonem penitus cognoscendum et latine scribendi facultatem adiuvandam, utiles futuros esse. Viam enim ac rationem constantissime secutus sum quae aptissima docendo ab omnibus agnoscir. nempe a rebus notis ad ignotas gradum facere, quod est nobis ab usu quotidiano italicæ orationis profici et latinam consuetudinem eiusdem rei significandæ conferre et contra ponere, ut discrimine animadverso et bene perpenso, Latinorum ratio comparationis luce clarissime discentibus appareat.

e) Sed iam nimis multa de me deque mea mediocritate ingenii et industriae; non fugit me, immo probe scio et sentio quam stultum sit, ne senibus quidem ignoscendum, de rebus suis gloriari, quem tam multa quovis in genere vitae peragenda sint, tam pauca autem ego pergere valuerim. Tamen patiamini adhuc operam memorare, quam tanto studio et amore contuli in Pauli Apostoli epistolis italicice convertendis et eius doctrina, ut poteram, explananda. Nuperrime in lucem editus est apud *Istituto Editoriale Italiano* de hac re libellus meus, quem nonnullis spero utilem futurum esse ad Christianam fidem altius in animo figendam et tam magni viri admirationem et venerationem confirmandam. De libro psalmorum autem, quos e vulgata converti, melius est omnino tacere.

Auditores humanissimi, mihi docendi munere perfuncto scio vos quietem et silentium ingravescens aetatis permissuros esse et quasi hortatueros. Sed quoniam senectutis nullus est certus terminus, recteque in ea vivitur quoad munus officii exsequi et tueri possis, equidem profiteor, donec valebunt vires, nihil me a studiis abstracturum; in labore et studio enim, non in otio videor mihi veram quietem comparaturum esse. Nam multa adhuc peragenda, quaestiones instituendae, libri conscribendi occurront; quae nisi fiant, munus meum et officium migrasse videbor. - a) Historiam Latinarum litterarum latine scribendam suscepi, cuius primam partem de originibus in ephemeride, cui titulus *Alma Roma*, non sine studiosorum utilitate edidi; quin pergam de archaea aetate, de Ciceroniana, de Augusta, deque ceteris ita conscribere, ut Athenaeorum alumnis et summarium huius doctrinae et latinitatis non sprenendum exemplar praebeam? - b) Dixi de opusculo meo quo famam Cornelii Taciti

apud posteros illustravi. Sed iam in prompto habeo testimonia et documenta non pauca, quibus fretus et Iulii Caesaris et Sallustii et Augustini famam pariter et novam quasi vitam apud posteritatem illustrare potero; quis prohibebit nisi Dei voluntas ad se vocantis quominus hunc librum componam? - Praeterea, c) quoniam rei metricae Romanorum saepius iteratisque curis operam impendens, animadvertisse visus sum, quibus gradibus sensim ab horrido Saturnio ad versus comicos, a comicis ad metra Enniana, et ad perfectiorem artem Catulli, Vergilii, Ovidii, Romani progressi sint, dein, sensu quantitatis syllabarum atonicarum deficiente et prope senescente, a pristina severitate syllabas metiendi paullatim recentiorum versuum ratio orta sit, hanc materiam velim totam planissime exponere; quum praesertim liturgici hymni et Sequentiae hac arte ferme composita sint, et inde nova etiam lux recentiorem et nostram versus conficiendi rationem patefaciat, illustret et compertam penitus reddat. - d) Neque id satis erit desiderio et voluntati meae. Nam ad promovendam latine scribendi facultatem, auditores mei huius anni normas quasdam et quasi artem requirebant, quam sequentes et observantes viam et rationem latine componendi disserent, neque exemplis selectis ad imitandum carerent. Huiusmodi artem nunc deesse inter libros in usum discentium compositos confiteri debemus omnes; utilitati eorum consulam si conficerelicebit.

e) Denique christianaæ litterae, ut scitis, non paucis abhinc annis, attentionem meam excitarunt. Oh quam velim in iis acrius diligentiusque versari, et paene dixerim me in illas ingurgitare, ut bene perpendere possim, comprehensas habere, in succum et sanguinem convertere! Oh quam velim, inter cetera hebraicam linguam discere, cui nunquam dedi operam,

ut libros veteris testamenti ex ipso fonte hauriam! Si Cato, vetus ille Cato Censorius, ut vel infantilis nostris notum est, senex graecas litteras arripuit, cur non ego, dum vivida adhuc mens est et bona voluntas, biblicum sermonem temptavero?

At fortasse videor vobis, auditores, hoc ipso temporis puncto me senilis stultitiae et deliracionis specimen praebere, qui spes inanes concipiāt et velut somniis quibusdam decipi patiar! Tamen non reticebo, Augustinum illum, maximum Hippomensem episcopum, me ad se, tot virtutibus cogitandi et dicendi quibus fulget, allicere et attrahere; et consilium esse mihi, de illo ita conscribere, ut ostendam qua ratione, inter veteris humanitatis doctrinaeque aetatem et recentiorem positus, longe melius ceteris quidquid cogitarent, sentirent, possent Romani et Gentiles velut in tabula descripserit et depinxerit, et simul futuri aevi lineamenta praescientia mente adumbrare valuerit, duarum quodammodo civitatum primus civis et vates.

Sed hactenus de studiis, de litteris, de nugis philologicis, deque inani sapientia! Non ignoro equidem quam parvi momenti in universa vita et hominum coetu sint studia nostra, disputationes, commentationes et libelli, quibus componendis tantum temporis et operae impendimus! Quam sentio melius esse virtutem exercere et propter Dei caritatem eos quibuscum vivimus adiuvarare consulendo, admonendo, benefaciendo! Utinam praeterita vita mea hac re non prouersus fuerit contemnenda, utinam in temporis spatio quod superest mihi aliquid bonum facere valeam!

Hoc voto, hanc ab omnipotenti Deo gratiam omnibus precibus petens, finem dicendi facio.

Collegis meis clarissimis et Magnifico huius Athenaei Rectori gratum animum testor propter honorem quem in me, imeritum sane, conferre hodie voluerunt.

Pro Athenaeo autem quod me hos tres annos hospitio accepit, docendi munere insignitum et Ordinis Philosophorum et Philologorum Praesidem, novissima vota facere liceat, ut vivat vigeatque in annos, crescat, floreat, tum docentium studiis et doctrina gloriosum tum auditorum industria et pietate conspicuum!

O Pater noster qui in coelis es, fac ut per hos viros, per haec studia, per hanc virtutis palaestram, Regnum Tuum, quod est regnum *veritatis, iustitiae, caritatis*, citius adveniat, et longe lateque inter homines propagetur!

FELIX RAMORINUS.

DE SANCTO AMBROSIO

MEDIOLANENSIMUM EPISCOPO¹

Ambrosius multis ingenii virtutibus enituit; sed imprimis eloquentiae. Quamquam nulla aetate uberior fuit oratorum foetus, attamen Ambrosius, omnium iudicio, primas in eloquentia facile tulit. Haud mirum sane, si ipsa eius loquendi excellētia divinae virtuti attribueretur. In huius enim ore examen apum consedisse dicitur; quae res excellentem viri eloquentiam portendebat.

Ea tempestate, postquam sedes imperii Byzantium fuit translata, quo facilius armis Barbarorum incursionibus obserret, Mediolanum, imperator, alteram reipublicae civitatem sibi statuere decrevit. Quo facto, multis ac melioribus civibus undique accitis, haec urbs in immensum aucta est. Ambrosius vero, etiamsi in dies rerum humanarum pertaesus, divinas unica peteret, se totum sacris litteris dedisset, attamen ad antiquorum imitatio-

nem, et in primis Marci Tullii, se se componere videbatur.

Nec sane abs re; namque ex Romanorum more adolescentiam quum in profanis litteris transegisset, nunc, pro re nata, complura ex illis facile petebat, rebusque christianis scite accommodabat. Et eius orationes, quas perpetuo ad populum habebat, tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pene Ciceroniano stylo scriptae esse viderentur.

Hinc factum est, ut quotquot essent intelligentioris iudicii viri, interpositis studiis, ad Ambrosii cathedralm, tamquam ad praeclarissimi oratoris scholam, numerosi atque admirantes adfluerent.

Orationes magni admodum virtutibus commendantur, et doctorum sententia, omnium ex politissimum opus habentur, quod eius ingenio sit profectum. In his videlicet mirus ordo elucet, maxime in tradendis christiana doctrinae praeceptis diligentia, picturae vividores opportune posita, dictio lecta, florida et poetico saepe ornata laudanda, quae res vel humiliores splendorem concipere videntur.

Quae cum ita sint, quid mirum, si spectatissimus vir, inter omnes maxime enitesceret, et Gratiano imperatore occiso, ad Maximum eius interfectorum legatus iterum profectus sit? Eo vero poenitentiam agere recusante, se ab eius communione semovit.

Mutatis rebus, et iam Mediolani sanctissime rebus suis incumbens, primus ab Ecclesia, prompto ac firmo pectore, Theodosium imperatorem, propter caedem Thessalonicae prohibuit. Cui, quem ille David quoque peccatorem fuisse dixisset, respondit Ambrosius: «Qui secutus es errantem, sequere poenitentem!»

Ambrosius est insuper laudandus, quod identidem pro pueris primum, ut eorum levitatem quodammodo fraenaret, difficilliora christiana sapientiae placita molibus versibus effinxit. Quae carmina iucun-

dissime flunt et sincere quadam simplicitate et venustate commendantur. Sapiens enim Episcopus, politorem aetatem natus, multa necessario ad christianam doctrinam spectantia optime exornavit, quae nude atque ad rei veritatem expressa, superbae Romanorum aures fastidiosus repudiassent.

Hac in re longe Ciceronem est supergressus, in cuius iniuriam est famosissimus versus:

Oh fortunatam natam, me consule, natam!

Ambrosii hymni, in templis musicare canendi, maxime laudabantur; stylus tenuis, qualis religiosa carmina decet; ornatus tamen est comptus, ut nihil supra. Et nostris ipsis temporibus, post tot rerum hominumque conversionem, laetissime canuntur et commendantur.

Attamen, quamquam esset tot honoribus auctus, ut princeps in imperio habetur, atque ita se imperatoribus probaverit ut inter proceres esset adlectus, Ambrosius pietatis studio, morum suavitate, amissione modestia episcopatum cumulavit. Ad haec incredibile memoratu est, qua prudentia, qua for iudine, quaque alacritate in laboribus subeundis diu noctisque Christianorum saluti consulerit. Hoc unum meminisse sufficit, eum adeo clarescere, ut Theodosius imperator maximi faceret et veneraretur, et S. Basilius epistolam eius scripserit, gratulatus quod tot tamque uberes pro nomine christiano labores sustulisset; et omnes demum imperii occidentalis Episcopi eum in oculis ferrent, et tamquam Patrem diligenter atque libenter haberent.

Multa scripsit Ambrosius, quae longum est enumerare. Ex hisce maxime laudantur *De officiis* libri tres, quos ipse exaravit, ut sacerdotibus suae dioecesis praecepta quaedam ob oculos proponeret, quibus viam sterneret ad sacerdotale munus perfectius obeundum. Tantum erat

ei in mente obsitum: «Pulchrior est virtus veniens de corpore pulcro!»

In hoc libro exarando ad Ciceronem respxisse videtur, a quo mutuatus est non modo titulum, sed et ipsum ordinem, atque identidem verba. Neque tamen velim te forte arbitrari imitatoris tantummodo inanem atque haud valde invidendam gloriolam Ambrosium fuisse adeptum; namque Ciceroni eo longius antecellit, quo magis Christiana sapientia philosophiae Graecorum Romanorumque praestat.

Quare novum ex integro opus conflasse pene dixerim, quo Christianis officiis tradendis ad sanctiorem vivendi motrem lectores institueret.

Quamquam verbo librum hunc sacerdotibus nuncupaverit, attamen quae tradidit noster, et sapientium dictis ac gestis confirmavit, praecepta plurimum etiam universo populo christiano, praelestern adulescentibus conferre utilitatis censebimus. Quamobrem hoc tam praeclarum tamque utile opus tibi etiam atque etiam, candide lector, commendare non desinam, ad quod respiciant identidem adulescentes, ut e nostris scholis eloquentes et ornati prodeant, non rudes, non sermone barbari, non inanibus tantummodo praeceptis imbuti. Utinam vero et haec nostra ingeniourum foecundissima aetas, quae romanae antiquitatis studio maxime laudatur, ad Ambrosium saepius respiciat, eiusque vulnus manibus terat!

Unusquisque optime videbit quanta christiana sapientia sit ipse enutritus, ex quo novus sapientiae rivulus, undeque incorruptus, quasi succus et sanguis in Italorum mentes influeret!

Eius vero latinitas non iam aurea esse videtur, non Ciceronem undique refert; attamen semper rotundo ore loquitur, et in ipsis rebus recenti nota componendis, ita suus semper Ambrosius exstitit, ut Romanus Romanorum sermonem sua aeta-

¹ Cfr. fasc. sup.

tis commode usurpaverit. Latinus eius sermo in religionis mysteria, sacrificia, et caeremonias ita pervasit, ut suis aptus temporibus videretur, sicque ipse ad sequentem usque aetatem propagatus floreret.

SENIOR.

De Romanorum conviviis.¹

Leges convivales.

Inter alia rem convivalem spectantia, nonnullas quoque leges, quae a convivis servari deberent, ad nos transmisit temporum vetustas. Harum summum arbitrium ac regimen penes eum erat, qui per sortem convivio praepositus, *Dictator*, *Strategus*, *Magister*, *Arbiter*, *Modimperator* appellabatur.

De hoc magisterii imperique genere sententia est illa Flacci (I Od., 4):

*Quo simul mearis,
Non regna vini sortiere talis;*

et (II Od. 7):

*Quem venus arbitrium
Dicet bibendi?*

Praecipua quaedam illa lex esse solebat, qua convivae «a summo ad imum bibere» iubebantur, quod Graecis dictum: *ἐν κύκλῳ πίνειν*. Cuius ea vis erat, ut puer circumferente poculum nemo posset a potu abstinere. Eo de more accipienda sunt Catonis dicta apud Ciceronem (*de Senect.*, 14): «Me vero et magisteria - (scilicet convivialia) - delectant a maioribus instituta, et is sermo, qui more maiorum *a summo* adhibetur in poculis».

Inde autem emanasse effatum illud videtur: «Aut bibe, aut abi»; quod Graecis totius rei auctoribus, fuit: *Ἔ ηθος, οὐ ἄποθησις*.

¹ Cfr. fasc. mens. Aug. et Sept., pag. 185.

Quo proverbio id monitum volebant, aut tempori serviendum esse, aut ab humanarum rerum communione secedendum.

Constitui praeterea consuevit, quot ab unoquoque cyathi potarentur. Ita apud Plautum (*Stich.*, V, 4), ubi ad convivium magistratum sermo est: «Vide, quot cyathos bibimus. Sr. Tot, quot digitii sunt tibi in manu».

Atque hic advertere iuverit, cyathum duodecimam fuisse sextarii partem, exiguum sane potionis mensuram. Itaque nunquam fere unicus ille ebibitus; sed potius poculum, qui duplum eum, triplicem, quadruplicem, vel etiam multiplicatum amplius contineret. Ex quo vario cyathorum numero factum, ut pro sua capacitate pocula, mutuatis ab asse nominibus, *Sextantes*, *Quadrantes*, *Trientes*, etc., vocarentur. Quum igitur ita res esset, puer ministrando potui destinatus, cyathum habebat, quo praestitutum vel modimperatoris lege, vel (ubi haec lata non esset) convivarum arbitrio cyathorum numerum admetiretur. Ipse *Servus a cyatho* nuncupatus.

Lex item non rara fuit, ut in alicuius honorem potaretur. Ita apud Tibullum (II, 1):

Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat.

Ad hanc autem revocari percommode et illa potest consuetudo, qua fiebat, ut alicuius *nomen biberetur*, tot videlicet haurirentur cyathi, quot eius nomen literas contineret. Significatur aperte id moris per Martialis illud (I, 72):

*Naevia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.*

Grayissima vero omnium habita lex ea fuit, qua Diis libabatur, ita nimurum, ut pauxillo vini e poculo in mensam effuso (ex quo *libatio ipsa ἀπὸ τοῦ λείβειν, a fundendo*; dicta) poculum inde in honorem

alicuius Numinis siccaretur. Huc respicit illud Vergilii (VII *Aeneid.*, 133):

*Nunc pateras libate, Iovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.*

Et (VIII, 279):

In mensam laeti libant, Divosque precantur.

Secundis id maxime in mensis factitium. Quare idem in *Georg.* (II, 101) cecinit:

*Non ego te mensis et Diis accepta secundis
Transierim Rhodia.*

Non autem Diis solum, sed et principibus saepe viris is honos habitus. Itaque Horatius (IV Od., 5) sic Augustum alloquitur:

*Hinc ad vina redit laetus, et alteris
Te mensis adhibet Deum.
Te multa prece, te prosequitur mero
Diffuso pateris, et Laxibus tuum
Miscet Numen.*

S. A.

In Christi Domini Natalem

PUERI CANTIUNCULA.

*Hem vos quotquot adestis hic ad aram,
Ubi fasciolis micans et ostro
Iesus molliculus recumbit Infans,
Dicenti puer boni favete.
Volo dicere versibus Puellum,
Decus deliciumque pupulorum
Quot sunt, quot fuerunt eruntque posthac.
Nec me pangere tantulo cerebro
Credatis potuisse cantionem
Festivam, lepidam, perelegantem.
Pigrum scilicet uisdens ad ignem,
Tenui stamina dum colo trahebat,
Hanc matercula scita cantionem
Mi dixit deciesque centiesque,
Ut possem memori tenere mente.
Ipsa quin etiam docente, vocem
Tinnulam didici ciere, et apte
Dextrum tendere brachium et sinistrum.*

*Ergo haec tam facio decenter, omnes
Ut me laudibus efferant, et addant
Gestu ac voce praeire Septimillo,
Cui nunc invidia mala dolet cor.
Nam fastu ipse tumet sodalibusque
Se cunctis putat esse doctiorem.
Verum nunc animis adeste cuncti;
Dicenti puer boni favete,
Ne malus pudor opprimat loquentem:*

*Nox erat et gentes sopiverat alta silentes,
Cum Numen, plenis quod mundum torquet*

[habenis,

*Rupe sub edura peperit Virguncula pura.**Bruma dedit flores, quamquam horrida,*

[versicolores,

*Canaque inornatis halarunt lilia pratis,**Certamim ut bello properarent serta Puello.**Sed dedit ulva rudis membris cunabula*

[nudis,

*Pastores recta, linquentes frondea tecta,**Ad Puerum viles tulerunt bona munera*

[ovilis,

*Carmina et arguta cecinerunt pulcra cicuta.**Immo per nubes delapsa est caelica pubes,**Festivumque lyris permulcens aethera miris**Dixit: In his oris Deus est vi natus*

[amoris.

Plaudat io Infantii nemus omne et collis

[amanti.

H. N.

Certamen poeticum Locrense

Accepimus et libenter edimus:

«Iudicium de certamine huius anni, dilatum est in mensem Aprilem anni mox ineuntis. Interea novum certamen indicitur iisdem, quae iam vulgatae sunt, legibus, ne serius quam ante Kal. Apr. anni MCMXXVIII carmina perveniant: *Al Dottore del Collegio Principe di Piemonte - Gerace Marina, Calabria (Italia)*.

Locris, in Bruttii, mense Decembri MCMXXVIII.

PRO IUNIORIBUS

De compositione latina.¹

Drochimum, qui est ex quinque syllabis, prima brevi, duabus longis, brevi, longa, existimat Cicero, si semel ponatur, esse non malum, ut: «Amicos tenes»; quamquam magis numerus, quam pes propter multitudinem syllabarum videri potest. His vero clausulis si oratio variabitur, fiat ut et capiat lectorem et satis occurrat.

Quamquam autem omnis oratio fluere ita debet, ut numeris quibusdam incedere videatur, diligentia tamen illa et ratio numerorum tribus in locis potissimum adhibenda est: quemadmodum aliquid laudare ornatius volumus, ut fecit Cicero in secunda accusatione in Verrem de Siciliae laudibus; aut quem narrandum est aliquid quod plus dignitatis habeat, quam doloris, ut idem in quarta de Aetnensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ fecit; aut in amplificationibus et commiserationibus, ut idem pro Milone, pro Ligario et aliis iudiciis quamplurimis dixit. Tametsi se cognatum esse et voluisse id assequi fatetur, nescire tamen se an sit consequutus. Neque diu retinendam eam formam numerose dicendi idem Cicero arbitratur.

Sed transeundum ad ea, quae Graeci κόμματα et κῶλα vocant; nos *incisa* et *membra* possimus appellare: his oratio pulcherrime distinguitur. Sunt autem incisa breves quaedam orationes, quae vel interrogant, vel respondent, vel confutant, vel indignantur, vel pronunciationem suspendunt. Quale est illud apud Ciceronem: «Domus tibi deerat? At habebas. Pecunia superabat? At egebas». Haec incisa dicuntur; quae quidem danda opera est, ut quam aptissime cadant.

¹ Cfr. fasc. sup.

Membra vero sententiae longiusculae sunt, quae quibusdam quasi nodis inter se connectuntur: «Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti». Sequitur deinde quaedam quasi columna, quae superiora continet et comprehensionem concludit: «Depressam, caecam, iacentem domum pluris quam te et quam fortunas tuas existimasti». Quae quidem comprehensione dichoreo finitur: superiora membra spondeis optime terminantur.

Historia, ut Quintilianus scribit, non tam finitos numeros, quam orbem quemdam contextumque desiderat; nam omnia eius membra connexa sunt, et ipse rerum gestarum ordo per se lectorem capit ac detinet; propterea cum in omni scribendi genere, tum in historia vel maxime, quae rerum notitiam pollicetur, servanda perspicuitas est, atque omnis compositionis affectatio fugienda: quo quidem in virtute maxime versari videtur Tranquillus, qui dum brevis et non vulgaris esse voluit, obscurum se et nimis affectatum reddidit.

Omnis igitur oratio candorem quemdam et sponte fluentem cursum habeat necesse est, qui non numerosus sit et similis numeroso: nihil est enim peius ac turpius, quam si artificiose numeroso sectari modo poëtico videamus; nihil contra pulchrius atque artificiosius, quam quum ars in omni genere scribendi minime appareat, totaque compositio naturae quam maxime se accommodat; quam quidem rem duabus nos rebus maxime consequemur, lectione et scriptione.

Lectio non varia quotidie et diversa, sed simplex et unius generis esse debet, eiusque praesertim scriptoris, cuius in scribendo esse similes volumus: multum enim Plinius ait legendum esse, non multa. Eum autem esse Ciceronem nemo dubitat: ille enim se profecisse sciat (ut Quintilianus ait) cui Cicero valde placebit. Quod si historias scribere velimus, Caesar et Sallustius mihi in primis legendi imitan-

dique videntur. Livius quoque, tametsi diversum ab his scribendi genus habeat, obtinet tamen in suo genere principatum; miram enim in scribendo maiestatem praesefert. Neque Curtius, meo iudicio, repudiandus est; proxime enim ad superiores illos accedit. Alium praeter hos, quem imitari debeamus, video neminem.

Exercitatio autem multiplex est: unusquisque enim suo genere delectatur. Sed illa prima atque utilissima mihi videtur esse, ut epistolas in omni materia frequentissimas conscribam, atque illis quodammodo vires quasi in campo aliquo comparemus; possumus enim illis omne scribendi genus experiri, et nos quasi ad veram pugnam praeparare.

Illa deinde optima exercitatio est, ut historias, sive communi lingua scriptas, sive barbare atque inornate compositas, latine conscribam. Nonnulli etiam latine scriptas in compendium redigunt, vel aliis verbis componunt. Quod genus παραφράσις a Graecis vocatur: quae quidem si ex soluta oratione in solutam item orationem transferatur, probanda, sin ex poëmate accipiatur, meo iudicio, pessima ac vitiosissima est; alia enim poëmatis, alia orationis solutae ratio requiritur. Adolescentes vero, qui fines utriusque rei nondum intelligunt, poëticis translationibus candorem illum orationis involvunt.

Danda itaque opera est primum, ut optimum quemque imitandum nobis deligamus, deinde ut diutissime his, quibus dixi, rationibus exerceamur. Haec autem, quae tradita sunt praexcepta ita teneamus, ita servemus, ut intelligamus, neque sine his magnopere valere exercitationem, neque haec sine exercitatione multum ad scribendum conferre. Quod si haec cum exercitatione assidua coniunxerimus, vetustam illam et perfectam scribendi rationem, qua illi, quos maxime admiramur, veteres utebantur, optime atque absolutissime consequemur.

A. BRANDOLINI.

IULIUS BARBERIS

SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR

Nuper in suorum complexu, cum sanctissimis religionibus saepius esset perfunctus, vitam placide finivit amicus hic meus carissimus, idemque discipulus.

Ipse, octogenario maior, a prima iuventa sub ductu praescriptoque Ioannis Bosco patris Legiferi, sacrae militiae munus fungens, egregiam operam in pueris colendis navavit. Mitissimo ingenio, singulari consilio, lenitate atque industria tirones Salesianorum per quinquaginta et amplius annos sustinuit, et materna prope consuetudine aluit educavitque.

Ab officii religione nunquam declinavit; eiusque cura studioque eo admodum contendit, ut Patri Legifero alumnos similes effingeret.

Plurima edidit volumina, in quibus imaginem animi suavissimam reliquit. Pectoris candorem, consilii laudem, omnibus virtutibus mirum in modum cumulavit.

Obit superiore mense Augustae Taurinorum.

Pacem perpetuam impertiatur Dominus animae desideratissimae!

I. B. F.

EX ITALIS URIBUS

Italorum calamitas inter epulas nunziata.

... Genuam tandem perveni et diversorum iam antea locatum petivi.

Quod suavissimum epularum nectar undique effunditur!

Lentus dum scalas ascendo, puer, condita veste indutus, atque elegantissime

comis pectine ex more compositis, me sollicite et confidenter monere, universos iam convivas ad mensam accessisse, morosumque acerbissime queri.

Ingreditor... At quae magna rerum hominumque confusio! Triclinium moestis vocibus undique resonat.

Quid tam triste evenit?

Ligus quidam, admirantibus cunctis atque ingemiscentibus, novissimam tetricamque Italorum calamitatem referebat, ingentem scilicet navim, nomine *Mafalda*, inter magni Oceani fluctus, nuperime apud Brasilem incensam fuisse atque demersam.

Primo omnes terrore nimio perculsi tacuerunt intentique ora tenebant homini, qui fusius narrare desiderat, dum prae manibus, aërem quatiens, ephemeredem furiose agitat.

Quae eiulantium querimonia! Qui strepit! Quot una voce inclamant, silentiumque iubent!

— Quomodo novisse possumus excidi gravitatem causamque, nisi altissimum silentium faciemus?

Tunc una vox prae omnibus exauditur:

— Dic, queso, damnum hoc ob magistri incuriam forte evenit?

— Ob ignorantiam potius?

— Quot in ultimum erunt fortasse mortui?

Pueri sunt cum ferculis in medio quid sint peracturi nescientes.

Factum est denique hominum silentium animorumque tranquillitas, et triclinii quodammodo princeps, summo e subsellio suo exorsus, sic est convivas allocutus:

— Amici, si ita me vos alloqui fas erit, nunc constantiam habere debemus... Estote prudentes, et ne tempus teramus et vulnera refricemus, tacere iuvabit. Vnum est nos aërem tot clamoribus replere, remque difficiliorem reddere; tacere in primis est necessarium atque exaudire quidquid in mari actum est. Tunc plora-

bimus, tunc altissime flebimus. Et postea ex pectoris abundantia unusquisque liberime loquetur. Placet?

Una voce conclave repletur: — Placet!

Tunc orator inter omnes adsurrexit, et silentibus omnibus, sic alloqui incipit;

Ineunte Octobri, ingens et inclyta navis *Mafalda*, quae maxima vi aquae evaportatae agebatur, et erat omnibus recentioribus inventis praedita, itemque ad viatorum commoda et subsidia satis superque rebus cunctis munita, cum mille et trecentis circiter hominibus, a portu Genuae nostrae profecta, bono alite ad meridionalis Americae litora grandibus itineribus tendebat. Iam Brasilianum portum reliquerat, et finem itineris facturam se esse operabat, quum ex improviso, gravi primum mole sistit, magnisque elicibus ruptis, in proximo naufragii periculo versatur. Tunc in primis supremi navis magistri virtus enuit, qui optime quid ei esset agendum cognovit atque mira animi tranquillitate gessit atque complevit. Tuto vultu placidusque verbis universos monet ut quietis sint animis, atque in ipso suisque nautis fiduciam ponant. Deinde, dum sui pro viribus aquam ex oribus apertis irruentem refrenant, ipse late circum naves pervagantes de periculo monet, auxilium enixe postulat per mirum illud Marconii inventum, per nuncia, per telegrapha inter aërem immissa, et ab omnibus opem opportunam quaeritat ac securu animo exspectat.

Interea ad hominum salutem cum naviculis ad opus paratis, ordinatim, quoad eius fieri potest, in tam gravi rerum perturbatione, omnia cogitat omniaque disponit, ut cuncti de navi peritura descendant.

Sunt et complures annuli cummei, aëre repleti, qui vulgo *salva gentem* vocantur, et miseri naufragi sic supernatare adiuvant, donec ad navem salvaticem appellare possint.

Ingemiscunt circa naufragi et duplices

tendunt ad sidera palmas! Praesentem enim viris intentant omnia mortem.

Hinc inde sanctorum nomina exaudiuntur, in primis voces Augustae Matris opem precantium, votaque funduntur diversarum gentium sermone. Omnia ad salutem optime fluunt et cuncti naufragio divinitus evasissent, ni, lamentabili casu, nonnulli Arabes, absque lege ac moribus, periculo mortis furiosiores adstant, et ad naviculas irruentes pedibus manibusque vim inferrent; quae pondere pressae in medios fluctus immerguntur.

Quot homines ita fato miserrime cesserunt! Tunc navis magister cum paucis fidissimis nautis, quum omnes e navi evassent, ad caelum conversus, se suosque commendans, cum *Mafalda* sua gloriosus in profundum raptus in mediis fluctibus evanuit...

Hisce acceptis, alii mortuos commiserantur, alii magistri navis fortitudinem commendant et extollunt. Dein tacite coena clauditur...

PEREGRINUS.

Colloquia varia eademque familiaria latine composita

V.

Ad Sancti Petri « in vinculis ».

Hospitem ad praefinitum locum nomine inveni. Numne via aberravit?

Quum frustra eum diu exspectassem, ad S. Petri templum de eo quaesitus perrexii, et ostiarium interrogavi. Haec ille mihi retulit, quae fideliter repeto:

« Sub atrio deambulans atque omnia, qui meus est mos, verrens et observans, ne loci sanctitas deturpetur, hominem longe, abhinc circiter duas horas, vidi peregrinum, qui vitris oculariis miraque

arte auro confectis, et insuper bino conspicillo, omnia cuncta curiosissime explorat, miratur, atque identidem pretiosiora notat et *autocalamo* describit. Curiositate compulsus, accessi, sicque eum compellavi:

— O bone, cur tam curiose locum perspicis, facilesque oculos fers omnia circum? Tam peregrinus in Urbe es, ut non cognoveris te in Esquilino monte esse, ac propterea editiore loco? Olim hic erat locus « multis incaeduus annis » ideoque densissimus; nunc aedes hinc atque illinc, ut tibi quasi aërem surripiant, nedum caelum.

— Rem veram — sic ille — narras, nec novam. Hoc est enim fatum recentioribus urbibus. Tu de Roma loqueris, quae nuper e rudibus veteribus effossa, caput iterum et membrum hinc inde inter viventes immensis molibus extollit. Sed ego quid de Londino dicam, de immensa illa Anglorum urbe, quae, novis semper accessionibus, Romam antiquam vicit atque est supergressa?

— Anglus itaque tu es, quin imo Londonensis? Quam gaudeo! Cupis hoc nostrum Petrianum templum invisere? Ego tuus omnino libentissime ero, omniaque dicere paratus, quae tu novisse ambis. In primis, vides parvulam illam turrim, quae nobis obvia est, ad clivi nostri pedes?

— Evidem video. Estne fortassis turris sacra? Vel una de illis, quae vulgo ad historiam pertinere dicuntur?

— Paucis me absolvam, dulcissime. Attamen non tam cito finire, si cuncta explanare vellem, quae vulgo de illa narrantur. Uno verbo, scito illam admodum esse perhibent, in qua Nero, bonus ille imperator qui christianos est horribile persecutus, famosa nocte sedebat, et Vergili carmina de Troiae incendio mirum in modum canebat, dum immortalis Romulaea moles cadit, et omnis humo fumat Mavortia Roma. Tanti criminis reos chri-

stianos incusavit, eosque atrocibus poenis plectere non dubitavit!

Ad huius clivi pedes erat olim Suburæ vicus, ubi pessima omnium civium natio habitabat, quae circenses modo et panem quaeritabat; et antea vaserrima Tanaquilla Anci Martii regis corpus curru foedavit. Quo facto dictus *sceleratus* ab illa vicus.

— Si ita est, regio haec tam ominosa est in primis fugienda!

— Nostris diebus nec ominosa est, neque fugienda, quoniam est religione admodum instaurata. Vides aediculam turri propiorem? Est S. Antonio dicata, cuius discipuli per tot saecula, ieuniis, paenitentia ac religionis studio in omnibus late orbis regionibus inclaruerunt. Sed in primis vel ab initio vicus hic celeberrimus apud omnes habitus est ob hoc *Petri in Vinculis* templum ab Eudoxia imperatrice, ut perhibetur, conditum, ut ibi gloria Petri apostoli vincula pendentur. Romae enim primum vincula modo mortalia Neronis colebantur, et Eudoxia, Orientis imperatrix, filiae Eudoxiae Valentini III uxori, vincula Petriana misit, quae per summum nefas ab Herode principi Apostolorum injecta, catholicam libertatem adservaverunt.

— Aedes, quae templo novis usque incrementis sunt adiunctae, aptiorem in ordinem dispositae, cultuque splendidior exornatae, addita hortorum amoenaitate obtinet adhuc familia religiosa?

— Quid dicas? En, tu lugendissima vel imprudens restricato vulnere, dolorem animis auges! Olim nos integrum clivum, decrescente ob inopiam civium numero, secure et tranquilliter obtinebamus. Nos, uti vides, ad immortalitatem vehimur... Et propterea exiguo admodum contenti, ingentia rura pro pauperibus tenebamus. At, at, venit et nobis summa dies, et prope ineluctabile tempus, quo recentiores domini dixerunt nobis: «Veteres migrate coloni...» Et nos «dulcia liquimus arva!»

Nos Canonici Lateranenses vocamur, quod, apud primam illam Ecclesiam, quae caput mundi dicitur, prognati, ad virtutem populos indulgenter instituimus. Et labentibus annis, in universum terrarum orbem effusi, vel opibus omnibus saepe expoliati, parem atroci temporis animum exhibentes, insignem de hostibus triumphum retulimus, eo admodum tendentes, ut nos pietas, integritas vitae bonis omnibus commendaret quot praesertim pueros ad virtutem atque ad artes coluimus! Singulari quoque ueste induiti, religionem praedicabamus et sic nequidquam erubescentes ad haec tempora attigimus.

In bonis, in arduis rebus aequam mentem Ecclesiae servavimus: securi ad aeternitatem in Christo pervenimus.

— Verum a quo Vos saeculo initium sumitis?

— Quum primum christiana religio per orbem evulgata in populis radices altiores iecit, nos protinus in eorum auxilium undique convenimus animis opibusque parati. Omnes Ordines sacri hesterni sunt, ut ita dicam; nos sumus saeculares. Nos enim, ductu praescripto que sanctorum magistrorum, iter incipimus cum Eusebio Vercellensis Episcopo, atque Augustino, et parce per tot saecula mutati, ad nostra usque tempora pervenimus. Difficillimas hominum mutationes vidimus, et magna cum Ecclesia matre tulimus et gessimus; et, Deo adiuvante, Christophori Columbi audaces vias secuti, nova littora petivimus, ibique sancto operi nostro alacres incumbimus.

— Res equidem narras incredibiles! At, at, uti optime noveris, «Omnia tempus habent!» Res enim mihi maxima restat!

— Quaenam, quaeso?

— Coena me exspectat. Te audiam lubentissime in crastinam diem, quem rediero tuoque ductu templum omne perlustrabo; iam enim hodie vespertinae incumbunt

umbrae. Gratias interea, pro munere ago, maioresque habebo.

— Ad rem meam et ego vadam. Te item in crastinum libentissimus videbo; nunc vale. Omnia sint tibi prospera.

Et tu, dulcissime rerum, vale, et te Deus incolumem servet.

Sicque alius alio dilapsi sumus».

I. B. FRANCESIA.

ANNALES

Foedera.

Foedera Novembri hoc mense sancta, hinc inter Galliam et Iugoslavorum regnum, inde inter Italianam et Albanensem civitatem, animos Europaeorum civium non leviter commoverunt. Iugoslavonici enim superbia sua elati, in Angliam praesertim et Italianam petulanti intemperantiae non pepercunt, quae hos populos non ferire nequivit. Hinc non iniustae querelae, quas Briandus extingue conatus est, pacificas omnino esse foederis conditiones declarans, et ab offensionibus in quamlibet gentem omnino alienas. Sed non multa fides hisce verbis tributa est: in id certe unice omnes consenserunt, inopportunum omnino fuisse huius pactionis tempus.

Vicissim Galli et Iugoslavonici incusationes in Italianam verterunt circa foedus ab ea cum Albanensibus initum; quas tamen Italicum gubernium statim compescuit, publici iuris foederis textum faciens, ex quo palam et sine ambagibus foederis vis duplex innotuit, scilicet Albanensium iurum libere sese habendi recognitio ac tutela, atque Italicae libertatis necessitas in Adriatico mari, quae inde, per inspectiōnem Hydruntini freti, in tuto tandem collocatur. Itaque nemo negare poterit, quin Italo-Albanense hoc foedus pacis certum maximumque pignus constituisse.

* *
Rumenorum res.

Manoilescus ille, alter a secretis Rumenici quondam administratorum collegii, proditiois, uti diximus, accusatus, a iudicibus absolutus est. Hinc Bratiani, gubernii praesidis, adversarii magis in eum maledicta conferre, exigere ut sese a munere abdicaret. Superi vero id fecerunt: improviso enim morbi, a quo politicus ille vir iam pridem excruciatatur, impetu, paucis horis vita functus est. Hoc luctuoso eventu quievere animi; pro tempore tamen; namque post iusta funebria civi multis meritis, ab omnibus recognitis, claro patriaeque optime merito, soluta, factionum ignis iterum exarsit, neque praevide licet quomodo extinguantur.

* *
Poloniā inter et Lithuaniam discrimen.

Discrimen alterum exortum est Poloniā inter atque Lithuaniam, semper ob Wilnae possessionem, quam post bellum illi civitati tributam, haec omni, quae detur, occasione sibi vindicat. Res eo gravior apparuit, quod Russicum gubernium, ut ceterorum mentes fortasse ab internis invidiis suis averteret, clitellam, uti Terentius diceret, bovi imponens, sollemniter enunciavit conatum quemlibet in Lithuania Orientali Europae pacis periculum futurum, quod ideo sibi coercendum esset.

* *
Nationum societas.

Neque hae tantum Russiae gloriantur. Nunciarunt enim quoque «Sovietici» illi administrari, sese in proximum Nationum Societatis conventum, qui mense Decembri Genevae habebitur, contra prius acta sese interventuros, ibique de deponendis armis ea consilia laturos, quae radicitus malam arborem evellant.

Logi! Non sunt inde consilia ad rem suscipienda; imo vero ab Eo, qui illius Vicarius, a quo vera pax hominibus bonae voluntatis in terra nunciata est, procul adhuc ab illo consessu, heu, distinetur!

POPLICOLA.

VARIA

Aquila et cornix.¹

Aquila, alto ex scopulo evolans, agnum unguibus arripuit. Cornix, illam gestiens imitari, magno clamore arietem est aggressa. At implicatis unguibus in vellerebus, se explicare atque evolare nequiverat; quod pastor sentiens accurrit, captaeque alis summis amputatis, primo vespere, eam ad filios detulit. Quibus sciscitantibus quidnam avis hoc esset: «Méo quidem iudicio – inquit, – cornix; eius vero iactantis aquila».

**

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

MENSES NATALICIAE ORDO:

Sorbitio ex petasulis Bononiensibus.
Capo elixus cum scriblitis oryzineis.
Cardui Parmensium more conditi.
*Pharaonica gallina assa, assis avi-
culis circumsaepa.*

*Bellaria: Astaphidica et Mellinucea.*²

**

Locosa.

Tuccius in schola.

Postquam Magister de canis fidelitate disseruit, Tuccium interrogat:

¹ Ex italicis fabulis NICOLAI TOMMASEO.

² Italice: *Pangiallo e Torrone*. Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXXVII, pag. 191-193.

— Curnam ergo, Tucci, canis herum suum nunquam non sequitur?

Tuccius post brevem meditationem:

— Quia ei praecedit.

Tuccius condiscipulo cuidam:

— Candide fateamur: ineptissimi atque ignavissimi sumus.

— Heus tu! Singulare persona loquere!

Tuccius: — Si tibi placet... Ineptissimus et ignavissimus es!

**

Aenigmata.

I. (*Permutatio vocalium*).

O – terram tetra tenebris caligine cingit,
I – gelida hanc ipsam velamine contegit albo.
E – contra vivos vigilat saevissima in armis.
U – tibi, si frangas, oleum dabit optima et

[escam.]

II.

Sulco me mandat, mollivit ut aura Favoni
Tellurem rigidam strenuus agricola.
Verte meum nomen; verso pronomen et adde:
Quae sortes urget, nascitur ecce dea.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Cur-rus*; 2) *A-mens*.



Libera a pittaciis responsa.

Rev. v. A. M. COL..., *Omaha*. – Reverendissimi item atque clarissimi viri obitum, quem mihi nunciasti, vobiscum doleo. Illius imaginem optimè expressam inter amicorum defunctorum effigies religiose servabo.

Cl. v. Ios. MAR..., *S. Catharinae in Calabris*. – Edemus; at si vis excerpta, tuis impensis ab officina typographica Vaticana iubenda sunt.

Cl. v. ROD. BUR..., *Berolini*. – Sic vos non vobis... vetus est adagium.

Cl. v. LAUR. PER..., *Augustae Taurinorum*. – Dum satis est calidum debemus cedere feruru!

A SECRETIS.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

INDEX RERUM VOL. XIV

(AN. XIV — FASC. I-XII)

PAG.	PAG.
Alloquia sociis et lectoribus. 1, 112, 173, 181	154
Annales. 14, 33, 50, 69, 88, 106, 121, 140, 157,	168
176, 195.	189
Apologetica.	
Hominum fastidia (P. A.)	73
Archaeologica.	
De capitis tegumentis apud Romanos (S. A.)	26
Roboretanum recens museum (Senior)	31
Marcelli theatrum (<i>Romanus</i>)	78
De Romanorum conviviis (S. A.) 101, 116, 135, 188	
Christianorum sepulcralia symbola de ani- mae beatitudine aeterna (S. S.)	164
Ars.	
Animalia et musice (P. A.)	9
De pictoribus Franciscalibus (I. B. Fran- cesia)	46, 63
De Sculptura (G. Lepore)	61, 81
De Pictura (Id.)	129, 150
Carmina.	
Puer Jesus Princeps pacis (H. N.)	7
Ad singulos ALMAE ROMAE socios in an- num MCMXXVII socii Alafridi Bartoli vota	17
Pio XI quintum anniversarium ab inito Ecclesiae gubernaculo concelebranti (A. Nardis)	19
Heroico viro Humberto Nobile aeronauticae artis principi de magnifico suo transpolari volatu feliciter peracto Caelesti avia- tionis patronae grates pie deferenti (I. Fratini)	44
In solemniis pro Divi Aloysii Gonzagae calva Mediolanum ovante translata in cathedrali templo celebratis (C. Mam- bretti)	49
Velvolum (S. Alessandrini)	60
Pontificis Pii XI monumentum in bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis aula princeps Conservatorum ipsius Docto- rumque collegio xxi Kal. Aprilis MCMXXVII sollemniter inaugurante (C. Mam- bretti)	65
Pausiliyon (I. Cacace)	80
Horae subsecivae: Pater Noster, Ave Maria, Gloria Patri, Ad Angelum Custodem (G. Frangipane)	84
Ad Felicem Ramotino, qui septuagesimum quintum iam annum emensus a nobilissimo suo docendi munere discedit, non quasi «feriatu in sabbato» sed tam- quam «operarius in negotio» mansu- rus (M. Galdi)	91
In festo Beati Petri: Salus Italiae Pontifex! (I. Rinaldini)	99
Crux amphitheatro Flavio restituta (I. Ri- naldini)	115
Ad SS. Virginem Guadalupae, Mexicanae Provinciae Patronam (I. Cacace)	133
Geographia.	
• Sinarum regio (Anon.)	29
Historica.	
Ioannes Pontanus (I. B. Francesia)	24
Alexander Volta (A. C.)	45
De Joanne Bosco, Piae Salesianae familiae et Instituti Filiorum Mariae Auxiliatricis conditore (I. B. F.)	66
Dominicus Savio (I. B. Francesia)	84

PAG.	PAG.		
De Sancto Maximo, primo Taurinensium Pontifice (<i>Senior</i>)	96, 111, 131		
Augustus Hlond (<i>I. B. F.</i>)	114		
De disciplinis pueris traditis apud Romanos (<i>G. P.</i>)	148		
De Sancto Ambrosio Mediolanensem Episcopo (<i>Senior</i>)	152, 166, 186		
Liber a pittaciis responsa (A. Secretis).	35,		
	53, 142, 160, 178, 196		
Libri dono accepti	90, 108		
Litterae et Philologia.			
De latinarum litterarum historia praelationes (<i>F. Ramorinus</i>):			
VIII. De rhythmicis inscriptionibus antiquiorum temporum. - De imaginum titulis. - De versu qui dicitur <i>Saturnius</i> . - De satura dramatica	4, 23, 40, 58		
IX. Litterarum reliquiae in vita publica pri scorum Romanorum: Memoria rerum gestarum, pactionum, foederum etc. in publicis monumentis servata - Inscriptio columnae rostratae - Libri magistratum et tabulae publicae; praesertim libri pontificum. - Annales et memoria rerum	75, 93, 109, 127, 163		
Caelestes virtutes in summo Manzonii opere (<i>A. Perugini</i>)	37, 55		
De Sienkiewictii fabula Milesia quae inscribitur «Quo vadis?» cum Manzonii «Sponsis» comparata (<i>A. Cima</i>)	97		
Qua ratione hic Vergilius versus (<i>Aen. IV, 19</i>) intelligendus sit: «Huic uni forsitan potui succumbere culpae» (<i>M. Pellegrinus</i>)	113		
De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXXVI	115		
De doctrina Tertulliane libelli qui inscribitur «De corona» (<i>I. Marra</i>)	145		
De certamine poetico Ruspantinio	169		
Novissima de latinis litteris paelectio (<i>F. Ramorinus</i>)	181		
Certamen poeticum Locrense	189		
Medicae notae.			
De morbo, qui latine «aqua subtercus» vocatur (<i>Dr. Kaul</i>)	11		
De quiete et exercitiis (<i>Dr. Havemann</i>)	101		
De somno et vigilia (<i>Dr. Havemann</i>)	119		
Ad tuberculosim arcendam: De «sanatoriis» (<i>R. S.</i>)	137		
Funebris ex cadaveribus convivia (<i>R. S.</i>)	172		
Narratiunculae.			
Sapiens militis cuiusdam responsum (Versio ex italicis scriptis <i>P. Segneri</i>)	34		
Foreris a Rabatta et Iottus pictor (Versio ex italicis scriptis <i>I. Boccaccio</i>)	52		
Infans Mytilene repertus (Versio ex italicis scriptis <i>H. Caro</i>)	70		
Apium iter (Versio ex italicis scriptis <i>D. Bartoli</i>)	88		
Brachmanae (Ex <i>Maffei</i> historiis)	107		
Calusius et Alferius Cintrae in Lusitania (Ex <i>Boucherono</i>)	141		
Italorum Gallorumque certamen ad Bardu-			
los (Versio ex italicis historiis <i>F. Guicciardini</i>)	158		
Wilhelmus Borserius in Hermini ex Grimaldiis avaritiam (Versio ex italicis vernacula)	177		
Necrologia.			
Julius Barberis (<i>I. B. F.</i>)	191		
Philosophia ac Theologia.			
De prima sermonis origine (<i>E. Hugon</i>)	22		
Pro Iunioribus.			
De parvo antibarbaro (<i>F. Ramorinus</i>)	8		
De improbi societate, stulti atque pedestris hominis vitanda (<i>H. M. Jacobelli</i>)	86		
«Parvi antibarbari» praefatio	118		
De compositione latina (Ex scriptis <i>A. Brandolini</i>)	138, 174, 190		
Roma sacra.			
Pius PP. XI, iuvenes, qui ex universo terrarum orbe Romam convenerunt ad centenariam alteram commemorationem agendum, ex quo Aloysis Gonzaga Sanctorum ordinibus est adscriptus, latine allöquitur	14		
S. Congregationis Concilii decretum de Sacerdotibus magisterii munus gerentibus in publicis scholis	51		
Ex Congregatione S. Officii: De «sensuali» et de «sensuali mystico» litterarum genere	104		
SS. D. N. Pii XI allocutio habita in S. Con cistorio d. xx mens. Iunii MCMXXVII	122		
Scenicae fabulae.			
Pancratius. - Actio dramatica <i>Francisci Wieland</i> (Latine reddidit <i>Andreas Haberl</i>)	18, 36, 54, 72, 90		
Stanislaus fugiens. - Drama <i>Henrici No zzi</i> ; <i>S. I.</i>	125, 143, 161, 179		
Sententiae.			
Ex Seneca	13, 32, 106, 155		
Veterum monita	89		
Ex S. Gregorio	155		
Vacui temporis hora.			
Pro iudicibus mensarum elegantibus, escarum ordines (<i>I. F.</i>)	17, 35, 53, 71, 89, 108, 124, 142, 160, 178, 196		
Iocosa (<i>I. F.</i>)	17, 35, 53, 71, 89, 108, 124, 142, 160, 178, 196		
Aenigmata	17, 35, 53, 71, 89, 108, 124, 142, 160, 178, 196		
Varia.			
Quo modo Athenaei Catholici Mediolanensis alumni Sinenses Episcopos sint allocuti d. iii mens. Decembris MCMXXVI (<i>A. de Sancto</i>)	32		
In honorem Ulrici Hoepli, quo die octogesimum aetatis annum explens, Mediolanenses magistratus et proceres ad splendidias epulas convocavit (<i>F. Ramorinus</i>)	67		
De Concilio Regionali Episcoporum in Subalpinis (<i>Subalpinus</i>)	174		
Ex Italis urbibus: Italorum calamitas inter epulas nunciata (<i>Peregrinus</i>)	191		

	PAG.
historiis <i>F. Guicciardini</i>	158
Hermini ex Grisio ex Italico versio	177
gia.	191
me (<i>E. Hugon</i>)	22
<i>Ramorinus</i>	8
ti atque pedestris	
<i>M. Iacobelli</i>	86
fatio	118
scriptis <i>A. Brancaccio</i>	138, 174, 190

ex universo ter- venerunt ad cente- norationem agen- tum Gonzaga Sancto- dscriptus, latine	14
lli decretum de mnibus gerentibus	
: De «sensuali» » litterarum ge- neratione	51
habita in S. Con- vento MCMXXVII	104
122	

matica <i>Francisci</i> it <i>Andreas Ha-</i> . 18, 36, 54, 72, 90	
na <i>Henrici No-</i> . 125, 143, 161, 179	
. 13, 32, 106, 155	
. 89	
. 155	

egantibus, esca- 35, 53, 71, 89, 108, 4, 142, 160, 178, 196	
1, 89, 108, 124, 142, 160, 178, 196	
1, 89, 108, 124, 142, 160, 178, 196	
i Mediolanensis os sint allocuti MCMXXVI (A. de	32

quo die octoge- splens, Mediola- ceres ad splen- (<i>F. Ramorinus</i>)	67
biscorum in	174
calamitas inter- ius)	191

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus=Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubent, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

“ALMA ROMA,,
IN ANNUM MDCCCCXXVIII

Prospectum laboris nostri, ineunte hoc anno MCMXXVIII, lectorum oculis subiicientes, novos praesertim socios alloquimur: qui enim iam nos dudum comitantur, plane sciunt quid ALMA ROMA sibi proposuerit, quantaque fide et opere in incoepio suo perstiterit. Voluimus quidem re ostendere, regiam hanc linguam latinam, quae olim cum Romano imperio universum orbem pervasit, et nunc etiam per Catholicam Ecclesiam longe lateque diffunditur, aptam semper, flexibilem et idoneam exstare ad omnia, vel nostrae aetatis novissima, exprimenda; ita ut ablegatis tandem de universali, quem dicunt, sermone, conquisitionibus atque etiam aemulationibus, ipsi omnium matri, omnium animae et sanguinis altrici, debitus honor restituatur.

Itaque in commentario nostro omnis generis argumenta latine tractata sunt: litterae, historiae, civiles, oeconomicae et sociales quaestiones, quaeque ad artem diversasque disciplinas spectent, usque ad iocosa, ludicra et communia illa nostrae vitae, quae non ex hodieris sermonibus, neque ex ingenii celeritate petivimus, sed a parentis vitali rore haurire studuimus.

Haec fideles comites nostri per tria vitae nostrae lunstra viderunt habueruntque accepta; haec cum ipsis videbunt qui venturi erunt, quosque numero crescentes in dies speramus, diligentia praesertim amicorum nostrorum confisi, quorum unicuique grave profecto non evadet, unum saltem subnotatorem ex parte sua societati nostrae comparare.

In quam quidem non solum qui iam latinas litteras callent adnumerari cupimus; sed iuniores etiam, qui per vada et scopulos secundi ordinis scholarum cursum tenent, in quibus latinitatis studium iure meritoque a supremis moderatoribus amplificatus ubique, fausto alite, est. Neque sine causa «per vada et scopulos» diximus; persuasum enim

nobis est huiusmodi restitutionem ab imis fundamentis efficiendam esse, scilicet ab ipsa docendi ratione, ita ut non quasi in corporum mortuorum sectione, cum magna difficultate, indeque sine discipulorum amore, imo cum taedio latinae linguae eruditio impertiatur, verum uti significatio rei viventis adhuc et florentis in vigore mentis, in conformatione spiritus, litteras artesque omnes permeant. Ad haec consequenda commentarii nostri paginae non parum certe afferent utilitatis.

Sed quo propius ad hunc finem adipiscendum simus accessuri, utque etiam pluribus sociis morem geramus, qui fasciculos «Communia vitae» inscriptos, quos nonnullos ante annos edidimus, neque iam in uno quidem exemplari supersunt, ipsis hisce diebus a nobis requisiverunt, phrases et formulas iam in ipsis collectas ad latina colloquia instituenda, auctas et per capita ita distributas, ut usui faciliores succedant, iterum evulgare hoc anno aggrediemur, quum tamen et dialogi, et descriptiones, et quotquot occurrant opportuna argumenta, quae ad latine scribendum vel loquendum expeditius conferant, minime praetereamus, curantes in primis semper, ut, quamquam in varietate, denique sit totum simplex simul et unum.

* *

Restat ut de consociationis regulis pauca dicamus, sociis singulis commendantes, ut omnia recto tramite nobiscum expediant.

Subnotationis pretium, uti in superiore mens. Decembribus MCMXXVII fasciculo enunciavimus, idem atque in praeterito anno erit: libell. 15 in Italia; pro Civitatibus Foederatis et Canada doll. 3; pro exteris nationibus summa italicas libellas 30 exaequans. In *Patronorum* autem Commentarii nostri numerum adscribentur, qui summam italicas libellas 100 exaequantem miserint, vel socios novos quinque saltem adportaverint. Eorum nomen publici iuris in Commentario fiet.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE collectionem ab anno MCMXIV ad annum MCMXXVII inclusive sibi cupiat - supersunt enim exemplaria nonnulla - mittat italic. libell. 325 pro Italia; pretium duplicatum, scilicet libell. 650 pro exteris gentibus.

Denique has leges in mente quisque habeat:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit - (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) tamquam socius valide reputabitur.*

Valete interim vos qui legitis; vobisque et vestris Superi fortunent!

DE CONTARDO FERRINIO¹

Plerumque evenit, Beatissime Pater, ut sanctitatis famam adipiscantur, qui procul a societate hominum vota concipient paupertatis castitatis et obedientiae monasticam disciplinam amplexati, aut saltem qui sacerdotium ineant extra claustra. Perraro virtutes heroicae pertinent ad viros, qui in oculis civitatis degunt aetatem athenaea celebrantes sive discipuli sive antecessores, praesertim peracto saeculo, quum Christiana Fides palam in ore atque in oculis omnium spernebatur. Nonne igitur miranda res fuit, quod Contardus Ferrini brevibus annis vitae suaee consummaverit tempora multa, et alumnis et magistris praeclarum singularis doctrinae sanctissimorumque morum exemplar? Quod, ne plura exordiar, luce clarius enitebit, si ordine enarravero quantis virtutibus Dei Famulus suum tempus fera tur gessisse.

Mediolani ortum habuit Contardus pri die nonas Apriles anno reparatae salutis millesimo octigesimo quinquagesimo nono, et statim sacris lustralibus aquis fuit ablutus. Rinaldus pater, eximius naturae speculator fuit atque huius scientiae doctor, et, quod pluris putandum est, ita christianis praeditus virtutibus, ut (iuxta cuiusdam testis opinionem) ipse merito sanctimonia donari posset, nisi quidquam de paterno lumine lux filii vivissima ferme detrahere videretur. A teneris unguiculis pietate Contardum imbuit Aloisia Buccel lati matersfamilias honestissima, quae

¹ Oratio habita coram Summo Pontifice ad causam Beatificationis dicendam pro illustrissimo illo viro, qui tantam non modo doctrinae, sed pietatis famam reliquit. Auctori clarissimo, Sacri Consistorii Advocate, quia orationem vulgandam nostro Commentario concederit, amplissimas gratias habemus, et publice referimus.

usque ad exitum vitae mutuam cum viro suo animorum consensionem atque integritatem servavit. Ubique locorum puer quotidie in sacras preces animum intendebat, et in paroecia religionis rudimenta addiscere consuevit. Quamobrem duodecim annos natus dignus existimatus est qui Panem Eucharisticum acciperet. Nec mirum. Namque, ut temporibus illis, citius non dabatur Eucharistia. Mature primis elementis et gymnasio studuit in schola cui nomen Boselli, quibus absolutis, adiit lyceum Beccariae. Utroque loco tantam adhibuit diligentiam, ut non modo condiscipulos facile superaret in iudicis literariis, sed etiam iis incitamento esset ad virtutes exercendas. Non solum ei praecox fuit ingenium, sed mira quoque prudentia, ita ut inter aequales ab improbis adolescentibus abhorreret, et cum optimis amicitiam iungeret, quae duratura esset diutissime. Varia eruditione repletus libros Scripturae Sacrae semper pree manibus habens, veteri sermone, quo unusquisque exaratus est, facile perlegebat, neque unquam aut nostra aut latina aut graeca interpretatione utebatur.

Itaque multa cum laude exacto lyceo, Papiae in athenaeo publico iurisprudentiae incubuit. Ibi in collegium Borromeum cooptatus, studio et virtutum omnium exercitio assidue operam dabant. Quamvis collegii moderator sacerdos esset, disciplina tamen laxata erat. Hiemali tempore vespertinis horis conveniebant sodales in aulam tepentem, ubi commode magistrorum preelectiones perpendent. Siquis autem ausus esset impudica vel impia in Deum verba proferre, illico Contardus, abscisso rerum omnium respectu, impudentem obiurgabat. Quod si improspere hac succedebat, alia aggrediebatur via. Collectis libris et chartulis, in suum redibat cubiculum. In coenaculo saepe suum vinum porrigebat sodali, cui paullo plus haurire expediebat; at quum hic olim

blasphemasset, renuit, atque humanissime diaetario bibere dedit. Nihilominus plerumque ei meritum habebant honorem, appellantes Aloisium Ferriniae domus, atque inter testes in actis quidam confessus est sibi notum non fuisse Contardi nomen, sed Aloisii. Propter bonam famam, qua fruebatur, Dei Servus suis sodalibus familiariter utebatur de rebus divinis sermonem habens, et persuadens ut sacris interessent in templo, et praecipue Maio mense ab Virginem Christi Matrem colendam.

Emenso studiorum curriculo, quum annum ageret primum et vicesimum, plenis suffragiis, doctorum insignibus ornatus est, et, quod magis fuit, pecuniarium praemium est consecutus ad studia perficienda penes alienigenas. Quapropter Berolinum missus est, ubi maxima pars hominum ab Ecclesia Catholica dissidet. Ipse tamen solito more suo functus, templum S. Edvigis frequentabat, minime unquam perterritus. Imo festis diebus nihil habebat antiquius, quam ibi contemplari fidelium multitudinem et pietatem, suamque laetitiam ipse literis consignavit. Supplicationibus aderat aut sustinens umbellam aut cereum gestans, quum divinum atque adorable Corpus Iesu circumferebatur. S. Vincentii De Paulis societati nomen dedit, ut pauperum casas ingredieretur ad opitulandum, panem suppeditans et corporibus et animabus. Quare optimo iure ab Episcopo Breslaviensi «potens in lingua germanica et pietate» appellatus est. In corruptissima quidem civitate Dei Famulus malorum obliscebat, quum ad Catholicos optimos oculos atque animum intenderet.

Omnia summa in eo erant, et mirum in modum athenaei doctores ei primas facile tribuebant in romana iurisprudentia, adeo ut ipse Mommsen, rei catholicae infensus, evidentiae causa confessus sit Contardum supremam laudem in ea

scientia a Germania ablaturum esse, quam Italia per illum adeptura esset. Studio expleto, aliquandiu Parisios, inde Romam divertit, ubi Leonem Summum Pontificem invisit, et ab eo inter Sacrum divino nutrimento refocillatus est.

Quatuor et viginti annos natus iurisprudentiam docere coepit primum Papiae, postea Messanae, Mutinae, et potremo iterum Papiae usque ad obitum. Juvenes auditores tantum virum scientiae causa magni faciebant; multi autem ob virtutem et singularem pietatem amore inducti etiam venerabantur.

Aestivis et autumnalibus feriis ei erat solatio Alpium iuga ascendere, unde aiebat se in solitaria et silvestri natura propius Omnipotentem esse, et melius perennem bonitatem Dei fore ut meditaretur. Eodem desiderio quo Contardus, tu quoque tenebaris, Beatissime Pater, cuius rei causa tuo luctuoso testimonio patet vestram amicitiam coniunctiorem fuisse.

Sunae, ubi quotannis rusticabatur cum parentibus ceterisque suis, in paterna domo immaturam mortem oppetiit. Ante diem tertium nonas Octobres anno millesimo nonagesimo et secundo e templo redeuntem, ubi ultimum caelestibus epulis refectus erat, vehementi febre corruptum familiares in cubili collocaverunt. Subito parochus advolavit; sed in diem morbo ingravescente, aut quia rationis expers Dei Servus factus erat, aut quia vomitione cibos reddebat, Sanctum Christi Corpus morienti afferre non potuit. Attamen in ore nullos gemitus, sed breves aegrotus habebat preces, quibus vulgo iaculatorium nomen impositum est, et olim interroganti ut valeret, respondit semper bene esse qui cum Deo esset, et quum adventum navis actuariae nunciabat tintinnabulum, Sancti Sacrificii signum dari aiebat. Denique illuxit funestissima dies. Etenim decimo sexto kalendas Novembres, aetatis suaee tertium et quadragesimum agens

annum, Dei Famulus, Extrema Unctione illitus, dulcissimam animam exhalavit. Sed cur dico funestissimam diem? In errore vessor. Namque fuit faustissima: vir innocens ingrediebatur in caelum. Aderant parentes, frater, sorores dolentissimi. Undique fama fert Sanctum obiisse.

Sed hactenus nihil aliud feci quam brevissimum vitae compendium. Nunc rem maximi momenti aggredior; eius enim virtutes heroicas explicabo incipiens a theologicis, Fide, Spe, Caritate.

Iuxta Concilium Tridentinum Fides est «humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium pervenire». Neque facile erat Contardo omnia credere dogmata quae a Deo tradita sunt Ecclesiae et Summi Pontificis magisterio. Politicae et philosophicae artes, omnes fere juvenes sefellerant, praesertim in scholis publicis Superioris Italiae. Et quid aliud impeditiebat quominus palam profiterentur homines veritatem doctrinae catholicae et debitum obsequium sacerdotibus, nisi timuisserent ne in vulgo contemnerentur aut in ridiculo haberentur? Sed ipse usu aut consuetudine vulgari nunquam abripi passus est, et Deo et Ecclesiae semper obtemperavit. Eius propinquai, praesertim cognati liberalem (ut dicunt) partem sectabantur; at ipse Summi Pontificis sententiae acquiescebat semper, etiam de huius imperio summo in civilibus curis. Antonius Rosmini philosophus in iis regionibus anteponebatur Aquinati, et a Contardo quoque permagni aestimabatur propter doctrinam et bonos mores, sed amicus usque ad aram in proverbio est. Quare ut Roma locuta est, et Sancti Officii tribunal philosophi propositiones reprobavit, quamvis complures auderent detrectare, statim Dei

Famulus se subiecit. Tanta cum fide obtemperabat supremae potestati!

Eadem ob causam abstinebat se a comitiis, nec ferebat suffragia de electonibus politicis, quum Summus Pontifex non expedire deliberavisset. Attamen Mediolanenses Catholicci eum renuntiarunt Consiliarium in negotiis municipalibus, quo munere diligentissime functus est, divortium (oh! utinam Deus avertat semper hanc pestem a patria!) totis viribus impugnavit, aedium sacrarum piorumque operum patrocinium libenter suscepit.

Quid vero dicendum est de eius scriptis? Epistolae familiares ad conjuctos, ad amicos saepissime religionem et Fidem tractant, cuius rei in argumentum duco unas literas Berolini datas ad amicum: «... si quidem haeretici sint nulla poenaria actione reprehendendi iuxta leges humanae, iis tamen deesse supernaturales ideas; nullum enim Christianae Fidei germen inumbratum a Luthero in altitudinem crescere. Heu miserè miserum! Utinam sibi licet Spiritus Sancti unum radium fulgentem immittere in impervia corda!» Et directa oratione ita prosequebatur, quam vertere in latinum sermonem diligenter conabor: «Quandoque bellissime incurrimus in animam bonam, inter errores quasi violam venustam prope praeruptae rupis voraginem, forsitan sénem venerandum qui Christum pronus adorat, forsitan piam matremfamilias quae Deum Unum et Trinum precatur lacrymans, ut filius Christo Fidem habeat, quae Catholicis invidet templi valvas apertas quotidie... O si impudicus Virtembergensis trahi posset huc, ut aspiceret suorum facinorum fructus!» Hactenus de Contardi epistolis.

Sed aliquid dicendum est de ceteris eius scriptis. Innumera enim eius volumina et opuscula sunt commissa typis. Maxima quidem pars Fidem non tractant, sed iurisprudentiam quam profitebatur,

quam rem adeo ex animo doluit, ut statueret librum componere de accessu Christianae Fidei in ius romanum. Optimum consilium inopportuna mors abscidit.

Nihilominus superest opusculum cui titulus: *Un po' d'infinito*. Pauca ex italico in latinum verto: «Omnis creata res intelligens scit et potest se extollere ad infinitum. Quinimo est iam quiddam infiniti in omni creata re intelligenti, in quam remittitur splendor divini vultus, in hac cogitatione quae effluit ex anima immortali; et libera filia spiritus ignorat limites temporis et spatii, et evocat aetas quae fuerunt, futurasque somniant». Sed de hoc satis; brevitate enim coerces. Quid vultis amplius? Nonne ea verba exprimunt ad amussim animam humanam spiratam esse ad imaginem Dei? Dignae sunt summa laude iuridicae adnotaciones ad epistolam vicesimam S. Ambrosii. Iusserat imperator unam aedium sacrarum mediolanensis tradiri Episcopo Ariano, sed Ambrosius imperterritus iussa detrectavit. Dei Famulus validis argumentis sententiam Ambrosii sustinet, neque enim iuxta ius canonicum, neque iuxta ius romanum tantam impietatem patrari licitum esse.

In quadam ephemeride catholica de studiis socialibus scribebat auctor noster christianas doctrinas longe praestitisse ethnicis, quam sententiam probavit comparando trium scriptorum ecclesiasticorum opera, Arnobii, Lactantii et Minucii Felicis cum operibus ethnicorum aequarium.

Uno verbo, tota Contardi vita, eius scripta, sermones, exempla detegunt animam summae Fidei plenam, quam omnes, qui cum eo essent, compertam haberent.

(Ad proximum numerum)

JOSEPHUS BIROCCINI.

Usus facit virtutes, non natura.

S. BERNARDUS.

De latinarum litterarum historia paelectiones¹

X.

I. *De dicendi facultate apud priscos Romanos*. - II. *Iuris romani lineamenta; leges Regiae*. - III. *Leges XII tabularum, et iurisprudentiae initium*. - IV. *Appius Claudius Caecus*. - V. *Quid, ad summam, iudicandum sit de rei litterariae indicis primis ab U. c. saeculis*.

I. - Iam priscis ab Urbe condita saeculis, praesertim post exactos reges, quum civitas a delectis quibusdam civibus regeretur, et omnia vel in curia vel in foro apud populum agerentur, nonnullos exstisitae naturali dicendi facultate praeditos, quis dubitet, etiam si nullum exstet huius naturalis eloquentiae monumentum?

Qui Ciceronis *Brutum* s. *de claris oratoribus* vel cursim legerit, scit, illum idem conieccisse. Quis enim putet, - aiebat, singulorum virorum memoriam repetens, vim aut celeritatem ingenii Bruto illi defuisse, qui de matre sayienda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque coniecerit, et summam prudentiam simulatione stultiae texerit et civitatem perpetuo dominatu liberatam magistratibus annuis, legibus iudiciisque devinxerit; denique collegae suo imperium abrogaverit, ad tollendam e civitate regalis nominis memoriam; quod certe effici non potuisset nisi esset oratione persuasum? Et postea quum plebs prope ripam Anienis ad tertium miliarium secessit, sacro monte occupato, nonne dicendo a Valerio discordiae sedatae sunt, tantum ut ei ob eam rem amplissimi honores haberentur, et ipse Maximus appellaretur? Et alios deinceps disertos suspicatur fuisse tum Valerium Potitum, qui post decemyralem invidiam

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Novembr. MCMXXVII.

plebem in patres incitatam legibus et conditionibus suis mitigaverit; tum Appium Claudium, qui Senatum a Pyrrhi pace revocaverit; tum C. Fabricium qui sit ad Pyrrhum de captivis recuperandis missus orator; tum Ti. Coruncanium, quem valuisse dicendo ex pontificum commentariis appareret; tum M. Curium plebis tribunum et M. Popilium, etc. etc.

Hos omnes tamen oratores habitos esse aut omnino tum ullum eloquentiae premium fuisse, confitetur Cicero se coniectura tantum duci ad suspicendum. Quod idem nos facere par est; satis sit igitur de hac re perpaucia haec dixisse.

II. - A priscorum dicendi facultate opportuna res erit ad iuris cognitionem apud eos mentem convertere; notum est enim hoc in genere Romanos ceteros populos longe superasse, et magistros etiam posteriorum exstitisse. Quid enim sit homini a natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius munerus colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos in qua fons est legum et iuris, Romani melius quam ceteri, et clarius, vel a priscis temporibus, velut natura duce, intellexisse dicendi sunt.

Itaque vel ab initio quum tribus tribus populus constitutus esset, quarum nomina, ab origine stirpium ducta, *Ramnes* fuerunt, *Tities* (vel *Taties*) et *Luceres*, quumque singulae tribus in curias triginta descriptae essent, hinc statim *regia potestas* optimi cuiusque auctoritate et consilio fulta esse voluit, patrum *Senatu* constituto; et *populus* ipse, in *comitiis curiatis* iudicium voluntatemque suam curiatim suffragia ferens, ostendere poterat.

Vel ab initio etiam omnis res publica religione Deorum et auspiciis consecrata quodammodo fuit; et ipse Romulus, publicis rebus instituendis, ex singulis tribus singulos augures cooptavisse dicitur,

qui sibi in auspiciis essent; post Numa Pompilius, et auspiciis maioribus inventis et sacris e principum numero Pontifices quinque praeficiendo, et Salios, Flamines, Virgines vestates adiungendo, Romanorum animos feros et bellicosos religionum caerimoniis mitigavit, omnes partes earum sanctissime statuens.

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

De Romanorum vestibus

Quoniam certior sum factus, notulas meas de Romanis antiquitatibus huius commentarii lectoribus non displicuisse, imo utiles inventas esse iis praesertim qui in scholis secundi ordinis versantur, libenter eas prosequar; et qui de capitibus tegumentis olim scripsi,¹ hodie de vestibus dicere aggrediar.

Quae vero a Romanis adhibita vestimenta prodidere veteres scriptores, ea pro temporum locorumque varietate multiplicia fuerunt: quandoquidem non una semper et ubi ratio in re eiusmodi obtinuit. Itaque quum de ipsis dicendum sit, praeceteris opera danda est, ut ubinam, aut quando singula usurpata fuerint, recte et ordine dignoscatur, quippe quum id sit prope maximum momentum, quod ad huius rei utilitatem possit accedere.

Celebratissimam autem ex universis aliis Romanis vestibus *Togam* primo loco producturi, ita rem totam digeremus, ut hic eius tantummodo usum, formam, materiam et colorem aperiamus; reliqua vero, ne plura simul confusionem gignant, deinde excutienda remittamus.

¹ Cfr. fasc. mens. Octobr. MCMXXVI et mens. Februar. MCMXXVII.

*

Non alio magis vestitu, quam Toga, Romanam gentem iam inde fere ab initio fuisse delectatam, multo vulgatus est, quam ut monitore indigeat. Et certe in tam sollemini consuetudine apud eam illa fuit, ut nulli, cuiuslibet ordinis conditio- nisque essent, (neque etiam ipsae olim foeminae, uti testatur Nonius XIV, 25) qui, modo per censum liceret, ea non ute- retur. Atque hinc factum est ut et *Togati* vulgo Quirites ipsi, et *Togatae* illae fabulae vocarentur, quae Romanos homines exhiberent; sicut, contra, *Palliatae*, in quas Graeci, quorum proprium fuit *Pal- lium*, inducerentur.

Praeter Romanum autem nomen, quae- cumque aliae gentes legibus Romanis viverent, ad principis populi exemplum togam induebant.

Huius vestimenti usus non nisi extra domum erat, quod propterea inter *foren- sia* recensetur. Itaque in conviviis dome- sticis locum non habuit; immo neque per urbem totis Saturnalibus, per quos dies, quasi perpetuo epularentur, ita passim non toga, sed *synthesi* (coenatoria veste, pallii ad instar) induit Romani homines ince- debant. Quare apud Martialem (XIV, 139) sub lemmate *Synthesis* dicitur:

*Dum toga per quinas gaudet requiescere lucis,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.*

Verum etsi indubium de conviviis pri- vatis sit, togam inde penitus exsulasse, secus tamen de publicis, atque imperato- riis est sentendum, in quibus, more plane diverso, ea ipsa adhibebatur. Hinc Spartanus, in *Severo* (I), refert: «Quum rogatus ad coenam imperatoriam pallia- tus venisset qui togatus venire debuerat, togam praesidiariam ipsius imperatoris accepit». Quo quidem tempore, quoniam ita, ne impedimento foret, aptabatur, ut e superiore parte utrique brachio subasset, hac de causa «submissam» dixisse idem

videtur, in *Hadriano* (XXII), quum scripsit: «Ad convivium venientes senatores stans exceperunt; semperque aut pallio tectus discu- buit, aut toga submissa».

Ad haec nulla togae cum armis et proelis florente Republica cognatio fuit. Unde profectum, ut voces ipsae *Toga* et *Togatus* ad pacis tempora urbanamque sedem designandam vulgo fuerint accom- modatae. Hac ratione Tullius (*in Catil.*, III, 10): «Erepti estis - inquit - ex miserrimo ac crudelissimo interitu, et erepti sine caede, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicazione. Togati me uno togato duce et imperatore vicistis». Quem ipsum eamdem ob rem «primum omnium in toga triumphum, linguaeque lauream meritum» dixit Plinius (VII, 30).

Antiquissimis tamen temporibus, inter pugnandum milites togis fuisse instructos, non unus locus est, unde intelligatur. Ea de re sic Festus scribit: «Endoproinctu, in procinctu. Significat autem quum ex castris in proelium exitum est: procinctos quasi praecinctos atque expeditos. Nam apud antiquos togis incincti pugnasse di- cuntur». Nimirum, ne tam ampla et im- plicata vestis proeliantibus impedimento foret, omnino praecingeretur oportuit, e quidem «cinctu Gabino», quem nos non multo post expediemus. Atque hinc «testa- menta in procinctu» dicta sunt, quae a mi- litibus iam iam proelium inituris fiebant; cuius instituti, in primisque togae id tem- poris praecingi solitae, diserte meminit Plutarchus in *Coriolano*.

Cave autem putas, hunc togae inter arma gestandi morem diutius perennasse; nec te decipiatur, quod aliquoties de inferioribus Romanae rei aetatibus agens Livius praebitas refert togas exercitibus, quasi vero etiam tum eae fuerint comites armo- rum. Id enim ita accipendum est, ut in castrorum tantum otio, non autem in acie usurpatae credantur, nec vero promiscue a vulgo militum, sed a primoribus modo,

ut ex eiusdem scriptoris verbis satis liquido elicetur. Is enim (lib. XXII, 54) quum et pedites et equites nominasset, his tamen solis datas meminit togas; et (XLIV, 16) missa narrat militibus triginta millia tunicarum, togarum autem non plura, quam sex millia; quippe quum illae com- munes omnibus, hae solummodo optimatum essent. Confirmat hoc totum locus Capitolini de Antonino Philosopho (27), ubi, tamquam res nova, ita traditur: «Per Brundusium veniens in Italiam, togam et ipse sumpsit, et milites togatos esse ius- sit»; tum postea: «nec unquam sagiti milites sub eo fuerunt».

Peculiare igitur maximeque proprium incolentium urbem hominum gestamen toga erat. Verum ubi tandem respublica concidit, sensim eiici illa coepita est, et eosque negligi, ut vix apud honestissi- mos quosque perstiterit, quum iam reliqui ad *lacernas* potissimum declinassent. Id- que fuit in causa, quamobrem Augustus, referente Suetonio in eius vita (40) «visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus clamitans: En, ait, Roma- nos rerum dominos gentemque togatam!» Eo autem ipso aevo, quo is habitus in desuetudinem non minimum abierat, ad certa tamen obeunda munia nunquam non assumebatur. Igitur et *Salutatores*, qui summo mane salutatum potentiores ibant, et *Deductores*, qui eosdem ad forum descendentes, vel quolibet euntes assec- tabantur, his praestandis officiis togati erant. Quare Martialis (XIV, 123) cecinuit:

*Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
A trita veniet sportula¹ saepe toga.*

¹ Quum mos esset iis qui salutatum assetatumque optimates ibant, cibos identidem in ipso domus limine impertiri, eosdem quippe in sportulis exhiberi solitos, *Sportulae* nomine appellari placuit. Nonnunquam autem ciborum loco nummi dabantur. At elegantiores pro sportula *Coenam rectam*, idest iustum legitimamque dabant. Itaque Martialis (VIII, 49): «Promissa est nobis Sportula, Recta data est».

Et Juvenalis I:

*Nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbae rapienda togatae.*

Ad haec patronos, quum causas age- rent, vulgo per eadem tempora fuisse toga indutos, non pauca sunt, quae indicare videantur. Pro ceteris satis sit argumen- tum e Quintiliano petitum, qui (lib. XI, 3) oratorem suum hac plane veste, tamquam illius muneris individua comite, exornat.

(*Ad proximum numerum*).

S. A.

HIEMS

Ad Raphaelem amicum.

*Acris hiems venit, nimbique et nubila caelum
Involvunt, dulces praeteriere dies.
Squallent arva gelu, rivotrum constitit unda,
Ac boreas siccis obstrepit arboribus.*

*Turba silet volucrum, tantum sub nubibus
[anser*

*Gratilat, effugiens frigus hyperboreum.
Nunc stabulo inclusus properat quibus usus
[in agris*

*Rusticus, aut lento vimine textit opus,
Vel sedet ante ignem, natique et sedula coniux
Adstant, dum fumat flava turunda foco.*

*Tu quid agis, Raphael? Doctos evolvere libros
Me iuvat et musis pellere tristitiam.
Qua dulcis fert musa pedem fugit horrida
[bruma,*

Undique et assurgunt lilia mixta rosis.

P. d. V.

*Contemne divitias, et eris locuples; contemne
gloriam, et eris gloriosus; contemne supplicia ini-
micorum, et tunc eos superabis; contemne remissio-
nem et quietem, et tunc eam recipies.*

CHRYSTOMUS.

MEDICAE NOTAE

Protrahendae vitae praecepta.

De protrahendae vitae arte multi scripserunt, nec perperam; si enim absurdum dum morbi adsunt inopinato, censenda ea est, vulgo, ex adverso, eius praecepta iuvant et utilia evadunt.

Atqui in primis memorandum est, humanum corpus quem senuerit, ab ea externa internaque facie, quam iuvenis retulerat, omnino differre, ita plane ut, et motibus et compagine, agilitatem omnem amittat, aciemque sensuum obtusam paene atque hebetem experiatur. His namque florantis iuventae dotibus rigiditas, durescere, senium denique paullatim sufficiuntur, quo tandem postremo ad obitum acclinis descensus est.

Proprium enim est senectutis, eiusque quasi peculiarem notam constituit, sedimenta quaedam fibrillarum in iuncturis terrae atque salina e phosphato plerumque atque ex calcis carbonato, vel e magnesia, vel e similibus coalescere, quibus sensim accumulatis, omissione illa totius flexibilitatis totiusque motus efficitur, qua praecepit vitae actus cohibentur, et mors naturaliter paratur. Haec est enim physiologicis et philosophicis medicis generalis opinio de senectutis natura; quamquam adnotandum est, unam hanc causam ad senectutem procurandam minime sufficere, quum in senibus una eademque aetate maturis, dissipata omnino atque distincta phaenomena illa et vario gradu effecta reperiantur, ac decrepitis quibusdam octoginta et ultra annis onustis, plurimis haud raro sociandi sint, qui vix decimum lustrum expleverint.

Quamobrem medica disciplina haud prohibetur, quominus protrahendae vitae leges tandem aliquando tradat, quum ipsas iam nobis liceat his praecepit com-

plexi verbis: Quo magis homo, cibum sumens, calcis particulas hauserit, eo magis sanguis eius calcareis huiusmodi elementis conflabitur, exsurgetque inde rigida illa hebesque ineptitudo, qua senes efficiuntur et praematura morte multatamur. At si, contra, delecti ad alendum cibi minimam calcis portionem contineant, minor etiam in sanguinis fluctibus ea erit, et quae in variis corporis nodibus insidet minuetur, vitamque longius progrederi sinet.

Quod si quis sciscitaverit qui sint igitur ad hunc finem assequendum aptissimi de legendi cibi, tria haec memorasse iuvabit:

I. Parco cibo utendum, atque ipso non nisi quantum ad vitam servandam sit satis, teraque in dies vice nunquam frequentius.

II. Pane et pastillis ceterisque e frumento paratis cibis moderate vescendum.

III. Fructus unaquaque vice sumendi, immo et ab illis initium et cumi is finis; qui enim assidue fructibus vescetur, morbos complurimos facile a se arcebit.

Nec satis; si enim exempla longissimae vitae tum ex hominum, tum ex animalium historia e summa antiquitate ad nostros usque dies deproprietatis, haec quoque sententia tibi praeesto erit: oxygenium quo, spirando, alimur, cum urendis corporis nostri substantiis occurrere, earum consumptionem efficere, cibique necessitatem provocare. Atque, quum in cibis terrea elementa multa et obstruentia adsint, cum his praecepit aer oxygenum coalescere atque durum effici, et rigidam morti sternere viam. Quibus detrimentis ut obviam eamus, parco cibo utendum nobis est, eo immo, qui terreis hisce elementis quam maxime sit expers. Attamen iuvare supramodum ad finem asseritur aqua arte et fistulis purgata: hanc bibamus, phosphoresque cibis frequentius utamur, quum phosphorum senectuti praecepit deesse noscatur, eiusque deficienciae arte mederi oporteat.

At supremum totius rei iudicium, officinae anatomicae et chimicae experimentis committendum est, quibus tantum tute nos edoceri licebit, qua potissimum vescendi ratione brevem hanc in terris vitam fauste protrahamus.

DR. R. S.

Colloquia varia eademque familiaria latine composita

VI.

Ad Sancti Petri « in vinculis ».

Ruit hora, qua hospes noster ad S. Petri redditum esse promiserat. Per viam in rudera incidit, veluti rerum caducarum imaginem, immanum olim aedium probrosae Borgianae Familiae, quae ex Hispania in Italiam proiecta, in eo fuit ut imperio universam Italiam obtineret. Est et illius conclavis fortasse ruina, in quo ultimum Ioannes, Dux Candiae, coenavit, antequam per noctem confossum trucidenter in Tyberim proiceretur.

Ad haec, in vestigiis insistens Georgii Byron, clarissimi poëtae, patrum memoria, et illius Lucretiae imaginem cernit, quae passim circa frontem crinibus, e fenestra, nocturna querela fatum suum recordatur.

Primum res novas a recto tramite ipsum transtulisse timescit, mox quum Petrianum templum e longe conspexit, recipit spiritum et dulciter clivum ascendit.

Interea ipse Ostiarius, in platea deambulans, et iam morae inopportunae forte pertaesus, eum e longe salutat. Et ipse hilari vultu atque palmis per aërem expansis ei respondet. Adproximantem tandem teneris verbis alloquitur:

— Salve, bone vir. Vales?

— Valeo equidem, ut vides. Et tu vales?

— Et ego valeo, sic Deus me adiuvet...

At quiesce primum aliquantis per ut spiritum recipias, et postea...

— At, sine prius, ut tecum etiam atque etiam gratuler, quod haec ipsa urbis regio multis et ditissimis aedibus amplificetur. Gaudeo quod Roma magnae Londini civitatis exemplum sequatur!

Et quum oculis dextrorum cerneret, ad ostiarium conversus, subridens leviter ironice dicit: — Et vos, cara Dei soboles, et verum, magnum Iovis incrementum, crescit et amplias aedes conditis!

— Quid ais? Magno in errore versaris! Iam hesterna die tibi dixi has domos olim fuisse nostras... Ut fertur dixisse Maro, et nos verissime dicere possumus: *Sic vos non vobis nidificastis aves!*

Interea :

*Fit strepitus tectis, vocesque per ampla volitant,
Atria,*

et cantus popularis exauditur a multis concorditer modulatus.

— Audis?

— Admodum!

— Audis adulescentium cantus, qui post unam Professoris acroasim, se se ad alteram alacres conferunt. Sic saepe per diem ultro nostra pectora vulnere amissionis refricant. Hic erat olim magna nostrorum religiosorum domus. Hic pro loci dignitate Rectores antiquitus habitabant. Nunc vero, in maxima rerum perturbatione, aedes vetustate iam labentes removeunt, et novum Archyectorum Collegium a solo excitarunt, conclaves omni cultu e saeculi ratione exornarunt, et scalis, porticibus instauratis, discipulos ex omni Italia, auctis magisteriis praemiisque propositis, in patriae decorem advocant. Absit sed a viro, Deo devoto, indignatio! ...

Hisce dictis, ad hospitem conversus:

— Eia, — inquit, — eamus. Si ante ostium adeo moramur, nos tempus teremus!

— Sit semper in promptu: « Fugit irreparabile tempus! »

— Sequere me. Agedum.

— Tuus sum. Ecce me.

— Templum hoc, ut pariter mihi videor heri tibi revelasse, vocatur quoque *Basilica Eudoxiana*, ab imperatrice huiusce nominis secunda, Valentiniani III imperatoris uxore. Haec enim, ineunte saeculo quinto, pro sua pietate in S. Petrum Apostolum templum condidit, in quo vincula Petri posuit, quibus tum Ierusalem tum Romae adstrictus fuit Apostolus. Eadem postea nomen honoremque praestitit

DEO OPTIMO MAXIMO
HIERONIMO DE RVERE TIT. SANCTI PETRI AD VINCULA
PRESB. CARDINALI ARCHIEPISCOPO TAVRINENSIS
QVI A PUERITIA ADMIRABILIS INGENII LINGVARVM SCIENTIAE
ELOQUENTIAE, PRUDENTIAE AC DOCTRINAE INSIGNE DEDIT DOCUMENTVM
VIRTUTISQUE ET NOMINIS SVI CELEBRITATE ITA SEMPER
APVD OMNES PRINCIPES ET NATIONES CLARVIT
VT VNO VNQVAM HONORIS GRADU
NON DIGNISSIMVS HABERETVR
LAELIVS ET IVLIVS FRATRES PATRVO OPTIMO P. P.
VIXIT ANNOS LXI MENSES X DIES XXVI
OBIIT SEPTIMO CALEND. FEBR. DVM COMIT. PONTIF.
IN CONCLAVI INTERESSET. MDXCII

Hic insignis meus municeps ea virtute ac pietate enituit, ut universalis propemodum cardinalium iudicio, Pontifex Maximus exoptaretur.

Tum vero, ut rei christiana laboranti adasset, turbulentissimis tempestatibus, Pontifex Maximus, Deo auctore est designatus Gregorius septimus, qui sarta tecta Ecclesiae iura servavit, plura passus, certus cuilibet se obiectare periculo, quam vel tantillum ab officio recedere.

Sed nunc inspectores plurimi huc conveniunt, non modo ad historiae memorias recolendas, sed potius ad Moysi statuam perspiciendam, quae miro artificio atque industria a Michaeli Angelo fuit confecta. Quamquam in hoc templo multa ac praeclara pictorum opera animos advenarum luminibus suis hilarant, prae ceteris et praeter omnium opinionem, abhinc aliquot saecula, primas facile refert haec

Cardinalibus *Ruverorum* familia prognotis, qui ex ingenio praescriptoque *Bartholomei del Caprino* architecti celeberrimi, labentibus annis, eam cultu splendidiore exornarunt, altaribus aptiorem in ordinem dispositis, et addita hortorum amoenitate, in sui honoris titulum honestarunt. Opus a maioribus inchoatum, Hieronymus de Ruvere Archiepiscopus Taurinensis idemque Cardinalis profligavit. Lege, hospes, hanc inscriptionem:

— Optime dicis, sodes, et nomine ipse apud nos in immensum crevit, quod, Latinarum more, Barbaros omnes extraneos appellavit.

— Quo facto artifex Iulium II cum Moyse componere est ausus, qui populum suum ab Aegypti captivitate in libertatem vindicavit. Et nunc eius propositum ad populorum memoriam revocatur.

Hic Moyses cum viginti aliis statuis sepulcrum Pontificis exornavisset, nisi mors omnium exspectationem interciperet. Defuncto Iulio II, et eius perierunt adulatores, eiusque corpus in Petriano sepulcro omnibus ignotum iacet. In omnibus utique monumentis vanitas rerum mortaliuum adparet; sed maxime ad insignem Moysis statuam, nos inclamare debemus: *O curas, o hominum, o quantum est in rebus inane!*

— Quam bene clauditur narratio! Cetera, si opus erit, egomet ipse meis oculis perspiciam. Et si tu mihi permittis, nec tibi erit iniucundum, dicam: « Claudi iam rivulos, pueri, sat prata biberunt. » Unum ad dam, ut mercedulam, pro munere, accipias!

Hisce dictis, auream libellam manibus accepit, et ulti libensque offerens dixit:

— Pro te et pro tuis.

Ostiarius admiratus accepit, eique proficisci adiunxit: — Faxit Deus ut cito et Anglia cum Roma in unam legem sub uno Pastore ad omnium populorum commodum coalescere possit!

I. B. FRANCESIA.

DE SACRIS NATALITHIS FESTIS APUD INFIDELES

« Ut olim venerant unde sol oritur,
« Mox unde ad vesperum festinus occidit,
« Colant ut Abraham Deum sanctissime...
Erat locutus sic Salvator gentium.
Quae mente laetus revolvebam carmina,

*Noster Gelindus peteret dum Betleem,
Colit qui gelidas plagas occidua,
Ab Indis coepi, Sinis et epistolas,
Ipso Natalis, quod est caput, tempore,
Narrantes fusius, pulcris sententiis,
Novi quid faciant et illi populi,
Rudes quos esse dicimus nos, barbaros.
Iuvabit sane doctos nos haec noscere.*

*Enim sunt illis incolunt qui rustice
In Christianorum pagis recentibus,
Dies laetitiae, dies Natalitii!
Sic et mirantur, si Pastores alacres
Ad Iesum currunt magnis cum muneribus
Modo ad exemplum sancti Missionarii,
Narrat qui trepidus mente caelestia,
Memor volatans viderat quae in patria.
At hic quâ possit, omnibus cum careat?
Sed quid non audet rudis mens mortalium
Agat ut Numini plurimas gratias?
Venit Natalis dies! Nova sunt omnia
Apud et Barbaros! Sonat tintinnabulum,
Pendet superbe quod e duabus sudibus...
Et vectus sonitus liquidum per aërem,
Vocat silentes ad ecclesiam incolas.
Semper non adsolent in urbe commoda,
Acciti plures Templi sacris aeribus!
Enim tot rebus opprimuntur vacuis!*

*Advigilantes primo sunt praeludio
Adoraturi Virginis Infantulum...
Currunt, adsistunt, comprimuntur alacres...
Ventus si spirat, cedit si nix gelida
Trames est longus, saxosus et arduus.
Puelli et virgines, citra fidem taciti,
Et quos amantius parentes conferunt.
Transigunt noctem fervidis in precibus,
Sinit nec somnum pietas obrepere.
Ut incalescant modice, sed commode,
In medio templo excitant igniculum...
Psalmi sed ritu concinuntur integri,
Et populares renovantur cantici,
Modo qui gaudium, modo moestitiam,
Ut tempus postulat, cunctis ingeminat.
Quin imo, ritu magno sed composito
Via fit, quam vulgo Crucis nos dicimus.
Cur iter Crucis memorat Nativitas?
Nascitur Betleem, morietur Solimae,
Utrunque splendide simul conjectur!
Duas per horas durat supplicatio,
Cunarum gaudium, ludicrum, quae Crucis
Altera vice, renovat fidelibus!*

*In mediā tandem noctem pervenimus,
Et incipit Missa! Quot caeremonis
Ornatur, dissitis illis regionibus,
In quibus vires explicat religio!
Adsum et taedae, pilae incendiariae;
Et igniscentis pulveris per aërem
Volitant passim, crepitant et fulgura,
Quae lucescentes multos dent imagines.
Aeris interdum sonitus perpetuus
Illiū noctis cūmulat laetitiam.
Omnes de more summa reverentia,
Ad Christi mensulas accedunt Corporis.
Cadunt interea de caelo sydera
Novique adcurrunt festinantes plurimi.
At, at, priores venerant qui tempore
Et reficiuntur merito solatio,
Ut possint sacris initiari denuo.
Instituuntur dapes, atque adorea
Liba profusis subiiciuntur epulis,
Ut olim tulerant Pastores Parvulo.
Hic agni fumant aestuantes ferculis,
Fumant et alites, et gallinacei,
Et lac et yini sunt refertae paterae,
Quae cunctis dividit casta sobrietas,
Ut large dederat piorum caritas!
Viae clamore nunc recenti resonant,
Et primo mane, celebrante Episcopo,
Intersunt sacro, quod secundum dicitur,
Multi dignantur divo qui convivio
Et sancto infantes qui linuntur chrismate.
Fit omne castis devotisque ritibus,
Et inter fistulas personantes dulciter,
Rursus et inter pilas incendiarias...
Opus festivum currit sed ad terminum,
Missa dicatur ut solemnis tertia.
Et illuc saepe Missionarius perficit
Praesepe ornatum simulacris lepidis,
Ut et Franciscus monuit nos Italos.
Adest bōs mitis, caudex et auritulus!
Rudes pastores, et de longe principes
Cincti coronis et vestiti purpura,
Ab Oriente magnis cum muneribus!
Et hic atque illuc sunt balantes pecudes,
Herbam virentem carpunt, et incolumes
Sub umbra ruminant, et captant aërem,
Et aliae currunt alacres ad rivulum...
Cuncta visuntur quae depicta graphicē,
Viros delectant, pueros, et senes.
Huc tandem fessus ciet Missionarius
Suos amicos, quos salutat nomine,*

*Eosque donat crustulis et dulcibus,
Iesu dicuntur quae divina munera,
Sacro vel quodam parvulo numismate
Quod sanctae Virginis referat imaginem!
Matres interea, gestiunt quae gaudio,
Canunt cum patribus Natalis naenias,
Suam sicque promunt festi dulcedinem
Quibus compositis, dilabuntur celeres.
Magnum silentium regnat in aedibus;
Audiuntur longe voces exsultantium;
Quae nox attenuant in solitudine.
Sacerdos plurimis fessus laboribus,
Ad ostium sistit, rumores accipit
Turbae, vanescunt qui paullatim longius.
Deo filios anxius commendat optimos,
Suusque tandem restat in aedicula...
Novis sed premitur dulcibus angustis,
Suum quae pectus lancinant crudelius.
Matrem moerentem ad praesepe conspicit,
Quaerantem filium ceteris cum liberis,
Ultro quem semper Domino sacrificat,
Firmus in votis maneat ut dummodo.
Haec reminiscens tenere memoria,
Multis effusis lacrimis cum vocibus,
Sua natura prodit os proverbium,
Usus et ipso populari carmine:
« Natus est nobis pulcher hodie Infantulus
Albus, subrufus, molliter cincinnulus... »
Eum quis audivit? Unus forte hic Pusio
Pictus, et positus, honoris gratia,
Priori loco haerens et parieti...
Ei subridere dulciter visus est,
Suasque lacrimas detersisse comiter.*

SUBALPINUS.

ANNALES

Anno MCMXXVII occidente.

Qui in praeteritarum rerum profundum
cedidit annus MCMXXVII, is subsequenti
anno civilium rerum pondus suum inte-
grum reliquit.
Vix enim mentis oculos per orbem
convertimus, en immutatam Sinensis re-
gionis condicionem invenimus, nisi dicere

velimus eam ob incertitudines in peius
ruisse. Armorum pariter deponendorum
navigium, in cuius adventu tot tantaeque
spes posita fuerant, altum tenet adhuc,
heu quantum procul a portu!

In Russia inter se repugnant, et usque
ad quod tempus impossibile est praevi-
dere, repugnabunt, hinc Communistarum
interna civilis ratio, inde externa, auxilia
ab iis opulentis et copiosis populis petens,
quibus natura sua obsistit.

In Balcania pax abest, imo ignem peri-
culorum plenum, in cineribus latenter,
Macedones gladio scrutantur. Inter Balti-
cas gentes concordia frustra desideratur,
atque Genevensis facta placatio inter
Lithuaniam et Polonię re minime per-
ficitur, novis disputationibus exortis.

Hae umbrae nonnullae, quas annus
decedens in novum mittit. Quamquam et
lux omnino non deest, omenque meretur,
ut quo citius meridiana fiat. Ea ex Gallia
atque Italia praesertim manabit; horum
populorum concordia, quae ex proximo
colloquio inter utriusque gentis ad exteriores
administros, Briandum et Mussolinum,
stabilis atque firma profectura praevendetur,
haec, inquam latina concordia validum
pignus erit Europae universae Locarnensi
foedere maius; quippe huic ipsi favebit.

* *

Quod si post civilium rerum recensio-
nem ad religiosarum accedimus, vehe-
menti animi angore in primis videmus
Mexicanam illam in Catholicam religio-
nem insectationem, quae et Neronem, et
Diocletianum ceteraque Romani imperii
huius generis monstra in mentem revocat;
quaeque heu! ferocior ineunte anno sae-
viet, ex comitiis ad novum reipublicae
praesidem diligendum.

Ex Sinis vel his diebus nuncios pariter
audivimus vastationum caediumque in
Christianos. Evangelii illic praecones po-
tius quam in aerumnarum tempore cam-

pum deserent, strenuissime, usque ad
mortem, in solacium et in percussi et
disparsi gregis, quae possibilis foret tute-
lam, loca sua tenuerunt, ac tenent. Pro-
fecto in eversa regione illa pacis redditus
minime appetit: Dei secretum est illic, ut
in Mexico, ut in Russia. Triumphalis dies
sine dubio adveniet; ignoramus tamen
quando sancta Dei consilia compleantur!

Interim admirabilis est Romani Ponti-
ficatus magnitudo, solaciumque praebet
Catholicae Ecclesiae visio, impavide in
viis suis per omnes humanas vicissitudines
procedentis. Longe tempestatis tonitrus
perstrept; circa Pontificem futurorum
regnat securitas, quae Christi triumphum
afferant. Ille in paterno animo spinas re-
colit Ecclesiae suae dolorum, quum tamen
animus adamantinam fidem in promissio-
nibus, quas Christus Petro dedit, nunquam
amittat.

Iamvero ad almae Romae amorem,
lente licet, abscissi olim Christiani undi-
que redeunt. Annus MCMXXVII «Anglia-
nismi» discrimin attulit; annus MCMXXVIII
felicemne eius conclusionem adducet?

POPULICOLA.



VARIA

IN ANNUM MCMXXVIII
COLLEGIS AMICIS SODALIBUS
VOTA

(Acrostichon utrinque duplex)

Nonne decet vatem, Iano redeunte, canora
ferre melos cythara, pectore vota suo?
Omen amicitiae, plenum dulcedinis omen,
en iubeo musam promere rite meam;
verum ne nulla hoc teneas laudabile carmen
re, nulla nostram, lector amice, chelyn,
unum id mirere in nostro per disticha lusu,
auspiciū numeris cantet ut hisce tibi,

si hexametri prima et versus elementa sequentis
texerit extremis mens, utriusque tua!

(Scilicet ex animo tibi cuncta cupita tuisque
annus ut omnigeno munere dives eat!).

Locris in Brutiis, Kalendis Ianuariis MCMXXVIII.

ALAFRIDUS BARTOLI.

**

Caroli VII regis indolentia.¹

Carolo VII in Gallia regnante, implacabile bellum Gallos inter et Anglos exarsit; quumque initio adversa illi ute-
rentur fortuna, ad regem ex primoribus ducibus unum misere, qui exoptata diu auxilia efflagitaret, et praesens calamitates exercitus, oppida expugnata, rei pericula vehementiori oratione exponeret.

Quum is celeriter in regiam pervenisset, regem cum suis aulicis hilariter ludentem deprehendit. Quare diu exspectandum homini fuit, antequam in principis conspectum admitteretur. Tandem perhui-
maniter excepit illum rex, qui eius dexteram familiariter prehendens, virum per cubicula deduxit, qua abacis, qua musicis instrumentis repleta, et cum eo de ludicris certaminibus, quae tunc animi causa in regia parabantur, de theatris, de comoediis loqui coepit.

Ad haec verba diu siluit prudens imperator, donec ab illo, uti fit, rex postulavit quid de spectaculis mox edendis censeret. Tunc ille, suam sententiam coactus efferre: « Mihi videtur - inquit - in toto ter-
rarum orbe haud facile quempiam inveniri posse, qui, qua tu laetitia, suum amittat ».

Responsi acumine resipuit Carolus; sermonem mutavit, exercitusque sui cladi-
bus auditis et hostium victoriis, ea protinus mandata dedit, quae opportunissima in rebus suorum afflictis desiderabantur.

¹ Italice scripsit P. SEGNERI.

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

MENSES ORDO:

*Oryza Orientalium more condita.
Soleae frictae cum more tulis gerri-
neis.*

*Gallus indicus Florentino ritu decoc-
tus.*

*Iecur anserinum iure concreto ob-
structum.*

*Milletracta ad spumam lactis.
Pira.*

Locosa.

Magister Tuccio:

— Quamnam lineam duo puncta iungenem brevissimam putas?

Tuccius sine cunctatione:

— Ferriviae lineam!

Tuccius ad mercatum profectus est, ibique, per transennam vendoris cuiusdam puerilium deliciarum, dictum legit in illa taberna pretium singularum rerum una libella imminutum fuisse: peculiari igitur occasione emptores frui contendant. Tuccius mature ingreditur et mercatorem interrogat:

— Nonne adhuc tibi sunt tubulae illae, quas superioribus diebus unius libellae pretio venales faciebas?

— Certe! Sunt quot desideres! En, tuo commodo eligere potes!

Tuccius plures experitur, quumque optimam sibi invenit, canens et exsiliens, egressus viam ingreditur. Tum Mercator, in eum ira incensus:

— Heus tu, furcifer; tubae pretium solve!

Tuccius: — Ecquod pretium? Si tuba haec una libella venumdabatur, singularumque rerum pretium totidem imminutum hodie est, nonne haec tubula gratuito conceditur?

Aenigmata.

I.

Vox eadem signo natam Iovis armipotentem
Auspiciis cuius Roma superba stetit.

Vox eadem signo iuvenem, quem subvenien-
tem

Aeneae, Turni dextera stravit humi.

II.

Vox eadem sonat, ast sensus variatus et
impar.

Motu sic triplici spatium omne emetior, annos

Mehor, heu mora nulla, viam pes corripit
[actus.
Lumina, tympanum obit confinia perbene
[fixum
Quod membrum numero gaudere suis gemi-
[nato.

Aenigmata in fasciculo mens. Decem-
bris MCMXXVII proposita his respondent:
1) Nox, Nix, Nex, Nux; 2) Semen, Ne-
mesis.

STANISLAUS FUGIENS

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

FULCIUS.

(Nunquam cum fratre Paullum aequa urba-
num antehac
Vidi, aut tam commodum).

BILINSKIUS.

(Equidem ipse crederem,
Istius ni nossem sensum, vere hunc loqui).

STANISLAUS.

Benigne dicis, et merito te deamo:
Me arcessitum abs te significavit Fulcius.

BILINSKIUS.

In hoc quippe res vertitur.

PAULLUS.

Dicam paucis: inter meque et hos convenerat
Dudum, relicta ut urbe et hac frequentia
In suburbanum nobis aliquantis per hinc
Libeat concedere: honestus una ibi aderit
Iucundusque comitatus adolescentium,
Quibuscum genio indulgeamus libere
Et laetis voluptatibus.

BILINSKIUS.

(Hoc tacito oportuit:
Ego vervex non praemonui oblitus scilicet).

BILINSKIUS.

Sat est:

Hem serva; et salutato blande primitus:

Apud te fac sis.

PAULLUS.

Fiet sedulo: verba expiscabor; at...

BILINSKIUS.

Ecce adest ipsus cum Fulcio; prior occupa,
Accede. Primus occursum timendus est.

SCENA VI.

PAULLUS, STANISLAUS, BILINSKIUS, FULCIUS.

PAULLUS.

Satin' salve, mi frater o bellissime?

STANISLAUS.

Satis: et est superis gratia.

PAULLUS.

(Haec tria principio verba ex ore aegre ad-
modum

Elicui invitus: mi, frater, bellissime.

BILINSKIUS.

Egregie: agedum animum nunc obfirma
[tuum).

PAULLUS.

Gaudeo primum tua caussa, tum etiam mea.

STANISLAUS.

Equidem non intervertam vestra commoda.

BILINSKIUS.

Te secum in primis adesse Paullus expetit.

PAULLUS.

Istuc est.

FULCIUS.

Quippe officium frater suum putat
Valefudinis habere rationem tuae.

STANISLAUS.

Audio; et gratia est: sed tamen...

PAULLUS.

Quid est istuc tamen?

BILINSKIUS.

(Exarsit). Sine eum, amabo, loqui quae senseris.
[tia.

PAULLUS.

Dixin' hoc fore, et mihi hunc adversaturum
[statim?

STANISLAUS.

Harum, frater, voluptatum nunquam appetens
Fui, quod tute nosti: in primis quod sciām,
Vix istas ullum posse probitati locum
Relinquere et continentiae et bonis artibus.

PAULLUS.

(Cantilenam iste veterem mihi assidue canit).

BILINSKIUS.

Ha, ha, ha! Stanislae, mihi risum moves
Cum inani istoc metu.

PAULLUS.

(At movet stomachum mihi).

FULCIUS.

Quin tu, quaeso, otioso et seculo es animo:
Hi tibi tuta praestabunt a periculo omnia.

PAULLUS.

An non certas voluptates convenire maxime
Nostrae huic aetati sapientes ipsi docent?

STANISLAUS.

Si lubet, has tu sectare: ego vero hanc unice
A puerō condidici, Paulle, sapientiam,
Me non caducis natum sed immortalibus
Debere aeterna, non caduca quaerere.

PAULLUS.

(Disrumpor).

BILINSKIUS.

Hoc a te audivimus plus millies;
Et nos, opinor, refutavimus plus millies:
Nam id apprime in vita utile esse censeo, ne
[quid nimis.

FULCIUS.

Neque absurdā ea vox est: in rebus omnibus
[ut sit modus.

PAULLUS.

Tune hunc pervicacem flectas, qui id studio
[sibi
Semper habet, studiis ut semper obsistat
[meis?

STANISLAUS.

Nolim, mi frater, sic animum inducas tuum.

PAULLUS.

Facesse hinc.

BILINSKIUS.

Quaeso, ad te redi: hic diligentius
Secum statuet, qui facto usus sibi siet.

FULCIUS.

Non gravate faciet quod tu vis. Ego spondeo.

PAULLUS.

Tune hoc recipis? Vah... mecum hoc adesto.

FULCIUS.

Subsequor.

SCENA VII.

BILINSKIUS, STANISLAUS.

BILINSKIUS.

Quid dicas?

STANISLAUS.

(Nec opinatum hoc fratris consilium
Cum mihi cetera incommodat, tum illud
[potissimum
Quod abitum meum parabam hinc hos ipsos
[dies).

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR, ROMAE, VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus = Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Premium subno
tentriionali
vendum re
Vecchio, 9

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

PIO PP. XI
QUO DIE
SEXNUM PONTIFICATUS ANNUM
FELICITER ABSOLVIT

*An dies, anno redeunte, nobis
hoc potest lucem dare dulciores?
an magis flore est alias novoque
carmine dignus?*

*Nam Sacerdoti hic memorat Supremi
culmen et Sanctas adiisse Sedes
qui Pium fecit sibi Vaticana
nomen in arce,*

*nec Pio se se Decimo minorem
praestitit, cuius bene constituto
« Omnia in Christo renovanda » pergit
munere fungi.*

*Lucifer vere hic genialis adflat
queis dedit tantae decus esse sortis,
quot quot in toto iuvat orbe Christi
legibus uti.*

*Hoc enim pascente, gregi per omnes
dissito terras, ubicumque sacrae
ius viget Romae, Fideique splendent
lumina nostrae,*

*pabulum ridet melius salutis,
rivulos nullum temerat venenum,
ulla seculo neque vis luporum
insidiatur.*

*Ergo Te cuncti duce Christiani,
Pontifex, orbis bona spes adesto,
mox, sacro legum nihil imminuto
iure Tuarum,*

*Italis sartum fore vulnus aegris,
et simul tempus, numerosa Christi
uno ubi pastor tuearis unus
agmina ovili.*

*Pace tum mundo dabis Ipse princeps
perfrui vera, populisque fiet
aureum ut cunctis queat aequa saeculum
condere Roma!*

ALAFRIDUS BARTOLI.

De latinarum litterarum historia paelectiones¹

Denique patriciis, i. e. patrum liberis a plebeiis separatis, ut Dionysius Halicarnassensis ait (ἐπειδὴ διέκρινε ὁ Πομπός τοὺς κρείττονας ἀπὸ τῶν ἡπτάνων, II, 9), quid utrisque faciendum esset legibus statuto, patriciorum fidei plebs commissa est, in clientelas eorum discripta, data cuique

facultate eligendi quem sibi vellet patronum, et patronorum officia clientumque ita legibus constituta sunt, ut summa pax et concordia inter eos esset.

Patet igitur manifestissime, quam prudenter scienterque vel ab initio finibus suis circumscripta essent ius *publicum*, ius *sacrum*, ius *privatum*; quod argumento est quam apti ad hanc rem et natura ipsa vocati essent Romani. Nonnullae leges praesertim civitatis vel ab initio optime constitutae testes sunt, velut

¹ Cfr. fasc. sup.

lex curiata de imperio, qua qui reges creati essent antequam munus inirent, de imperio populum curiatim consulere debebant; item *lex provocationis* ad populum, qua capitis damnatus a rege vel a duum viris perduellionis facultatem ad populum provocandi habebat ab eoque absolvii poterat.¹

Praeterea mature stipulationum iudiciorum, testamentorum, omnium rerum ad ius civile pertinentium, formulae erant constitutae, a quibus ne verbo quidem aberrari licet: vide sis, ex. gratia, apud Livium (I, 32, 6) ritum belli indicendi et carmen vel formulam a Fetialibus ad eam rem adhibitam.² In omni genere iuris igitur agnoscere licet primis iam saeculis progredientem rem publicam atque in optimum statum naturali quodam itinere et cursu venientem.

Sed quoniam nec temporis unius nec unius hominis esse potest optima rei publicae constitutio, par erat ut paullatim rerum bonarum et utilium fieret accessio. In his habeamus tum: a) *Servianam* census institutionem cum equitum a reliquo populo separatione, et huius distributione in quinque classes, omniumque divisione in centurias, *comitia centuriata* insti-tuendo, ubi suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate erant, ut non plurimi plurimum valerent, quod periculosum est, sed vis omnis penes pri-mores civitatis esset; tum b) divisionem urbis totiusque regionis circa urbem in eas partes, quae *tribus* appellatae sunt, unde *comitia tributa* exsisterunt, ubi non ex generibus nec ex censu et aetate, sed ex

¹ Cfr. ap. Liv., I, 26, narrationem de Horatio sororis interfector, post damnationem duumvirum ad populum provocante, ab eoque admiratione magis virtutis quam iure causae absoluto.

² Cfr. Cic., *De rep.*, II, 31; ius quo bella inde-rentur sanxit (Tullus Hostilius) fetiali religione, ut omne bellum quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque impium iudicaretur.

regionibus et locis suffragia cerebantur; itaque, submotis patribus, plebs omnis et multitudo civium voluntatem ostendere et magistratus suos creare potuit.

Hic nobis de Romani Iuris historia prima aetate loquentibus non sunt tacendae illiae quae a multis scriptoribus memorantur *leges regiae*, hoc est iuris reliquiae ad antiquissima civitatis instituta pertinentes, quae velut leges ab aliquo septem regum latae memoriae traditae erant. Festus, ex. gratia, sub voce quae est «plorare» (M. p. 230, T. DE P., 290) hanc refert legem ut Romuli Tatique: *si nurus, sacra divis parentum estod*; et Servii Tullii: *si parentem puer verberit, ast olle plorassit parentis, puer divis parentum sacer estod*. Hic locus mancus est, fortasse corruptus; ante omnia deest in lege Romulea quid nurus deliquerit ut sacra sit divis parentum. Est qui coniecerit: «si nurus socrui obambulassit ast illa plorassit, sacra etc.» ubi *obambulare*, ipso Festo-Paullo teste, esset «adversum alios ambulare et quasi ambulanti sese opponere» (T. DE P. 209).¹ Sed parum verisimile videtur, si socrui ambulanti nurus se opposuisset, id capitale illi esse. Mommsenus, ordine mutato, ut Romuleam habebat, non Servianam, eam legem: «si parentem puer verberit... etc.», cui sequebatur adiectio: «si nurus sacra... etc.», i. e. «si nurus parentem verberit...». Ut ut est, habes exemplum vetustae legis regum aetati adscriptae.

Aliud exemplum erit Pompiliana legis de Deo Termino. Dionysius (II, 74) memora τηρὶ τοὺς ὄρισμάς τῶν κτήσεων νομοθεστῶν, i. e. legislationem de terminis agrorum; atque, iussisse Numam, ut unusquisque terminaret (περιγράψαι) agrum suum, lapides in finibus ponendo, et ut sacros Iovi Termino hos lapides statuisse; quos si quis sustulisset, vel transtulisset (εἴ τις ἀφανί-

¹ VOIGT, *Ueber die leges Regiae*, Lipsiae, 1876.

σειεν ἥ μεταθεῖη), hunc sacrum Deo esse (*ἱερὸν τοῦ θεοῦ*). Id confirmat Festus s. v. *Termino* (T. DE P., p. 560): «Termino sacra faciebant, quod in eius tutela fines agrorum esse putabant. Denique Numa Pompilius statuit, eum qui terminum exarasset – (i. e. loco removisset) – et ipsum et boves sacrum esse».

Aliae Numae leges a Festo servatae sunt, s. v. *paelices*: «Paelex – (i. e. mulier quae uxorem habenti nuberet) – aram Iunonis ne tangito, si tanget Iunoni crinibus demissis agnam feminam caedit». S. v. *parricidas*: «Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, parricidas esto»; parricida enim, Festus ait, non qui parentem occidisset dicebatur, sed qualem cumque hominem indemnatum.¹ – Item s. v. *occisum* (quem a necato distinguebant, alterum a caedendo, alterum sine ictu): «Si hominem fulmen occisit, ne supra genua tollito»; et: «Homo si fulmine occisus est, ei iusta nulla fieri oportet».

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINO.

PII IX PONT. MAX. COMMEMORATIO

QUINQUAGESIMO RECURRENTE ANNO

AB EIUS OBITU

Dignum profecto erit nonnulla in latino hoc commentario conscribere de illo Pontifice, qui per triginta et amplius annos latina usus est lingua in permultis et praeclaris Ecclesiae monumentis, quique subortam superiore medio saeculo de latini-

tate quaestionem egregie solvit. Namque ex latinae linguae magistris alii contendebant optimos tantummodo scriptores ethnicos adhibendos, Christianis posterioris aevi prorsus neglectis; alii, e contra, negligendos omnino ethnicos, et Christians tantummodo adolescentium manibus terendos, ne Gentilium Deorum fabulis inficerentur. Summus autem Ecclesiae Moderator sententiam rogatus media incensis via, edixitque placere sibi quidem ex puris Ethnicorum fontibus, si opus fuisset expurgatis, deduci latinitatem; non negligendos tamen, immo seligendos quoque esse optimos primaevae aetatis Christians auctores, ex quibus adolescentes nostri sancta vitae documenta aequae atque optima latina verba hauriunt.

Egregium Pontificis consilium amplexi sunt in primis Ven. Ioannes Bosco apud Subalpinos, aliisque permulti ineuntis aetatis doctores benemerentissimi, atque selecti multi ex Christianis prodiere libelli, qui cum maxima adolescentium latinae linguae addictorum utilitate, hodie puerorum manibus teruntur in scholis potissimum clericalis ordinis. In his, Christianae Ecclesiae historia a Ioanne ipso Bosco, quem supra memoravi, exarata, quam latine vertit, Ioannes B. Francesia noster, scriptorum nunc Latinorum Nestor, cuius ipsissimis verbis, quantum possibile fuit, Pii IX vitae synopsim, quam hic hodie sub oculis pono, referre mihi placuit.

**

Tantus igitur Vir, inter Romanos Pontifices clarus in primis et illustris, natus est Senogalliae, nobili loco, anno MDCCXCII et adpellatus Ioannes Maria. Adolescens Romam venerat, ut militiae Pontificis nomen daret, at per valetudinem ei non licuit. Verum, invocata Mariae Augustissimae ope, quam semper in deliciis habuit, mirum in modum sanitati restitutus est. Sacerdotio auctus et Religionis studio incen-

sus, optime novit iuventutem in primis recte institui oportere, qua in re primas ipsius sacri Principatus curas posuit.

Romae consilio atque opere bina egregia ephebea direxit, quorum alteri est nomen a *Tata Ioanne*, alteri a *Sancto Michaeli ad ripam Tiberis*, in quibus pueri pauperiores publice aluntur, atque instiuntur.

In missione imprimis difficili apud Rem publicam Chilensem, in plenis Americae Meridionalis, ei ex officio Pii VII concessa, ingenium et virtutem egregie in rebus gerendis ostendit. A Chile reversus, Episcopus renuntiatur; et tandem anno MDCCXL Cardinalis. Mortuo Gregorio XVI, omnium fere suffragiis, decimo sexto Kalendas Quintiles anni MDCCXLVII Pontifex electus, duos dies postquam Cardinales simul in conclave convenerant, Pius IX vocari iussit.

Si omnia velimus quae hic Pontifex, cum paucis sane comparandus, perfecit, in medium proferre, multa essent volumina conscribenda. Nonnulla obiter delibabuntur.

Regnum auspicatus est a motuum civilium oblitione pro illis, qui sub Gregorio XVI Pont. Max. laesae maiestatis insimulati essent. Quo facto exsules multi vel in patriam reversi vel in libertatem vindicati. Tulit quoque leges, ex novis temporum rationibus, populis aptas. Hisce clementiae sensibus, nomen Pontificis cum plausu apud omnes gentes renovatur. De laudibus sacri Principis dum omnes recti consilii homines laetantur; nefarii, improbo sane consilio ducti, novam quandam sibi Italiam componendi, seu rempublicam, in eiusdem Pontificis ruinam plausus vertentur. Quotquot res novas apud exteros populos tentaverant, Romanum se contulerunt; ibique quum simularent Pontifici cum ceteris plausum dare, summo operे contendebant, ut ipse bellum Austriae indiceret. Pontifex, ut omnium populorum

Pater a bello semper abstinuit, alte edicens: «Noscat universus terrarum orbis Nos Italiae libertatem in primis optare; at nunquam nos bellum aliis indicere posse, nec subditorum sanguinem effundere ut ipsam adsequamur». Interim autem omnia quae patris erant, studiosissime complevit.

Tum qui paulo ante Pontificem laudibus ad caelum ferebant, eique omnia fausta ausplicabantur, res novas quaeritare; deinde novi imperii genus adfectare, et ipsi Principi mortem proponere. Pontifex novissimum omnium experimentum excogitavit, et beneficia priora novis cumulando, Romae Peregrinum Rossi Comitem, et rerum publicarum peritum, administratorum moderatorem constituit. Cui prae ceteris etiam atque etiam commisit, ut, pro virili parte, ordinem cum pace obtineret.

Inutile consilium! Peregrinus inter magnum hominum tumultum, in ipso Curiae limine confoditur, ubi tunc aderant populares oratores legibus ferendis; custodiae aedium Quirinalium armis privantur, Ximenes sacerdos doctissimus lethali vulnere sica confoditur, Palma quoque sacerdos, vir clarissimus a secretis Pontificis, ignivoma ballista occubuit.

Quamobrem Pontifex sanguinem familiarem effusum vidit suis in aedibus, sequi in magnum vitae periculum vocari, hominum impotentium nisu, quā a nullo sceletrum flagitorumque genere alienum animum haberent. Itaque quum animadverteret se in aliena potestate constitutum, in vitae discrimine, deque salute periclitari Cardinales et quotquot in munib[us] obeundis sibi devoti essent, Roma cedere statuit et, opitulante Deo, Caietam, tamquam in tutissimum portum, secedit.

Vix rumor percrebrescit Pontificem Caetiam elapsum esse, haec civitas illico fit Religionis sedes, atque illuc omnes Christiani nominis viri consilii causa conveniunt. Ipse Rex Neapolitanorum, tanto hospite laetior, Pontificem magno honore

¹ Hic sermo est de dolosa occisione. Servius (*ad Buc.*, 4, 48) aliam Numae legem memorat de occisione non dolosa: «Si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi agnatis eius in cautione offerat arietem».

prosecutus est, et omnes, qui in eius erant comitatu magnificentius habuit.

Ex Caietano secessu, qui ad sexdecim menses productus fuit, rem Christianam adsiduo opere fortunare Pius perrexit. Prae ceteris pietatis suae testimonium in Matrem Augustissimam dedit, quum litteras omnibus Episcopis conscripsit, quibus eos monitos voluit, ut una cum fidelibus preces effunderent, et voluntatem suam de Immaculata Virginis Mariae Conceptione expromerent. Summus Religionis Magister, omni re expoliatus, atque e sede honoris sui cedere coactus, magnis in angustiis versabatur, ut coniunctionem servaret. Tunc Catholici, magno animorum studio, ut filii parenti in rebus angustis versanti, opem ferre contenderunt, tum copiosis, tum exiguis oblationibus, quae Petriana Stips appellatae fuerunt; quia nempe ad sublevandum Fidei Magistrum, S. Petri in Ecclesia moderanda successorem, mittebantur.

Romae interim viri prudentiores nimio dolore perculsi fuerant; at rerum novarum studiosi, amplissimos quoque fortunae gradus sese obtinuisse putantes, simul convenerunt, et nefarie Romae rempublicam proclamarunt, sub tribus actoribus Mazzini, Armellini et Saffi: Pontificem omni sua auctoritate decidisse dictant, seque imperii arbitros constituunt. In primis nova vectigalia statuunt, chartam pro auro producunt, magnam sibi facultatum Ecclesiae partem attribuunt, vim omnis generis in sacerdotes, religiosos viros eorumque coenobia sacrasque supellectiles inferunt.

Sed diutius non potuit Deus tot flagitia impune tolerare.

Reges enim nominis Christiani, singulari pietatis in Patrem et obsequii testimo- nio, opem ferre Pontifici statuerunt; eumque in Urbem, tamquam in naturalem Sedem deducere. Reges Hispaniae, Neapolis, Austriae ac Vindelicorum et Gallia consilium inierunt, quoniam modo Roman in libertatem vindicarent; et dum

Austriæ Imperator in Provincia Flaminia, in optima scilicet sacri Principatus regione, fit Pontificis procurator; Gallis, qui tunc temporis populari imperio gubernarentur, rebelles ex Urbe pellere ex composito demandatur.

Tres menses circa maenia pugnatum est. Virtus obsessorum maxima exstitit, meliori sane causa dignissima. Pugnae hinc inde ferocissimae, utrinque loca capta et iterum omissa, et omnes mori potius parati quam cedere.

Tandem tertio Kalendas Iulias, die sacro Principi Apostolorum, Galli ferocius urbem adgressi, eam hostibus undique reiectis, obtinuerunt.

Quum primum Pontifex accepit, Romam in sua iterum esse potestate, commotus admodum dixit: «Sint Deo gratiae: nunc filiorum sanguinis effusio remittit». Multi optimum factu putabant, si Pontifex exemplo in Urbem rediret; at prudentiores differendum esse consuluerunt. Tandem pridiem Idus Apriles, anno MDCCCL rediit. Eo hominum concursu atque animorum gaudio excipitur, quo Pius VII ex Savonensi captivitate Romam invictus est. Fortunatus Pontifex primum se ad S. Petri contulit, ut de pace Ecclesiae tandem concessa gratias ageret; deinde tota mente eoque studio, quo ipse maximo pollebat, ad vulnera sananda animum appulit, quae a nefariis Ecclesiae hostibus inlata fuerant et Reipublicae.

Tum vero undique Pontifici suffragia Episcoporum adferuntur, de communi catholicorum doctorum sententia, Mariam omni labe expertem fuisse, omnesque optare ut tandem hoc fidei placitum, solemniter, modo ad docendum composito, proponeretur. Pontifex rem tunc doctissimis theologis ac Patribus Cardinalibus commisit, et ad tres menses iubilaeum concessit, ut omnes ad preces Deo effundendas excitarentur. Deinde Episcopos, quibus esset opportunitas, Roman adscivit. Re bene diligenterque pertractata, visa est do-

ctrina Sacris Scripturis congruere, a maioriibus semper accepta, in sacra scilicet liturgia, in libris sapientiae christianaे scriptorum, in Pontificum decretis, in omnium populorum sententia, Mariam expertem fuisse originali labe; et optimum esse hanc sententiam tamquam fidei articulum definiri.

Tunc Pius, novis propositis precibus, Virginem Sanctam ab origine Immaculatam, solemni ritu decernere voluit. Itaque vi Idus Decembres anni MDCCCLV in Basilica Vaticana, ingenti S. Romanae Ecclesiae Patrum Cardinalium et Episcoporum ex dissitis etiam regionibus adstante coetu, universoque plaudente orbe, solemniter pronuntiavit ac definivit: *Doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti sue Conceptionis fuisse, singulari Dei privilegio, ab omni originali culpae labo praeservatam immunitam, esse a Deo revelatam, ac proinde ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.* Quo facto nullum iam de hoc Dei Matris privilegio dubium erit in posterum; nec novam Pontifex opinionem invexit, sed auctoritate sua, sententiam, quam Deus antea protulerat, quamque nomen Christianum, vel a primis temporibus, semper profitebatur, solemni ritu probavit.

(Ad proximum numerum).

FERDINANDUS AB AVILIANA, O. M. C.



De Romanorum vestibus¹

Explosa iam diu illa sententia est, quae togam apertis vestimentis adnumerat, atque in eam frequenter itum est, quae rotundam ipsam clausamque constituit. Hac igitur forma quum esset, tum unico iniectu imponebatur, tum totum simul hominem, exstante tantum capite, obtege-

¹ Cfr. fasc. sup.

bat. Eius autem ad collum laxitatis antiquitus erat, ut illac dextera tantum manus exseri posset, ut clare colligitur ex Quintiliano, ipso in libro XI, 3. At sequioribus aetatibus, Augusti praesertim aevo, adeo superior is togae ambitus ampliatus est, ut non manus modo, sed et totum brachium humerusque per eum exporrigeretur; ipse vero ambitus brachio submissus a dextro latere ad sinistrum humerum oblique excurreret. De eo intelligi debent verba Fabii (XI, 3), quum inquit: «Ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique dicitur velut balteus, nec fluat, nec strangulet».

Illa autem togae ex humero deiectae redundantia ita, ne diffueret, componebatur: Primum ambitus ipse multa plicarum compage constringebatur; tum per eum, quasi per balteum, pars demissae togae traiciebatur, eidemque imposta considerabat. Huc spectat illud eiusdem Quintilianus, quod locum modo allatum sequitur: «Pars togae, quae postea imponitur – (scil. balteo) – sit inferior; nam ita et sedet melius et continetur». Atque hanc ipsam togae partem balteo iniecat ac propterea exstantem, et quodammodo exuberantem, eam fuisse credimus, quam *Umbonis* nomine dixerint veteres.¹

¹ E reliquis doctorum hominum de togae *Umbone* sententiis, quae vel sinus ipsum togae, vel balteum, vel rugas in sinistro brachio collectas, vel etiam nodum qui illam in laevo humero constringeret, hoc donatum fuisse nomine prodiderunt, haec, quam attulimus, magis arridet. Certe, togatam imaginem intenti ita pars illa balteo imposta in oculos incurrit, ut, quam recte *umbo* dici potuerit, per se ipsa ostendere videatur. Hinc autem primum erit intelligere quid sit apud Macrobius (*Saturn.*, III, 13) *nodus lateris* in toga. Is scilicet *umbo* ipse fuerit oportet: sic ab eo appellatus, tum quod quasi nodi speciem prae se ferebat, nec non vicem quodammodo fungebatur; tum quod ad sinistrum hominis latus accedebat. Verba scriptoris haec ipsa sunt: «Togam - (Hortensius) - corpori sic applicabat, ut... sinus ex composito defluens *nodus lateris* ambire».

Iamvero multiplices rugae ex huiusmodi togae compositione enascentes, quae nimirum e balteo profectae deorsum orbiculatim evolvebantur, *Sinus* nomine appellatae fuerunt: qui quidem sinus, pro diversa togae amplitudine, effusior angustiorve erat. Is ab ipso Fabio (loc. cit.) ad hanc normam exigendus statuitur: «*Sinus* decentissimus, si aliquanto supra imam togam fuerit: nunquam certe fit inferior». Quoniam vero veteribus, qui dextrum brachium adhuc ueste continebant, togam inde deiicere mos non erat, hinc nullum eiusmodi sinum apud eos fuisse enunciat idem Fabius his verbis: «*Veteribus nulli sinus: perquam breves post illos fuerunt.*

Quod autem ad sinistram togae partem conformandam aptandumque pertinuit, haec inferne collecta alteri brachio in *normalem angulum* (uti loquitur Quintilianus loc. cit.) inflexo imponebatur; eaque ratione fiebat, ut foras laeva manus educeretur. Hinc, quum non paucae quoque exsisterent rugae, quae sinuosus flexibus ad ima decurrebant, iis pariter *Sinus* appellationem inditam fuisse cum nonnullis scriptoribus opinamur.

Id enim omnino postulare videtur locus Suetonii de Caesare (LXXXII): «Ut animadvertisse undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit: simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit». Neque enim hic, ut res ipsa testatur, vox *Sinus* de alia togae parte intelligi debet, quam de illa, quae sinistro cubito incumbebat, quamque ille iam iam moriturus demiserit; quum ceteroqui haud facile captus, quo pacto ille alter sinus, de quo supra, ad ima crura demitti potuerit.

Notatu interim hic dignum est, ad hanc togae partem pertinuisse illud «sinum e toga facere»; quod aliud omnino a prioribus genus erat. Hoc enim in eo vertebatur, ut laciniam laeve brachio sublatam dextra manus expanderet, et in concavam quamdam formam componeret. Ita ex Livio (XXI,

18): «Romanus (legatus) *sinu e toga facto*. Heic, inquit, vobis bellum et pacem portamus; utrum placet, sumite. Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet, suclamatum est; et quum is iterum *sinu effuso* bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt».

Iamvero ex eo, quod, ut modo indicavimus, togati homines sinistrum brachium inferne educebant, illud omnino sequitur, nullo cinctu togam fuisse constrictam; quamvis eruditorum aliquis contra senserit.¹

Unus modo *Cinctus Gabinus* fuit, qui ad vestem hanc pertinuit; qui tamen nihil cum cingulo commune habuit, sed in eo totus fuit, ut togae lacinia sinistro brachio subducta reiceretur in tergum, indeque ad pectus revocata in nodum colligaretur, eoque pacto medium hominem circumcingeret. Eiusmodi sane cinctus, ad togatum ipsum expediendum unice natus, a Gabiis profectus, apud Romanos certis quibusdam temporibus locisque obtinuit.

Itaque usi eo fuere, tum (quod plane necesse fuit) veteres illi, qui in togis pugnarunt, tum consul, quum bellum indiceret,² tum qui magistratus colonias deduxissent, quum urbis moenia aratro circumscriberent, ut adnotavit Servius ad V *Aeneid.*, 750; tum qui se pro patria devoverent;³ tum qui sacris faciundis vacarent;⁴ tum denique bellorum duces, quando cremandis spoliis operam dabant, quod palam facit Appianus in *Punic.* et *Mithrid.*

¹ Opinionis, quod cingi toga consueverit, praeci-
puam causam dedit narratio Macrobii (*Saturn.*, III)
in haec verba: «Ita (Caesar) toga praecingebatur, ut
trahendo laciniam velut mollis incederet». Verum de
tunica illum, non de toga debuisse loqui, satis evincit
locus Suetonii in *Iul.*, XLV, quem posthac adnotatio
nem dabimus.

² Cfr. VERGILII, *Aeneid.*, VII, 662.

³ LIV., VIII, 9 et X, 7.

⁴ Cfr. LIV., V, 46; LUCAN., I.

Atque haec, quae togae formam spe-
ctarent dicere habuimus; queis postremo
addicere non abs re fuerit, id vestimenti
genus ad talos usque olim fuisse demis-
sum; at Quintiliani aevo ad medium
modo crus descendisse; quod constat ex
eiusdem verbis, loco per nos hic plures
memorato.

(Ad proximum numerum).

S. A.

DE CONTARDO FERRINIO¹

Nunc vero aliquid dicendum est de Spe, secunda virtute theologica. A Fide enim oritur Spes, ut scripsit Benedictus XIV: «Habitus heroicus Spei adiuvat et inclinat ad sperandum ultimum finem et media, sed cum maxima fiducia et securitate obtinendi, ad spem suam in Deo collocandam in omni sua necessitate, sed incessanter, alacriter et firmissime, absque ullo prorsus dubio de eventu». Quae omnia fuerunt in nostro Dei Famulo. Semper enim prae oculis habuit salutem animae suae, nunquam laudes, munera, praemia hominum. Puer adhuc a minimis se abstinebat peccatis, ad hunc solum finem, ne suaeternae remuneracioni officeret. Vir donis honorifice publice ornatus ut ineptiis irridebat, et ipsi domestici saepe ignorabant decoratum esse Contardum aut cruce aut torque. Nihil enim has res aiebat prodesse ad finem ultimum consequendum, qui unus sibi esset in deliciis. Fere omnium hominum, ubi paullum accessit pecuniae, attolluntur animi. In Dei Famulo contra accidit. Quamvis magister et scriptor modicum peculium quasi castrense lucratus esset, tamen improvide colloca-
tum, proinde perditum nunquam conque-

¹ Cf. fasc. sup.

stus est. Tantummodo diligentiam adhibuit, ne res divulgaretur, et erat sollicitus de existimatione hominis qui male rem gesserat, potius quam de sua ipsius iactura. Spem enim nunquam in pecunia quae effluit, sed in misericordia Domini, quae aeternum durat, reponendam curabit. Igitur ei convenire potest carmen hoc regis prophetae: «Clamavi ad te, Domine, dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viventium».

Nunc ad Caritatem, tertiam virtutem theologicam, explanandam procedamus oportet. Duplici modo Deus diligitur, affectu et effectu. Ioannes enim Evangelista ita scripsit: «Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate». Contardus noster adeo heroicem Deum diligebat, ut in propositis vitae sua statuisset se quotidie frequenter mentem elatulum esse ad Superos, et in sonitu unius cuiusque horae se angelica salutatione Mariam Virginem veneraturum et spiritualiter accepturum esse divinum Corpus. Quidam testis eum noctu aspexit submissis genibus in cubiculo ferventissime orantem.

Dilectio Dei seiungi nequit a dilectione proximi. Quare Ioannes Evangelista ait: «Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum». Inter proximos anteponendi sunt omnibus domestici. Quapropter Dei Famulus maximam reverentiam parentibus adhibebat. Pater erat ei tanto amore coniunctus, ut quotidie colloquerentur, simul deambularent, simul in templis frequentes essent, et semper in eadem essent mente. Matri non solum debitum tribuebat honorem, sed summo mane, quum illa lecto tenetur, cubiculum ingressus, porrigitur consueverat pateram arabicae potionis. Cum duabus sororibus et fratre, quem aetate praececedebat, videbatur esse angelus custos, bonum exemplum, consilia opportuna, quandoque etiam humanissime animadversionem obiciendo. In locum voluminis

non idonei alterum supponebat, quod salvis pudore et Fide legere fas esset. Sorem minorem natu ipse honestissimo iuveni nuptum dedit. Puellos nepotes in deliciis habebat, a quibus valde redamabantur, iisque comiter narrare fabulas decentissimas solitus erat innocens inter innocentias. Suos famulos Fidem moresque bonos docebat, et ut statis diebus confessi Christi Corpus sumerent, operam dabant. Haec domi. Foras discipulus contubernalibus, magister collegis et amicis persuadebat, ut ad bonam frugem redirent. Quum olim in collegio Borromeo quidam adolescens sibi vitam exaurire tenasset, subito heros noster praesto fuit, ut infelicitatem tanti sceleris poeniteret, et suavibus verbis lenitum in gratiam Dei reduxit. Collega doctor Messanae graviter aegrotus Sacramentorum consolationem recusabat, sed miti sermone Contardi mutavit voluntatem, et reconciliatus cum Deo pie diem obiit supremum. Nihil enim illi magis cordi erat, quam salus animarum.

Tertio ordini S. Francisci addictus, pacem inter inimicos componebat, atque obtricationem et livorem perosus pronigerat ad excusandum, quam ad accusandum. Prae ceteris stipem studentibus egenis qui parentibus orbati erant, conferebat, quoad in studiis literarum versarentur. Praeter pecuniam erogatam in societatem S. Vincentii, privatim saepe compluribus subsidio ibat, quae res dissimulatione sua saepissime ignorabatur, neque sciebat sinistra quid faceret dextera. Ubi se deficerent nummi, ut amici, ut pater praesto essent, summopere enitebatur. In praeceptis caritatis heroicem adimplendis Dei Famulus ad salutem animarum respectum habebat, et in re mala pauperes adiuvans semper finem supremum quaerebat.

Necnon cardinalibus virtutibus ipse praeditus erat, quarum prima Prudentia est. « Ille veram prudentiam habet (ita scribit Albertus Magnus) qui sollicite laborat

cognoscere quid sit optimum, et hoc toto nisu amplectitur; quid sit pessimum, et hoc toto corde detestatur ». Re vera Dei Famulus ab ineunte vita usque ad mortem nunquam terrenis immoratus est, ne vitiis animam contaminaret, et abstinebat se a theatris atque omnigenis spectaculis etiam non indecoris, et omnino mulierum familiaritatem vitabat. Ne in discrimine versaretur, oculos ad terram deiiciebat. Proficiendi enim ad bonitatem et in virtutibus studiosissimus erat, et a peccatis abhorrens preces expetebat a Deo, ut adipisceretur beatitatem aeternam. Hoc unum secum in animo cogitare solitus erat. Quamvis permisum sibi esset legere libros prohibitos, tamen licentia non utebatur, nisi pressus necessitate iurisprudentiae suae, et in hanc et in preces vitam transibat otii nescius. Ephemerides irreligiosas omnino respuebat. Qui quidem modus in ducenda vita nonne heroicam redollet prudentiam? « Inutiliter in hoc tempore vivitur (ait Augustinus) nisi ad comparandum meritum quo in aeternum vivatur ».

Altera virtus cardinalis quam Dei Famulus heroicē exercebat, Iustitia est, quae definitur: « constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi ». Haec quoque duplex est ut caritas, in Deum et in proximum. Vir iustus credit Deo et Ecclesiae, eorumque praecepta curat diligenter, quam rem adimpletam fuisse a Dei Famulo iam significavi, quum de Fide locutus sum. Hic mihi libet adiicere statutis diebus eum abstinuisse a vetitis cibis, et ieunii legem servasse, etiamsi quandoque integra non esset valetudine.

Tetigi quoque iustitiam eius erga proximum in caritate evolvenda. Quare taceo de iustitia eius erga parentes et domesticos. Sacerdotes, magistros omnesque qui praeerant, capite aperto salutabat. Quum olim condiscipuli libellum per deridiculum adversus suos doctores conscripsissent,

omnesque subnotassent, praeter duos Contardum et alterum qui nomen denegarunt, a ceteris adiuncta sunt eorum nomina cum signo crucis, quasi literas nescirent. Quid vero dicendum de Contardo doctore? Ita instituebat adolescentes, talis erat eius disciplina, ut religioni eam haberet, veritus ne officio deesset. In dijudicando qui videretur inter flagitantes idem praemium aut munus aut officium dignior esse, diligentia maxima utebatur non commendationes spectans, sed integritatem et iustitiam. Post scholam explicatam, libenti animo sine mercede alicui, tardo ingenio in accipiendis quae tradebantur, subsidio veniebat; attamen anno peracto in diebus cognitionis et perculi severior erat quam indulgentior, ne discederet a vero aut iura confringeret. Unde merito ei conveniunt, quae ait Cardinalis Bona: « Vir iustus neminem laedit, omnibus prodest, bene de omnibus sentit et loquitur, dat unicuique quod suum est..., servat concordiam, legibus paret et iussis maiorum, suo statu contentus ».

Tertia virtus cardinalis est Fortitudo, cuius munus esse S. Gregorius Magnus asserit: « carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitae praesentis extinguere, huius mundi aspera pro aeternis praemiis amare, proprietatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare ». Quam heroicē Dei Famulus hanc virtutem professus fuerit, superius iam vidimus, quum de ceteris virtutibus mentionem faciebamus. Ipse enim nunquam erubuit Evangelium, contemptiones sodalium, discipulorum, collegarum pro nihilo habuit. Evidet censeo multo melius eos qui reipublicae praeerant, tantos labores remuneraturos fuisse, si constantiam in Fide servanda et reverentiam quam Ecclesiae et Summo Pontifici tribuebat, contextisset et dissimulasset. Quamvis sine necessitate tacitum os praeberet iis, qui in iure romano explanando

(Ad proximum numerum).

JOSEPHUS BIROCCINI.



liberrime Missam appellem. Ita enim scripsit Comodianus, vir clarissimus exeunte iv Christiano saeculo: *Stat miles ad Missam: unus audit, et excutit alter!*

Si ille, cur non ego? Lingua enim Romana in universo terrarum orbe diffusa, imaginem temporis sui referens, tamquam Christiana ubique gentium iam regina incedebat, et populorum magistra.

Res mirabilis! Eo enim temporis momento, sacerdos, signo tintinnabuli praevio, ad aram sacris operatus ingreditur, cui puer graviter ministrat. Per singulas Ecclesiae partes disperita nitidissime lux electrica splendescit, quae universorum devotorum commodo et securitati prospicit. Dum res sacra conficitur, en vera aetatis nostrae iucunditas! Sacerdos enim, ex recentiori Pontificis Maximi decreto, e sacro suggestu, illam dominicalis Evangelii partem explanat, eo consilio, ut apte ad doctrinam vel obiter excolatur immensa illa populi natio, quae adsiduo opere distenta, iejuna admodum a sacro pabulo maneret. Erant equidem numero pauculi, sed gravitatem si rerum consideras, quam superare assolent, plurimi omnino, omni que laude dignissimi.

Sacrificio demum peracto, etiam die festo, haud abs re sua esse putavit hospes, si vel cursim paucula curiosius perlustraret. Ibi enim in parvula cella maxima pietate Crucifixum colitur, quem tempore squallentem Pius IX in splendidiores formam restituit, columnis circum exornavit, sive speciem aedis insigniter auxit. Idem Pontifex innumera Turcarum signa, in Vindobona obsidione sub Innocentio XI relata detersit, atque eiusdem Pontificis insigne auro et marmoribus exornavit.

Ad haec inopinus in monumentum offendit, quod honori et memoriae Clementis XIV, P. M. aere veneto, positum fuit. Eius immortalis operis auctor fuit Antonius Canova, qui tunc primum laudibus inlarescebat.

Omnibus enim compertum est quam gravibus temporibus Clemens XIV ad supra Nomini christiani gubernacula sedit, et quo singulari consilio, anticipitem potentiorum fidem praecavere studuit. Propterea, ex ipsis rerum difficultatibus animum sumens, admirantibus omnibus, fortitudinem cum modestia, et constantiam insigniter cum moderatione coniunxit. Namque, si, quum undique periculis premeretur et adsiduis augeretur minis, petitionibus frangi visus est, tunc vero maior apparuit, et suis quum cedere adversariis videretur, tunc quoque Pontificis magnitudinem pietate et dulcedine cumulavit.

Haec omnia fortissimi viri signa in ore vultus, in omni corporis habitu, mirum in modum, artifex in obsequium Pontificis, in Municipis decorem marmore effinxit. Admirabilis sane Romanorum Pontificis, qui, Deo sic disponente, fortiores adsurgunt, maioribusque laudibus digni habentur, quum ab hostibus acriori invicia atque calumniis exagitari videntur, eorumque imperium latius per orbem terrarum effunditur.

Quam vere, quam pulcre dicendum est de sacro Romano principatu:

Nobilitate viget, viresque acquirit eundo!

Haec atque alia secum ipse reputans, ex templo regressus Noster est.

In via Nationum (sic appellarem quam nationalem Itali vocant) ei est obvia immensa peregrinantur turba, quae ad Vaticanum contendit. Maxime admiratus praesentem rerum tranquillitatem animorumque remissionem, in mentem revocat nobilissimum illud Leonis XIII exordium, quo Slavonia ad suos pedes provolutos salutavit. «Expectatos opiatosque urbs princeps catholici Nominis, vos hodie Roma complectitur!»

Sic admodum, neque elegantius eos alloqui potuisse ipse Marcus Tullius!

I. B. FRANCESIA.

COMMUNIA VITAE

I.

Salutatoriae formulae.

a) Occursanti salutatio:

Ave - Aveto.¹

Ave, Cai - Ave domina (dominula).

Salve - Salveto - Salvere te iubeo.

O mi vir! (ohe!) salve (salveto, etc.).

Salve, domine. - Salvete, viri optimi (amplissimi, carissimi). - Salve multum (plurimum), exoptatissime mihi (amicorum optime, etc.).

Salvete quotquot estis una salute omnes.

Salvete, foeminae spectatissimae.

¹ Ave, quod Seneca vulgare appellat et publicum verbum et promiscuum ignotis, ex hebraico fonte, videtur significare *vive*; ac praecipue in matutinis salutationibus amicorum et clientum adhibebatur; nam in vespertinis, - uti Suetonius (*Galo.*, IV) monet - quasi nocturna dimissio, *vale*. Non mirum igitur si *vale* mortuis etiam, quum extremus illis commetus daretur, dicebant; quamquam et *ave* pro iis quoque invenimus, subaudiendo scilicet: in perpetuum, inter beatos, aeternam vitam (*vive*), et similia. Ne ue ex re erit festivam illam ambiguitatem usus huius verbi a Suetonio (*Claud.*, XXI) referre, ubi narrat, commissa a Claudio naumachia, quum naumachiarii ante pugnam proclamasset: «Ave, Imperator: morituri te salutant», isque respondisset: «Avete vos», recusasse illos post hanc vocem dimicare, putantes se ab eo esse dimisso, venia pugnandi data. Sed Cladius ad morem salutandi mortuos respexerat, illisque pugnae ac morti proximis dixerat: «Avete vos!». Ex quibus etiam colligitur, non solum accedenti alicui *ave* dicere morem fuisse, sed etiam discedenti. — *Salve* tamquam adverbium ab adiectivo *salvus* considerari potest; quo in casu interpretari datur: «cum salute, integre, recte, commode»; aut imperativum verbi *salveo*, hoc est: «salvus sis»: quod proprius videtur quum advenientem salutamus. — *Vale* denique, a verbo *valeo*, idem est ac «sanus, sive incolmis esto». Hac voce utimur in discessu, - (itaque in fine epistolarum) - vel quum remeantes responderemus abeundi. Differt a *salve*, quod *salve* maius quidquam significare videtur, vel quod *vale* ad corpus referatur, *salve* ad pericula et mala externa: unde Cicero (*Fam.*, XVI, 4): «Vale mi Tiro, vale et *salve*».

Salvus (salva) sis. - Salvus ac fortunatus semper sis; quid istic?

Salvum te volo. - Salvum te esse iubeo, Cai.

Salve etiam atque etiam (iterum atque iterum), o rerum dulcissime. - Salve plus millies. - Salve quantum vis (quantum mereris).

Salutem tibi dico. - Multam tibi salutem impertio.

Ecum te, optime Cai.

Deus te amet, optime Cai. - Bene tibi sit, o rerum dulcissime.

Resp. - Salve (salveto) et tu - Ohe, salve tu quoque, bone vir. - Salve tantundem tu, o rerum dulcissime (o carissime, ornatissime, spectatissime, etc). - Et tu salve perpetuum. - Evidem malim salvere semel. - Sit tibi melius.

b) Invisenti salutatio.

Salve!

Salvum te advenire (advenisse) gaudeo.

- Sospitem te hinc adesse volupe est.

Faustum hunc adventum tuum gratulor.

Venire te salvum volupe est.

Carus omnibus exspectatusque venis.

Adventus hic tuus mihi suavissimus (optatissimus, incundissimus) profecto est. Opportune venis.

c) Salutatio commissa.

Salvere te Caius iubet. - Salvere te iubet Caius meo nomine. - Salvebis a Caio nostro. - Multum tibi salutis impertit Caius.

Caius voluit me tibi multam salutem dicere.

Iussit me Caius multam tibi salutem dicere.

Misit me Caius, qui salutem tibi suis verbis nunciarem (qui salutem plurimam suo nomine tibi dicerem).

Resp. - Salvus sit optimus et ille noster.

Et Caium iubebis meo nomine salvere plurimum.

Caium item mea causa tu diligenter
(officiosissime) salutabis.

Officiose cum verbis meis salutem redas Caio. - Salutem quam mihi a Caio attulisti, illi multum cum foenore referes. - Nuntia et Caio salutem verbis meis - Multam et Caio salutem a me impertas. - Mutuam a me salutem reddas Caio.

Quia Caii nomine (verbis) salutem mihi dixisti, tantundem ei redde a me.

Si multam abs te mihi Caius salutem nunciavit, plurimam a me tu ipsi vicissim impertiari.

Quorum nomine mihi salutem attulisti, hos omnes mea gratia vicissim salutato.

Multam (plurimam) salutem dices (referes, velim dicas) Caio (patri, matri, uxori, liberis tuis).

Salutem Caio. - Dic, quaeso, salutem Caio (patri, etc.) - Salutem dico Caio et si quem alium mihi benevolentem videris. - Salutem quibus videbitur, praecipue Caio - Communibus amicis a me multam salutem.

Caium (patrem, etc.) salvere plurimum iubeo. - Caium (patrem, etc.), te velim salvere. - Iubebis meo nomine salvere Caium.

Si Caio scribas, salutem meo nomine ei adscribas velim. - Caio meis verbis salutem adscribe.

Tu me Caio magnopere commendato. - Fac me Caio quam commendatissimum facias.

Ex me Caium salutato. - Saluta meis verbis Caium

In amicis salutandis sis, quaeso, mihi vicarius.

d) Salutationes in conviviis, inter pocula.

Sit felix convivium. - Bene sit universo coetui. - Precor laeta omnia vobis omnibus.

Superibene fortunent nostrum (vestrum) convivium.

Dato singulis plena potoria : propinabo (bibam) enim Caio.

Propino salutem tibi, Cai. - Plenum tibi propino, Cai. - Poculis invito Caium. Tollite (efferte) pocula; propinamus salutem Caio.

Collidamus scyphos (pocula) salutem propinando Caio.

Uno impetu épotemus Caio.

Iam exauriamus (exsiccemos) pocula, propinantes Caio. Multis annis (bene) vivas, Cai!

Exsorbebo quod reliquum est ad salutem Caii.

(Ad proximum numerum).

I. F.

ANNALES

Bellumne extra legem?

Qui civilibus rebus dant operam, non sine aliqua animi contentione his diebus mentem suam converterunt in quamdam legis rogationem a Kellog, a secretis Foederatarum nordicae Americae Civitatum, Galliae propositam, ut bellum «extra legem», per commune omnium civitatum foedus, decerneretur. Briandus respondit huiusmodi pactum initio sanciri posse inter duos populos, Gallicum scilicet et Americanum; ceteras nationes sequuturas; bellum vero aggressionis tantum esse dannandum. Dum Anglia videtur huic sententiae accedere, en doctorum in re viorum hinc inde et in utramque partem disputatio; nec desunt, qui dulce rident, adnotantes interim, ob nullius momenti seditionem in Nicaraguana republica exortam, Civitatum Foederatarum septentrionalis Americae exercitum illuc missum esse... ad vigilandum.

«Panamericanus» conventus.

Habanae sextus «Panamericanae Unionis» conventus peragitur, cui legati viginti et unius statuum, quibus America omnis

constat, interfuerunt. Coolidge ei praeest, qui in aditiali sermone conventus proposita edixit, tractandi scilicet quaestiones ad Americam unice spectantes, nihilque in alias orbis partes repugnantes, vel in civile quodvis aliorum institutum. Nuntiatum quidem non est, utrum Nicaraguana quaestio, de qua superius mentionem fecimus, quaeque Americana omnino est, in examen adducta fuerit, vel futurum ut adducatur; non vero conatus, Mexici praevertim, effugerunt ad Civitatum nordicae Americae principatum inter Americanas gentes imminuendum; qui omnes incassum cessere.

An Mexicana civitas iustitiae, prudentiae, roboris et consilii summam sibi vindicare cogitat? Hercle! fulgidissima exempla praebuit, atque etiam nunc non Americae tantum, sed universo orbi largitur!

**

In Italorum coloniis.

Post nonnulla laevia proelia in Senusorum reliquias, Itali occupationem Syrticae orientalis omnis tandem obt nuere, coniunctionemque Tripolitanicae provinciae cum Cyrenaica recto tramite per ultimas Mediterranei litoris oras, quae adhuc extra quodlibet civile regimen permanserat. Africanas Italorum colonias proxime visitabit Humbertus princeps, regni haeres, qui his diebus Aegyptum petivit, ut illius regionis Fuad regem reviseret.

**

Regalia itinera.

Interea in Italiam hospes advenit Afganistani populi rex, Romae bene ac feliciter acceptus. In Ube quum esset, honoris ergo et Summum Pontificem salutatum adivit.

POPPLICOLA.

ROMA SACRA

Ex Congregatione S. Officii.

Per decretum d. 13 Ianuarii 1928 in Indicem librorum prohibitorum inserta sunt opera quae sequuntur, quippe quae «pergant in propagandis ideis ac rebus iam proscriptis, et in detorquenda actione et mente Summi Pontificis a religiosa (uti semper et exclusive fuit) in politicam, quod fuit semper et est ab eius intentione et opera omnino alienum»:

La Politique du Vatican - Sous la Terreur... 20 Septembre - 15 Novembre 1927. - Avec une Préface de LÉON DAUDET et un Epilogue de CHARLES MAURRAS. Bibliothèque des œuvres politiques, Versailles;

MERMEIX, Le Ralliement et l'Action Française, Paris, Arthème Fayard et C. Editeurs;

M¹⁸ DE ROUX, Charles Maurras et le nationalisme de l'Action Française, Paris, Bernard Grasset, Editeur.

VARIA

Avarus.¹

Avarus ex praediis divenditis magnam auri vim comparatam prope domus murum defodit; ubi eam summo studio servatam saepissime invisebat. Proximus quidam operarius, commeantem conspicatus, rem comperit et, avaro absente, aurum ausfert. Ille reversus, vacuamque conspiens foveam, exclamare et crines evellere. Quidam moerentem videns, auditaque causa: «Noli iam flere - ait; - eodem in loco saxum conde et velut aurum serva, quod nuli tibi usui erat».

¹ Ex italicis fabulis NICOLAI TOMMASEO.

LABENTE ANNO MCMXXVII.

Ad Alafridum Bartoli.

*Heu! Vetus in gremium tenebrarum labitur
[annus,
non habet incessu praemorientे moras!
Quid iuvat, ipse reor, lauros optasse decoras?
nobile quid Musae, dic, Alafride; decus?
Cuncta vorat tempus, iuveniles surripit annos,
et pede praecipiti saecula lapsa ruunt.
Quid fidibus spatium, spatium quid lusibus
[opto?
fulgida non atra gloria nocte caret.
Flosculus, astra tuens, viridanti cespite gem-
[mat:
mane venustus olet, vespera flexus obit.
Vita brevis, brevibus confisi vivimus horis:
uno fisque puer, virque senexque die.
Aurea quae menti nituerunt somnia pallent;
at niveus crinis, qui niger ante, nitet.
Quid iuvat, ipse reor, versus scripsisse cano-
[ros?
carmina, quae vitam, funeral una dies.*

INEUNTE ANNO MCMXXVIII.

Ad eundem.

*Dum reddit in gyrum terrarum flexilis orbis,
candida simplicibus verba remitto notis.
Adprecor ampla tibi constantis dona salutis,
sospes ut enumerans vivere saecla queas.
Adprecor ut placida securus pace fruaris,
inceptum peragat laetus ut annus iter.
Adprecor ut lauris placituri hortus odoret,
sedulus experta quem colis ipse manu.
Plurima tum veniant vario sermone loquentes,
quem resonas Flaccus Vergiliusque comes.
Occurrant veteres renovantes vota sodales
et tibi concordes omina fausta canant.
Vox sonet: «Acceptas vatum rege ductor ha-
[benas,
et tua continuet fundere Musa melos.
Sectentur iuvenes sapientis iussa Magistri:
culmina sic dabitur tangere summa iug!*

Arreffi.

VINCENTIUS POLYDORI.

**
Pro iudicibus mensarum elegan-
tibus.

ESCARUM ORDO:
(pro Quadragesimali tempore).

*Polenta ad maluli aurei formam,
Subulpino caseo farta.
Ova butyreo garo immersa.
Asparagi silvestres super frustulis
semusti panis dispositi.
Placenta ex malis uvisque passis.*

**

Locosa.

Tuccius in schola.

Magister in geometricis figuris expli-
candis iam diu insistit; quumque Tuccium
animo a re alieno pluries animadverterit,
grayiter obiurgat. Tuccius, ex adverso,
contendit se perattente eum audivisse.

Tum Praeceptor:

— Si ita fuit, dic mihi quid sit rhombus.
Tuccius sine cunctatione:
— Rhombus est piscis, meo ingratus
palato!

Condiscipulus Tuçcio:

— Pater meus corde aureo est insignis.
Tuccius:
— Atqui meus non modo corde aureo,
sed argenteis capillis!

**

Aenigmata.

I.

Est mihi rho duplex? Et robur findere par
[sum

Est mihi rho simplex? Sedula claudio fores.

II.

Tendit ad ima prior pars; est pars altera verbi
Dictio. Ab integro pressa dolent capita.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Pallas*; 2) *Tempus*.


Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



OVIDOVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebeam facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ullo foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Sociis

JM

s pagg. 103, edi-

eiusdem auctoris
atae apud ephebea

n.

m erit publici cursus
aribus).

AE ROMAE col-
n annum MCMXXVII,
nstituimus libella-
. scilicet 650, pro

a per nummariam
o tramite requiren-
oma, 12, Via del
n est, non sinit ut
s rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum FORNARI doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

S. THOMAE AQUINATIS OBEDIENTIA ET DEVOTIO

ERGA SUMMOS PONTIFICES

S. Thomae Aquinatis biographi abunde referunt de virtutibus, quae animum eius ornabant, prout videre est apud Bollandistas.¹ Ex illis multiplicibus virtutibus S. Thomae iuvat hoc mense Martio, quo dies festus eius ab Ecclesia celebratur, in mentem revocare eius saltem obedientiam et pietatem erga Romanum Pontificem, ne non breviter et summatim eius doctrinam de hac obedientia declarare, quam in quibusdam operibus exposuit.

Verum, ut splendor huius virtutis Angelici Doctoris magis resulgeat, eiusque doctrina clarior fiat, nobis revocandae sunt quaedam historicae circumstantiae saeculi XIII, quando nempe S. Thomas Aquinas vivebat.

Mortuo Innocentio III Summo Pontifice, et regnante imperatore Friderico II (1220-1250) conditiones Sedis Apostolicae difficiles factae fuerunt, praesertim tempore pontificum Gregorii IX (1227-1241) et Innocentii IV (1243-1254). Fridericus II, e gente Hohenstaufica, visionibus antiquorum imperatorum Romanorum imbutus, mente volvebat Romam imperii sui metropolim

constituere; Romanum Pontificem libertate et suprema auctoritate exuere et ad conditionem sui sacerdotis reducere, vel, ad summum, illum tamquam primum episcopum novi imperii caesarei constituere. Sed Romani Pontifices, divinae suae missionis consciit et fideles custodes auctoritatis et libertatis ab ipso Christo iis collatae, illis «caesaropapisticis» conatibus Friderici II viriliter restiterunt; praesertim Gregorius IX et Innocentius IV. Fridericus II in illa terribili pugna a nulla iniustificatione abhorruit. Cruenta bella, persecutioes, calumnias, libellos famosos, omnia adhibuit, ut auctoritatem Summorum Pontificum coarctaret; amorem et obsequium erga illos in populo christiano destrueret. Ad diversos etiam reges et principes illius temporis se convertit, ut illos ad suas partes traheret eosque ab obedientia Romani Pontificis averteret. Impii illi Friderici II conatus aliqua ex parte suum effectum obtinuerunt, nam in Germania non solum plures principes, sed et multi episcopi a principio pro imperatore steterunt; insuper illi conatus semina reliquerunt, ex quibus postea invidia et offensio contra Romanos Pontifices in animis quorumdam pullularunt.¹

¹ ACTA SANCTORUM m. Martii, tom. I (Parisiis et Romae 1865, pag. 657 sqq.

1 HEFELE - KNÖPFLER, *Concilien geschichte*, B. V. Freiburg im B. 1886, p. 995 sqq. - B. JUGMANN, *Dissertationes selectae in Historiam ecclesiasticam*, T. V, Ratisbonae 1885. Diss. XXVIII, p. 389 sqq. - A. WEISS, *Historia ecclesiastica*. Vol. II. Graeisi 1910, p. 184 sqq.

Obedientiam et devotionem erga Sedem Romanam tempore S. Thomae Aq. labefactabant etiam nonnulli haeretici, praesertim *Waldenses* et qui appellabantur *Fratres apostolici*. Iste omnes vehementer in Romanam Ecclesiam insurgebant; potestatem et auctoritatem Romani Pontificis impugnabant, hierarchiam ecclesiasticam negantes.¹

Illis auctoritatis et obedientiae Summorum Pontificum oppugnatoribus saeculo XIII addendi sunt etiam Graeci schismatici, qui illo tempore vehementiori vi auctoritatem Romanorum Pontificum negabant.²

Sic ergo tempore S. Thomae obsequium et obedientiam erga Summos Pontifices diversae circumstantiae labefactabant et difficilem reddebat. Quid ad haec Aquinas? Quo modo se in illis circumstantiis gessit? Verus et devotus filius Ecclesiae ille semper exstitit; perfectam obedientiam et filialem devotionem erga Summos Pontifices semper et ubique docuit; et hanc filialem obedientiam usque in finem vitae suae splendidissimis factis comprobavit. Ante omnia videamus, quid de hac obedientia doceat, et dein facta considerabimus.

In diversis locis suorum operum Doctor Angelicus loquitur de auctoritate Summi Pontificis deque obedientia ab omnibus fidelibus illi praestanda. Proferamus solum quaedam testimonia. In *Quodlibeto IV*, art. 13 et in *opusculo I. De erroribus graecorum ad Urbanum IV* clare et expresse docet « Papam habere plenitudinem potestatis » et « universalem praelationem in totam Ecclesiam Christi ». Haec autem Papae suprema potestas fundamentum habet in illa veritate, quia « Petrus est Christi vicarius » et « Romanus Pontifex Petri successor in eadem potestate ei a Christo col-

lata » (opusc. Ium). Et quia « Ipse Christus Dei filius suam Ecclesiam consecrat et sibi consignat Spiritu Sancto quasi suo charactere et sigillo... similiter Christi vicarius suo primatu et providentia universam Ecclesiam, tamquam fidelis minister, Christo subiectam conservat » (opusc. I). Itaque qui aeternam salutem consequi volunt, Romano Pontifici subiecti et obedientes esse debent; ideo expressis verbis dicit: « Subesse papae est de necessitate salutis » (Ibid.). Ab hac subiectione et obedientia in Ecclesia, in hoc spirituali regno Christi, nemo eximitur: simplices fideles, principes, reges, omnes Romano Pontifici, utpote vicario Christi in terris, subiecti et obedientes esse debent. « Huius ergo regni (spiritualis) ministerium, ut a terrenis essent spiritualia distincta, non terrenis regibus, sed sacerdotibus est commissum, et praecipue Summo Pontifici, successori Petri, Christi vicario, Romano Pontifici, cui omnes reges populi christiani oportet esse subiectos, sicut ipsi Domino nostro Iesu Christo. Sic enim ei ad quem finis ultimi cura pertinet, subdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium et eius imperio dirigi »: (Opuscul. XX *De regimine principum*, Lib. I, Cap. XIV).

Hac ergo doctrina catholica S. Thomas saeculo XIII retundebat omnes conatus diversorum hostium auctoritatis Summi Pontificis, qui obedientiam et devotionem erga Romanum Pontificem imminuere et destruere satagebant.

Sed quod Thomas in suis operibus docuit, hoc costanter toto tempore vitae suae, ut supra innuimus, factis etiam luculentissimis demonstravit. Proferamus ergo et facta aliqua, per quae Thomas suam obedientiam perfectam et obsequium filiale erga Summos Pontifices testatus est.

(*Ad proximum numerum*).

AMBROSIUS BAČIĆ, O. P.

¹ WEISS, loc. cit. p. 341, 347.

² HEFELE KNÖPFLER, loc. cit. p. 1042 sqq. et vol. VI, p. 119 sqq. ~ WEISS, loc. cit. p. 182 sqq.

Aurelius Prudentius Clemens Poëta

Aurelius Prudentius Clemens est Christianorum poëtarum longe clarissimus: Quo loco in Hispania natus, quibus parentibus, non liquide constat. Hoc unum omnes prohibent, post adolescentiam, in litteris transactam, ab imperatore Honorio amplissimis munieribus fuisse honestatum. Tandem vero, humanarum rerum pertaesus, impetrata honorum vacatione, se totum sacris litteris dedidit. Ubere sane copia, et mira affectuum suavitate, Christianam pietatem redolentium, laudantur Prudentii carmina, eiusque stilos novis identidem atque obsoletis vocibus pollens, a germana et primaeva latini sermonis venustate plerumque abest. Neque ei vires deficiebant!

Ipse unus, mea quidem sententia, ad Horatium, latinorum lyricorum principem, propior accedit, in quem, tamquam ad magistrum, adsidue respicit, multaque ab eo in rem suam derivavit.

Et quomodo multi fuerunt, qui Horatium reprehenderent, quod in Graecis defixus, museum quoddam opus confecerit, sic nostrum incusant Prudentium affabre quidem expolitum, at ex Horatianis lapillis compositum. Quod quidem non ita est intelligendum, ut Horatii imitationem arguendam in Prudentio arbitremur. Quamquam enim Romani poëtæ fuit studiosissimus, ex patriis tamen moribus, ex religione, ex suoque ingenio Christianam plane vim, et splendidam hausit fortitudinem, qua in gravioribus argumentis Pandari magnificentiam feliciter compensavit. Et in celebrandis egregiis Christianorum factis tam propriis coloribus usus est, ut suus omnino appareat divinoque veluti aestu abreptus. Ita se gerere consuevit, quum Dei misericordiam celebrat, quum Christi in homines caritatem commendat, vel quum in ethnicorum adversus Christia-

nos odium, aut in sui saeculi luxum inventur.

Tunc enim Christiana virtus in eius carminibus elucet, quam non aliunde quam ex diiore sua natura feliciter expressit.

Mirum sane exemplum suis dedit Prudentius, qui

*Dum instat terminus, et diem
Vicinum sento iam Deus applicat,*

ablegatis cunctis aulae illecebris, ad versus unice conscribendos se contulit, ut Deo pro munib[us] gratias ageret, et pro admis- sis veniam obtineret.

Hymni eius iucundo sententiarum candore praesertim commendantur, et in affectata illa stili simplicitate, qua fit, ut carmina ex eius ingenio, nullo prorsus labore, fluere videantur. Adest in eius versibus et illa vis animi, quae olim Romana diceretur, nunc potius Christiana; quaeque in omnibus Prudentii argumentis potissimum elucet.

Est varius quidem et multiplex, sed nunquam sui dissimilis appetit. In ipsis maxime laudatur singularis quaedam urbani ingenii vis atque libertas, incredibilis verborum celeritas, qua tot novas imagines fugientes fallantesque rerum potuit notare, natura praeterea graphicè et moliter expressas.

Sed hoc prae ceteris in Prudentio est animadvertisendum quo a reliquis poëtis plerumque secernitur. Nimurum qua tempestate poëtæ toti essent in Numinibus pravae antiquitatis laudandis eorumque turpibus amoribus, ipse unus, mundissimis moribus, ad Deum adsurgit eiusque sanctitatem nova arte commendat, nec modo novam rerum proximam aetatem adnuntiat, sed magnos et adesse insignes pietate viros, nullisque maioribus ortos.

Quid memorem de peculiari eius scribendi ratione et de carminum numeris, quos libere invexit?

(*Sequetur*).

SENIOR.

PII IX PONT. MAX. COMMEMORATIO

QUINQUAGESIMO RECURRENTE ANNO

AB EIUS OBITU¹

A Concilio Tridentino trecenti anni elapsi erant; quum aliud concilium oecumenicum colligendi necessitas nulla adpareret. Eo temporis lapsu res atque errores maioris momenti supremus christiani nominis Arbiter examinabat, decernebat, et iudicio suo condemnabat. In iis enim, quae ad aeternam Christianorum beatitatem spectant, integrum ipse a Christo potestatem accepit. Servator nempe Petro dixit: «Quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in caelis». Perversae huius aetatis opiniones, quas nonnulli insidiose misceri cum religione pertentant; deinde viri illi *repentini*, qui se ipsos philosophos appellare consueverunt, librorum congeries atque ephemeredum, quae placita haud credibilia in vulgus ederent, complures societatum arcanarum species, aliaque id genus mala, adeo menti et animis hominum incubuerant, ut Pius IX P. M. optimum putaverit Concilium Oecumenicum collendum. Ipse vero, vestigiis praedecessorum suorum insistens, qui difficillimis temporibus Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, adsciscere consueverunt, Concilium in Vaticana Basilica cogi indixit. Quod primum Vaticanum est appellatum.

In primo conventu, sexto Idus Decembres an. MDCCCLIV aderant septingenti Episcopi et Cardinales, complures Abbates, summi Congregationum correctores atque clarissimi Theologi. Pontifex ipse praererat. In primo et secundo conventu, facta est fidei professio. At in tertio Patres, exposita Ecclesiae doctrina de Deo omnium rerum

Creatore, de necessitate credendi res divino afflato revelatas, quibus fidem integrum adiungere debemus, etiamsi citra mentem humanam sint, errores nonnullos condemnarunt.

At in historia gestorum nominis Christiani memoratu dignissimus sane erit quartus Concilii Vaticani conventus.

Bina enim maximi sane momenti dogmata sunt explicata atque definita, scilicet: *Romanum Pontificem supra potestate non honoris tantum, sed et iurisdictionis pollere quum in omnem qua patet Ecclesiam, tum in omnes et singulos Episcopos atque fideles*; pariterque: *Romanum Pontificem quum ex Cathedra loquitur, idest quum omnium Christianorum Patris et Doctoris munere fungitur, doctrinam de fide et moribus definit per assistentiam Divinam Ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua dominus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem consensu Ecclesiae irreformabiles esse...*

Dum haec Romae geruntur, nuntiatur Pontifici Italas cohortes, quae iamdiu Romanam dicionem occupare incassum tentaverant, ad Urbem propinquare Italorum regis nomine illam occupaturas Sedemque novi Regni constitutas. Mitissimus Sacer Princeps veritus ne urbis suae tuendae causa filiorum sanguis funderetur, omnino iussit Ducem exercitus sui tamdiu solum obsistere invadentibus, quoad universo orbi pateret hostes per vim Roma potiri, eamque occupare. Itaque parum obsidente, immo ex iusu Pontificis regis cedente exercitu, Itali milites urbe potiti sunt. Tum clementissimus atque benemerentissimus Pius in Vaticanas Aedes se recepit, Sedis Apostolicae iura et Ecclesiae causam iusto et Omnipotenti Deo committens tuenda die xx mens. Septembris MDCCCLXX.

¹ Cf. fasc. sup.

At Romanum Pontificem terreno spoliatum regno amor atque veneratio non defecit Catholicorum orbis. Quum enim xvi kalendas Iulii anni MDCCCLXXI annum vigesimum quintum Pontificatus sui impleret, incredibili laetitia omnes undique populi certatim suam voluntatem atque obsequium Pontifici testari voluerunt. Pontifex autem, populorum votis respondens, litteras Episcopis dedit, ut eorum suasu, omnes pro diutino sibi Pontificatu permisso gratias agerent, eodemque tempore admissorum remissionem in publicum proponebat. Praeter omnium opinionem maximo apparatu ac gaudio haec solemnitas celebratur. Omnes animi divino numine agi videbantur, ut laetitiam in summum Religionis Magistrum exprimerent. Tum qui pagos incolunt, tum qui maximas urbes, vel ipsi haeretici et Machometanorum Imperator, omnes, uno verbo, ut eius diei laetitia augeretur, convenerant.

Obsequium, quo Catholicorum Pium IX prosequuti erant anno vigesimo quinto eius Pontificatus, anno quinquagesimo sacerdotii instaurarunt. Ob eius autem Iubilaeum Episcopale ea fuit omnium populorum laetitia, ut omnia, quae nobis historia refert, superaret, et quidquid litteris posteritati tradi potest. Sit satis dicere, anno MDCCCLXXII Christianos omnis aetatis et gradus, ex omnibus vel maxime dissitis regionibus, venerationis causa, Pontificem adire, Eique, quod sit artificio pretiosius, auro, argento, vel opere ingenii, offerre.

At homini vitae curriculum natura circumscriptis...

Pius IX fidei constantia, caritate ac benevolentia, consilio, mansuetudine erat humani generis delicium, omniumque moderator. Vel ipsi heterodoxi eum tamquam amicum ac patrem beneficium colebant. Octogesimum iam sextum annum aetatis agenti mens perlucida erat, virilis animus. Eo anno, mense Novembri, in levem incidit morbum; at quem citius

convaluisse, aditum omnibus e consuetudine dare, et breves eas orationes explicare quae omnibus saeculis una ex gloriis eius Pontificatus manebunt. At postridie nonas Februarias anni MDCCCLXXVIII sub vesperum iterum Pontifex venerandus febri vexatur.

Noctu eius morbus ingravescit; postero die summo mane sanctum Christi corpus ei in viaticum affertur; quod mirabiliter illa animi pietate accepit, quam quisque conjectura assequi potest. Sub primum vesperum, septimo Idus Februarias, Pius IX sanctissime in caelum migravit, coronam accepturus iustis pollicitam, et Matrem Augustam veneraturus, quam inter vivendum tanto obsequio fuerat prosequutus.

Quum Roma allatum est Pontificem obiisse, omnium pectora turbari, cunctis dolor immensus, et apud omnes gentes, quodque rectius est, apud cunctas domus. Parentalibus de more expletis, conditum defuncti Pontificis corpus pro tempore in Aede Petriana, quoad modicum, ut ipse mandaverat ex testamento, sepulchrum ad S. Laurentii extra Portam Esquinianam exstrueretur. Quo tribus post annis translatae sunt venerandi demortui exuviae, vesana plebecula per «Maxonum» sectam excitata insultante, at cunctis orbis terrarum reclamantibus Catholicis, qui mox, auctore Aquaderni Comite eodemque benemerentissimo viro, maioris honoris gratia splendidissimum sepulchrum tanto Pontifici, stipe undique collata, extrudendum, et sacrarium sancto corpori servando quam maxima arte atque elegantia, voluntati humillimi ac modestissimi Pontificis derogante Leone XIII, exornandum curarunt, ut patet hodiecum complurimis inventis.

Nam primum ingredientibus sacellum Constantiniani templi, conspicitur marmoreum sepulchrum affabre elaboratum, quod ferrei clatri cingunt, hypogaeo tutando circumpositi. Desuper autem atque

circum parrasiis luminibus nitent SS. Petrus et Paulus, Apostolorum Principes atque Romanae Urbis Patroni, itemque SS. Laurentius atque Stephanus Martyres, quorum corpora Sacra in aede requiescent. Accedunt dextero latere S. Ioseph Universalis Ecclesiae Patronus constitutus a Pontifice, nec non S. Legifer Franciscus, qui Lateranensem tueri Aedem visus olim est Innocentio III decessori, atque Senensis Virgo Catharina, cuius suasu et hortationibus Gregorius XI ad legitimam Romanam Sedem Avenione remeavit. Laevo autem latere S. Cyriaca, matrona inter Romanos nobilissima, Agri Verani domina, quo donat Romanam Ecclesiam ut ibidem Christiani, praesertim pauperiores, sepeliantur; quo etiam piuentissima mulier, ubi suorum erant sepulchra maiorum, S. Laurentii Martyris corpus e Viminali colle transferendum curavit anno CCLVIII. Sancta quoque adest Agnes Virgo eademque martyrum praeclarissima, quae Pium ad aedem Virginis Nomentanae colloquenter, collabente subito conclavi, divinitus servavit incolumem.

Cantra vero sepulchrum renident Immaculata Conceptio, quam immortalis Pontifex proclamavit, idemque « infallibilitatem » Supremi Ecclesiae Magistri definiens, atque obsequia quinque orbis terrarum partium, quinquagesimo Sacerdotii sui anno, excipiens. Sancti quoque resurgent Franciscus Salesius et Alphonsus Maria de Ligorio, quos Venerandus Pontifex in Doctorum Ecclesiae album retulit. Sacelli quoque parietes undelibet vario marmore pretiosisque lapillis mire ornatae adparent, atque nominibus insculptae eorum omnium, qui stipem ad sacram decorandum locum contulerunt, adeo ut Sacconi, summus aedificandi Magister, edixerit aediculam servando tanti Pontificis corpori unam esse magnificentissimam atque omnium exornatissimam, quae Romanam quidem Urbem decorant. Sa-

cellum etiam circumcingit latina inscriptio, quam memoriae Decessoris sui Leo XIII dictavit, latinitatis praeclarissimus cultor.

*Virtutum suarum splendore Apostolicam Sedem illu-
stravit, Universam Ecclesiam amore et admiratione sui im-
Pro veritate et iustitia invicta semper certavit.
Magnis laboribus in Christiana Republica admini-
stranda est in exemplum perfunctus.*

Altare etiam miris exstructum operibus ad ingredientis destram conspicitur reliquiis plurium exornatum Sanctorum, quos Pontifex Caelitum honoribus decoraverat.

Tantus itaque Pontifex ad S. Laurentii sepulchrum ex voluntate sua requiescit, quem ipse tantopere coluerat vivens, cuiusque aedem diligenter instaurandam ac mirifice expoliendam curaverat, adventum Domini exspectat prope filios suos in proximo Verano Campo quiescentes, quibus conditorum fabricandum, exornandum miris exstructionibus mandaverat, Vespignani Comite usus, praeclarissimo aedificandi magistro.

Sacram porro divi Laurentii aedem celebrant, atque Pii Pontificis sepulchrum custodiunt Capulati Patres, qui ab anno MDCCCLV Laurentiano templo praepositi a demortuo Pontifice, cum ovium Christi sibi creditarum, tum sacrae Aedis sedulam curam gerunt, Monacorum S. Benedicti Legiferi Patris ac Canonicorum Lateranensis per saecula opus persecuti.

FERDINANDUS AB AVILIANA, O. M. C.



DE CONTARDO FERRINIO¹

De Temperantia, quarta virtutum cardinalium, ita disserit S. Augustinus: « Munus eius est in coercendis sedandisque

¹ Cfr. fasc. sup.

cupiditatibus, quibus inhiamus ad ea quae nos avertunt a legibus Dei et a fructibus bonitatis eius, quod est beata vita ». Effraenatae cupiditates sunt superbia, avaritia et libido; quae humilitate, paupertate et castitate reprimuntur, et de his suo loco dicemus. Heros noster non solum legem abstinentiae servabat, sed quod apponebatur, comedebat nulla querimonia, nunquam appetens epulas exquisitiores, quas apposita non gustabat. Modicum bibebat vinum, et potionem arabicam sine saccharo amaram praeferebat dulci ad se continendum. Quum ad scientiam nimium et continuum studium adhiberet, suae vires abunde nutriendae fuissent; sed contra quam oportebat, parco cibo vescebatur. In instituto suae vitae, quod scriptis tradidit, legimus se hilarem amore Jesus omnia acceptum, quae sibi displicerent. Nemini unquam se praebuit iratum, immodec nec laetum nec moestum, sed semper aequo animo praeeditum, ita ut nullus discerneretur conatus in motibus animi cohibendis. Quum enim a teneris unguiculis divinae voluntati obsecutus esset, quotidie maiorem Dei gratiam sibi conciliaverat. Consanguinei, collegae, amici admirabantur eius angelicum ingenium atque indolem, in ore serenitatem constantem, quae dumtaxat obumbrabatur malefactis et erroribus. Tunc in vultu dolorem et pietatem dictu difficultem significabat, certissimum dissensum simul cum caritate, quasi non dubitaret quin futurum esset ut peccantem cito poeniteret. Absque eiusmodi causa quicumque congredebantur cum eo, virum temperatis moribus, temperatis cupiditatibus ornatum intuebantur et laudabant. Quaenam igitur Temperantia maior esse potest illa qua Contardus nitebatur?

Ad Castitatem progrediamur, quae mirauit in Dei Famulo. « Voluptatem vicesse (ait Cyprianus), voluptas est maxima, nec ulla maior Victoria, quam ea quae a voluptatibus resertur; magna sane Victoria, et

nullo non sanguine et sudore emenda ». Multum sane illi proderat frequens Sacramentorum usus et dulcissima filii religio erga Virginem Matrem. Sed in societate corruptissima, inter plurimas vitiorum illecebras purum atque illibatum servasse lilium castitatis, hoc est fere alienum ab hominum natura, sed virtus paucorum heroum. Ad quam obtainendam pretium operae est inquirere quantam animi magnitudinem ille adhibuerit in periculis evitandis, et quantam severitatem in semetipso. In eius cubiculo et in tota domo nihil erat, quod castimoniam offenderet, nulla imago, nullus liber. Pauca et modesta disserebat, et adeo amabat verecundiam, ut erubesceret loqui de nuptiis in iure interpretando, et properabat quasi calcaret ignem suppositum cineri doloso. Non modo toto animo cavebat a mulierum aspectu et consuetudine, nec de virgine cogitabat (ut ait sanctus propheta Iob); quinimo oculos ne in homines quidem figere solebat. Itaque ne sua pudicitia tentaretur, se continebat semper, et cruciatus torquebat, et Deum et Superos deprecabatur et precabatur. Cilicio affixerat carnes, quod sanguinolentus color in pavimento, in femoralibus et in indusio patet. fecit cubiculario, donec obiurgatus a matre, quae metuebat de valetudine, supplicium depositum. Attamen pater post mortem filii lumbos funiculo nodoso cinctos dolenter animadvertis. A ducenda uxore abhorruit, forsitan ne animum avocaret a scientia, sed certe virginitatis amore. Neque ei desuerant commoda et idoneae occasiones ad optimas nuptias conciliandas. Quum olim sibi propositae fuissent ad eligendum duas sorores propter virtutem et dotem aequaliter dignae, facete inquit a se electum tertiam. Quidam testis de eo confitetur, quum pudicitia in periculum veniret, se evasisse, simul ac illius felicis animae subsidium invocasset. Iure igitur dicere possunt (utar Hieronymi verbis) eum,

tum vixit, templum Dei fuisse purissimum, sanctum corpore et spiritu.

Tantae re vera perfectionis nullam aliam causam invenio, praeter Humilitatem. Aiebat enim Chrysostomus: « Sive orationem, sive ieunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges, statim cuncta diffluunt ». Ut arbores altissimis defixa radicibus, quamcumque in partem impetum faciunt venti, non cedunt; ita virtutes omnes nunquam ulla vi labefactari possunt, sed crescent et roborantur humilitate innixae. Contra, omnium vitiorum superbia principatum tenet. Heros noster non gravabatur ipse servorum domi vilissima officia completere, et quandoque parvorum nepotum immiscere se ludis innocentibus. Quum in Collegio Borromeo decani munere fungebatur, se facilem praebebat condiscipulis, atque ita se gerebat, ut non primus, sed ultimus esse videretur. Solum auctoritate utebatur, ut eos hortaretur ad studia et bonitatem. Quum doctrinae experimentum in athenaeo se feliciter superasse nuntiaret Episcopo, nullum sibi sed Crucifixo, cuius effigiem prae manibus habebat, meritum tribuit. Siquando accidit, ut alicui muneri iniuste collega praeponeatur, fronte serena sine querela totus in eo erat, ut probaret hominem electum multo dignorem esse et magis idoneum qui illud negotium expediret. Praeterea quot et quantis honoribus eum afficerent respublica et academiae, domestici quoque saepe ignorabant. Olim mater in arca viatoria crucem forte reperit equestrem Italicae Coronae cum decreto et eius nomine, et ipsa et ceteri conquesti sunt de eius silentio; quibus Dei Famulus leviter subridens respondit eiusmodi ineptias literis consignandas non esse. Pater post filii obitum affirmabat se quaedam ignorasse, exempli gratia eum sermone multarum linguarum doctum fuisse, cuius peritia causa ab alienigenis plurimi aestimatum esse. Honores

et gratulationes peregre sibi allata dissimulabat. Quando virtus et doctrina Ludovici Antonii Muratori Mutinae solemniter ad memoriam revocata sunt, nostro sublato ab alumnis plaudentibus et per triumphum ducto parum abfuit, quin animus concideret. Mirum quidem fuit eximium iurisperitum Berolini morientem, etsi alienum a nostra patria et Fide, hunc suis studiis instituisse haeredem, ut opus a se incoptum persequeretur. Attamen decorum, laudum, gloriae eum magnopere taedebat, neque unquam se merito nomen assecutum esse gloriabatur, et si alias audiret de se ipso suisque operibus loqui, dolebat. Suas levissimas mendas, siquae erant, tamquam gravia essent peccata, exaggerare solitus erat. Ita demisse induebatur, ut qui cum eo iter facerent in curru publico, valde mirarentur eum esse tanti nominis virum. Interrogatus cur in sacerdotium non veniret, ait se indignum esse tanto munere. Praeclara humilitas quae adhuc post obitum florescebat, quum in suis parentalibus laudationem dici vetuisset!

Quapropter his rebus praepositis, Deum suo Famulo dona supra hominum naturam largitum fuisse recte patet; qui enim se pro nihilo habet, exaltabitur. Ad Sanctissimum Sacramentum provolutus sine sensu videbatur, eius mens distenta precibus, et vultus caelesti lumine ferme praefulgens. In epistola ad amicum confitetur ipse hanc alienationem: « Quum pulchritudinem, bonitatem, magnitudinem Iesus considero, rapitur cor meum atque attrahitur, me commovet amor, ideo in ditionem et arbitratum eius me dedo, et in deliciis habeo cum eo animae meae nuptias celebrare ». Ergo minime miramus contubernales collegii quandoque coivisse in templum, ut ipsum immersum in preces, raptum de terra in caelum contemplarentur, quam rem ipse nec sensit, nec suspicatus est. Ne silentio quidem praeterire possum eius vaccinationem. Novem annis ante quam

Pius X rerum potiretur in Ecclesia, ipse praedixit futurum esse ut Patriarcha Venetus Leonem Summum Pontificem exciperet. Etenim per Leonem factum esse (ait Dei Famulus) ut error depelleretur Pontificem literarum, scientiae, progressus inimicum esse. « At post hunc Ecclesia indigebit duce, qui rectam viam monstret, qua redeant homines ad virtutes Apostolorum, bonitatem, caritatem, paupertatem, mansuetudinem, qui erga pauperes et humiles incensus sit peculiari amore. Quare electio Josephi Sarto opportunissima erit ». Quodnam vaticinium fuit unquam veracius? Ad haec dona addere iuvat sermonem sapientiae et scientiae, quae, Benedicto XIV auctore, dant « facilitatem loquendi de mysteriis divinis et ceteris rebus moralibus, quae ad actionem pertinent, ita ut appareat Sanctum in eo qui disserit, loqui ».

(*Ad proximum numerum*).

JOSEPHUS BIROCCINI.

ooooooooooooooooooooooo
ooooooooooooooo

ITALORUM ALAE MAGISTRIS

AD HUMBERTUM NOBILE.

*Virtute macte sis, Italum virens
semen, Columbi qui meriti aemulus,
arcana naturae resignans
limina ad ultima iam volasti.*

*Humberte, nomen augurium Tui
felix in auso magnanimo fuit
sphingem tremendam persequendo
impavide borealis axis.*

*Extremus orbi nostro ubi terminus
obstat, coruscum navicula cadens
signum Italorum praeterivit
maxima gentis honora facta.*

*Quae somniarunt tot cupide yiri,
incepto in ipso queis misere antea
multi occiderunt, machina es Tu
italica bene persecutus.*

*Laudes aperte nunc resonent Viri,
qui lynceis iam luminibus, novis
audaciis praeivit altis
regna avium meditans tenere.*

*Rursus volando mox polus algidus
nostris petatur tanto opibus Viro
ranas coaxantesque noster
respiciat tacitas triumphus.*

IN FRANCISCUM DE PINEDO.

*Perculta in aethra diffugiunt aves:
currus volantes aëris occupant
regnum; superbae, pertimenda
Romae aquilae valide triumphant.*

*Quem Musa primum praedicet Italum
alae magistrum sidera, Daedalum
novum, super montes fretumque
saepius impavide secantem?*

*Palmae haud rudem Te, Parthenopes decus,
redintegrantem per spatha aetheris
maritimos olim triumphos
Italiae dominaeque Romae.*

*Valde ut frementes iam populi procul
stirpis latinae et insuper additi
orbi per Italos, superbo
egregiae Italiae renatae
praeconi honeste laetitia nova
plausere in oris, remigii sonum
veram usque imaginem secuti
magnifica patriae Beniti !*

*Victoriae munus Samothraciae
exemplar aptum commemoret Viro
Demetrii usquedum triumphum
sitque alium bene prosperum omen.*

*Novissimo civi, alma parens, tuo
ad sis volens cum per liquidum aëra
totum peragrabit globum mox
signum agitans patriae sacratum.*

*Sint machinae nunc innumerae Italum
velut tegentes Italiae polum,
ni tempora urgebunt nefasta,
nuntiae amoris ubique in orbe.*

Romae.

NAZARENUS CAPO.

Colloquia varia eademque familiaria latine composita

VIII.

Ad Campum Veranum.

— Peregrinus es tu equidem?
— Recte ais.
— Et quo, carissime, vadis?
— Quo vadam, nec ego scio.
— Visne forte progredi ad Campum Veranum? Hac enim rectissime itur; et illuc eunt redeunque publicae rhedae, quas *tramvias* vocamus.

— Ad... dixisti?

— Ad Campum Veranum, seu potius ad coemeterium, seu quoque ad S. Laurentium extra muros!

— Quot nomina!

— Unum autem atque idem sonant. Si vis mecum venire, felix tibi comes ero!

— Quid enim vetat tibi tam dulciter pollicenti comitem me addere? Eamus. Tuus sum.

Hisce dictis, ad Campum Veranum profecturi, summa diligentia super rhedam condescendunt. Cum ipsis alii et alii taciti introeunt et apte sedent.

Ductores sunt duo; quorum alter ad rhedae gubernaculum sedet, et alter comode viatoribus ordinatim vectigalis tessera ram distribuit. Munere suo fungitur tam comiter atque dulci alloquo, ut nihil supra. Ad haec sic se gerit, nulla admodum addita mercedula. Si quis laboriose ascen dit, aetatis incommodis aut valetudinis pressus, habet statim qui ad latera ei accedat, brachium porrigit, eumque ad locum studiose collocet.

Quibus optime perspectis, noster ad comitem conversus, admiratus exclamat:

— Quaenam strena apta erit ad tot meritorum cumulum aequandum?

— Nulla equidem! Quorsum haec tendunt?

— Apud nos Romani male audiunt. Hos turpis lucri avidiores reputamus, atque arrepta occasione, quaestui plus aequo inservire. Nihil omnino sine mercedula faciunt... Sordidi, tenaces. Quin imo, (ne tibi grave sit, velim) et haec probrosa addunt: Petrum apostolum in libertatem a vinculis vindicatum ab angelo, ab hoc potissimum illum cognovisse, quod ab ipso nullam pro munere mercedem petiisset.

— Novimus, novimus!

*Nuntia multivago Danaas perlabitur urbes
Fama gradu...*

Et tunicatus popellus per vicos tibi ad satietatem dicit, quos magister vulgaris gramatices versiculos latine convertit:

*Optime novit eum prorsum non esse Romanum:
Officiuni compleat, munera nulla petit.*

— Longane haec via?

— Longa quidem, sed rectissima. Hinc inde aedes amplissimae et magno artificio conditae ad saeculi rationes sunt, commoditatibus simul prospicientes atque voluptatibus; divina veluti virgula excitatae per singulos prope dies adsurgunt et centenos inquilinos recipiunt. Et haec recentiora vehicula, patribus adhuc ignota, brevi tempore et paucis nummulis, immensus iter percurrunt, et omnibus percommoda, quae ingentium semper rerum cumulis premuntur. Vos dicitis et latius effatum per orbem effunditis, *Tempus esse pecuniam*, et nos Itali vestigiis vestris alacres inhaerentes, ad tempus opera compensandum tendere studemus. Itaque hic locus, ubi modo erant vastae solitudines, *cancer morborum sinister*, qui adducit febres et testamenta resignat, nunc omnia novantur.

— Ipse vester Propertius Romanis libere scripsit:

*Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma
Iest,
... collis et herba fuit!*

Nunc quae hominum agitatio! quae undique viatorum turba et animorum clamitantium confusio! Et simul qui ordo, et quies in ipsa rerum velocitate!

Et inter eundum, quum rariores passim fiunt in rheda viatores, nostri, mutatis sedibus, plurima viarum ferrearum retia cernunt, qua adsidue machinae, vi electrica raptae vel aquae vaporatae, in Urbem advenas evehunt.

— Et hinc novus hominum motus, et curruum immensa multitudo, qui velocissime ultro utroque cursitant!

Hic quoque, haud multo antea, *collis et herba erat*, et horridus incultus ager! Omnia nunc rident et multitudine gentium exsultant. Et civitas nostra optime prosperitati civium commodisque studet, quibus iampridem ipsi Pontifices Maximi libenti animo ultiro prospexerant. Vides ecclesiam nobis prope ob oculos positam? Ab inchoato Pius X P. M. paulo ante eam extrui iussit et sodalibus Iosephianis adtribui.

Tandem ad sancti Laurentii aedem per ventum est, et viatores hinc inde dilapsi brevi evanuerunt.

— Nos quo ibimus?

— Ad templum! Nonne lippis et tonsoribus pervagatum est: ab Iove principium? Ni igitur tibi dispiceat, eamus ad templum.

— Praei; te libenter subsequar.

— Templum hoc, ut vides, satis amplus, variis casibus obnoxium memoria patrum, ex tribus sacellis in unum, atque in meliorem formam rededit Pius IX P. M. studio cl. Vespignani architecti, atque praescrito I. B. De Rossi, summi aetatis suae rerum antiquarum magistri. Est prae certis insigne Pii IX monumentum, ubi in pace Christi componi praeoptavit, et orbis universus in summum splendorem sic reduxit. Lege: *Ossa et cineres Pii IX. Orate pro Eo*. Immensam rerum multitudinem modestia cumulare vir ille san-

ctissimum studuit! Ad caelestia unice spectans, mortalia contempsit, qui, Deo auctore, anno saeculi elapsi quadragesimo sexto, Pontifex Max. renuntiatus, incredibili Christiani Nominis laetitia, restitutor feliciorum saeculorum est salutatus, ac deinde...

Prope basilicam adest commune Romanorum coemeterium. Ad ipsum cogitabundi lentoque pede accesserunt, et advena circum sepultra plurima circumspexit, manu signans insigniora; deinde quasi in Pii IX sepulcrum mente semper defixus, exclamavit:

Mirabilis sane est haec divina Romanorum Pontificum institutio, quae nunquam magis firma est et in amplitudinem crescit, quam quum a calumniantibus pressa humi praecipitare videtur.

Aeque eam cum palma componi licet. Etenim

*Altius in caelum se tollere palma videtur,
Undique quum venti flectere inane student.*

Optima quidem comparatio; cum qua, ne urbanitate tua hodie abuter, bene claudere possumus peregrinationem! Vale igitur.

Et tu pancratice atque athletice vale!

I. B. FRANCESIA.



COMMUNIA VITAE

1.

Salutatoriae formulae.¹

Bene te! - Bene tibi (vertat)!

Bene vos! - Bene vobis! - Feliciter vobis!

Sit saluti! - Sit tibi bonum atque commodum!

Praesens praesenti valeas, vivas ad clamabo.

¹ Cfr. fasc. sup.

Prosit!

Propinando praesentibus, absentibus bene precor. - Propinatione propinatori respondeo (satisfacio).

e) *Salutationes in diem natalem et nominalem; itemque in novum annum.*

Nonne cras dies tuus erit? - Nonne crastinus dies erit natalis (nominalis) tuus?

Resp. - Ita sane. - Erit.

Incundum festum et bona omnia tibi! - Iterum bonum, faustum felixque tibi! - Hic festus dies felix fortunatusque tibi procedat.

A Deo tibi fausta omnia! - A Deo hunc tibi diem faustum fortunatumque precor. - Per Deum caelestibus donis hac die replearis.

Integrum salvumque in aevum Superi te servent. - Incopta tua (Hunc diem) fortunent Superi. - Omnia tibi bene verant. - Faveant Superi rebus tuis. - Feliciter cedant quae instituisti et eris instituturus. - Feliciter exeat quod aggressus es et eris aggressurus. - Bene vertat quod agis quidque eris acturus. - Passus spinas, habe flores.

In aevum (ad summam senectutem, in multam aetatem) feliciter! - Annos in posterum plurimos!

In tuam et aliorum utilitatem vitam agas quotidie sanctiorem.

Annum novum, faustum, felicem tibi.

Tibi laetis auspiciis hic annus ineat, laetioribus procedat, laetissimis exeat, et saepius recurrat felicior semper.

In proximum annum tibi laeta omnia. - Opto tibi et bene ominor reliquum annum.

Resp. - At ego vicissim tibi multa saecula felicissima precor.

f) *Salutationes ad gratulandum.*

Citra honorem verborum (sine fuso et fallaciis; sine blanda vanitate) tibi gratulor.

Gratulor felicitati tuae.

Novae dignitati tuae (novam dignitatem, de nova dignitate) gratulor.

Tibi cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro rerum opportunitate gratulor.

Munus debitum (meritum honorem) gratulor.

Quod te debita laus et summa gratia prosecuta est, gratulor.

Filio tuo (filiae tuae) maximo (maximae) natu, patre suo dignissimo (dignissimae) gratulor.

Gratulor ingenium non latuisse tuum. De filio (filia) nuper tibi nato (nata) gratulor.

Adventum tuum gratulor. Tibi etiam in hoc gratulor, quod...

g) *Sternuentibus salutatio.*

Salve. - Salvere te iubeo. Faustum ac felix!

Bene vertant Superi! - Sit tibi salutiferum. - Servet te Deus!

h) *Salutationes in diem; in noctem.*

Faustum diem tibi! - Precor ut hic dies tibi candidus illuxerit (hic sol tibi felix surrexerit). - Sit felix huius diei exortus, et sit utrius nostrum prosperrimus.

Faustum (placidam) noctem! - Sit tibi fausta nox. - Opto tibi prosperam noctem.

Molliter cubes.

Bene quiescas! - Placida quies tibi! Contingat tibi felix somnus.

Resp. - Tantundem tibi reprecor.

i) *Iter aggredientibus salutationes.*

Vale feliciter. - Utinam ista profectio tibi succedat ex animi tui sententia. - Utinam tibi tam iucunda sit ista profectio, quam nobis erit interim molestum tui desiderium.

Iter auspicato suscipias atque conficias. - Sit iter laetum (felix; faustum); redditus laetior. - Precor ut ex utriusque votis succedat hoc iter. - Superi propiti te nobis incolumem restituant.

Votis omnibus in itinere te prosequar.

Faxit Deus ut salvus et incolumis revertaris (ut, itinere hoc feliciter peracto, brevi tibi prosperum redditum gratulemur).

- Servet te in itinere Deus.

Bene prospereque istud tibi itineris adveniat.

Opto tibi felicem cursum, et recursum feliciorem. - Contingat tibi feliciter et navigare et renavigare. - Bonis auspiciis solvas ancoram.

Istud haud modice cuperem, tibi commitem me adiungere, si per occupationes liceret. Bene tu ambula et redambula.

k) *Redeuntibus ex itinere salutationes.*

Sospitem te rediisse volupe est - Te nobis redditum esse voluptati est.

Gratulamur tibi felicem redditum (de redditu tuo) - Gratulor tibi in patriam reverso - Gratulor tibi reduci.

Resp. - Et ego tibi superstici.

— Quo molestius fuit nobis tui desiderium, eo redditus conspectus tui iucundior est.

Quod te vivum et valentem reviserim vehementer gratulor - Gratulamur et tibi et nobis quod vivus ac nobis restitutus sis.

Te incolumem rediisse gaudeo - Tuum redditum incolumen laetor - Gratia Superis quod nobis incolumis redieris.

Hoc redditus tuus est nobis iucundior, quo minus exspectatus.

Resp. - Ego vicissim laetor quod incolumis vos incolumes offenderim.

Quod et te salvum (incolumem) repere rim, vehementer gaudeo.

Non viderer mihi rediisse salvus, nisi vos salvos reperissem.

Nunc demum mihi videor sospes, quum vos incolumes et pulcre valentes conspicio.

— Ex qua tandem cavea nobis ades? - Unde prodis?

Ecquid novarum rerum ex...? Quid afers, mi Cai?

Resp. - Me ipsum.

— Fuit ne tibi iter faustum atque commodum?

Resp. - Fuit quidem - Sic satis - Immopessimum.

— Redisti nobis obesior (procerior, stri-gosior) solito. - Imberbis abieras; redisti barbatulus - Contraxisti tibi absens non nihil senilis.

Resp. - Tu, ex adverso, iunior videris. — Nihil in itinere molestiae fuit?

Resp. - Nihil, nisi vestra consuetudine trui non licuit.

l) *Salutationes in discessu.*

Vale. - Iam vale - Bene (recte) vale. - Multum vale. - Etiam atque etiam (Iterum atque iterum) vale. - Belle vale. - Pancratice atque athletice vale. - Te valere iubeo.

Valeto quam optime. Vale in crastinum (in biduum, ad tres dies, etc.).

Salve! - Salyus sis. - Iubeo te salvere.

Nolo insalutatum te linquere: salve et vale.

Iam me tempus alio vocat (Nunc alio me vocant negotia quaedam); tu valebis.

Non te diutius remorabor: alias latius loquamur (nugabimur); interim, vale.

Resp. - Valebis tu quoque. - Tibi vi-cissim precor prosperam valetudinem.

— Suntne quos per me tuo nomine velis salutatos?

Resp. - Omnes qui de me percontabuntur. - Dic me omnibus omnia laeta precari, - Amicos omnes meis verbis salutato. - Multam salutem omnibus, ac prae-cipue Caio.

Add., *pro epistolis praesertim, quae sequuntur:*

Da operam (adnitere) ut valeas; hoc mihi gratius facere nihil potes. - Cura, si me amas, ut (quam rectissime) valeas.

Me velim, ut facis, diligas, valetudinique tuae ac tranquillitati animi servias.

Valebis, meque, ut a puero fecisti, amabis. - Ama nos, et vale. - Cura ut valeas,

et me, ut amas, ama. - Bene vale, et me dilige. - Vale, nosque, quod soles, ama.

Quantum me diligis, tantum fac ut valeas, vel quantum te a me scio dilige.

Fac valeas, meque mutuo diligas.

Vale, mea desideria (mea vita; meum delicium, suavium, corculum, solatium, deus; mea lux; mel meum), vale.

Valetudinem tuam cura diligenter. - Fac ut valetudinem tuam cures. - Age curam valetudinis tuae. - Da operam, ut sis prospera valetudine. - Valetudini tuae, si quidem nos valere vis, omni sollicitudine fac servias.

Maxime dato operam ut valeas, si me vis valere. - Vale nostri memor.

Cura ut valeas, et ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse, nec unquam fuisse.

Cura ut valeas, et nos ames, et tibi persuadeas te a me fraterne amari.

Cura te etiam atque etiam diligenter. - Sit tibi curae tuae valetudo. - Age curam valetudinis tuae.

Reliquum est ut te orem, valetudini tuae, si me et tuos omnes valere vis, diligentissime servias. - Te oro etiam atque etiam ut valeas.

Faxit omnis salutis Auctor, ut nobis, et quam diutissime, et quam rectissime valeas.

Domus te nostra tota mecum salutat.

(*Ad proximum numerum.*)

I. F.



PRO IUNIORIBUS

De stultorum societate vitanda.

De improbis, eorumque societate fugienda alias disputavimus;¹ de stultis hodie, quorum infinitus est numerus, sermo cur-

sim habendus. Inepto vel leviculo nullus amentior ac despiciator hominum. Quidam nostri temporis auctor La Bruger, egregie nobis ac vividissime hominem depingit; de quo praecipua referimus ad risum magis apta, ne potius dicam ad contemptum. Quot iuvenes ad humanitatem bonamque disciplinam haud recte informati, suam veluti imaginem recognoscent! Stultus superbia elatus, illius generis homo est, cui solum dat characterem vanitas, qui ad ostentationem quidlibet semper agit; qui ceteris suprastare dum studet, nihil intentatum relinquat, ut ab aliis respectui habeatur. Cum maioribus humilis, cum aequalibus superbus, insolens cum subditis, nihil facit ceteros; protegit simulque spernit. Ave ei dicentem non intuetur; loquentem non auscultat; si alteri verba feceris, sermonem abrumpit. Mediis in primoribus aspicit pariter, et sibilat vel in graviori sociorum conventu. Sive toleratus, sive electus est, pariter gloriatur. Ad currum suum temet invitum libenter invitat et excipit; incommodorem tamen in eo tibi locum assignat. Nullius prorsus rei cognitionem habet; et scriptoribus atque artificibus praecpta affectat impertiri. Singulis momentis servorum ad aures loquitur, tandem subitus abit. Ad amicorum conventum, ipsum diceret volitare, et ad coenandum solus petit domum suam. Aliis spectantibus, sive veras, sive fictas, arcani specie, ad ipsummet afferri iubet syngraphas aut epistolia. Magna vectigalia continuo laudibus extollit; quem vix esse de symbolis habeat. Morem consulti temporis suis in casibus, in vestibus quoque, in infirmitatibus, in curribus, in delectu medici, pariterque sarcinatoris. Pauperem cognatum refugit agnoscere; viri potentis consuetudine gloriatur, quocum ne verbum quidem unquam fecerit, vel a quo nullum resonsum obtinuerit. Arrogantis maior cupiditas insana excellendi libido audit vestimentorum iactantia; novis

semper rebus studere ipsi opus est, recentesque inhibere voluptates cuiuslibet formae captator, comis homo, eodemque tempore philosophus ingenti animo, qui dum pietatem contenit, sese pedestre circumagit, et sui imaginem in speculo contemplatur.

Vanus homo sui captus amore, sese delicias omnium reputat, et illorum etiam, quorum risum movet; quique eum ultro diris devotent. Quamvis magni in ipso nil aliud appareat, praeter quam retinet opinionem sui, mentiti meriti sui plenus est totus, et neminem sibi parem habere arbitratur.

Nimis alta et incredibilia de suo sentit ingenio, et continuo sese omnium iactat felicissimum.

Vanus procacem inter et agrestem stat medius, haud retinens prioris audaciam nec alterius insipientiam; quamvis amborum ad instar displiceat, atque improbetur. Insipienti haud tantum animi est, qui ad insanendum satis sit; nec vano consilium, quod frugi homini sufficiat; et si quid in illo est ingenii, abutitur; neque opportune uti valet, modis verbisque alienos imitando mores.

HERM. M. IACOBELLI.

ANNALES

« Panamericanus » conventus.

« Panamericanus » ille conventus, quem diximus Habanae congregatum, haud quidem feliciter labores suos conclusit. Septem enim et decem civitates ex viginti et una quae ei interfuerunt, in unum consilium coiverunt contra rationem a civitatibus foederatis Americae septentrionalis propositam de militari atque vectigali in alterius statum interventu. Posita hac anorum discordia, ad aliud tempus dilata

est disceptatio de institutis ac legibus quibus « Panamericana » illa Societas regenda esset, coetusque dimissus.

**

Foedera.

Si pactiones hae iniri nequierunt, aliae, ex adverso, superiore mense vel constituae sunt, vel uti proxime constituenda nunciantur. Gallia enim et Nordicae Americae civitates foedus de arbitratu inter se ferierunt; Georgius, Angliae rex, arbitratum alterum tamquam brevi ab Anglis confectum iri cum iisdem Americanis Statibus, in aditiali sermone quem habuit legatorum coetum inaugurans, edixit; immagine denique affirmant inter Galliam Hispaniamque compositionem circa Tinguis provinciae diuturnam quaestionem.

**

Italiam inter et Austriam discri- men.

Interim discrimen inter Italiam Austriamque exortum est, opera Vindobonensis civilis consilii, in quo Rhaetici quidam legati de violatis iuribus et libertate in Atesina provincia, nunc Itiae redditia, immerito quidem conquesti sunt. Contentio eo gravior facta est, quod huiusmodi querelis gubernii praeses Seipel accedere visus est; non solum enim iniustos pettores non redarguit, sed male celavit desiderium rem considerandi non quidem tamquam Italorum propriam, sed gentium, ita ut apud Nationum Societatem quaestio fieret. Facile prorsus fuit Italorum supremo administratio accusationes propellere; at fortiter simul affirmavit Itiae illic fines non ex pacto et convento, sed a natura datos, itaque tales ab Italis considerari, qui tangi a nullo homine queant; quaestionem igitur internam omnino esse, nec cuique de ipsa se interponere licere; incolis autem Rhaeticis ita legibus atque civili disciplinae obtem-

¹ Cfr. ALMA ROMA, an. MCMXXVII, fasc. V, pag. 86.

perandum esse, non aliter ac omnes Italiae cives iisdem in ceteris regni regionibus parent.

Sperandum fore ut nimbus brevi dilabatur.

**

Italorum luctus.

Itali praeterea gravi luctu perculsi sunt; Armandus enim Diaz, universae militiae magister, qui rem Italorum in immani ultimo bello restituit, hostesque in fugam adducens bello eidem finem triumphans imposuit, brevi morbo correptus, pie ab hac vita ad Superos migravit die vigesima nona mensis Februarii.

Iusta et sollempnia funebria ei persoluta sunt; quibus exercitus, qui Italorum socii in bello fuere, magno animo participarunt.

Eius nomen in omnium memoria aeternum vivat!

**

Nationum societas.

Genevae legati ad quaestionem de ponendis armis perpendendam delecti, congregati sunt; qui vero sibi persuasuros credimus, impossibile fore ut pro civitatibus tot variasque rerum condicione habentibus unius modi iussa ponantur.

POPULICOLA.

VARIA

Corsi Donati infelix vitae exitus¹

Corsus Roma redierat et tranquillam vitam Florentiae exegisset, nisi inquieto illius animo civitas denuo fuisse perturbata. Is, ut nomen sibi compararet, poten-

tiorum sententiae semper fuerat adversatus, et in quam partem populum spectantem videbat, in eam, quo facilius illius benevolentiam sibi conciliaret, auctoritatem suam vertebat, ut quotquot aliquid extra ordinem cuperent, ad eum confugarent. Quare praeclari cives complures eum odio prosequabantur. Sed tanta apud omnes auctoritate valebat, ut eum quisque metueret. Nihilominus, quo populum ab eo alienarent, in vulgus sparserunt Corsum tyrannidem affectare, quod facile omnibus suaserunt, propterea quod illius vivendi ratio omnem civilem modum excedebat. Quae opinio maxime crevit, postquam Huguccionis, viri potentissimi, filiam in matrimonium duxit. Haec cognatio ubi populo innotuit, eius inimicis animum auxit, qui arma in illum sumpsere; populus autem iisdem de causis eum tuitus non est, imo plerique adversariis adhaerent.

Quum Corsus undique inimicis se circumventum videret, victoriae spe deiectus, fuga saluti suaे prospicere constituit; quumque una cum fidissimis suis in hostes impressionem fecisset, eos ita fudit, ut pugnans urbe exceedere potuerit. Sed in itinere deprehensus, dum Florentiam redit, quum inimicos suos victores intueri nollet, se ipse equo deiecit. Humi iacentem unus ex illius ductoribus iugulavit.

Hic Corsi finis, a quo patria multis bonis et malis fuit affecta.

Hirundines et luscinia.¹

Irridebant hirundines lusciniam, humanae consuetudinis et cantus popularis neisciā; quippe quae in silvis procul ab aliorum societate degit, et parum cantat, idque non aliis, sed sibi, perinde ac si eam artis suea pudeat. - « Nostrae, contra, - dicebant

¹ Ex Florentinis historiis NICOLAI MACHIAVELLI italicice exaratis.

¹ Ex Italicis fabulis NICOLAI TOMMASEO.

- sunt urbes et homines eorumque aedes, cumque illis colloquimur et nidificamus». Luscinia impatientem his sermonibus auctorem praebebant, tantam dedicata garrulitatem. Novissime vero: - « Sed nos audituri - ait - homines in solitaria haec loca veniunt; et si nec multum nec multis canimus, cantui saltem moderamur, nec musicen in strepitum clamoresque convertimus. Vos autem homines in aedibus aegre patiuntur, vestri vocisque vestrae incuriosi ».

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

(Pro Quadragesimali tempore).

*Sorbitio Chartusiana.**Crusta cum garo et aleculis.**Quadragesimale edulium.**Botellus ex spinachiis.**Pisces ad craticulam assi.**Dulciaria placenta amygdalina.*

**

Iocosa.

TUCCIUS in schola.

MAGISTER: Quot menses octo supra viginti dies numerant?

TUCCIUS triumphans: - Omnes!

MAGISTER: - Quidam auctor de discipulis scripsit eorum arma esse libros. Equis vestrum sensum horum verborum explicare valet?

Silent omnes. Alter instat:

— Nemo igitur vestrum eorumdem reconditum sensum intellexit?

TUCCIUS: - Profecto quia nullis aliis armis uti nobis licet, quum rixamur.

Aenigmata.

I

Bellis emicuit totum; praeponito plantam,
Praeclare cecinit pascua, rura, duces.
A planta totum demum si legeris, urit,
Atque suis icit pectora cupidibus.

II

Aërem agit totum; caput eripe, basiat; eius
Caede etiam pectus: sanguine tingit humum.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Serra Sera*; 2) *Grave-do*.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. ANDR. HAB., *Aquis Driburgensis*. - Mittere ad te folia corrigenda nimis longum est; neque tamen de vitandis erroribus certior fueris. Cum hodiernis enim mechanicis litterarum concursionibus, frequens nimis evenit, ut errori emanando alter necopinate succedat, quem nec tu nec ego vitaverimus: unus potest, cui formarum, quae dicuntur, collatio commissa est, nosque debitas commendationes ei facere nunquam praeterimus. At... sunt lacrymae rerum! - *Pancretii* excerptum, a nullo homine suo tempore requisitum, minime factum est; iamque typi soluti sunt. - *Grammatica elucubratiuncula* ad proximum numerum. - Vale, tuamque benevolentiam nobis serva.

R. P. SEMINARI¹ *Trifluvianen. in Canada Rectori* - Pretium subnotationis est dollarorum trium!

Cl. dri. V. MEUR... *Treveris* - Gratissimum mihi fuerit, si nomen bibliopolae, de quo in recentibus litteris tuis, patefeceris.

A. SECRETIS.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

STANISLAUS FUGIENS

5]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

BILINSKIUS.

(Secum dubitat: bene est: aliquid speculae
[subest].)

STANISLAUS.

(Advigilandum est recte, ne sic forte oppri-
[mar].)

BILINSKIUS.

Anne haeres?

STANISLAUS.

Ego quid expeditat perspexero.

BILINSKIUS.

Esse nolo molestus, quando per te sapis:

Facito ergo ut quod aequum est cum animo
[cogites.]

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

STANISLAUS, FULCIUS.

STANISLAUS.

Ain' vero, Fulci? Fratrem id secum agitare
[animo, ut mittere
In paternam velit domum?]

FULCIUS.

Verum; et quam pri-
[mum quidem,
Si te nihilo iam sibi propensiorem factum
[senserit.]

STANISLAUS.

Scin' adeo certe?

FULCIUS.

Accepi ex eius ore hisce ipsis
[auribus.]

STANISLAUS.

Non video quam tandem huius rei caussam
[afferre is possit patri.]

FULCIUS.

Au! nimium, o here, simplex es (non vereor
[coram in ore libere
Loqui): vera caussa non suppetet; facile id
[dabo.
Quid autem? Non ille comminisci poterit et
[aliquam et fingere,
Quae videatur probabilis? Et vero secum
[Bilinskium
Habet, harum qui rerum scitus consultor est
[et callidus.]

STANISLAUS.

Quid igitur censes?

FULCIUS.

Ego si in isto loco essem,
[prudens temporis
In servire, quantum ius fasque satis sinerent.

STANISLAUS.

Intelligo.

SCENA II.

NAEVOLUS, FULCIUS, STANISLAUS.

NAEVOLUS.

Heus, Fulci, Fulci.

FULCIUS.

Ecquis me?.. o lepidum caput,
An censes me surdum esse qui sic clamites?

NAEVOLUS.

Res urget. Basiliscus ille noster pessimum...

FULCIUS.

Quem basiliscum narras?

NAEVOLUS.


Va! Bilinskium optu-
[mum
Volui dicere: te vult cum tibi erit commo-
[dum.
(Ad proximum numerum).

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus. Milesia fabula scenis accommodata apud
ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

JOSEPHI FORNARI Francisculi prandium. Milesia fabula scenis accom-
modata apud ephebea facile agendis. – Venit lib. 2.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegu-
mento solut. lib. 5; si xyлина structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. FRANCESIA Euplius. Actio dramatica. – Venit lib. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE col-**
lectionem habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVI,
paucorum exemplarum quae supersunt pretium constituimus libella-
rum 300 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 600, pro
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam
syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

CAELESTES VIRTUTES IN SUMMO MANZONII OPERE¹

Reliquum est ut loquamur de virtute caritatis, in qua ab Apostolo vinculum certatur perfectionis (*Coloss.*, III, 14). In hac tamen disquisitione nulla est facienda distinctio inter Dei amorem et proximi; nam origine et ratione, diverso licet obiecto, utriusque una tantum eademque est caritas. Immo iuxta Apostolum caritatis «Qui... non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?» (*IoANN.*, *Epist.* I, 20).

Iamvero in opere perfectissimo, de quo loquimur, late et profunde diffusa est caritas in tot tantisque suis explicationibus. Neque fieri potest ut paucis verbis referantur innumerabilia exempla, e quibus emicat flamma ardens caritatis. Itaque, auditores, nostri animi recreandi causa, nonnulla tantum seligimus, ubi effulget huiusce virtutis ratio et amplitudo, vis atque praestantia.

Inter vero multifarias caritatis significaciones est indigentibus benefacere: et passim in opere exhibentur personae benignae stipem conferentes, aut pauperum aliter consulentes inopiae. At quonam

animo, qua ratione vitae subsidia tribuantur? Ilari vultu atque sine tuba clamitante. Proponite ante oculos, auditores, sutorem illum, qui primas litteras didicerat et vir doctrina consilioque praeditus inter cives aestimabatur. Hic, postquam Luciam, in libertatem ab ipso erexitre vindicatam, sua domi magno cum gaudio receperisset, inter mensam memoria repetens inexhaustam Friderici cardinalis largitatem, eius exemplum maluit imitari. Posuit igitur in lance aliquantulum epularum, et, addito pane parva que cum vino lagoena, omnia dedit in manus cuiusdam filiolae dicens: *Va qui da Maria vedova; lasciale questa roba, e dille che è per stare un po' allegra co' suoi bambini. Ma con buona grazia, ve'; che non paia che tu le faccia l'elemosina. E non dir niente se incontri qualcheduno...* (*Cap. XXIV*).⁴

Huic modo affabili et modesto respondent illi versus carminis de Pentecoste:

*Cui fu donato in copia,
Doni con volto amico,
Con quel tacer pudico,
Che accetto il don ti fa.²*

¹ «Vade huc, ad Mariam viduum; haec ei tradas, atque dic ea esse, ut parum laetitiae cum puerulis capiat. Attende tamen cum venustate facias, ne videaris ei eleemosynam largiri. Nec alicui occurrrens quidquam dicas!...»

² «Cui copiose donatum est, is amico vultu donet, eoque pudico silentio, quod gratum reddit donum.»

Quid autem miseris largiendum? Omnibus constat illud evangelicum: « Quod superest date eleemosynam » (Luc., XI, 41). Hoc autem aliquando arctissima verbi vi acceptum videmus. Etenim, quum, Adua praetergressus, Laurentius Bergomum peteret, ad sublevandam extremam indigenitiam omni prorsus pecunia, quae supererat, se expoliavit: *La c'è la Provvidenza! disse Renzo, e cacciata subito la mano in tasca, la votò di quei pochi soldi....* (Cap. XVIII).¹

Et simul prosecutus est sine ulla pecunia, sed maiori cum fiducia in futurum.

Beneficentia igitur limites non agnoscit, eiusque amplitudo est immensa et maritatum aequiparatur. Haec vero ingens pelagi imago in ore ponitur fratris Galdini, qui ita sermonem absolvit de nucibus portentosis: ... *noi siam come il mare, che riceve acqua da tutte le parti, e la torna a distribuire a tutti i fiumi* (Cap. III).²

Indictum autem certum exquisitiae caritatis est semetipsum benignum et facilem omnibus se exhibere, sive humiliis condizione, sive praestantibus.

Alienum est enim ab hominis natura ad infimos descendere, omniumque confiteri aequalitatem. Huius vero urbanitatis ac lenitatis maximum specimen in Friderico cardinali eminet.

La carità inesausta di quest'uomo, non meno che nel dare, spiccava in tutto il suo contegno. Di facile abbordo con tutti, credeva di dovere specialmente a quelli che si chiamano di bassa condizione, un viso gioviale, una cortesia affettuosa, tanto più, quanto ne trovan meno nel mondo (Cap. XXII).³

¹ « Providentia est – inquit Laurentius; atque statim manu in sinus immissa, id paucis illis nummis vacuefecit ».

² « Nos tamquam mare sumus, quod undique aquas recipit, eamque inter omnia flumina distributam reddit. »

³ « Huius viri inexhausta caritas, non minus quam in largitionibus, in eius vitae ratione omni excellebat. »

Sed praeceptum caritatis fit in agendo difficillimum quum inimicos quoque amplexatur. Absurdum enim videtur eos diligere, qui nos oderint, benefacere persequentibus nos. Et tamen scimus quantum novum hoc praeceptum societati sit necessarium, quantum perutile et iucundum iis, qui id exequuntur: *A tutte le vittorie morali succede una calma consolatrice; e amare in Dio quelli che si odierrebbero secondo il mondo, è nell'anima umana, nata ad amare, un sentimento d'inesprimibile giocondità.*⁴

Ita in aureo libro De moralis catholica ipsius nostri auctoris (Cap. VII).

Cuius autem victoriae, quam animus obliviscens iniurias reportatur, et iucundatis quae consequitur, plurima exstant exempla in opere maximo eiusdem Manzonii. Et fortasse in nullo alio praecepto tantopere instat.

Quis unquam potest obliterare spectaculum illud, quo Ludovicus fratri adversarii ab se occisi reconciliatur? Quis vero non commovetur illam legendō precationem, quam in ecclesia peragit noctu pater Christophorus cum suis filiolis peregrinatibus? Pauperes quidem, exsules domo, non tantum ignoscunt iniquo vexatori, sed diligunt, pro eo Dominum supplicantes!

Huiusmodi autem preces bene meminerit Lucia, quando, post cruciatum et raptum, matrem reviserit; huic enim exclamanti: *Ah anima nera! ah tizzone d'inferno!... Ma verrà la sua ora anche per lui. Domeneddio lo pagherà secondo il merito; e allora proverà anche lui...*⁵

Facilis cuique ad eum aditus; putabat debere sese, iis praesertim qui ignobiles vocantur, hilarem vultum ostendere animique humanissimam applicationem; eoque magis, quo minus in hominum societate ea advenirent.

¹ « Omibus animi victoriis consolans quies succedit; amare in Deo illos, quos homines oderimus, est in animo, ad amorem nato, iucunditatis sensus, quem exprimere nequimus. »

² « Vae animae illi atrae! Vae titioni inferno! Sed

Ipsa ait contra: *No, no, mamma; no!... non gli augurate di patire! non l'augurate a nessuno! Se sapete cosa sia il patire! Se avete provato! No, no! pregiamo piuttosto Dio e la Madonna per lui: che Dio gli tocchi il cuore, come ha fatto a quest'altro povero signore, ch'era peggio di lui; e ora è un santo* (Cap. XXIV).¹

At enim Laurentius, postquam pluries iam suo inimico ignorisset, tamen rursus in animo odium repullulante persentiebat. Quum vero Mediolani invenisset patrem Christophorum inter pestilentia laborantes, ab eo ductus est in tugurium, ubi dominus Rudericus degebat moriturus. Heu quantum mutatus ab illo!

Tu vedi! – disse il frate, con voce bassa e grave. – Può esser castigo, può esser misericordia. Il sentimento che tu provrai ora per quest'uomo che t'ha offeso, sì, lo stesso sentimento, il Dio, che tu pure hai offeso, avrà per te in quel giorno. Benedicilo, e sei benedetto (Cap. XXXV).²

Et post alia verba: *Forse la salvezza di quest'uomo dipende ora da te, da un tuo sentimento di perdono, di compassione... d'amore! Tacque; e, giunte le mani, chinò il viso sopra di esse, e pregò: Renzo fece lo stesso.*³

Tacita sublimis oratio! Postquam autem Laurentius Luciam invenit, ipse pater,

et ipsi sua hora adveniet. Dominus Deus ex meritis rependet; tum vero et ipse experietur... »

¹ « Apage, apage, o mater! Ne ei cruciatus omiris! Nemini omiris! Si scires quid sint cruciatus! Si perpessa fuisses!... Nunquam, nunquam!... Immo vero Deum Divamque Virginem pro eo oremus: ut Deus animum eius percutiat, quemadmodum cum infelici hoc altero viro egit, qui eo peior erat, nunc autem est sanctus ».

² « Ipse vides – demissa et gravi voce dixit monachus. – Poena esse potest, potest esse misericordia. Sensu, quem próxime experieris erga hominem hunc, qui iniuria te affecit, eodem, inquit, sensu, Deus ille, quem et tu iniuria affecisti, erga te in die illa permovetur. Ei benedicas, ac tu benediceris. »

³ « Forte huius hominis, et ipsa tua, salus in te nunc posita est, in tuo veniae, misericordiae... amoris aliquo sensu... Tacuit, coniunctisque manibus vultum inclinavit, oravitque. Laurentius idem fecit. »

quum extrebas memorias sponsis relinqueret, levò dalla sporta una scatola di legno ordinario, ma tornita e lustrata con una certa finitezza cappuccinesca, e proseguì: *Qui dentro c'è il resto di quel pane... il primo che ho chiesto per carità; quel pane, di cui avete sentito parlare! Lo lascio a voi altri: serbatelo; fatelo vedere ai vostri figliuoli. Verranno in un triste mondo, e in tristi tempi, in mezzo a i superbie a provocatori: dite loro che perdonino sempre, sempre! tutto, tutto!...* (Cap. XXXIV).¹

Hoc est quoddam testamentum illius, qui, integra vita post professionem religiosam operibus caritatis exhausta, animam suam pro ovibus erat positurus. Revera aliquot post dies pestilentia abscessus est. Hoc autem signum maximum est perfectae benevolentiae pro hominibus libenti animo mortem oppetere.

**

Vidimus igitur caritatem in praecipuis suis explicationibus expressam. Iamvero, ut plura non dicam, in memoriam revocate, auditores, sapientissima illa verba, quae dixit Fridericus Cardinalis domino Abundio, postquam rationem de nuptiis recusatis ab eo repetit: *Presentiamo a Dio i nostri cuori, miseri, vòti, perchè Gli piaccia di riempirli di quella carità, che ripara al passato, che assicura l'avvenire, che teme e confida, piange e si rallegra, con sapienza; che diventa in ogni caso la virtù di cui abbiamo bisogno* (Cap. XXVI).²

¹ « Sporta elicuit thecam ex communi ligno, sed perfectione quadam et absoluzione Capulatorum propria tornatam atque politam, et dicere perexit: « Hic intus reliquum est panis illius... primi, quem caritatis nomine efflagitavi; panis illius, de quo vos audistis. Vobis relinquo: illud servate vestrisque liberis ostendite. In tristem heu! mundum venient, tristibusque diebus, inter superbos ac lacessentes homines. Illis praecipite ut parcant semper, semper; omnibus, omnibus, omnibus! »

² « Deo corda nostra, misera, vacua, porriganus, ut ea dignetur illa caritate repleare, quae praeterita

Haec memorata sufficiant ad propositum nostrum.

Itaque, vos praesertim, diligentissimi alumni, qui tota die opus hoc mirabile vestra manu versatis, si illud exploratum penitus vultis habere, eiusque sapientiae fructibus pasci ac delectari exoptatis, optime scitis non satis esse id tantum legere, aut ipsum lectitare, sed, ut verbis poëtae nostri utar, necesse omnino illud « *sentire et meditari* ».¹

Hoc si feceritis, praeter virtutes divinas, quas modo temporis angustiis tantum delibavimus, perspectas habueritis ceteras quoque virtutes, ex illis tanquam radicibus emanantes.

Ex eo autem opere constabit vobis genuina rectaque vitae notio, omni vanitate ac fallacia prorsus remota; illinc explicationes suscepitis omnium quaestionum, quae hominum corda ac sapientum torquent ingenia; illinc pariter cuique vestrum haurire licebit se gerendi modum pro tempore et pro re, quaecumque vivendi ratio erit singulis divinitus statuta ac definita.

Vos vero, fortunati iuvenes, qui, ad sacerdotium vocati, florem aetatis Domino fruendum praebetis, ibidem praeter ceteris clarissimum habetis exemplum Fridericum, sacrorum antistitem. Humilis in tanta dignitate constitutus, sobrius ac frugi etsi fortunis opibusque redundans, placidus et lenis fervida licet ac vehementi natura, minimum curarum sibimet ipsi tribuit, sed totum se contulit ad aliorum utilitatem. Huius quidem imago fulgens ac veneranda, quae veluti genius iustitiae et bonitatis emergit in illa temporis calamitate, vobis praebetur sacerdotis exemplum absolutissimum.

ANGELUS PERUGINI.

reficit, futura tutatur; timet et fudit, deflet et laetatur, sapienter; quae singulis vicibus sit virtus, qua indigemus».

¹ Cfr. carmen c. t. *In morte di Carlo Imbonati*, 207.

De latinarum litterarum historia paelectiones¹

IV. De satura dramatica.

Magna quaestio aetate nostra exorta est, utrum prisci Romani saturam scenicam habuerint, necne. Res tota pendet ex interpretatione loci cuiusdam Liviani, quem iuvat sub oculos lectorum nostrorum ponere. – Narrat igitur Livius in libro VI, capite II, C. Sulpicio Petico C. Licinio Stolone consulibus (a. ccclxiii a. C. n.) pestilentiam Romae fuisse; tunc pacis Deum exposcendae causa tertio post u. c. lecternum fuisse. Sed quum vis morbi nec humanis consiliis nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludos quoque scenicos, rem novam bellicosum populo, inter alia caelestis irae placamina institutos esse: « Ceterum, – pergit, – parva quoque, ut ferme principia omnia, et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes haud indecoros motus more Tusco dabant. – Imitari deinde eos iuventus, simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus, coepere: nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. – Vernaculis articibus, quia *hister* Tusco verbo iudius vocabatur, nomen *histrionibus* inditum; qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis iaciebant, sed impletas modis *saturas*, descripto iam ad tibicinem cantu, motuque congruenti, peragebant. – Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet id quod omnes tum erant, suorum carminum actor, dicitur quum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum

Cfr. fasc. sup.

« ad canendum ante tibicinem quum staitusset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impeditiebat. Inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta. – Postquam a lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocaretur, et iudus in artem paullatim vertetur iuventus, histrionibus fabellarum actu relictio, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus imitari coepit; quae *exodia* postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt... Inter aliarum parva principia rerum ludorum quoque prima origo ponenda visa est, ut appareret, quam ab sano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerit».

Habes hic ludorum scenicorum progressus et historiam, nempe: 1^{um} saltationes Tuscorum ludionum ad tibicinis modos sine carmine ullo; 2^{um} iuventus romana imitatura novam rem inducit i. e. alterna iocularia inconditis versibus, Fescennina licentia; 3^{um} progrediente arte histrionica, *saturae* impletæ modis, descripto ad tibicinem cantu et congruenti motu peraguntur; 4^{um} Livius Andronicus audet primus argumento fabulam serere; praeterea puero ad canendum advocate, partes canendi et agendi separantur ita ut in scena sint et cantores et tibicines et actores; 5^{um} demum, quoniam res iam in artem vertebat, iuventus romana, histrionibus fabulas relinquit reditque ad iocularia sua versibus intexta, quae, ut *exodia*, fabellis Atellanis plerumque conseruntur.

Si quaeramus, quibus fontibus usus sit Livius in his rebus noscendis exponendisque, in mentem venit et doctissimus Varro, qui in libris *de vita populi Romani* vel potius in libris *de originibus scenicis, de scenicis actionibus*, vel in decimo *Re rum divinarum (Antiquitatum libri) de ludis scenicis*, hanc materiam attingere et pertractare potuit; et Accius poëta, qui

in *Didascalicis* historiam quamdam graecæ romanaeque poëeos, praesertim dramaticæ, exposuerat. Sed nihil certi ex perpaucis fragmentis horum operum eruere licet.

Unde Livius narrationem suam derivavit, de origine et progressione scenicae artis non est cur dubitemus. Sed verisimile est, a rudi saltatione Tuscorum ludionum gradum factum esse ad imitationem iuventutis Romanae, adiecta Fescennina licentia, opprobria rustica alternis fundendi; ab hoc lusus genere, progrediente histrionum arte, nihil vetat quominus concedamus, incrementum habuisse scenicas actiones, talesque peragi coepitas esse, in quibus et carmina canerentur et cantica ad tibicinis modos essent descripta, et haec omnia congruenti motu aptisque gestibus efficaciora et iucundiora redderentur. Quum Andronicus Tarentinus Graecorum imitatione ductus, arguento tragico aut comico fabulam seret, multum profecto adiicit quod ad artem pertinet, at scenica rerum mixtio, tibicinum cantorum actorum, eadem permanebit. At id quaeritur, utrum haec scenica mixtura ineunte tertio ante C. n. saeculo iam *satura* vocaretur, necne.

De *satura* apud Romanos notissimus locus est Diomedis grammatici (*G. L. K.*, vol. 1, p. 485): « *Satira* dicitur carmen apud Romanos nunc quidem male dicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scriperunt Lucilius et Horatius et Persius. Sed olim carmen quod ex variis poematibus constabat *satira* vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. – *Satira* autem dicta sive a Satyris, quod similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicuntur, velut quae a Satyris proferuntur et fiunt; sive *satura* e lance, quae referta variis multisque primis in sacro apud priscos Dis inferebatur, et a copia ac saturitate rei *satura*

« vocabatur; sive a quodam genere farci-
« minis, quod multis rebus refertur *satu-*
« *ram* dicit Varro vocitatum...; ¹ alii autem
« dictam putant a *lege satura* quae uno
« rogatu multa simul comprehendat, quod
« scilicet et *satura* carmine multa simul
« poëmata comprehenduntur».

Eadem ferme dicuntur etiam a scho-
liasta Horatiano in praefatione ad sermo-
nes. Omitto etymon a *Satyris*, quod serius
certe excogitatum est ab iis qui omnia Ro-
mana a Graecis derivare studebant.² Vox
sine dubio est ab adiectivo: *satur-a-um*;
substantivum autem *satura* materiali sensu
vel lancem designabat primitis refertam
Disque in sacro illatam, vel dulce farci-
men Varronianum; sensu autem immate-
riali, vox *satura* aut a iurisperitis adhibita
est in locutionibus: « per saturam abro-
gare, derogare » (FESTUS), « per saturam
sententias exquirere » (SALLUSTIUS), « sa-
tura lex uno rogatu multa simul compre-
hendens » etc.; aut a litterarum studiosis ad
designandam tum *saturam* Ennianam Pa-
cuvianam Accianam varietate numerorum
et poëmatum insignem, tum Lucilianam
Horatianam Iuvenalianam ad carpenda
hominum via compositam, tum denique
Varronianam (Menipppearum) Petronianam
et Martiani Capellae prosa oratione et
versibus commixtam. Utut est, nusquam
ibi mentio inititur de *satura* scenica. Haec
ipsa causa est cur nonnulli recentiores
philologi, ut Leo, Marxius, Hendrick-
sonus,³ totam narrationem livianam de
histrionibus *saturas* peragentibus inter fa-
bulas amandandam iudicarent; Accium

¹ Id in 2º libro *Plautinarum quaestionum*, « *Satura* est uva passa et polenta et nuclei pini ex mulso conspersi; ad haec alii addunt et de malo Punico grana ».

² Etiam scribendi ratio *Satyras* sero inventa est pro *satura* vel *satira*.

³ LEO in *Hermes*, 1889, 1904, et in *Götting. Gel. Ans.* 1906; MARX in *prolegom.* editionis suea Luciliana, p. XII; HENDRICKSON in *American Journal of philology*, 1894, 1898.

ajunt fortasse huius erroris auctorem
fuisse vel histrionum similitudine ductum
cum graecis *Satyris* ridiculas res puden-
dasque dicentibus, vel desiderio *satura* genus
in antiquissima tempora proiciendi.

Sed ne praecipites feramur in fide scrip-
toribus antiquis abiudicanda! Iam supra
diximus nihil esse cur notitiae histrionum
scenicam quamdam mixtionem peragen-
tium fidem abrogemus; idque multo ante
quam Livius Andronicus primam fabulam
graeco more doceret, sed etiam illius ae-
tate eadem mixtio scenica agebatur; quin
etiam, puero ad canendum constituto, se-
paratis partibus tibicinum cantorum au-
ctorum, aucta est rerum scenicarum mix-
tura, quae sane *satura* appellari poterat.
Suspicio tamen hac voce de rebus scenicis
usum esse primum Varronem ad ludorum
scenicorum mixtam formam illustrandam
lectoribusque suis iam de *satura* litteraria
edocis exponendam.¹

FELIX RAMORINUS.

VELIVOLUM

CHARITAS - PAX

Audite! Magnum desuper imbris
murmur stupescit, desuper aetheri
arctosque contingens nivales,
sideribus rutilis remugit.

Non obstat umbris nox tacitus iners,
non Ister altis vorticibus minans,
non hostis ignis perfurentis,
nec rabies maculata ferri.

Hic instat audax pectore, diruit
nimbos procellis horrisonis satos:
interque caeli altas ruinas
stat placidus, patria iubente.

¹ Cfr. KNAPP, *The sceptical assault on the Roman tradition concerning the Dramatica satira*, in *Amer. Journ. of philol.*, 1912, pp. 125-148.

Sic evolantem Numinis alitem
incompta moles luminibus carens
audit, perhorrescens Potentis
vim, tremuitque silens profunde.

Ut pastor altis nubibus igneos
ictus remotos impavidus videt
non rura nec messes minantes;
terra tremit, mare nunc perhorret.

Recta patenti progreditur via,
quaerens superbum criminibus caput;
mortemque, terrorem daturus...

Sed subito nova pax resultat.

Labuntur hostis pristina iurgia
velut liquecit frigidus ac gelu
concretus imber, solis ictu,
indocilesque minis, amoris
Cedunt. Virilis non timet horrida
ferri vomentis spicula, fulgoris
instar, ruinas nec pavescit:
dulcia verba movent rebelles.

Pacis loquela tristia proelia
perdunt, superbos atque animos agunt,
viresque mollescunt feroce,
basia Numinibus litantes.

Frigentis axis dimidium tenet,
cursu reverso sideribus, novum
Sidus, per obstantes tenebras
proiiciens rutilum nitorem.

Orbis soporem percult illico
lumen coruscans; Aligerum choro
pacis, silentes mox cidentur:
obstupuere homines redempti!

Iam terra gaudet laetitia nova
moresque linquit iam feritas vetus,
iraque derepta tyrannis,
emicuit miseris serenum.

Et monte tristi Martyris Incliti
pleno tremendo funere sanguinis,
convulsus orbis, luce dempta;
hora data tenebris cruensis.

Si matris haedi conspiciant sinum
lupi rapacis dentibus asperis

scissum, minacem tum paventes
diffugiunt rapidi tremore;
Ducis sequaces haud aliter nece
flentesque frendunt, mox trepidi silent,
quacumque discissi latentes,
irrita vota timent pusilli.

Ast morte victa, conspicuum decus
nactus, recinctus tempora gloria
et luce, Christus de tenebris
effugit, egregius triumpho.

Pacemque dicens! Auspicio sacro
mundus repletus cernitur undique
pax aether excurrit profundum,
pace nova miseros salutat!

Pax sole, et aura, et lumine pulchrior,
ah semper vias caecasque destruas
iam bella! Fratres permanemus,
oscula, laetitiam reducas!

Nunc cernite. Aethrae virgo novum decus
pax sancta mundi, caeruleas vias
currit, refulgenti nitore.

Hic maneas faveasque, pax, pax!

Firmi.

S. ALESSANDRINI.

AESTHETICAE NOTAE¹

De Sculptura.

Sculptura, quasi architecturæ comes
et ornamentum, cum ea fere semper conso-
ciata exhibetur. Sculptura proprie indicat
artem fingendi obiectum solidum, ex toto
nempe prominens, ita ut simulacrum a
fronte, a lateribus, a tergo spectanti pateat.
Sed minus proprie sculpturae nomen
omnes minores et affines artes complecti-
tur, quae, vel media vel antiqua ex parte,
objiectum prominens adumbrant, uti sunt
tureutice vel anaglyptica, caelatura, gem-

¹ Cfr. fasc. XI-XII sup. anni.

maria. Unde sculptura late patet, et ad omne opus extendi videtur, quod ad *plastiken* pertinet.

Primarium sculpturae obiectum est homo, cunctis sensibilibus viventibus formosior, tum propter mirabilem corporis partium perfectionem et consonantiam, tum praesertim propter animam rationalem, quae eius naturam vivificat. Ex hac unione substantiali pulchritudo animae per signa et motus membrorum, praecipue per vultus speculum naturaliter manifestatur: ad istam pulchritudinem exprimendam sculptura in primis tendit.

Bruta animantia secundarium obiectum sculpturae sunt, quae ideo finguntur, quia vel homini inserviunt, vel tectam et operam significationem praefrerunt: ita effingitur equus una cum duce, vel leo, humanae fortitudinis simul et magnanimitatis imago. Secundarium obiectum quoque sunt res inanimatae, uti arbores, fontes, flores, rupes..., quae non per se a sculptura petuntur, sed in complementum vel ornamentum obiecti primarii.

**

Sculptura, sicut et quaelibet ars, duobus elementis constituitur; scilicet *apta materia*, quae est vel lignea, vel ossea, vel aenea, vel marmorea, vel argentea, aurea, etc., et *forma specifica*. In eximia electione et coaptatione istorum elementorum praestantia sculpturae manat.

Quaenam vero est propria et peculiaris sculpturae forma?

Fertur Bonarrotius, effecta Moysis statua (quae modo Romae, in basilica «S. Petri in vinculis», aspicitur) exclamasse: *Cur non loqueris?* Carnis enim, muscularum, ossium, nervorum omniumque membrorum signum vivum, spirans confectum erat; tantum loquela deerat, ut redivivus diceretur Hebraeorum dux et legislator. Nimurum opus artis a naturae opere longe distabat, sed absolutum erat.

Similiter Propertius testatur, Lysippum effinxisse *animosa signa*; et Vergilius de veterum dexteritate loquens commemorat *spirantia signa et spirantia aera*.

Ex quibus dictis sat clare colligitur, singularē sculpturae formam reponi debere in expressione animae per geometricum aequilibrium membrorum, seu per physiologam humani corporis structuram in corpore solido configuratam.

Dicam melius: Eximia sculpturae forma est, spectantibus notam facere ineffabilem unionem substantialem et personalem, quae viget inter corpus et animam hominis.

Quapropter eo nobilior dicenda est sculptura, quo in conflictis naturae membris luculentius expressa resulgeat substantialis illa humanae naturae unio, qua corpus et anima unum, hominem, efformant. Hinc sculptura quamvis non negligat, directe tamen et per se non versatur circa exteriore relationes, quibus circumdatus solet homo inveniri, sed interiorem animi cum corporis partibus congruentiam summopere repraesentare contendit.

Definiri igitur potest sculptura: *Ars pulchra, quae per solidas formas individuam praesertim hominis naturam exprimere studet.* Signa autem quibus eximia sculpturae forma spectantibus manifestatur, *anatomica* dici possunt, quasi ab anatomia potissimum mutuata. Qua de re sculptor, per continuam naturae notationem, talium signorum perfectam omnino debet scientiam sibi comparare, memor illius Ciceronis: *Omnis animi motus suum quemdam a natura habet vultum et sonum et gestum; animi imago vultus est.*¹ Attamen Geometriae, seu delineationis scientia nullo modo a sculptura aliena putanda est.

Colores arte facti materiae superadditi, sunt «accidentales sculpturae»; imo gene-

¹ Lib. III, *De Oratore*.

ratim statuaria marmorea et aenea a coloribus abhorret; statua colorata praestigiis exercendis potius apta est, quam ad veracem spectantium admirationem. Sculptura igitur et pictura in eodem subiecto manere nolunt, nisi forte agatur de prominentibus testaceis, de torematibus, vel de minimis operibus.

**

Ex cognita sculpturae indole, praeter generales leges, quae pro quavis arte vigent, peculiares inferuntur normae quae sequuntur:

a) Quoniam sculptura in eo posita est, ut ex physica membrorum pulchritudine interna reluceat animi formositas et substantialis hominis unio, mavult ut nuda exhibeat humana figura, ita ut ossa, musculi, nervi, venae spirantes appareant; vel saltem flexibilibus vestibus induita, quibus potius quam abscondita, velata pateant membra. Boni tamen mores et reverentia exigunt, ut occulta maneant, quae consensus hominum et ipsa natura celare consuevere.

b) Requiritur ut omnes simulacri partes cum re tota adspectabilem habeant consonantiam; et ut physiologica membrorum dispositio, corporis statio vel sessio, oculorum brachiorumque inclinatio vel elevatio, animi motum certum commonstant, affectionesque diversas exprimant, easque praesertim, quae humanitatem exornant, uti sunt gaudium, pietas, dolor, commiseratio, spes, amor, fiducia.

c) Quoniam sculptura animatam efficit stabilem materiam, oportet ut solemnia seligat ac exprimat momenta, quibus in homine summa resplendet maiestas, vel aliqua perfectio perpetua admiratione digna. Quapropter expressio quorumdam effectuum nimis vivacum, qui in natura admodum fugitivi sunt ac labiles, deformis evadit si in stabili materia diuturna redatur. Ita Laocoon, qui perbelli a Vergilio

describitur anguis circumdatus et ore cavernoso aperto in actu clamorationum, iniucundissimam produceret affectionem, si eo statu a sculptura effingeretur. Re quidem vera auctores celeberrimae Laocoontis statuae vitium hoc effugere.

d) Aedificia, oppida, civitates... ob rei impossibilitatem, seu nimiam materie amplitudinem, non sunt obiectum sculpturae, sed solummodo caelati operis. Attamen si agatur de symplegmate, seu de unione statuarum (duarum vel trium, ad summum quatuor) opus est ut proportio habeatur inter singulas statuas, et hae simul respondent unicae menti, in quam sculptor intendit.¹

e) Sculptura, quamvis praeceteris arbitribus magis magisque videatur naturae imitatrix, tamen novam aliquam eximiam formam, aliquam saltem novam vitae perfectionem enunciet oportet. In hoc maxima difficultas.

Sculptor igitur non solum vitam simularis infundere conetur, sed animi illam exprimat affectionem, quae miranda aliqua novitate ac praestantia plurimum delectet.

(Ad proximum numerum).

G. LEPORE.



DE PICTORIBUS FRANCISCALIBUS²

In Assisiensi Franciscana basilica admirabili varietate lotti integritas cum gravi Cimabue austernitate, et orientalis immobilitas cum hilari quadam ingenii velocitate commiscentur.

Omnes vero pictores laudabili studio eo convenient, ut Hominis mansuetudinem

¹ Adsunt tamen superba mausolea, in quibus signa, sive ex toto sive ex parte prominentia, quamplurima numerantur; ex. gr. mausoleum papiense S. Augustini. Sed mausoleum proprie a symplegmate differt. Saepius multae statuae, sed una principialis.

² Cfr. fasc. sup.

ataque ingenuitatem referant et in primis summam animi pauperiem, qua innixus omnia uti mortalia aspernatus ad caelestia unice respiciat.

Quo facto, Francisci vultus splendescens semper et rutilante veluti nimbo effulgens, ad se ultro homines puerosque trahebat.

*Os laetum, aspectus dulcis, concordia, amorque
Et mira insignis fons pietatis erat.¹*

Ita inter caelites apparuit poetae Italorum principi, atque ita immortali carmine nobis tradere placuit, ut civibus suis, positis odiis atque intestinis discordiis,

*Eius vita stupenda foret,
In caelo laudanda magis, quo est gloria maior.*

Et universa Senensem pictorum schola, agilis quidam atque hilaris, tota est in S. Francisco pingendo; eius tamen vultum formosum minime reddit, sed adeo modestum, adeo venustum, ut nihil supra.

In iis vero pietas ac devotio enitescit, et vel inter multorum alumnorum coetum, ob vultus modestiam maxime commendatur, atque oris verecundiam prae se ferens, ieunia praedicat, mortificationem et poenitentiam.

Et Noster, iuvenili quadam hilaritate suffusus, semper pudibundum ita se se exhibet, ut eius religiositas, colorum modo suavitate ac virore identidem supereretur.

Sic, uno oculorum obtutu, omnium adipiscientium admirationem sibi unice ceciliat.

Adpetente vero saeculo decimo quinto, effigies sancti Francisci ad venustatem progreditur, ut ipsa oris macies et misericordia magnifice cum maiestate commisceri videatur.

Infinitus essem si nonnullos vellem tantummodo referre, qui optima sane operis

¹ Sic enim elegantissime more suo cecinit Dantes Alighieri:

*La lor concordia, e i lor lieti sembianti
Amor e meraviglia, e dolce sguardo,
Facean essere cagion dei pensieri santi.*

(Paradiso, c. XI, v. 74).

ratione, sanctum Franciscum depinxerunt. Satis sit Laurentium a sancto Severino memorare, cuius tabellae, Florentiae in Corsiniana pinacotheca asservantur.

Huius studio Franciscus accuratius de pingitur, atque ita eius potissimum facies pulchra adparet, ut, primaeva quadam rusticitate exutus, ob ipsum corporis modum vestiumque, et capitis sereniorum nimbum magis se commendet. Sic se pictor, medium veluti gerens inter Cimabue et Iottum, splendidiorum eum nobis exhibit, atque in actione ingenuum, ut veteri pictorum rationi pressius accedet.

Quid vero dicam de Nicolao Alumno? In huius tabulis et in opere tectorio Franciscus iterum iuvenili vultu atque hilari se se obfert; et quamquam pallidus aliquantulum et macilentus, nobilis simul et honestus, quasi caelesti spiritu afflatus, ut qui animum ad se advocet.

Talis fortasse erat, quem in Etruria peregrinaretur, quem oraret ad populum, quem rebellantes plebeculas non modo refraenaret,

Sed votis precibusque tubet exposcere parva.

Sub saeculi finem, Macrinus Albensis a prioribus paululum recedens, nobis Franciscum pingit fortem ac praestantiores, non ita tamen, ut eius animi sanctitatem negligat. At qui mox eum excipiunt, Giambellino potissimum et Francia, quem uterque maneat suus, attamen, alias alia ratione, elegantiori vultu atque graviori sanctum retrahit, tum vero profana propemodo persona et gestu eum exprimit.

Si enim pinacothecas forte Venetiis inviseris, saepe cum sancto Francisco videbis sanctum Sebastianum, fortissimum illum virum, qui non modo miles fuit, sed et copiarum magister, imperatori strenue obstitit, et sua animae prodigus, inter exquisitos cruciatus pro Christo occubuit.

Verum quam pulcre pauperrimus Dei servus adparet, vel inter armorum strepitum et rumores!

Omnia mirum in modum ac sapientissimum compонuntur.

Et Bellini laude dignissimum aestimaveris, qui prior temporis sui denuo sanctum ad venerationem composuit, et in ipsis tunicati popelli cultibus, alloquens, vultu haud hilaris adparet, sed moestitia quodammodo confectus, ad poenitentiam admissorum deducere atque ad caelestia audientium animos adferre videtur.

Saeculo vero decimo sexto, frigescente in artificibus in dies pietate, sensim sine sensu per pictorum manum, Noster veluti a divinarum rerum contemplatione abstractus, pietatem perpetuam atque nativam depositus.

Quo nomine, fere omnes qui in pictura nomen sibi aliquod compararunt, eo omnino contendunt, ut humanum potius referant quam caelestem, si Francia excipias, qui solus Sancti lineamenta expromit, ut vel ab oculorum acie superni ac divini spiritus quidquam semper ostendat.

Quid memorem de quadam recentiorum improbitate, qui dum variorum in picturis semitam persecuti autumant, omnibus veri pulchrique sensibus posthabitis, Sanctum profanum ac perversum referre superbe consueverunt?

Vah! apage a nobis disciplinam pictorum huiusmodi, qui extera barbarie atque impietate nos infuscant, et praesertim tirrones, quorum oculos permagni refert nitidis ac salutaribus artibus adsuescere.


Antequam vero supremam huic de pictibus Franciscalibus commentario manum impono, liceat mihi in lectorum mentem revocare, divino munere virum exstisset, qui in sculptura Iotto aemulatus et Cimabue, utrumque perfectione supergresus, immortalitatem est adeptus.

Haec mea verba ad Ioannem Dupré florentinum pertinent, qui pietate insignis principem sibi locum comparavit, et procul dubio, inter cetera opera summo artificio confecta, monumentum exegit aere peren-

nus, in sancti Francisci effigie e marmore sculpta. Omnim iudicio, cum perfectissimis omnibus temporis operibus decertare videtur.

Utinam et multos sibi devotos opifices s. Franciscus ex nobis suscitet, sanctosque conservet!

I. B. FRANCESIA.



PONTIFICIS PII XI

MONUMENTUM
IN BIBLIOTHECAE AMBROSIANAЕ MEDOLANENSIS
AULA PRINCIPE
CONSERVATORUM IPSIUS DOCTORUMQUE
COLLEGIO
XII KAL. APRILES MCMXXVII
SOLLEMNITER INAUGURANTE

*Artificis caelata manus iam fusa metallo
Erigitur Species cerea Pontificis.*

*Undecimus stat sede Pius, qui Praeses et huius
Inclyti Athenaei gloria summa fuit.*

*Argutis oculis rutilant acris ingenii acumen
Nec non ferventes pectore divitiae.*

*O frontis decus! o spirantis gratia vultus!
Emollire potens saxea corda quoque.*

*Dextra tenet librum, revocat qui lustra per octo
Sacrae versatum Palladis arte sophum.*

*Augustam tendens laevam digito signat,
Quae pede non claudio ducit ad astra, viam.*

*Dicite: Sculptor Io! studiorum hac namque
[palaestra*

*Praeses vivit adhuc hospes et emeritus.
Maxime, Ave, o Pastor, nostrae decus urbis*

[et orbis,

*Caelorum ac terrae dive Sequester, Ave!
Verba Tu habes vitae, Christo testante, Ma-*

[gister,

*Quae credenda manent nos et agenda, docens.
Usque tuis placitis monitisque haerebimus*

[ultra,

*Spes quia Te praeter, nec datur ulla salus.
Haec mihi corde fovet monumenti visio sensa,*

Dum capite obstopo flector in obsequium!

Mediolani, Kalendas Aprilibus MCMXXVII.

CAESAR MAMBRETTI.

DE IOANNE BOSCO

PIAE SALESIANAE FAMILIAE

ET INSTITUTI FILIARUM MARIAE AUXILIATRICIS
CONDITORE

Saepenumero *Alma Roma* insignem Virum laudabiliter commendavit, eiusque mirabilem vitam tot gestis illustrem lectoribus memoravit.

Decimo vero kalendas Martii, hoc ipso anno labente, haec nostra opinio, ablegatis omnibus dubiis, est solemniter confirmata.

In aedibus Vaticanis, in frequentissimo Patrum Cardinalium conventu, adstantibus plurimis civibus, undique in honorem accitis, incredibili Salesianorum laetitia, Pius XI Pont. Max. solemnibus ceraemoniis sanxit, omnibus Eum virtutibus exornatum, atque adeo dignissimum, qui inter caelites aliquando referatur. Et Decretum de eius laudibus referens, elegantia veluti romana exsultat, ut *Alma Roma*, quae diu atque ex consulto longa rerum experientia docta, oculis clausis, si de latino eloquio sermo est, et nulla prorsus difficultate, omnia commendet.

Scit enim atque optime novit, quam recta quamque latine haec promulgari consueverunt. In ipso exordio castior fluit dictio atque elegantior, et lectores a verborum angustiis subito in medias res deduxit, atque argumentum uberius audientius tractavit.

Tot enim tantisque latini eloquii elegantis pollet, tamque romano spiritu undique scatet, ut quantocius aere aut marmore descriptum posterorum memoria prorogari mereatur.

Ad haec veluti cumulus accessit ipse Pii XI P. M. sermo, qui divino spiritu afflatus, audientium mentes tenuit, pectus pervasit, atque voluntates, quo vellet, impulit.

Namque, praeter omnium opinionem, verba addidit, quae in animis nostris aeterna mansura, nos in contemplatione virtutum suarum conquescentes, quasi e superis profecta respiciamus.

Dum alii doctrinam, alii pietatem, cuncti benevolam amicitiam paternamque Ioannis Bosco mirantur, haec Pontificis Maximini verba, amoris, obsequii, gloriae monumentum referunt. Utinam possim vel leviter quaedam delibare, et nonnulla saltem verba, quae ex eius ore plenissime fluebant! Liceat mihi vel paucissima in medium pro re nata proferre.

Sunt aliquando sidera, quae annuente Domino, pestilenti quodam spiritu afflata, ruinam populis atque infortunium, bella et neces nuntiare tristissima creduntur; sunt et alia interdum quae gratiam prae se ferunt, atque adspectu, alloquo spem inter gentes reducunt animumque adauent.

Inter novissimos hosce homines – ait – recensemendum esse, procul dubio vos mecum putabitis, Ioannem Bosco, sacerdotem, cuius familiaritate fructi, vidimus et audi- vimus quae posteri admirantes, docili ingenio, moribus sanctissimis, et nos, florente adhuc aetate, ipse, non adversis populo- rum studiis retardatus, opera perfecit, consilio iuvit, ut christiana rei strenue prospiceret.

Certus Deo servire non sibi, cautioris fortunae illecebras officio posthabuit, et qualem praestare se instituerat, talem usque ad exitum certavit. In omnibus singulari fuit industria, navus, et laboris adeo patiens, ut diem saepe noctemque rebus gerendis continuaret. Verum, sic ferente Dei voluntate, ne adversa deessent ubi virtus sua enitesceret, impotentem adversariorum audaciam christiana patientia fregit.

Idem pius, benignus, recti pervicax, of- ficiosus, vitae puriter actae hoc etiam documentum dedit, quod morbo corruptus

omnibus flebilis adventantem mortem placidissime exceptit.

In maxima rerum et animorum conci- tatione voce et scriptis, catholicam sapien- tiam professos ab haereticorum pravitate stréne prohibuit.

Optime puerili institutioni consuluit, quum pueros ad sanctitatem dulciter esseducendos praedicavit, eoque enixe adni- tendum, ne in malum procumbant. Apud nos in primis, de operariis recte instituen- dis, incandescentibus animis, rerum nova- rum cupidis, patriae perniciem molienti- bus, ipse complures receptos aperuit pueris inopia laborantibus, moribus et lu- dis tutandis.

Vir fortunandis hominibus natus, novis in dies institutis, iuuentutis praesidio ad- vigilavit. Complures enim atque mirabiles operariorum officinas condidit, ubi eximiis instrumentis ad rationes temporum com- positis, pueri rectius ad artes liberaliores arripiendas educantur. Hasce miro sane consilio ad palestrae formam instituit, ut meritis essent praemium, merituris exem- plum.

Ad agricolas quoque conversus, ut eo- rum commodis rectius prospiceret, subur- bana praedia late adhibuit, ubi adolescen- tuli, non modo ex temporum ingenio di- catis in umbra erudiuntur, sed rusticis quoque laboribus durati ad rem agrariam effinguntur. Ad haec libris sapientissimis doctrinam suam exornavit; quibus identi- dem praeclerara alumnorum facinora effin- git, acerrima aequalibus et posteris incita- menta. Ut ad tantam rerum amplitudinem adsurgeret, multas est adeptus divitias; sed invictum a cupiditatibus animum exhibuit, et generis humilitatem virtutibus cu- mulavit.

Quae quum ita sint, – concludit – Nos libentes Ecclesiae matri gratulamur, quae nunquam visceribus lassis, partaque ex- haustis omni quoque tempore, magnum illum de Litterarum Romanarum histo- ria componendi, qui, toties editus, etiam-

vit, gratulamur et Astae Pompeiae, quae Ei ortum praestitit, civitati quoque Tau- rinensi, quae primam fortissimo Viro aciem paravit, ac demum Italiae, quae filium acceptissimum salutat, eo universo late orbi terrarum, qui undique eius no- mine percrebrescit.

Post haec verba mirum in modum Ro- manumque prolata, Pater Sanctus commo- tus adstantibus benedixit, qui ad Eius pedes humillime provoluti, gratias lacrimis potius quam voce agentes, laudes de Ponti- fice oratore, cum laudatione egregii sacer- dotis alacres miscebant.

I. B. F.

EX ITALIS URBIBUS

In honorem Ulrici Hoepli, quo die octo- gesimo aetatis anno exples, Medio- lanenses magistratus et proceres ad splendidas epulas convocavit.

Quoniam, auctore et auspice Magno illo Viro, qui summus nunc est Italicarum re- rum moderator, cuiusque nescio utrum ingenium magis admirer an fortem animum, omnia ferme Romano more agi consueverunt, liceat etiam mihi, qui plus quinquaginta annos in Romanarum Litterarum studiis versatus sum, Romano more, id est latina lingua uti, ut Te alloquar, Ulrice Hoepli, hac faustissima die, qua LXXX^{ta} annos natum Nos frequentissimo hoc con- ventu epulisque, a Te ipso invitati, cele- bramus.

Cui enim aptius id pertinebit officium Te salutandi votaque pro Te suscipiendo quam mihi, qui, paullo aetate minor quam Tu es, XL abhinc annis quum in Ticinensi Athenaeo doctor essem latinis litteris tra- dendis, Tecum consilium cepi libellum illum de Litterarum Romanarum histo- ria componendi, qui, toties editus, etiam-

nunc in manibus studiosae iuventutis versatur?

Libenter ego in memoriam revoco annos illos (heu quam remotos ab hora praesenti!) quibus ego iuvenis Te iuvenem visibam in tua libraria taberna, totum diem stantem, vigilem, laboriosum et industrium, omnes et omnia pertemptantem ut optimis libris componendis et exquisitorie doctrinae longe lateque per Italiam diffundendae operam dareas.

Cuinam, cuinam comparabo Te, amice, nisi Tito illi Pomponio Attico, Ciceronis perquam familiari, qui quum Athenas, in illam omni doctrina perillustrem civitatem, se recepisset, ibique per unum et vinti annos mansisset (ab a. LXXXVI ad LXV a. C. n.), studiis se dedidit, et servorum litteratorum cohorte circumdatus, multa opera graeca et latina optimis exemplaribus describenda curavit, et mercaturam librariam nobilissime exercuit, unde magna pecuniae vim coegit, qua postea vel in deprecandis amicorum periculis aut incommidis, vel in publica inopia levanda usus est? Quo factum est, ut illi Athenienses omnes honores, quos possent, publice haberent, ut Cornelius Nepos tradidit, civeque facere studerent. Ita te, Ulrice, Mediolanenses in deliciis habent, quasi unum de praeclarissimis civibus suis. — Pomponio autem absenti Athenienses statuam, ipsi et eius filiae, locis sanctissimis posuerunt. Denique ut Romam rediit, non otio se dedit, sed, ut erat antiquitatis amator eamque diligenter comprehensam habebat, opus illud composuit, cui titulus fuit *liber annalis*, quo, conservatis notatisque temporibus, annorum septingentorum memoriam perdiligenter complexus est. Alios praeterea libros composuit, et singularum historiam familiarum illustrans, et de consulatu Ciceronis graece scribens. Poëtice quoque attigit, sub clarorum virorum imaginibus facta magistratusque eorum quaternis quinisve versibus describens.

FELIX RAMORINUS.

COLLOQUIA LATINA

Vale dicitur in amici discussu.²

BLASIUS, PASCHALIS, JOANNES.

BLASIUS. — Heus, Paschalis; num es domi?

PASCHALIS. — Non sum.

BL. — Impudens! Non ego te audio loquenter?

¹ Carm. III, 9, 4.

² Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus Paschalis retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

Sic tu, amice Hoepli, nunc splendidum illud volumen edendum curasti, quo horum trium saeculorum Mediolanensis historia narratur tabulisque vividis coloribus depictis illustratur. Cuius historiae primum exemplar gaudeo dono datum iri eximio illi Viro, qui, Potestatis nomine, clavum nobilissimae huius civitatis tenet et gubernacula tractat; cuique ego gratulabundus salutem plurimam dico.

Quando igitur, — ad te redeo, Ulrice, — omnia video cum Pomponio Attico Tecum esse communia, par est Tibi quoque et gratum animum et benevolentiam Mediolanensem non deesse et praemia et honores quos meritus es, decerni.

Evidem quantum in me est, nomine etiam Catholici Athenaei, cuius pars sum, fortasse pro omnibus quoque qui adsunt loqui ausim, votis omnibus expeto, Deumque Omnipotentem oro atque rogo, ut Tu multos annos adhuc vivas et bona peractae vitae conscientia fretus vigeas, ut cum Horatio dicam¹ « Persarum rege beatior », et novos fructus industriae laborisque tui praepares et commodes nobis, ad utilitatem omnium et maiorem gloriam patriae nostrae, qua nihil carius nihil antiquius omnes habemus.

FELIX RAMORINUS.

PASCH. — Imo tu impudentior: nuper ego famulo tuo credidi te non esse domi, et tu non credis mihi ipsi?

BL. — Aequum dicis: par pari retulisti... Sed tu mihi videris cochleae ex more vitam agere.

PASCH. — Qui sic?

BL. — Quia perpetuo domi latitas, nec usquam prorepis.

PASCH. — Est quod agam domi: foris mihi negotia non sunt. Neque tamen sum tetricus: si prodeambulare lubet hodie, non recuso.

BL. — Plane videtur utendum hoc caelo.

PASCH. — Utamur: adsciscendus est unus et alter socius.

BL. — En opportune se nobis offert sodalis permodus; lepidus est adolescens; consalutemus.

PASCH. — Ioannes, salve: te quaerebamus.

IOANNES. — Immo valete, sodales amicissimi.

PASCH. — Quo cogitas?

IOAN. — In patriam.

BL. — Quidum?

IOAN. — Sic est: arcessor a patre.

PASCH. — Nunquamne es reversurus?

IOAN. — Nunquam, ut opinor.

PASCH. — Siccine igitur nos relinquis?

IOAN. — Ita necesse est.

BL. — Nos miseros! Ubi deinceps similem nanciscamus socium?

IOAN. — Ne vos sollicitet discessus meus: mei similium sat vilius est copia... Praeterea absentes corpore, praesentes animis erimus.

PASCH. — Quandoquidem te a nobis distrahit necessitas, ferendum est.

IOAN. — Quas ultro citroque dabimus epistolas fovebunt pristinam amicitiam.

BL. — Scribam ego certe creberrimas.

PASCH. — Imo te silentem ambo lacessemus.

IOAN. — Non id patiar ut meo faciatis merito.

BL. — O quam triste divertium!

IOAN. — Quid agam? Patris voluntati parendum est... Sed iam longiore moram non patior: properandum mihi est.

BL. — Quoniam non est hora tibi ultius libera, vale igitur. Sit iter felix tibi atque commodum.

PASCH. — Opto tibi incolumem in patriam adventum.

IOAN. — Maximas ago gratias et vicissim omnia precor vobis prospera.

BL. — Bene vale.

IOAN. — Valete.

ANNALES

Societatis nationum supremum concilium.

Societatis nationum supremum concilium Genevae rursus convenit, ut de nonnullis quaestionibus ferret iudicium. Itaque de Silesiae superioris scholis edixit, inconveniens esse, ut alumni Polonicam linguam tantum loquentes, Germanicis scholis inscriberentur. Quod si dubii casus interventuri sint, de iis mixtae — ut vulgo nuncupatur — Commissionis praeses, cui adsit vir legum et locorum peritus ex alia natione — (Helveticus electus est) — iudicabit.

Discrimen alterum de Sarre provincia erat, cuius fodinae a Versaliensi foedere Galliae attributae fuere, ad resarcenda damna, quae fodinis suis inflata per bellum a Germanis fuerant; incolae anno MCMXXXV populi scito affirmabunt utrius partis, Germaniae nempe an Galliae, in ditionem venire malint. Cautum, ut quum, post menses tres, Gallicae copiae recesserint, ferriviarum militia constituantur ad ferreis axibus stratas vias tutandas.

Partes, quarum intererat, huiusmodi

sententias ratas habuere; quod speramus fore quoque de cautionibus, quas legati proposituri fuerint ad arma deponenda, quibusque ii nunc intendunt.

Interim Civitatum Foederatorum Americae Septentrionalis Praeses instat pro conventu a se proposito ad maritimas copias minuendas, contendens ipsum optime cum Genevensium legatorum studiis componi posse. Incertum tamen est an haec desideria optatum assequutura sint exi-
tum; quinimo an Gallia et Italia ipsi trium nationum conventui, Americane scilicet, Anglicae, et Hispanicae, tamquam spectatrices tantum interventurae sint.

Foedera.

Dum Germani cum Russis commercii pactiones ineunt, Italia foederi subscribit iam Parisiis sancto cum Rumenia an. MCMXX, per quod Besserabica regio Rumenis ipsis tribuebatur. Id Russi aegre quidem passi sunt, ad Besserabiae possessionem contendentes, nec spei graviter frustratae latuere et querelae, quas Italia compescere studuit, sollemniter declarans sese nihil in odium Russorum egisse, sed tantum Rumenici populi ius recognovisse, ethnicis rationibus apprime fultum.

Ecce autem Iugoslavorum regnum armis fortiter munit fines tum Italicae tum Albanensis civitatis sub specie compescendi aliquam rerum conversionem, per quam Iugoslaviae fines violarentur ab Albanicis factionibus, quas, in belli casu, ob Tiranae foedus, Itali essent auxiliaturi. Huiusmodi indicium ceteris nationibus Itali renuntiant, quumque Iugoslavonii profiterentur sese omni culpa vacare, proposita est de re nationum animorum quavis perturbatione expertium inquisitio; quam vero Iugoslavi recusare videntur. Eo magis itaque optandum, ut hinc Itali et Albanenses, inde Iugoslavonii discrimen inter sese comiter dirimant.

Sinense civile bellum.

In Sinis res praecipites ruunt. Shangai urbs a Cantonensibus invasa est: tumultus inde, desertiones, magnae ubique caedes, ita ut factas exteris concessiones, et insulas ab exteris occupatas tueri armis oportuerit. Atrocia pariter, imo magis, Nan-King evenerunt, ubi vastationibus incendiisque accessit exterorum strages, inter quas mortem et duo pacis administri, Christiani evangelii praecones, misere invenierunt.

POPPLICOLA.

VARIA

Infans Mytilene repertus.¹

Est in Lesbo urbs Mytilene, magna quidem et pulcra, ad mare posita euripis distinctam: in quorum oris aedificia exsurgunt magnifica, inter quae viae excurrunt celeberrimae. Aedificia alluuntur euripis, quae pontibus iunguntur ex marmore politissimo atque exquisitissimi operis, ut intuitibus insula, non urbs videatur. Ab hac urbe haud multo magis quam duo millia passuum nobilis cuiusdam atque perditivis viri erat villa latumque praedium, ubi montes floribus, planities tritico, colliculi vitibus, pascua gregibus abundant; commodis repleta atque oblectamentis omnis generis; adeo mari proxima, ut undis verberaretur atque molli aspergeretur arena; otii sane domicilium atque animi quietis.

Ibi gregem pascens caprarius, cui nomen Lamoni, accidit forte ut infantulum inveniret, quem capra nutriebat.

Haud procul a pascuis dumetum erat in silva hederae prunis atque sentibus adeo densum atque asperum, ut desertae casae

¹ Italice scripsit Hannibal Caro.

speciem referret. Hanc infantulus sortitus erat domum: pro cunis cespes erat tenerae ac virescentis herbae. Huc commeabat capra pastoris deliciae, quae pluries in dies ingressa, diu inobservata morabatur, suique fetus oblita, alienum curans atque lactans novo ut plurimum alumno adsidebat.

Lamon derelicti fetus misertus, harum discussionum finem respiciebat, donec quadam die, dum gressus meridie soporem carpit, divertentem conspicatus eiusque vestigia sequutus, capram deprehendit primum post quasdam genistas, mox inter cespites incidentem ac saepe respiciensem, saltitanque summis pedibus tamquam vestigia vitaret, quibus a domino indagaretur. Nec unquam ab ea oculos dimovens, qua ingressa fuerat introspiciens, eam illico ad infantem accessisse vidit, cui mammas sugendas praebuit, donec esset satiatus; postea, tamquam matrem ageret, modo circa alumnū balando, modo lambens lingua, eum deperire videri.

Haec pastor miratus, uti consentaneum erat, ac dumetum ingressus, masculum invenit, vegetum ac venustum, qui flos inter herbas ei visus est, ac nobili loco natus ex vestibus elegantioribus, quam expositi. infantis fortunae par esset, quibus ornabatur; vesticulam enim induebat ex panno purpureo, aureum torqueum collo gerebat atque ad latus gladiolum gestabat ebore distinctum. Primo Lamon sola monumenta tollere statuerat, infante relicto; at postea quum hominem puderet, quod a capra humanitate vinceretur, ubi primum nox advenit, omnia ad Myrtalem uxorem defert, monumenta, infantem, ipsamque capram. Cui quidem miranti potentique, num caprae puerulos etiam parerent, rem totam enarrat, quomodo inventum deserere moriturum erubuerit. Tunc utriusque placuit ut, celatis monumentis, infantem pro suo alerent, capra blanditiis delinita; et ut nomen etiam pastorale accederet, Daphnim infantem vocarunt.

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

Ius bovinum in scypho progestum.

Solana tuberosa ovis farta.

Costulæ agninae frictæ, cum pisorum ornatu.

Pulli gallinacei assi, calore amisso.

Epityrum.

Suavillum Paschale.

locosa.

TUCCUS in schola.

— Quaenam sunt bella intestina?

— Bella intestina sunt...

— Niterel... Sunt quae fiunt...

— Ah! Quae fiunt in stomacho, quum iejunus est!

Postquam Magister de meteorologia disseruit:

— Quid igitur sublime, super caput nostrum est?

— Caelum.

— Quum autem pluit?...

— Umbella!

Aenigmata.

I

Progredior nunquam, progressum quippe ne-
Igavit

Mi natura iubens me retro ferre gradum.
Si mihi mutatur tantummodo litterula una,
Obiice ferrato claudio domoque reos.

II

Mene legis recte? Iubeo saltare: choreae
Accingas agiles, lector amice, pedes!

Mene legis retro? Procerus, membro torosus

Fio gigas humeris sustineoque polum.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) Miles-Limes; 2)
Canna-bis.

PANCRATIUS

[23]

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine redditum Andr. Haberl)

ACTUS V.

Scena: Obscurus catacumbarum specus.

SCENA I.

SEBASTIANUS. (*Stans solus ad marginem scenae lente et intervallo loquitur*): Abiit! Est decertatum! Caelesti donatus corona ad cor patris requiescit. O mortem pulchram! Medius inter rugientes leones puer stabat regi similis. Sed lucida imago vallo visa est circumdata nulli cernendis manibus. Nam beluae ululant arenas verberant longoque flexu circumeunt. Tum ille acuta voce per alta silentia: «Panthera, – inquit, – Caesar, meum patrem perdidit, panthera coronam afferet et filio». Pantheram, iratus hisce, Caesar postulat; pantheram omnes circum sonant caveae. Et ecce, clathris recedentibus, silentio facto sollicitorum, in molli arena tamquam saltans prodit belua: nunc consistit – nunc raucum murmurat – assilit – caedit – calidus sanguis alte exsilit. Et somnus martyrii placide amplexitur palpebras. Pancratius vixerat! (*Mora*) Panthera se subduxit, ne membra tangerent! non ausa amplius! Martyr caelesti luce circumfusus, cruento tamquam corona gemmea respersus, in arena iacebat albida. Hic adolescentuli decorus exitus! Paucis annis consummavit multos. Vitam herois absolvit hodie. Se inimicos diligens ad necem obtulit.

(*Auditur ex longinquuo cantus psalmi: «Quam iucunda tabernacula tua, Domine exercituum». Voces paullatim appropinquant et funebris pompa in scenam prodit. Praecedunt quattuor Christiani cum cereis. Tum involutum Pancratii corpus, super quo iacent palmae rami. Feretrum deponitur in medio, pedibus ad spectatores versis. Ab utroque latere se disponunt Christiani. Sebastianus accedit, et replicato velo dicit:*)

SEB. Ergo tenebas, egregie puer, quod concupiveras. Dormi placide! Ergo, quem plurimum diligebam, me reliquist! Posthac, quum ego solus errabo per hortos, Pancratium mihi omnes murmurabunt rivuli, Pancratium loquentur cuncti ramuli. Tum respiciens, frustra requiret tuam oculus imaginem. Tantum ubi tacito in conditorio lucerna rubros per obscurum locum fundet radios, ubi aureis insculptum litteris in lapide est: «Pancratius martyr», illuc me ipse colloquiis Divinis consolabor. Illuc quiescat corpus amici martyris, qui me praecurrit in patriam. Illuc lacrimans levabo desiderio curaque animum. Adhuc erro per obscuras huius terrae semitas, progeniesque viperarum me circum sibilat. Sed praesagitt mihi animus me brevi apud te esse futurum. Ne sis oblitus mei, Pancrati! Vale! (*Corpus operit*).

SCENA II.

CORVINUS et DICTI.

CORVINUS (*exanimus*): Ubinam est? Ah! Ubi est? Me ad illum adducite, ut flexis genibus ab eo veniam precer.

QUIDAM. Post tempus venis; vita iam concessit ex corpore.

CORV. Post tempus me venisset... Quam ruit tempus, quod ne unius quidem usuram horae dederit!

QUIDAM. Ecce eum! Hic iacet (*Velum removent*).

CORV. O imaginem sanctam, et quae dolorem moveat! (*Super corpus ruit*).

SEB. Ergo tu Corvinus es?

(*Ad proximum numerum*).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

[23]

(Dr. Haberl)

e puer, quod con-
Ergo, quem plu-
it! Posthac, quum
Pancratium mihi
Pancratium lo-
n respiciens, fru-
mimaginem. Tantum
cerna rubros per
adios, ubi aureis
est: « Pancratius
quiis Divinis con-
us amici martyris,
m. Illuc lacrimans
animum. Adhuc
rrae semitas, pro-
reum sibilat. Sed
orevi apud te esse
i, Pancrati! Vale!

ICTI.

Ubinam est? Ah!
cite, ut flexis ge-
nis; vita iam con-
nissel... Quam ruit
em usuram horae

iacet (*Velum re-*
am, et quae dolo-
ruit).

lerator, Sponsor.


IS. VATICANIS.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus = Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De vera iuris gentium notione

Disputatum fuit a iuris peritis et a philosophis, imo et a theologis, utrum *ius gentium* reduci debeat ad *ius naturale*, an vero ad ius humanum quod *positivum* dicitur; indeque factum est ut aequivoca acceptance termini vulgo usurparentur.

Si *ius naturale* latissime accipiatur, pro iure quod provenit a natura finem apprehendente, seu pro iure quod natura omnia animalia docuit, prout definit Ulpianus,¹ manifeste differt a iure gentium; nam primum competit etiam animalibus, quibus convenit aliquem finem apprehendere et ex cognitione in illum se ciere ac movere; alterum vero solum hominibus inter se commune est.

Iterum, si ius gentium sumatur pro complexu legum, quibus necessitudines gentium inter se reguntur, potius ad *ius positivum* reducitur, quatenus fuerit hominum placito et consensu paullatim conditum et sancitum.

At si sumatur ius gentium eo quo fuerit a maioribus sensu usurpatum, iam ad ius naturale refertur; sicque fuit a iurisconsulto Gaio recte definitum: *Quod natura-*

lis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur vocaturque ius gentium. Quam definitionem approbat laudatque S. Thomas, animadvertis quoque ea quae sunt iuris gentium non indiguisse communi populorum condicto, sed ab ipsa natura ortum duxisse: «Quia ea quae sunt iuris gentium, naturalis ratio dictat, puta ex propinquuo habentia aequitatem; inde est quod non indigent aliqua speciali institutione, sed ipsa naturalis ratio ea instituit».²

Origo iuris gentium ex historia iuris Romani innotescit. In principio quippe civitas ius non concedebat nisi iis, qui ad ipsam civitatem pertinebant, ac proinde nondum erat nisi ius civium, quod properea ius *civile* dictum est.

«*Vocatur ius civile*, ait iurisconsultus, *quasi ius proprium ipsius civitatis*».³

At, quia deinde oportuit paullatim cum extraneis coniunctionem et commercium haberi, iam fuit inductum ius quoddam *gentium*, quo scilicet necessitudines cum ceteris gentibus regerentur. Hinc tripartita divisio, quae etiam in *Institutis Iustiniani* (lib. I, tit. 2), refertur: *De iure naturali, gentium et civili*.

Verum ius gentium, dum a iure civili apprime est distinctum, adhuc comprehen-

¹ Textus ULPIANI, sicut et definitio GAI mox referenda, reperiuntur in *Institutis Iustiniani*, lib. I, tit. 2, *De iust. et iure*.

² S. THOMAS, *Summ. Theol.*, II^a II^{ae}, q. LVII a. 2, ad 3.

³ *Institut. Iustiniani*, loc. cit.

ditur sub iusto naturali, prouti exponit Doctor Angelicus.¹ *Naturale* enim dici potest et debet id quod *naturalis ratio* inter omnes homines constituit. Iam vero ius gentium a veteribus definitum est: id quod *naturalis ratio* inter omnes homines constituit quodque apud omnes peraeque custoditur. Recte igitur potest ad ius naturale referri.

Non dicitur «naturale», quasi proprie de principiis primariis aut secundariis, vel de conclusionibus absolute ac prorsus necessariis esset, sed quatenus est de iis conclusionibus, quae naturali rationi ita congruunt, naturalemque aequitatem ita decent, ut nemo rite excutus audeat illis contradicere, sed apud omnes peraeque retineantur.

Ita sentire videtur Leo XIII. Ius enim dominii communiter ad ius gentium reducitur, et tamen ius illud dominii et proprietatis praedictus Pontifex naturale pronuntiat, dum dicit socialismi placitum *naturalibus singulorum iuribus repugnare*,² et expresse docet: «Ecclesia ius proprietatis ac dominii ab ipsa natura profectum, intactum cuilibet et inviolatum esse iubet».³

Quod etiam confirmat Pius XI, dum agnoscit in iure gentium *sanctitatem* quamdam inditam, quam sola Ecclesia custodire potest, quaeque idecirco altior est hominum institutis, sed naturali iuri ceu fundamento innititur: «At divinum est institutum, quod *iuris gentium sanctitatem* custodire potest; institutum scilicet et ad nationes omnes pertinens et nationibus supereminens omnibus, maxima quidem praeditum auctoritate ac plenitudine magisterii venerandum, Ecclesia Christi: quae una ad tantum idonea munus apparentum ex divino mandato, tum ex natura ipsa et constitutione sua, tum denique e tanta

saeculorum maiestate, ne belli quidem tempestibus oppressa, sed potius mirabiliter aucta».⁴

Hac retenta notione iuris gentium, intelligitur quam utile foret haberi pro universis gentibus communium quemdam *Codicem legum*, his consonum temporibus, in quo collecta fuerint et pracepta iuris *naturalis* vel *ethicae christiana*, ubique ac semper, sive pacis sive belli tempore, inviolate servanda, et leges quae aut necessariae aut cum necessariis connexae videantur, et illae etiam quae ex publicis populum pactionibus aut usibus communiter seu peraeque ab omnibus custodiuntur.

Attamen, quamquam ad ius naturale ius gentium reducitur, haud inepte potuerunt non pauci philosophi ac theologi illud posse ceu partem *iuris humani positivi*, quia reapse apud omnes vel fere omnes gentes ex condito fuit sancitum: scilicet gentes universae, a *posteriori* et factis, illas leges seu conclusiones approbarunt aut confirmarunt, quae, a *priori*, sive deductione sive spontaneo iudicio, e principiis iuris naturalis eruuntur, velut inconcussae et immutabiliter tenendae.

Quicquid vero fuerit, denique curandum erit, prout exponit idem Pius XI in eodem documento, ut, publicis privatisque moribus emendatis, sanctiusque institutis, omnia Deo, qui «intuetur cor», plene subiecta, eiusdem et doctrinis et legibus penitus informentur, atque ita omnibus sacri conscientia officii imbutis animis hominum, sive privatorum sive principum, ipsisque ordinibus publicis civilis societatis, sit omnia et in omnibus Christus.

Sicque instaurato iure christiano, ius naturale et ius gentium plenius innocent, et efficacius custodientur ac vindicabuntur.

P. EDUARDUS HUGON, O. P.

¹ V. *Ethicorum*, I. XII.

² Encycl. *Rerum novarum*, 15 maii 1891.

³ Encycl. *Quod Apostolici numeris*, 28 dec. 1878.

¹ Encycl. *Ubi arcano*, die 23 decembris 1922. (*Act. Apost. Sed.*, XIV, 689).

FLAVIUS LUDIMAGISTER¹

«Hei mihi quam multis extractum rure fatigant, expedienda premunt hinc inde negotia curis, cumque tuis aliena: nimis Venusinus ab Urbe pagus abest. Discedentem te namque moderantur sexcenti, officium poscunt, dant munia: Flavi, de re consultum, oro, mea, quam novit agendum, Aulum adeas,, — “Tibi forte datur si cōpia Tarpea, fabula, quaeso, roges illi num nostra prospiciat, — Si quid habent Sosii, quod nuper propositum adfer, praecipue nostri, quo nos iactamus, Horati. Sic omnes; Urbemque petens, pagi fit asellus totius, ut sua ni satis eheu! pondera vexent, me vero... tristes cui iam venere Kalendae, quemque domi Russo expectat canis ore trifauci! Haec quidam, medius vadens per compita, secum aiebat tacitus festinabatque secunda ad Puteal. Laeto iam fervens omne populo cooperat esse forum; passim tunicisque compleri, variis perstringi vocibus aures, tum pede pes offendit, urgueri poplite possumus. Ille tamen, quamquam proiectae aetatis, in arcto eluctans, tandem spatium devenit apertum. Nescioquis viso occurrit, presumque sa- luta-

dextra; tum “Quid agis, Flavi? rectene? [morantem dum, fateor, maneo te totam hic irritus [horam, tardos in ludo rebar mulcare puellos,, — “Parce mihi, sero nam me tenuere profectum multa, nec ipsa quidem momenti tempora parvi. Res autem quo nostra loco?,, — “Male,, Caprius inquit «cessit: quaerenti aes totidem venere repulsa... Ne vero spem deponas, huc, forsitan, unde aes habeas, aderit, quem nosti, Sulcius... illum opperiamur». —

«At ut veniat vel prosit egenti praemetuo: leviter promittere fertur et idem non praestare fidem, mendax nec in aere repertus est semel iste mihi. “Nummos cras,, inquit “habebis; dispeream...,, “Nihil est igitur quin pollucear?..., “Nil,, Convenit, obstrictaque fide cras verba daturus, aut mage nullus adest!... Hodie quo more gerat se, ipse vides». —

«Iustum rogem qui solus oberrat?» (quendam crine rubrum, demissa veste nec ipsum ingenua facie, similem indicat expectanti) sacculi enim cunctos possit depellere [morbos, si velit...»

«Hunc ais?»

«Huic, huic es sanbilis, inquam».

¹ Vide, sis, ad Horat (SERM. I, 3, 86).

« Aegrotos, ut opem medicae det scilicet
partis
hic manet Hippocrates!!!

Duo mox iuvenes
[nebulonem

accedunt, sermone serunt convicia longo,
itque reditque via ficta vir bile dulosus,
abnuit, instat; at illi ius negitare, minari...
Tum Caprius: - « Tantae quos percit im-
petus irae,
huic equidem debent». -

« Cui? »

« Fuffidio »

- « Mihi notum
non ita rebaris, velles me tradere ut isti
quinas qui capiti mercedes exsecat, atque
quanto perditior quisque est, tanto acrius
urguet? »

Nonne meus sermone notam modo Flaccus
innotescat? - « Innotescit, et non
istius? Tantumve a Roma nos credis abesse
prosors ut ignoremus, si quod nomen ha-
betis?... »

Tirones ...igitur?... »
- « Sub duris patribus! »

- « Eia, digrediamur; enim serum frustretur ad
usque Sulcius occasum, magna que hunc bile la-
borum prospectans: alius miserum fortasse iuvabit,
et mihi Rusonem quarta iam parte diei
praeterita stat adire, tribus me possit et horis
sors auferre malo». -

Tum vadit, et illa locutum
prosequitur Caprius, Putealque forumque
relinquunt.

At Flavi haec inter menti obversatur euntis
quae nullis gaudere bonis fortuna dedisset,
sed dura extremis urgueret saeva diebus
pauperie: tot enim puerorum industrius
nil praeceptor habet, senior nil invenit
nomina quo expediatur, dirum placetque
danystan.

Num credit quisquam, ludo si noverit
ad maiora meo Flaccum prodisse, daturum,
ingressum, me auctore, viam, decus omne
qui Lucilius alter adest iam nomine in Urbe,
nec minus interea natalis gloria pagi? -
Talia volventem subito comes occupat: « Ecce
Maecenas! » - (curru vectus de more pe-
tibat Esquiliis) -

« Quis » ait « secum? »

« Videsis »

Ubi primum
dispexit, Flaccum cognoscit. - « Tantus at
illis usus amicitiae, libertino patre natum
ut satus Etruscorum alto de sanguine regum
in numero hunc habeat, populo spectante,
sublato velit et raeda tam comiter uti? »
« Septimus octavo propior iam mensis
ex quo fas illi magnos contingere divos,
munere Vergilii, qui primus tradidit: anne
scriba, rogo, satiras faceret quaestorius
[unquam? »

Ventum erat ad Iani et Vertunni: praete-
reunti
libros exculta clamabant fronte columnae:
ex omni tunc parte homines ad bibliopolas
ire redire, frequens Sosiorum murmur in
umbra crescere, et alterno strepere a sermone
[taberna.

Interdum Flacci nomen veniebat ad aures
Lucili adiunctum, quem illi cessisse fatentur
plurimi, et hoc ipsa quea mane novissima
prodit, evincunt satira. Relegunt iterumque poetam,
qui genus intactum Grais perfecerit, omnes
unanimi clamore extollunt. Quae simul
audit

Flavius adridens vacua consistit in umbra,
laude et in antiquum conlata gaudet alum-
[num.

Sed Caprius parvo caussatur tempore multa
expedienda sibi, ceditque benigna locutus:
« Te, Flavi, ad cenam supremo sole manebo:
deque tua quid re dicam? Auscultes mihi:

[quando,
quod debes, nullo Rusoni solvere pacto
possis, huic capitatis mercedes pende...»

- « Negabit!... »

- « Si clamet, si oculos distorqueat ille,

[minetur
quicquid, ne timeas, obsiste; domabitur:

[audie! » -

Sic ait, et properans discussit. Nec minus

[intus
de Flacco resonant certamina docta; senex

[tum
ingreditur, solaque sedens in parte, quod

[emit
sic legere: *Omnibus hoc vitium est canto-*

[ribus... infit.

Iamque notabatur facilis dementia Maeni,
cum quidam vario resonam sermone taber-

[nam
corporis exigui, praecanus inicit. Et illi
adsurgunt, ad sese voce manuque receptum

Flaccum omnes salvere iubent. - « Nil pul-

[crius isto
te fecisse, meam » quidam inquit « iuro

[Lycorin,
carmine, nilque puto latiae fore tale

[poësi! » -

Leniter adridens: - « Nimio tu, Galle, mo-

[veris »

Flaccus ait « studio nostri, quem praeterit

[esse,
cui magis adspirent sacro de vertice Musae,

et quo nitatur romanae gloria linguae.
Parthenope nunc dulcis alit praecepta ca-

[nentem
Ascreai senis... Italianam iam laudibus ornat,

magnam iterum frugum referens pecorum-

[que Parentem! » -

Tum Maro in alloquiis illorum protenus, et

[quaes
condiderit, quae per Sosios mox edere

[curet,

quem novisse putant, Flaccum perquirere
[cuncti.

At senior satiram volvens et totus in illa
ora premit solus, subito cum verba legen-

[tem
suspendunt animo: *Rusonem debitor aeris...*

Haeret et: « Hac monitus ratione » ait « utar

[in ipsum! » -

Nec mora; discedens oculis bonus usque

[paternis
aspectat Flaccum, et veteri vetus ipse ma-

[gister
optat discipulo vincentem saecula famam.

Inde duas vacuas tota horas urbe vagatus,
et postquam parca ientavit rite popina

ad Rusonis carpit iter, dum mente recurrit
quae dicat faciat. « Malus si forte danysta

exigat ut numeretur tota pecunia, clamet
sese passurum nullo aes augescere pacto,

quem pietas nequeat, scribentem carmina

[laudes,
quo tu, Flacce, modo tradis, mulcere vale-

[bunt! » -

Sic secum meditans devenerat ostia. Pulsat,
ingreditur, tristique sedentem ad scrinia

[voltu
humane salvere virum iubet; assidet inde,
rem exponit, quibus et nequeat tunc sol-

[vere nomen
percensem causas... Mirari Russo... negare...
et se iussurum, ni praesens debita pendat

omnia, quae in pago teneat, venire sub

[hasta...
- « At... »

- « Nihil excipio, mercedes respuo,
reddere ne cunciteris ». -

« At ista quidem, optime, ab illo,
quem tibi dant animo, quaeso, reor absona

[dicta!

Vates, quod nuper novi, fera pectore gestas
corda ut me ingenuas excultus, Russo, per

[artes
vexari iubeas, sacrisque sororibus idem
et Phoebo carus, qui nil nisi dulce secun-

[dat? » -

Quae auscultans iram sensim mollire, benignos sumere Russo animos, omnem deponere [nubem, dentibus atque carens risu diducere rictum.

Tum: «Mea sed claves servant hic carmina, paucis evolvenda quidem» (parvam digito indicat [arcam).

— «Non facias quicquam mihi gratius» inquit «aventi Flavius «ista velis si me cognoscere...»

Et ille quaerere, et ex arca promptum recitare volumen: hic patiens audire, ad caelum extollere [mendax.

Desierat iam Russo legens: cui creditor [eset aeris, nunc laudum fit debitor ipse; ro[ganit annuit ut detur sexto inde pecunia mense. Flavius interea quae legit mane volutans: Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici ad Capri properat, primo iam vespere, [coenam.

ALAFRIDUS BARTOLI.

Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux

— Estne mortuus *Subalpinus* noster? — Minime, lectores humanissimi! Imo vivus sum, et sic me Deus adiuvet, diu me victorum esse promitto.

— Cur itaque tamdiu siluisti?

— Venio, lectores, iterum mansurusque polliceor, et subito voluntatis meae et benevolentiae documentum aliquod dabo.

Apud Alpes Cottias enim, quin imo Augustae Taurinorum, magnus fit his diebus peditum equitumque strepitus, non equidem ad bellum gerendum, sed ad laudem Emmanuelis Philiberti, ducis Sa-

baudiae, instaurandam, qui saeculo decimo sexto praeclaris gestis et virtutibus, insignem sibi gloriam comparavit, patrium dominium ab externo dominatu vindicavit, omniumque sermone percrebuit.

Emmanuel Philibertus, Caroli III ducis filius, abhinc quadringentos annos Augustae Taurinorum natus, bellicae vis laudibus inclarescens, ephebus factus, ita palestrae dare operam coepit, ut non tam magnitudini virium serviret, quam velocitati: illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. In armis vero plurimum studii consumebat. Unus ex novem fratribus patri superfuit, in cuius vita totius civitatis salus nitebatur.

Ad difficillima enim tempora reservatus fuerat Carolus III, princeps ingenio mitis, clemens et pius, qui ex bonis initiiis malos eventus habuit. Quum autem suapte natura pacis studiosus, se integrum a discordiis vellet servare, quae inter Caesarem exardescabant et Franciscum I, Gallorum regem, uti fit, in utriusque offenditionem incurrit.

Quam ob rem, curis confectus, et vitae iam pertaesus, Vercellas commigravit, quae urbs illi in Subalpinis una reliqua erat, ibique occubuit anno MDLIII.

Quae cum ita essent apud nos, haud est abs re dicere quod Thomas Vallaurius, immortalis magister meus, et optimus sui temporis latinarum elegantiarum arbiter, refert: «Actum erat de Principibus Allobrogicis, nisi Deus virum excitasset fortissimum, maximique consilii, qui rem subalpinam, profligatam ac pene perditam, praeter omnium opinionem virtute sua restituit».

Emmanuel Philibertus is est, qui octodecim vix annos natus, quum paternam ditionem a Gallis teneri videret, ad stipendia se contulit Caroli V hispanici, sperans fore, ut aliquando patriam ab hostibus vindicaret.

Ipse enim patris exemplo optime doctus, in illis rerum asperitatibus, solatio utebatur, quod singularem totius civitatis voluntatem atque immobilem erga Augustam Domum fidem perspiceret. Et cives in eum unum oculos flectebant, qui opportunitate usus et virtute, rem universam subalpinam in suam ditionem redigeret.

Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo religiosus diligens, ut ne ioco quidem aut leviter eius ritus asperneretur. Subditorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut iudicari possit omnia ei cum subditis fuisse communia.

Ast prae ceteris, domestica matris consuetudine et sanctissima magistrorum disciplina excultus, ita ingenii celeritate et benigno eloquio omnium animos in familiari consuetudine sibi devinxit, ut recto et constanti iudicio rerum humanarum levitatem respiciens, pietate in Deum, caritate in suos maxime eniteret. Sic quoque singulari mentis acumine florescebat, ut pene puer de se non modo spem, sed fiduciam omnibus adferret.

Sed quid ei reliquum erat? Allobrogicae et Subalpinae regiones, per annos amplius viginti externis armis vastatae, acerbissimis stipendiis multatae, atque incensis partium studiis dilaceratae, luctuosum ipsis hostibus spectaculum praebabant. Ita princeps singulari mentis acume florescebat, ut vel a teneris non modo spem sed fiduciam de se adduceret. Atque adeo ut suis rebus et Subalpinis sic laborantibus aliquo modo prospiceret, solus, uno Sabaudorum nomine fretus, ad arma capessenda unice vocatus, ad Caroli V stipendia alacer volavit.

A suis profecturus ad sepulcrum patris se contulisse fertur, ut ab ipso supra salutis monita, in aevum ei profutura, acciperet, quam ad Franciscum primum. Quod erat in fatis!

SUBALPINUS.

illoque loco plurima eum docuit Pater! Iuvat in mentem revocare illud Vergili: *Disce, puer, virtutem ex me, verosque labores! Sed te Deus aliquando fortunabit!*

Nec sua illum spes fecellit.

Namque fractis Subalpinorum opibus, quum regni restituendi iam nulla spes esset quam in armis, Emmanuel Philibertus, pene puer, at animi vi quietis impatiens, singularis in periculis adeundis consilio inter pericula inclarescebat, et multa ex ore quaeritabat, multa quoque ex suorum historia curiosius feliciterque arripuit. Quo factum est ut, in ipso aetatis flore, in primis rei militaris scientia percrebaseret.

Ad haec, fortis et tenax propositi, princeps non ad praelium se portendere dicebat, sed potius ad atavorum regnum obtinendum. Et suos illacrimantes ex patria decedens laeto animo esse iubebat, et brevi, relatis de hostibus triumphis, ad gentem suam in libertatem vindicatam reversum esse praedicabat.

Nec frustra loqui eum putabant neque inania captantem.

Puer enim inter aequales vel ludens in puerili consuetudine quod diceret, ve- lint nolint socii, obstinato animo, actu perficere nihilominus portendebat.

Quo facto vel inter pueros cognomento ferreum caput appellari consuevit.

Ad haec praeclera naturae munera, veluti cumulus accedit, insignis in Augustam Matrem pietas et fiducia. Haec vero devotio naturalis quodammodo est ingenita magnae Sabaudiae Domui, cuius potentia auxilio multas eosdemque insignes victorias de hostibus delatas libentissime obtulerunt.

Atque adeo, opportunatatem belli arripiens, inter Franciscum primum et Carolum quintum exardescens, optimum factu noster reputavit si ad acies potius Caroli convolaret et eximia eius stipendia acciperet, quam ad Franciscum primum. Quod erat in fatis!

De romano coemeterio S. Cyriacae ad aedem S. Laurentii Martyris extra portam Esquilinam.

Ad aedem S. Laurentii extra Moenia situm est Coemeterium, cui a S. Cyriaca nomen inditum; quod cum subter Veranum Campum, tum circa aedem, quam supra diximus, transversis cuniculis longe lateque protenditur.

At temporum diurnitate hominumque incuria novisque desuper exstructis sepulchris adeo erat labefactum, ut explorantibus impervium esset, immo periculosum vulgo haberetur.

Itaque Sodales Capulati Subalpini, ab anno millesimo nongentesimo vicesimo tertio huic perantiquae ac sacrae aedi, P. Leone a Calusio Maiore Curione, praepositi, tutum per Coemeterium iter, multo sane labore atque cura recens patefecerunt. Sed aliquid de Coemeterii initiosis dicendum est.

Satis constat, haud dubiis monumentis, quemadmodum *Liber Pontificalis*, *De Locis Sanctorum Martyrum*, aliisque pluribus, insectante Christianos Valeriano Imperatore (253-258) S. Laurentii corpus, opera Cyriacae matronae, inter Romanos nobilissimae aequae ac pientissimae, in Ipsius praedium, cui nomen Verano, secus Tiburtinam viam, translatum esse atque sepultum. Exinde magnum huic coemeterio decus tributum, adeo ut a S. Laurentio vulgo appellaretur.

De Cyriaca autem alii alia tradunt, sed iis adsentendum, qui Christianam Tobiam nostram prodidere ad S. Mariae de *Domnica*, quae suae erat dicionis, habuisse domum, pro Christo deinde, cruciatam ad S. Laurentii aliorumque Martyrum exuvias materna a se pietate collectas pariter conditam, et Sergio II Pontifice Maximo (844-847) invadentibus ac diripientibus Barbaris sacras aedes et coe-

meteria extra Moenia, ad S. Martini de Montibus, proprius translatam.

Nemo autem arbitretur hoc Coemeterium a condito primitus ibidem Romano Levita habuisse initia, sed illud multo ante exstisset plura testantur monumenta. *Liber Pontificalis* haec refert: «Supradictus autem B. Laurentius in Coemeterio Cyriacae in Agrum Veranum, in crypta cum multis aliis Martyribus sepultus est».

Constantinus nomine Magnus, primus Christianorum Imperator ac Defensor inclytus, primaevam Martyris basilicam aedificandam curavit «supra Arenario ad corpus S. Laurentii». Quibus ex verbis liquido patet multis antea Martyribus ibidem sepieliundis iamdiu adlectum fuisse locum.

Omnes praeterea norunt secus Consulares vias, quibus iter Roma in provincias patebat, suevisse Romanos extrahere sepulchra et fodere hypogaea, quorum plura hodie ad Tiburtinam Consularem viam effodiuntur ac conspiciuntur, quae primum et alterum saeculum non obscure produnt. Huc accedit quod coemeterium visentibus atque explorantibus quaedam proferuntur latera, loculos occludentia, quae nomina praeferunt insculpta Marci Aurelii (161) itemque Severi (191) Romanorum Imperatorum; plures quoque Inscriptiones, quarum alias *capitalibus* exaratae literis ab Augusti ad Traiani tempora fere usurpatae, alias graecis pariter literis expressae, uno et altero saeculo passim adhibitis, alias brevissimae omnino, ut mos primis erat Christicolis in suorum dedicandis sepulchris defunctorum; lucernae denique sepulchrales, quae forma admodum sunt rudi, quippe quibus primus Romani utebantur.

Ex hisce ergo indiciis atque inscriptionibus, quae parietibus Laurentiani Coenobii intra claustrum affixaes patent invisentibus atque cognoscendae, iure meritoque colligi potest, ut disertissime praefatus

est P. Iosephus Braydensis sacris monumentis exquirendis apprime deditus, coemeterium a S. Cyriaca appellatum praecessisse Laurentiana tempora.

Per octavum atque nonum saeculum multa cum in Urbis, tum in Orbis Catholicli sacras aedes translata sunt sanctorum corpora Martyrum ex Coemeterio S. Cyriacae, quod a crypta potissimum S. Laurentii ad sacellum S. Cyriacae fuit perpetuo invisentibus pervium.

Liber autem Pontificalis refert Hadrianum huius nominis Primum (772-795) renovasse undique Ecclesiam S. Stephani cum coemeterio B. Cyriacae, ceu ascensum eius.

Huius ergo Pontificis eximia ac singulari opera sive aedes S. Stephani, quae olim erat in editiori colle, cui hodie *Pincetto* nomen, sita, sive coemeterium B. Cyriacae redintegratum, quod perinde humandis corporibus semper patuit, ut argumento sunt plures Inscriptiones quae e. g. Senatricem Maroziam, matrem Ioannis XI clarissimam, et nonnullos Ioannis XII Pontificum agnatos, quos inter Landulphum adolescentem, memorant. At parum absuit quin hoc coemeterium, aliis non exceptis, plane, fluentibus saeculis, pessum daretur. Barbari enim et hostes, Romanum passim agrum populandi, coemeteria in primis atque arenaria Urbem circum locata semper petiere, inhiantes praedam et thesauros ibidem forte delitescentes, atque vastitatem non agris modo, sed imis quoque terris circumferentes.

Cuniculi quoque ipsi cryptarum longe lateque atque transversim patentes, iniuria partim temporis humoque sua vi delabente, pluvialis partim aquae guttulis et arborum radicibus sese altius immittentibus sensim labefacti sunt, adeo ut perlustrantibus impervii ac periculosi fierent.

Sed erat provisum divinitus ut Romana coemeteria, quae tot sacras priorum Chri-

sti fidelium exuvias continebant, quaeque tot exorientis Ecclesiae dogmata ac doctrinas testabantur, non omnino delaberentur et germana perantiquae fidei argumenta praebherent posteris refragantibus.

Ioannes Bapt. De Rossi namque, vir clarissimus quem honoris causa appellavere Sacrae Romae cunicularis Columbum, atque Archaeologiae parentem, reperit, quod iam saeculis XVI et XVII prospexerunt Bosius atque Boldellius, clarissimi quidem ac benemerentissimi viri; quorum eximium perquirendi vetera sacra opus persequutus est Marucchius, quem tot in hanc sacram artem merita decorant. Omnes hi praeclari ac studiosissimi homines in coemeterium S. Cyriacae intenderunt, Marucchius in primis, qui a Romanis Decurionibus impetravit ut coemeterio parceretur, collataque stipe plures in idem fierent inquisitiones.

Repertae tum inscriptiones aliaque exquirentibus utilia ac memorabilia, partim in Lateranensi Museo, partim in Laurentiani claustro coenobii, quaedam in promptuario Verani Campi nunc diligenter asservata ut invisentibus ac studiosis praesto essent.

In hoc autem coemeterium bini erant ingressus ex edito colle, cui *Pincetto* nomen; at Sodales Capulati, coemeterii Redintegratores tertium ex coenobii Claustro aperuere aditum visuris coemeterium faciliorem ac commodiorem totumque circa aedem a Pincettiano semotum multa cura ac labore tutum ac pervium reddiderunt; quod in maius patens atque Consularem Tiburtinam viam praetergressum frequentes admirantur perlustrantes.

Hanc enim viam ab Aurelianis primum moeniis ad S. Laurentii recta tendere atque laeva, Pincettum collem tenere medium et inde ad pontem, cui vulgo nomen *Mammolo*, uerbemque Tibur perducere, nonnulla sepulchra atque vestigia ethnicam superstitionem referentia plane ostendunt,

Quamquam autem vetabantur legibus Romani cuniculos subter Consulares vias perducere quod sacrae omnino essent, tamen quum totus Veranus ager unius esset dicionis alteram cum altera parte, patefactis cuniculis copulatam esse, mirum non videtur.

Huius autem coemeterii, transversos cuniculos, anfractus varios, arcuatas celulas, inscriptiones non paucas, atque ethnica funereum cellulam figuris Bacchi, Herculis, Apollinis varie depictam, a pluribus annis diligenter explorat P. Iosephus a Brayda, quem supra memoravi, cuius curae et studio pro meritis fructus in dies amplissimos ex animo ominamur.

FERDINANDUS AB AVILLANA, O. M. C.

oo

PISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

EMMANUELI JOVÉ ab ANDREA AVENARIO sal.

Etsi vereor, ne tibi subdiosae sint litterae meae; tamen a nostro alternandrum epistolarum instituto cessare, priusquam tu ipse id velle significaveris, in animum inducere non possum. Aperiendum etiam aliquando est; quae res tuam vehementer pupugerit curiositatem. Aperiam autem post, quum dixerim de vocabulis et iam propositis et adhuc propoundendis.

Strigilem recepto, retento tamen etiam frumento.

Tornus placet, quia res nova novi ius habet nominis.

De caelo in tempore admones, et est aptissimum familiari sermoni vocabulum. Sed in meteorologica disputatione malum aut Graecanica *atmosphaera* aut meliore aliquo verbo uti.

Sed etyma putaveram autem ea esse vocabula, quae cum mutatione minima ab

ipsa radice processissent. Forcellinius tamen et Gellius me adducunt, ut etymon verbi radicem intelligam.

Quod obtulisti *saltatorium* minus patiuntur aures meae. Nam ubi audivi saltatorium, ulti cogitare incipio de saltando, et omissio substantivo, magis de loco, ubi saltatur, quam de ea tabula, in qua, qui equuleum transiliunt, postremum ponunt nisum. Non minus *saltatorium*: ubi salitur indicare videtur, non illam tabulam. Quae quum ita sint, et quum hoc adiectivum nomen, quod est *salticus* iam a Tertulliano usitatum sit, *trampolinum Lusitanorum*, *saltica* (sc. tabula) esse possit. Quidquid est, certe opus aliquo eius rei nomine. Nam in hodierna gymnasticorum instrumentorum frequentia illa quoque tabula petitur et in multis piscinas vergit eiusmodi lignum, unde se in aquam praecipitant natantes.

Venio ad *base-ball* et *foot-ball*. Hoc *folliludium* appelletur sane, nam vere gummeus follis, inflatus, tectus involucri pedibus agitatur collusorum. Contra illi, qui *base-ball* ludo dant operam, primum parva pila ex solido gummi facta utuntur. Deinde haec feritur ministrata ab aliquo clava. Qui tertio vel aëra vel pilam verberavit, is necessario in pedes se dat, ut tres ex ordine bases, hoc est positos ad rhombi angulos lapides, tangat. Totum spatium emenso iterum verberandi comparata potestas est. Ergo propter istos lapides, quasdam quasi bases, inditum id nomen est.

«Operatio Caesarea» nisi fallor, communius *sectio Caesarea* vocatur.

Protendiculum vehementer placet.

Nostrum illud *Stütze* est *fulcrum*. In hoc *Ständer* adhuc laboro. Nam vix *portaparapluies* reddas «palum tectorum pluvialium». Haud scio an *statumen* talium tegimentorum rectissime dixerimus. In vocabulario Lusitano-(Hispanicum ad manum non est) - pro nostro: *Stativ* «susten-

taculum» invenio. Vide et considera, possumusne illud *porte Gallorum* reddere sustentaculo, receptaculo, receptorio. Sustentaculum autem photographicum semper *tripodem* appellabo.

Cursum equinum ubi legi, nihil cogitare potui, nisi equorum cursum, parum igitur significanter, parum propriè sic nominari rem illam.

Et haec quidem habui, quae responderem. Quum haec ipsa iam ultra epistolae modum creverint, quae vicissim interroganda statui ad proximum numerum difero. Tu interim etiam atque etiam vale.

PRO IUNIORIBUS

De verbis irregularibus schola.

Quum ante has hebdomas quattuor in grammatica latina ad eā verba venisset, quae irregularia solent dici verba, ut eorum perspiceretur inclinatio, Latine proponendae erant leges, quibus ex eorum radicibus singulæ formæ existerent. Quae igitur tum in eam rem præfati sumus, etiam aliis rati iucunda esse cogniti, exscribenda deditus ALMAE ROMAE. Quotum enim quemque hodie invenias, qui ita se dederit linguae Latinæ, ut adolescentilis etiam grammaticam verbis conceptam Latinis proponat? Atqui hoc fere ALMAE ROMAE propositum est: re et exemplo ostendere Latinam linguam idoneam esse ad exprimendas omnis generis res.

Iam commentariolus noster fuit huiusmodi: Priusquam ex vobis quaeram formas primigenias eorum verborum, quae verba vocitantur irregularia, ea placet præfari, quibus intelligatur ea verba suis adstricta regulis irregularia non iure dici. Id vel ex eo elucere videtur, quod, ubi grammatici paradigmata exponunt coniugationem, tertiae coniugationis exemplum

sumere coguntur ex verbis irregularibus. Sed age, eamus in rem.

In singulis verbi et finiti et infiniti formis binas habes partes, radicem verbi et terminationem. Radix dici potest primum verbi elementum vel principium; terminaciones signa sunt temporum, modorum, personarum, radicibus adglutinata. Radix aliquando cadit in vocalem, aliquando in consonam, ut sint coniugationes radicum vocalium, et sunt verba coniugationum primæ, secundæ, quartæ, et radicum consonantium, quae tertiae coniugationis sunt omnes.

Est ubi radix consona - hanc breviter dico radicem exeuntem in litteram consonam - flniri videtur vocali, hoc est u littera, quae tamen, quod aliquando, ut post viderimus, cum v consona commutatur, non est, cur moveamur.

Iam in coniugandis verbis aliae formæ derivantur ab radice præsentis, aliae ab radice verbi. Diximus radicem verbi elementum vel principium. Est autem commune omnium formarum verbalium elementum, a quo dicitur etiam præsentis radix. Haec est illa pars infinitivi imperfecti, quae dempta terminatione, hoc est ere, restat. Et ne forte credas de una tertia me loqui coniugatione, quippe quam solam in ere exire videas: omnium infinitivorum terminatio ere fuit; contractione factum esse ex *ama-ere amare*, *ex-dele-ere delere*, *ex audi-ere audire*.

Et in ea, quam coniugationem vocalem nominavi, radix præsentis non differt ab radice verbi. Ex eadem enim radice, quae est, *ama* habes *ama-re*, *ama-vi*, *ama-tum*; ex eodem, *dele* *dele-re*, *dele-vi*, *dele-tum*; ex eodem, *audi* *audi-re*, *audi-vi*, *audi-tum*.

Sed saepè in coniugatione consonantium radicum aliud est principium præsentis, aliud verbi. Nam saepè, priusquam terminaciones præsentis et earum formarum quae ex præsenti nascuntur accedant, radicem verbi augeri necesse est addita-

mento vel accessione. Et sunt augmentorum praesentis genera quattuor.

Vel enim ad verbale principium, quod littera finiatur consona, apponuntur *a*, *e*, *i* vocales, quibus additis verba partim in aliam transferri coniugationem appetit. Sic perfecti forma verbi, quod est *iuvare* intelligas radicem eius verbi esse *iuv*; cui syllabae in praesenti additur, *a* vocalis, ut radix praesentis efficiatur *iuya*, ex qua, quae forma procedunt, flectuntur ut *amare*, primae certe coniugationis, quod verbum est. Radix verbi *videndi* est *vid*. Cui apposita *e* littera, radicem praesentis efficit *vide*. Radix *saepiendi* est *saep*. Aucta *i* littera, erit *saepi*.

Aliarum radicum verbalium pro praesenti postrema duplicatur consona, ut in his: *pel*, *mit*, quorum perfecta esse scis: *pe-pul-i* et *mi[t]-si*, quorum praesentia sunt, *pell-o* et *mitt-o*.

Aliquando interponitur *m* littera vel *n*. Sic tangendi et rumpendi perfecta exhibent radices verbales, *tag* et *rup*, praesentium radices sunt *tang* et *rump*.

Quartum genus est, quem ad radices verbi, ut radix sit praesentis, adiungitur vel *n* littera, ut in *cernendo*, cuius radicem *cer* esse perfectum, quod est *cre-vi*, demonstrat, vel *t* additur, ut in *flec-t-endo*, cuius perfectum est *flexi* pro *flec-si*, vel additur *u*, ut ad *coq*, *coquendi* radicem, vel *sc* quum praecedit vocalis, aut *isc* post consonas, ut in *tepe-sc-endo* et in *in-gem-isc-endo*.

Iam dicendum est, quomodo ex verborum radicibus producantur formae perfecti. Duo sunt perfectorum genera: eorum, quae recte, quod ipsum verbi elementum *i* terminatio sequitur, primitiva appellaveris, alterum genus compositorum est.

Perfecta igitur primitiva existunt vel reduplicatione, vel productione vocalis, vel nulla radicis mutatione.

Et reduplicatio quidem haec est, ut primam radicis litteram, auctam aliquando

e vocali, aliquando ipsius radicis vocali, ipsi radici praefigas, ut, si radices sint, *tend*, *cad*, *mord*, *spond* perfecta accipias: *te-tend-i*, *ce-cid-i*, *mo mord-i* non *sponsa-i*, sed *spo-pond-i*. Tene autem reduplicari plerunque tantum simplicia verba, non item composita, ut dicamus: non *respo-pondi*, sed *respondi*.

Productae vocalis exempla habes haec: ex radice *ed*: *ed-i*, ex *em*: *em-i*, ex *cap*: *cēp-i*, ex *iuv*: *iūv-i*, ex *āg*: *ēg-i*, et vides producendam vocalem nunc mansisse in perfecto eandem, nunc abisse in alteram.

Nulla appetet radicis mutatio in his perfectis: *vert-i*, *cūd-i*.

Alterum genus perfectorum compositorum esse diximus. Aut enim ad radices apponitur *vi* syllaba (sic factum est in his: *ama vi*, *dele-vi*, *audi-vi*, quae syllaba post litteras consonantes est *ui*, ut in his: *dom-ui*, *al-ui*, *gen-ui*), aut adiungitur *si* syllaba, quemadmodum his patet perfectis: *carp-si*, *scrib-si*, quod sua lege erit *scripti*, et *reg-si*, quod *rexi* erit, et *sent-si*, quod erit *sensi*.

Supinum producitur ex verbali elemento, cui vel *tum* syllabam iungas, quoties finitur vocali, vel *sum* quibusdam radicibus consonis. Sic amandi supinum erit *ama-tum*. In eo supino, quod est *domi-tum*, et in similibus, *i* vocalis est coniunctiva vel conexiva; ligamenti igitur locum inter radicem et terminationem habet. *Sum* syllaba terminantur et alia et haec: *curr-sum*, hoc est *cursum*, *pel-sum* hoc est, mutata vocali radicis littera, *pulsum*, *fud-sum*, hoc est *fusum*, *caed-sum*, hoc est *caesum*, *mit-sum*, hoc est *missum* certis de causis.

Sunt enim iam ad extremum propnenda ea euphoniae vel sonoritatis praescripta, quibus in effingendis formis primigeniis usus est.

Primum sic sonat: quum *b* consonantem sequitur *s* vel *t*, *b* transit in *p*, ut ex *scrib-si* fiat *scripti*, ex *scrib-tum*, *scriptum*.

Alterum est: Quoties vel *g* vel *h* vel *g* vel *v* litteras exceptura est *t*, illae litterae transeunt in *c* litteram; quoties easdem litteras exceptura est *s*, copulantur in *x* litteram. Exempla sint haec: *leg-tum* est *lectum*, *trah-tum* est *tractum*, *coq-tum* est *coctum*, *viv-tum* est *victum*: *reg-si* est *rexi*, *trah-si* est *traxi*, *coq-si* est *coxi*, *viv-si* est *vixi*.

Tertium est: *D* vel *t*, quoties praesurae sunt *s* litteram, aliquando penitus omittuntur, ut in hoc exemplo: *mit-si*, quod est *misi*; aliquando bina ponuntur sigmata, sic *mit-sum* est *missum*.

Quartum praeceptum habes in *pre-mendi* formis, quae sunt *pressi* et *pres-sum*, concinnatae ex *prem-si* et *prem-tum*, et in formis *sumendi*: *sum-p-si*, *sum-p-tum*, pro his: *sum-si*, *sum-tum*. Rem utramque his concipias verbis: *My* iunctum *sigmati* erit *sigma*, inter *my* et *sigma* et inter *my* et *tau* intericitur *pi* littera.

Quintum est: Quoties binas consonas radicis sequutura est *s* littera, vel *t*, posterior radicis consona extruditur. Sic ex *sparg-si* et *sparg-tum* erit *sparsi* et *sparsum*, ex *torq-si* et *torq-tum* *torsi* et *tortum*.

Sextum est, *u* vocalem et *v* consonam, prouti pronuntiandi postulaverit ratio, alternare vices. Idecirco non dicimus *solvum*, sed *solutum*; *av* erit *au*, ut *lautum* sit *lautum*. Illud etiam huc adde: ex *ov* fieri, ex *uv* *ū*, sicut factum est in *motum* et in *iutum*.

Haec fere sunt, quae scire oporteat, qui rationes intelligere cupiat verborum quae dicuntur irregularium.

ANDREAS HABERL.

Quod sumus hodie, novimus; quid autem post paululum esse possumus, nescimus: hi vero, quos fortasse despiciimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire.

S. GREGORIUS, *Moral.*, lib. 15.

Colloquia varia eademque familiaria latine composita

IX

De sacra domorum lustratione in Urbe.

Dulcissime frater,

Ad te scribere aliquid statui, hoc etiam tempore, etiamsi Romae morer, in civitate tot rerum pulcherrima, dulcis modo patriae reminiscens. Sic enim me imago parentum occupat! Quo nomine, ceteris posthabitis, dum nostrae propemodum ecclesiae sacrorum aerum sonitum auribus accipio, puerosque nostros, naturali laetitia gestientes, huc illuc ad aquarum rivulos cursantes cerno, et se simul clamitantes abluere, hic de sacra domorum lustratione, uti nuperime vidi, nonnulla dicere, optimum putavi.

Solemnibus caeremoniis peractis, quae in templis fieri assolent, hac die, sabbato, quod praeterea sanctum dicitur, totus etiam in illis, ex aede exiens deambulavi per Urbem, magna Redemptoris mysteria mecum reputans et illam in primis nobilis Pontificis Maximi benedictionem, quae olim ex sublimi Petriano peristyle Urbi et Orbi fausta omnia adprecaretur.

Tunc me res admodum nova perculit. Exeentes vidi, quasi ex condito, ex templo quadam nonnullos sacerdotes, qui linea tunica induiti cum stola, sinistrorum et dextrorum per Urbis vicos dilabuntur.

Ad eorum latera, pedibusque imparibus, puerulus et ipse clericali veste amictus, demisso capite oculisque modestis, itabat, et parvulam situlam, aqua lustrali repletam, cum argenteo aspergillo, manibus proferebat.

— Quid novi est? — a proximiore transente postulavi:

-- Es adeo Urbis ignarus, ut nescias
hac die sacerdotes omnium domicilia per-
lustrare? Omnia, inquam, idemque eo-
rum, Hebrei sint vel increduli, qui passim
superbe religionem eiusque ritus asper-
nari consueverunt. Hodie enim omnes ad
se conversi in Domino laetantur! Vale,
suavissime hospes, et optimum tibi Pascha
Dominus duit!

— Vale et tu, dulcissime rerum!

Aliaque ab ipso poscere voluisse, sed
summa festinatione ab oculis meis abiit,
quoniam imo evasit, erupit. Quae paucula
aliunde novisse potui, libentissime brevi-
terque tecum communicabo.

Ut in aedibus perlustrandis primo quo-
que tempore omnia fiant tum ad populi
commodum, tum ad sacerdotum utilitatem,
cautum est, ut singulae Curiae insulae
singulis sacerdotibus designarentur.

Quam bonum, quam dulce hos videre
sacerdotes per Urbem confidenter pere-
grinari atque ubique hilari vultu excipi!
Et ipsi aequo pulsant pede pauperum
tabernas, Regumque turres!

Quo facto ad omnia poene dixerim
aedium receptacula adeunt sacerdotes, ut
faustra preicatione omnia lustrent! Utinam
haec sacra peregrinatio frequentior fieret!

Sed «extremo sub fine laborum» en-
signis caritatis significatio.

Supra, me monere memini, ad sacer-
dotis latera puerulum adesse, qui in om-
nibus inserviens, situlam cum aqua lustrali
gerit... In hanc veluti pretiosior descendit
identidem pecunia, quae postea in paupe-
rum solamen profluet. Nec modo aes rude
vel signatum, opportunitatem nacti, beatio-
res generosius donant, sed et carthulas
pretiosiores, abscondita manu, sacerdoti
offerunt; qui mos est inclitus in Italis,
omnique laude dignissimus.

Ad haec, ut nuperrime accepi, Alexander
Manzoni, immortalis ille poëta idem-
que popularis, qui lyricorum Italorum
inter principes merito salutatur, dum de

Christi Resurrectione exsultat, cives suos
ab in honestis epulis arcere studet, eosque
suavissime, qui suus est mos, monet atque
hortatur ut pauperibus larga manu indul-
geant. Quae verba, ut et tu eius dulcedeni-
men delibare possis, latine referre nitar:

*Thesaurus epulis renuis quem sponte superbis,
Defluat in mensam qua consolentur egeni.¹*

Vale et tu in Domino, et tibi ipse conce-
dat ut plurima eademque optima Paschata
gaudes.

I. B. FRANCESIA.

EX ITALIS URBIBUS

De Augustae Taurinorum festis.

Haec olim aula princeps Augustae
Taurinorum antiquum splendorem induit,
quem, tot labentibus annis, regum praes-
entia ac munime fuerat adepta. Omnia
circum iterum rident, parentesque atavorum
imagines gloria quadam atque laeti-
tia reviviscere videntur. Ad hanc equi-
dem veterem novisque semper accessio-
nibus recentem urbem, ex omnibus undique
Italiae dissitis civitatibus cives profecti fe-
stinantes adcurrunt; ad hanc quoque Rex
Victorius Emmanuel III, maxima comi-
tante virorum multitudine, quos nobilissimos
numerat Italia, tum natalibus, tum
muneribus honestatos.

At cur tot hominum motus, gentiumque
rum?

Primae huiuscem Novitatis causa, nuptiae
auspicatissimae fuerunt Philiberti a Sa-
baudia, Thomae Ductis filii, itemque Regis

¹ *Il tesor negato al fasto
di superbe imbandidioni
scorra amico all'un'ul' tetto,
faccia il desco poveretto
più ridente oggi apparir.*

Italiae consobrini, cum electissima virgine
Lydia ab Arenberg.

Verum haud desunt, qui tam magnam
novarum rerum amplitudinem hominum
que concursum illuc potissimum spectare
autument, ut, arrepta opportunitate, Regi
fidem, constantiam firmitatemque profi-
teantur, eique, quod periculum vitae vitas
set, gratularentur.

Nefarii enim homines, occulto sacra-
mento initiati, horribili quadam pila incen-
diaria cum octodecim et ultra circumstan-
tium excidio, Regem intercipere (indi-
gnum!) visi sunt. Quo facto, cives, hanc
occasionem nacti, confertissimi et stipati
circumferuntur, omnesque adclamantes
atque incredibili laetitia gestientes, Regi
obviam fuerunt, qui die vigesima octava
mensis Aprilis urbem olim ditionis sua
caput, solemniter inviseret. Atque adeo
aperte omnibus patuit, quae sint Italorum
vota, quae spes et voluntas in maculam
delendo, quam nuperrime Italorum no-
mini inurere perperam perditissimi homi-
nes tentassent.

Ad haec, inter plurimos milites, qui in
decoris signum atque securitatis interfuer-
unt, adsunt et equites splendidioribus ve-
stibus induti cum aurea galea, ab Nicaea
ad mare, urbe olim regni Subalpinorum,
appellati, quorum Dux in tetro bello
fuit magister eiusque mirabiliter imperavit.

Nobis sic esse agendum putavimus, ad
quos, hoc potissimum tempore, universa
Europa, imo totus pene terrarum orbis,
oculos animosque convertit, quique in
Regis tutela sumus, cui ad immortalem
gloriam contendenti, nihil aptius et lauda-
bilius videtur, quam civium libertatem
atque humanitatem enixe fovere, eosque
ad supremum prosperitatis fastigium pro-
vehere.

Ipse popellus, qui ex minima saepe
causa in immensum fata futura praesagit,
et in bonum omen convertit, quod, die
adventus Regis, summo mane immodeste

plueret, et dein sensim sine sensu, quum
hora appropinquaret, qua Rex in urbem
ingrederetur, exactis cunctis e caelo nubi-
bus, sic disponente Deo, sol mirum in mo-
dum splendesceret, ei concordi atque
laetiore animo plausit omniaque adeo pro-
spera est adprecatus.

Peractis nuptiis, sub vesperum eiusdem
diei, sponsi, habita a Rege missione, Alla-
dium sunt profecti, qui vicus est, haud ita
procul ab urbe, ubi Principes Genuae,
curis urbanis soluti, liberiore caelo ani-
mum renovant, atque aestivum otium trans-
igere consueverunt.

At priusquam ab urbe discederent,
multa omnium civium gratulatione, ad
Augustae Matris templum perrexerunt,
cui est titulus *La Consolata*, et dein ad
miraculum illud pietatis et Dei opitulantis
testimonium, *Il Cottolengo*, ut opem suam
deserrent, atque ita participes sua laetitiae
pauperes aegrotosque vocarent.

Utrumque salutaturus, carmina iterum
Propertii mutuabo, dicens:

Candidior semper candidiorque veni!

S.



COMMUNIA VITAE¹

Catarrhus (Epiphora, Fluxio, Distillatio,
Rheuma).²

Branchus.³

Bronchiorum inflammatio (Bronchites).

Dyspnoea. — Anhelitus.⁴

Pneumonia. — Peripneumonia.

¹ Cfr. fasc. sup.

² Hac voce humorum descensio quaevis vulgo
indicatur.

³ Etiam branchia, est morbi genus, quum gutturis
arteria catarrho corripitur fitque raucedo.

⁴ Ex dyspnœae, h. e. spiritus difficultatis vehe-
mentibus accessionibus, fit anhelitus, vulgo asma.

Haemoptoīs (Haemoptysis).¹
 Phtisis.² – In phtysim tabesco (Phthisicus iam sum).
 Plēurisiō (Pleuritis, itidis).
 Tussis (aspera, violenta, effrenata, immoderata, immodica).
 Tussim (Screamum) vix pectorē expello.
Morbus in organis digerendi me vexat:
 Parulis (Parulides, Stomatites).³
 Angina (Cynanche, Tonsillae).⁴
 Nausea (Nauseola, Nauscula).⁵ – Nausea infestor (Nauseo, Cibū abhorreo, Cibos fastidio, respuo). – Nausea plane abiit.
 Haematemesis. – Cholomesia.⁶
 Atrophia. – Cachexia.⁷
 Stomachicus sum. – Malo sum stomacho (Stomachus se male habet; Stomacho non bono utor).
 Stomachi virtus iacuit (languet). – Anorexia (Stomachi languore, malacia) dissolvor. – Cadiogmus⁸ me cruciat.
 Stomachi cruditas.⁹ – Dyspepsia.¹⁰ – Stomacho sum crudus.
 Lienteria.¹¹
 Tympanites ventrem meum supra modum distendit (inflat). – Borborigmus in alvo meo crepitat (murmurat).
 Alvi durities (adstrictio). – Styptica ratio ventri occurrit.

I. F.

¹ Sanguinis effusio per os.
² Proprie pulmonis ulceratio, vel thoracis.
³ Abscessus gengivarum.
⁴ Morbus fauciū angens ḡuttur.
⁵ Stomachi fastidium, ad vomitum concitatio.
⁶ Alter est sanguinis vomitus ex stomacho; alter bilis.
⁷ Atrophia est nullum ex alimentis beneficium sentire; cachexia malus habitus corporis alimenta corrumpens.
⁸ Stomachi languor cum dolore.
⁹ Ventriculi vitium aegre concoquensis.
¹⁰ Difficilis et aegra concoctio.
¹¹ Fluxus ventris talia deicientis qualia recipit. – Italice, vulgo: *Catarro intestinale acuto*.

ANNALES

Facinus exsecrabile.

Horribile quidem facinus die XII superioris mens. Aprilis Mediolani patratum est. Dum enim nundinae exemplarium mercium eo die sollemini ritu maximaque populi frequentia inaugurarunt, ex improviso, in funali quodam a scelestā manu tecta, incendiaria pila exardescit, miseram mortem atque atrocissima vulnera late circum spargens; a quibus, si momenta aliquot, Dei providentia, forte non moratus esset, ipse Italiae rex, qui ad aperendum mercatum adveniebat, vix effugisset.

Desunt profecto verba ad huiusmodi scelerā exsecranda!

**

Regia itinera.

Ineffabili non Italiae unius, sed totius orbis laetitia Victorius Emmanuel ita soſpes, cum uxore atque filiabus natu minoribus, in Tripolitaniam coloniam deinde perrexit, ab illis gentibus supremis honoribus verique animi significationibus ubique acceptus.

**

Regales nuptiae.

Neque h̄c Italorum sollemnibus finis: Augustae enim Taurinorum, in Sabaudiae gentis urbe capite, nuptiae celebrantur Philiberti, Pistoriae ducis et Italici regis matruelis, cum nobili virgine Lydia e ducibus de Arenberg; quarum Subalpini omnes ita participes fiunt, quasi de familiaribus festis agatur.

**

Pacis foedera.

Interim ab Italies ipsis pacis et arbitratuſ pactiones cum civitatibus foederatis Americae Septentrionalis renovantur, quae iam ab anno MCMXIV exierant.

Polonorum Lithuanorumque conuentus.

Ex adverso, nullo utriusque partis successu, conventus dimissus est, quem Polonorum hinc, indeque Lithuanorum legati habuere, ad duarum gentium dissensiones conciliandas, praesertim de Wilnae urbis imperio.

Kalendas Maiis MCMXXVIII.

POPLICOLA.



VARIA

Asellus.¹

Mercatori trioboli erat asellus, quem ingenti salis vi onustum quodam die recta domum agebat. Asellus, in lubrico lapsus, in aquam incidit, solutoque sale, cito surrexit magno onere levatus. Mercator reversus, salem rursus comparat; asinus, in medio itinere, data opera, in aquam se deiicit: sal funditur, et levius fit onus. Tunc herus, cognita animalis malitia, multas in taberna spongias emptas, dorso eius imposuit. Tertium ille se in flumen deiecit, sed spongeae madefactae asini onus duplicarunt.

**

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Hordeum bacatum in vitulino iure coctum.

Agnina segmenta fricta, circumiectis pisis.

Cynarae scolymi ad Iudaicum morem.

Assum columbinum cum acetariis.

Libum Gallicum.

Locosa.

Tuccius condiscipulo, qui ipsum ludit:

— Tibi cave, furcifer; sum enim armis instructus!

¹ Ex italicis fabulis N. TOMMASEO.

— Hei mihi! Et quibus armis?
 Tuccius magnifice incedens:
 — Patientiae!

**

Magister in Tuccium a se docente perpetuo alienum:

— Profecto animus me inducit ut alas tibi impingam!

— Atqui animi dominium habere oportet, tentationesque fugere!

**

Aenigmata.

I

Sustinet arcanum, cervicis sustinet orbum;
 Sustinet hic quadrupes, sustinet ille bipes.

II

Immundum est totum; cervicem deripe, sa- [crum.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Amarus*;
 2) *Cassis*.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. P. V. GOM..., *Csornae*. Gratulor imprimis Tibi de styli tui elegantia, comitatis tuae profecto repercussa imagine; teque libenter voco ad aliquid scribendum, quod in ALMA ROMA edituri esse possimus. Rogo deinde amicum tuum ut clarius indicet cuius generis libros praeter cetera exoptet: tot enim sunt officinae librariae quae uni vel alteri peculiariter studeant. *Parvum antabarbarum* ad te his diebus misi; *Communia autem vitae*, eaque locupletioribus phrasibus et formulis composita, in singulis commentarii huius fasciculis vulgamus; eaque igitur iam tibi praesto sunt per partes: deinde, si Deus dederit, in volumen iterum redigentur. Subnotationis pretium accepimus, novumque, quem nunciasti, socium exspectamus. Vale multum, et fortuna secunda.

A SECRETIS.

STANISLAUS FUGIENS

6]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

FULCIUS.

Conveniam statim: nunquid aliud me vis,
[here?

STANISLAUS.

Superi te ut sospitent, mi Fulci, ita mihi vir
Benevolus et bonus es.

FULCIUS.

Tua caussa omnia
Volo: debere id me tibi certo scio.

SCENA III.

NAEVOLUS, STANISLAUS.

NAEVOLUS.

O mi here.

STANISLAUS.

(Nova nunc res mihi obiecta est;
[quae molestiam creat
Multo maiorem).

NAEVOLUS.

(Non advertit: aliqua in re po-
[tissimum
Haeret mente defixus).

STANISLAUS.

(Quid ego nunc verso,
[quidve cogito?
Tot me undique circumveniunt, ut nisi ma-
[turare iam paro
Abitum, meis omnem inveniam votis inter-
[septam viam).

NAEVOLUS.

(Nescio quid tacitus loquitur).

STANISLAUS.

(Mihi quidem occur-
[runt plurima
Quae sunt discriminis plena omnia. Verum
[mea copta provehent
Suo caelicolae auxilio...) Hem, Naevole, hic
[ades?

NAEVOLUS.

Equidem dudum: at curas volventem animo
[graves
Nolui laevus interpellare. Ceterum quod cum
[his praeposteris
Capitibus conflicteris, doleo valde et me mi-
[seret tul.

STANISLAUS.

Ista quaeso noli sentire.

NAEVOLUS.

Immo addo aliud, dum ne
[inipudens modo
Nimium videar: fratri quidem temet plus
[aequo subiicis,
Atque adeo ut vestem mundes, purges cal-
[ceos,
Aliaque facias, quae nos minutos servulos
Curare deceat.

STANISLAUS.

Maiori natu minorem servire con-
[venit.

NAEVOLUS.

Hinc beneficium tibi benemerenti perpulcre
[munerat;
Hui perpulcre! te cum indignis exercet et
[vexat modis.
Ego vero quamquam bucco, blennus, stipes,
[fasinus, cetera,
Nunquam sane ferre possem eius insolentiam.
Vellem quidem excuteret te, ut ille sentiret
[esse te virum.

STANISLAUS.

Tace, obsecro: nescis quanta ex illo profecta
[in me fuerint bona.
(*Ad proximum numerum*).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ENS


6]

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt [ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*)]: quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

„Sociis

RUM

tans pagg. 103, edi-

ur eiusdem auctoris
modatae apud ephebea

um.

ndum erit publici cursus
nplaribus).

MAE ROMAE col-
um annum MCMXXVII,
constituimus libella-
lic. scilicet 650, pro

nia per nummariam
to tramite requiren-
Roma, 12, Via del
m est, non sinit ut
vis rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

De latinarum litterarum historia paelectiones¹

A regia aetate ad liberam rempublicam pergentes, iuvat in romani iuris progressiones inquirere, quae magnae fuerunt tum quod pertinet ad ius publicum, tum etiam ad ius sacrum atque privatum. Iam ipsa libertatis origo non inde fuit quod consulibus deminutum quidquam esset de regia potestate; omnia enim iura, omnia insignia primi consules tenuere, quum id modo cautum esset, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur; sed imperium consulare quia *annuus* factus est, hinc libera exstitit res publica, qua imperia legum potentiora quam hominum esse deberent. Et primum Brutus consul, lectis primoribus equestris gradus, ut Livius ait, patrum numerum in senatu ad trecentorum summam explevit, quae res mirum quantum profuit ad iungendum patribus plebis animos. Dein, habita etiam rerum divinarum cura, *rex sacrificulus* creatus est, iis sacris celebrandis, quae antea per ipsos reges factitata erant; subiecto tamen eo sacerdotio pontifici, ne additus nomini honos libertati officeret.

Postea, quum Valerius Publicola consul factus esset, legem tulisse dicitur *de provocatione* ad populum «ne quis magistra-

tus civem romanum adversus provocacionem necaret, neve verberaret»; sacramendumque esse iussit cum bonis caput eius qui regni occupandi consilia inisset.¹ Idem primus instituit ut *singulis* consulibus alternis mensibus *lictores* praeirent, ne plura essent imperii insignia in libero populo, quam in regno fuissent.² Florebat igitur tunc temporis patrum auctoritas, quae nisi probavisset, ne populi quidem comitia rata habebantur.

Sed inter diurna bella quae cum finitimis populis, Sabinis, Latinis, Aequis, Hernicis, Volscis gerenda erant, res non parum turbatae sunt quum ipsa rerum natura cogeret ut plusculum sibi iuris populus adsciceret; praesertim quum nonnulli plebei ob aes alienum nEXI fremerent se foris pro libertate et imperio dimicantes, domi a civibus captos et oppressos esse. Hinc illa plebis secessio in Sacrum montem trans Anienem, quae causa fuit cur tuendae libertatis firmandoque concordiae causa decerneretur ut plebi magistratus sui essent *sacrosancti*, quibus auxiliu latio adversus consules esset, neve cui patrum capere eum magistratum liceret. Ita tribuni plebis creati duo (anno CDXCIII ante C. n.), ita ut potentia Senatus atque auctoritas nonnihil minueretur, sed manifesta publici iuris progressionē.

¹ Cfr. fasc. mens. Aprilis.

¹ Liv., II, 8, 2; Cic., *De rep.*, 4, 54.

² Cic., *De rep.*, II, 55.

Sequitum est notissimum illud et saeculare certamen inter patricios et plebeios, cuius gradus vicesque quasi mansiones quasdam dixerim iuris publici privatique via sua progradientis.

Quarum praecipuas ut memoremus, en occurrit nobis ante omnes lex *agraria* a Sp. Cassio promulgata (anno CDLXXXVI a. C. n.), qua largitio ex publica praeda plebi dabatur; malo quidem exemplo, quum insequenti tempore huiusmodi leges nunquam, nisi maximis rerum motibus, agitatae sint, ipseque Cassius, ut notum est, poenas dederit audaciae, propter suspicionem regni damnatus necatusque.

Quindecim post annos, inter diurnas ordinum contentiones, en memoria occurrit Publilii *Voleronis* tribuni plebis, qui anno CDLXXII (L. Pinario P. Furio consulibus) rogationem tulit ad populum, ut plebei magistratus tributis comitiis fierent; haud parva res, ut ait Livius (II, 56, 3), quae patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi quos vellent tribunos auferret; tamen, vel resistantibus patribus, anno insequenti, etsi Appius Claudius, Appi filius, consul cum T. Quintio, tempestatem a tribunis excitatam maxima pertinacia sustineret, lex tandem perlata est, et tum primum tribuni comitiis tributis creati sunt, aucto etiam ad quinque eorum numero.

Decem post annis, aliis urbanis motibus excitatis, C. *Terentilius Harsa* tribunus, consulari imperio tamquam nimio nec tolerabili infensus, legem illam se promulgaturum dixit, ut quinque viri crearentur legibus de *imperio consulari* scribendis, ut quod populus in se ius daret, eo consules uterentur, non libidinem ac licentiam suam pro lege haberent. Eo anno nihil conclusum est resque dilata; sed quinquennio post tribuniciae contentiones id adeptae sunt, ut decem plebis tribuni crearentur; et anno insequenti (CDLVI a. C. n.) ea lex *Icilia de Aventino publi-*

cando lata est, de qua supra iam loquuti sumus, quum sermo esset de publicis monumentis;¹ quam Dionysius Halic. (X, 32) ἐν στήλῃ χαλκῇ incisam, dixit tempore suo adhuc extare, in Diana templi Aventini montis positam.

Neque tamen deerat tribunis materia criminandi ad plebem consules. Denique Aternio et Tarpeio coss.² (h. e. anno trecentesimo ab U. c., CDLIV a. C. n.), abiecta lege quae promulgata consenuerat, agebant cum patribus tribuni, ut tandem legum latores et ex plebe et ex patribus creari sinerent, qui utrisque utilia ferrent aequandae libertatis causa. Non prorsus dissidentibus patribus, interim tres legatos memoria proditum est Athenas missos esse, qui Solonis inclitas leges describerent, et aliarum Graeciae civitatum instituta, mores iuraque noscerent. Qui legati cum Atticis legibus quum rediissent duobus post annis, lege *Menenia Sextia*, ut tandem scribendarum legum initium fieret, placuit Decemviros creari sine provocatione, et ne quis eo anno alias magistratus esset. Ita demum anno trecentesimo tertio quam condita Roma erat (CDLI a. C. n.), mutata forma civitatis, ad decemviros translatum est imperium; quorum princeps erat Appius Claudius, nepos Atti illius Claudi Sabini, qui ab Regillo, magna clientium manu comitante, Romam transfugerat, civitateque donata, inter patres adlectus, caput exstiterat nobilissimae gentis, patriciae dignitatis acerrimae vindicis, et plebi semper infensa. Appius tamen decemvir, plebicolam potius et aurae popu-

¹ Vid. IXam Praelectionem, § I.

² Si sunt a quibus nomen habet lex *Aternia Tarpeia* de multae sacramento (Cic., *De rep.*, II, 35); qua, ut ait Dionysius (X, 50), cunctis magistratibus multatandi potestas facta est, quum id ante consulibus tantum liceret. *Sacramentum*, teste Festo s. v., erat aes, quod poenae nomine pendebatur. Lege autem Aternia Tarpeia multa ovium et boum ita constituebatur, ut pro singulis ovibus aeris deni penderentur, pro bovibus aeris centeni. V. GELLUM, N. A., XI, 1, 2.

laris captatorem, priore saltem anno magistratus, se praebuit. Tunc *decem* illae *legum tabulae* comitiis centuriatis perlatae sunt, quas Livius Augustea aetate, in immenso illo aliarum super alias acervatarum legum cumulo adfirmabat «fontem esse omnis publici privatique iuris». Decem tabulis anno insequenti, decemviris recreatis, duae adiectae sunt quibus visum est absolvi velut *corpus omnis Romani iuris*. Ita Livius; Cicero autem monet, duabus his tabulis iniquam legem contineri, *ne comibia plebi cum patribus essent* (*De rep.*, II, 63); quae lex postea plebiscito *Canuleio* (a. CDXLV a. C. n.) abrogabitur. Notum autem est, propter Appii Claudii intemperiem, interempta in foro a patre suo Virginia virgine, quem decemvir iniuste in servitatem vindicaverat, decemvirum imperio finem impositum esse, et decem plebis tribunos iterum creatos, consulesque duos (L. Valerium Politum, M. Horatium Barbatum); provocationem praesidium libertatis restitutam, aliasque leges propositas esse, quae ex nomine consulum *Valeriae-Horatiae appellatae* sunt.

Tradunt etiam, hos consules XII tabulas in aes incisas (ita Livius; Pomponius in *Digesto* ait, in tabulas eboreas praescriptas) in publico proposuisse; incensa autem urbe a Gallis, multisque rerum monumentis tunc deperditis (a. CCCLXXX a. C. n.), tribunos militum consulari potestate anni CCCLXXXVIII, foedera ac leges conquisivisse et partim edidisse; unde corpus illud legum exstitisse creditur, quod et Sextus Aelius Catus Ennii et Plauti aetate in *Tripertitis* interpretatus est, et Cicero aequalesque eius in scholis ediscebant.

Hac legum tabulae, antequam pergitus historiam iuris summo carbone notare, monent ut in iis quodammodo illustrandis paullisper immoremur.

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINUS.

Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux

II.

Antequam Emmanuel Princeps, relicto patre, ad Imperatoris stipendia convolaret, complures, domi, coram pueri, Carolum III libero prorsus ore Ducem incusabant, quod, uxorius nimis, regnum uxoris more gereret, atque sic res in peius admodum ruere, et subditos in alienam dominationem miserrime detrudi. Philibertus vero, miti ingenio, suorum animos potius pati monebat quam Patrem arguere, melioraque omina in posterum eos sperare iubebat. Exemplo suo, aequalem se in tot rerum asperitatibus exhibens, fortunam feliciorem sibi et suis fingere studebat. At illi acrius urgere, et falsis quoque criminibus matrem insimulare, quod, quum esset Francica eademque Francorum regis soror, rem Subalpinam studiose perderet.

Sic in dies gravioribus animis Ducson carpebant, in eamque omnem malorum regni cumulum vertebant. Verum ne quid intentati relinquerent, ex ipso nobili Domus Augustae Torque improbum invidiae argumentum et insidiarum quaeritabant. Eo Subalpinorum animi in peregrinam foeminam ferebantur!

In supremo enim Torque, Augustae matris ab angelo designatae hae literae scriptae sunt: FERT. Quid sibi reapse velint nondum liquet. Maligni autem acutissimis odii equileis, ex singulis ipsis literis, eo contendebant, ut hanc pravam sententiam significaret: *Foemina Erit Ruina Tua*.

Quod quum audiret obsequens filius, indigne utique pertulit, et quum vellet suos leviter vellicare, eosque reverentiam in matrem monere, in omnium solarium et fiduciam carmen ipsum explanavit: *Filius Eius Restituet Totum! Felix principis interpretatio omnium meruit assen-*

sum, eo quidem felicior, quod eventus amplissime eam confirmavit.

Vix enim ad exercitum apud Belgas pervenit, atque ad milites, cum quibus bellandum esset, se contulit, tam adeo honesto vultu eis obvius fuit, tam se comitem et facilem alloquio ipsis exhibuit, ut omnes subito sibi honoris et voluntatis significatione devinceret. Nec equidem licenter, more iuvenum, qui militiam in ostentationem vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribuni militaris et inscitiam retulit, sed noscere loca, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare simulque anxius et intentus agere.

Quo nomine haud ita multo post eum omnes in oculis ferebant, eum virtutibus omnibus praeditum praedicabant, eumque demum non modo augustum esse pronatali loco, sed eximiis animi dotibus atque elegantia morum potissimum apud omnes enitere.

Ita, brevi post tempore, Caesari carus fuit acceptusque, ut eum omnibus copiis in Belgis bellum gerentibus, aduentibus cunctis, libentissime ducem designaret. Tam opportunum imperium nactus Emmanuel Philibertus, anno millesimo quingentesimo septimo et quinquagesimo Galliae fines ingredi non dubitavit, castrisque positis ad Augustam Veromanduorum III Idus Sextiles maximo praelio fortissimas Gallorum copias penitus profligavit, ipsumque hostium ducem in potestatem suam rededit.

Immortalis haec Victoria diu parata et totis viribus conquisita, omnis Emmanueli Philiberto, supremo exercitus Duci, est adtribuenda, qui ingenio atque studio, nullisque periculis alienisque consiliis deteritus, omnia in acie facienda curavit.

Summo etiam mane, quum in eo esset ut manus consereret, copiarum praefecti ei epistolam dederunt, ut certamen denuo

procrastinaret. Quae quum iam in equo insidenti esset data, sicut erat signata, in pectus subiiciens: «Nunc animis opus, - ait, - nunc pectore firmo!» et continuo ad arma convolavit. Et haec fuit eius gloria, in ipsis rerum difficultatibus, animum tollere, invicta fortitudine audaciam confringere. Sed divina virtute se confirmare consuevit.

Pridie enim quam praeliaretur, sub vesperum, et omnibus ignotus, e castris exiit atque in proprius divinorum hominum coenobium se contulit, et ibi religiosis commixtus assiduas preces effudit, admissa est confessus, sanctaque de altari libavit. Sic postea divino patricinio confisus, ad bellandum recto cucurrit.

Nec defuerunt qui, quum perpetuam militum licentiam optime novissent, hanc Principis occultam secessionem male verterent, eumque integrum noctem in peccatis transegisse praedicarent! Quot falsae periuria linguae!

Ita tamen divinitus operam suam rite praestiturus, Italici Nominis dignitatem suaequae Domus libertatem magnifice adseruit. Ei a longe litteris gratulatus est Carolus V, qui privatus, abdicato imperio, ad caelestia unice spectans, in Hispania vivebat, et praesentia regalique ritu at dulci alloquio, ipse Philippus II, Hispaniarum rex, eum amplissimis laudibus exceptit, eumque unicum victoriae auctorem citra invidiam plurimis verbis salutavit.

Gloriosa hac Victoria Europae facies plane est immutata. Bello inter Hispanos et Gallos composito, diurna pax Italianam recreavit. Emmanuel autem Philibertus virtutis praemium tulit avitum regnum, et nuptias Margaritae, sororis Regis Christianissimi, quae ingenio, doctrina et gallica festivitate aulam Subalpinam hilaravit.

Ita iure meritoque per Emmanuelem Philibertum pro Subalpinis

... incipient magni procedere menses!

SUBALPINUS.

De Romanorum vestibus¹

Vulgarem usque nunc togam excussimus; restat ut eas videamus, quae non quidem forma, quae omnium una fuit, sed ornatu, nomine usque a prima illa discreparunt. Hae vero sunt Praetexta, Trabea et Picta.

Toga praetexta appellationem ex eo mutuata fuit, quod limbum purpureum extremae orae praetextum seu circumtextum haberet. Hanc autem instittam ita attexi mos erat, ut non cum togae lacinia ad talos descenderet, sed aliquando hac superior exstaret. Atque hinc datur intelligi, quare Cicero (*pro Client., 40*) Quintum accuset his verbis: «Facite, ut non solum mores eius et arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini».

Iamvero Praetextam gerebant primum et puellae donec nuberent, et pueri – (superioribus aetatibus tantum ingenui; posterioribus etiam libertini) – ad certum aetatis annum, quem alii decimum quintum, alii decimum sextum ineuntem fuisse arbitrantur; olim autem decimum septimum completum, non levis est conjectura. Quando autem illi – (ut id etiam hic conferatur) – eius generis vestem dimittebant, simulque bullam auream² laribus dicabant,

¹ Cf. fasc. mens. Aprilis.

² Bullam collo suspensam gestasse pueros, atque ex aureo quidem ingenuos, e pelle autem libertinos, testatur praeter alias Asconius in *Cic., I, Verr., 58*. Eandem rotunda fuisse figura liquet ex Plutarcho (*Quest. Rom., 99*), ubi ea ad lentis aut disci instar conformata dicitur. Sunt vero qui cordis potius imaginem prae se tulisse bullam opinantur ex eo quod Macrobius (*I Saturnal., 6*) inquit: «Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bullae ante pectus adnecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde praestarent». Verum nil placet hinc ad rem confici animadversum est, quando quidem ibi non bulla effigiem cordis habuisse perhisi queat.

tunc togam *virilem*, cui et *purae* et *liberae* data nomina, sumebant: idque ipso fere *tirocinii* die factitatum.¹

Ad haec, gestamen Praetexta fuit magistratum maiorum. Ornati pariter eadem procul dubio fuerunt primarii quidem sacerdotes, quum sacra facerent. Quo pertinent verba haec Plinii (IX, 36) de purpura: «Diis advocatur placandis». Et certe a Pontifici Maximo, a Decemviris sacris faciundis, ab Auguribus adhibitam fuisse Praetextam palam faciunt scriptorum testimonia. Ac de augurali praecipue praetexta illud proditum memoriae est, ei exornanda *dibapham*, idest purpuram *bisinctam* usui fuisse. Unde factum est, ut sic scriberet Tullius (II *Fam.*, 16): «Curtius noster dibaphum cogitat, sed eum infectum moratur»; siquidem is auguratum

betur, sed in bullae ipsa cordis figuram exstitisse quae in eius medio exsculpta, aut quoquo modo expressa fuerit. – Quod vero eiusmodi puerile ornamentum laribus demum donaretur, declarat ita Persius (V):

*Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit,..*

Unde id praeterea, corollarii loco, accipias licet, *succinctos* dici lares, quod caninam pelle, qua induerant, alte einctam peregrinantur more haberent.

¹ *Tirocinii* voce, quod huc attinet, significatum voluit latina aetas primum adolescentium ingressum in forum, per quem illi inter civiles res versari incipiebant, et quamdam forensis vitae rationem auspicabantur. Eo itaque die, qui ipse esse solebat, quo *toga virilis* sumebatur, primum in forum, tum inde in Capitulum ab amicis eximiaeque dignitatis viris deducebantur. Eapropter Plinii (I *Epist.*, 9): «Si quem - inquit - interroges: hodie quid egisti? respondet: officio togae virilis interfui». Et Valerius Maximus (V, 44): «M. Cotta, eo ipso die quo togam sumpsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, Cn. Carbonem, a quo pater eius damnatus fuerat, postulavit». Quae celebritas, ut insignior evaderet, in more simul erat positum, pecuniam et munera passim elargiri. – Non minimum porro ad hanc rem pertinet dicendi ratio, quam habet e ceteris locus Livii (XLV, 37): «Servius quidem Galba, si in L. Paulo accusando tirocinium ponere, et documentum eloquentiae dare voluit». Quae ipsa ad alia quaevis transferri queat.

appetebat, sed non facile erat, ut vel per Caesarem, vel per populum assequeretur.

Senatores quoque in iudicis Romanis praetextatos fuisse, non temere nonnulli opinati sunt, ex illo loco Ciceronis (*II Philipp.*, 43): « Nescis, heri quartum in Circo diem iudorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? Cur nos sumus praetextati? Cur honorem Caesaris tua lege datum deserit patimur? »

Sermo sane huiusmodi, unde satis prono alveo laudata opinio emanare videatur. Quae si vera sit, eodem revocandum erit, quod profertur a Propertio (IV, 1):

*Curia, praetexto quae nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.*

Trabea purpureis fasciis, trabium instar intertextis transversimque decurrentibus, variata erat. Triplicis eam fuisse generis tradit ex Suetonio Servius ad *Aen.*, II, 612; atque unam quidem tantum ex purpura, eamque Diis sacratam.

At qui factum fuerit, ut, quem uno haec esset colore, *trabea* tamen diceretur, non appareat. Alteram porro ait purpuream fuisse, immixto albo; tertiam denique e purpura et coco exstisset. Ex his duabus priorem ad regem pertinuisse refert, posteriorem ad augures.

Eques etiam *Trabea* in transversione utebantur; qui propterea « *Trabeata agmina* » vocantur a Statio in *Epulo Domitianus*:

Heic tum Romuleos proceres, trabeataque Caesar Agmina mille simul iussit discubere mensis.

Eundem amictum a consilibus aliquando adhibitum declarant verba Maronis (*Aeneid.*, VI, 312):

*Ipse Quirinali trabea cinctaque Gabino
Insignis reserat stridentia limina consul.*

Toga picta, quae acu pingi solebat, purpurea fuit, auroque, phrygionis – (nonnun-

quam etiam textoris) – opere distincta. Eamdem a palmarum imaginibus, quas plerumque exhibebat, *Palmatam* appellari placuit, necnon *Capitolinam*, tum quod eo habitu Iupiter in Capitolio ornatus erat, tum quod in ipsius templo universum id vestium genus asservabatur, unde, quum opus foret, desumerentur: postremo *Triumphalem*, quum propria triumphantium esset. Atvero sub Imperatoribus consules etiam, quum magistratum kalendis Ianuariis inibant, et praetores, quum iudos edebant, ea usos accepimus. Referenda huic veniunt dicta Lampridii de Alessandro Severo (XL): « *Praetextam et dictam togam nunquam nisi consul accepit; et eam quidem, quam de Iovis templo sumptam alii quoque accipiebant, aut praetores, aut consules.* »

S. A.

De certamine poëtico Hoeufftiano

ANNI MCMXXVII

Ab Academia Nederlandica accepimus, et libenter edimus:

« In certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXVII, praemio aureo ornatum est carmen c. t. *Mater Iesu et Mater Iudei*, quod fecit ALEXANDER ZAPPATA Anconitanus.

Praeterea haec, magna laude ornata, sumptibus legati edi poterunt, idque hoc ordine:

Lucius.

Quattuor anni tempora.

Carmen Lustrale.

Ab auctoribus carminum quibus inscribitur: *Lucius* et *Quattuor anni tempora* petimus ut scidulae aperiendae veniam dent».

OCCASUS

« Pax animo tandem! Viridis sub tegmine [lauri] pax animum placet!... Cor, requiesce parum [per!...]. Post longum exilium, tacitosque atrosque [dolores], o utinam tristes depallam pectore nubes! Hic volucres patula nemoris sub fronde canori carmina mellifluo fundunt de gutture ad [auras] et liquidis resonant modulis fastigia sylvae. Dum subit illius longinqui temporis aestus, hic manibus niveam frontem deflectere pos- [sim!...]. Heu meminisse iuvat!... Pavidus cum tetra [sepulcri] incerto properem contingere limina gressu, usque mihi misero gratum res volvere ge- [stas!...]. Quidam sic loquitur meditans, ¹ dum lentus [opacam] ingreditur sylvam; canent aetate capilli; incedit curvus...; vix auras pectore captat, aspicit et roseum iamiam trepidare serenum. Interdum nomen submissa voce videtur promere... quod?... rupto singulu promere... [Laura!] Iam vergente die lux ultima culmina pingit, frondiferisque comis rutilat dum decidit; igne purpureo induitae nebulae per aperta vagan- [tur]. Ut summae aestatis fervorem exalat anhelum campus, et ingrato strepitu de fronde cicadae lassae vim cantus sensim tenuare videntur... Ingreditur vates: circum pia lumina volvit caeruleumque polum lustrat sylvamque fre- [mentem],

¹ Auctor fingit hunc esse Franciscum Petrarcham, Italorum illum poëtam clarissimum.

praebetque immemores avium concentibus [aures] ac tenues gemitu voces e corde susurrat. Exhibit in tristi facie quot signa doloris!... Assidet et palmis caput applicat aeger et [haeret] in vacuo obtutu defixus... Nescio fauces quid mirum stringat paulatim; lentae in [ocellis] heu lacrymae apparent et fuso flumine [obortae] sponte ruunt vultu subito trepidante dolore... Pax tandem!... vati, cecinit qui flebile Lau- [ram], sub vestro, lauri, viridi velamine sit pax! Hic cantus, volucres, laetantes ore ciete, aestus qui sedent animi, zephirique benigni adspirate levi mulcentes flamine vatem...

Adgemit et solus commota haec mente [volutat:] « Tempus edax currit! rapiens ruit undique [cuncta] intereaque premit caeco mors pallida lapsu. Quot varias vidi gentes, quot strata viarum, pectore mille levi contemplans astra, cucurri! Omnia praetereunt: cupio modo pectore [pacem]. Usque meis oculis terrae vanescit imago, membraque iam glaciant tetrica frigora [Mortis]. Ecquis ego? deserta levis velut umbra requi- [rens...]. Ast ardens acto quae tempore flamma fla- [gravit] vorticibus rapiens cupidis mentemque ani- [mumque!]. Illo mane polus quo funere Numinis atro tegmine contextus nigrabat tristior atque omnes templi Dei demissa fronte petebant,

primum visa mihi quae non medicabile vulnus
intulit ex oculis castis iaculata nitorem;
sanguine manavi solus deserta pererrans.
Inde meum suavi pectus trepidavit amore,
nam Laurae semper radiis circumdata divis,
nocte dieque levis fulgebat mente venustas.
Paulatim corpus quo ardesceret igne retexi
(infandum!); miserum vitare at cepit aman-
[tem,
tempora et inde mihi luxerunt moesta dolo-
[rum.

Heu quoties noctis tenebris in imagine totus
feminea species vacuas sum forte sequutus;
heu quoties species praedulcis mente refusit!
Quot verba insanus vigili sum pectore fatus!
In lacrymis amens extendi brachia circum
ac Lauram trepidus fremebundo corde vocavi:
vox mea sed pavidae languebat noctis in
[umbbris...

Sidera iam cubitum discedere nocte parata
fulgebant clari per amica silentia caeli
atque quiescebat animantia montibus atris;
tunc ego solus eram vigilans cupidusque so-
[poris...

Interdum curis agitatus membra per omnes
errabam campos meditans agrosque silentes:
auribus intentis resonabant murmura rerum..
Sic misero erranti florentia prata, corollae
sic vario circum nitido fulgore micantes,
sensim sic zephiri molles auraeque beatae
caeruleusque polus plausu volucrumque co-

[hortes
laetantes animae veluti muttire per aethram
saepe videbantur tranquillo flamine: *Laura!* »
Praeterunt aquae prope limina mente

[videbam
ipsam: nutabant rutili sub fronte capilli
ac vere numen visu specieque patebat.
Invidus et circum, pedibus quas ipsa terebat,
herbas et lymphas, formam quaeis tradere di-

[vam
mos erat, irriguas laudabam carmine blando.
Tristia quot passus! tranquilla silentia rupi
tunc gemitu meditans desertum cordis amo-
[rem,
nocteque mellifluo placavi carmine poenas.

Omnia praetereunt... Ut raptim fulminis ignis
prosiluit caelum velatum nubibus, illa
confestim saevo cecidit ceu turbine fracta!...

Ex oculis postquam discessit dulcis imago
rapta petens gelidas umbras frigusque se-
[pulcri
tetra meum subito texerunt funera mentem.
Ut ratis erravi rabidis quassata procellis
et mihi tranquillo nil fulsit lumine portus
exciperet longas qui me post turbinis iras...
At nunc defessus corpus mentemque parum-

[per
hic requiete fruar tandem sub tegmine lauri.
Decidit interea post montes igneus orbis.
Caerulei Phoebus spatii per aperta cucurrit
campis et sylvis iaculatus lumina amoenis,
et nunc defessus requietum denique tendit...
Heu, quid amor?... velut umbra levis quae

[corde procellas
excitat atque statim vacuas tenuatur in auras;
exagit mentes, homines ac devorat igne.
Saevos post casus, post tot discrimina vitae,
adproperante seni gelidae iam frigore Mortis,
hic solus recolo, cuncti solaminis expers,
infandos caeci dirosque Cupidinis ignes
ac vanum video sensim vanescere mundum.

Omnia praetereunt... Species discedit amo-

[ris,
gloria et umbra levis vanescit temporis ictu.
Heu quotiens cingi placuit mea tempora

[lauro
et blando noctu modulari carmine plecto!
Perpetui subeunt noctis suavesque labores
cum iuga apollinei conabar scandere Pindi
dulcisonos iactans numeros modulamine ven-

[tis.
Nunc memoro laudes, memoro plaususque

[frequentes
septem per colles geminatis ictibus Urbis
hinc resonare vagis zephiris ac inde sonoros.
Quid volui miserum? volucris nam gloria

[claros
qui trepidi tentant attingere cuncta relinquunt.
Gloria, ut umbra levis deserti limina tangens,

sensim vanescit, sensim vanescit ut Echo,
quae placido trepidat secreta murmure valle.
Nil amor est - video, - nil gloria... Tempore

[et aestu
vires deficiunt... tempus iam defluit, eheu!
praecipitatque mei rapido pede temporis
[aetas
atque cita interea minitans Libitina propin-
[quat.
Quid mihi iam superest?... solum meminisse

[dolorum!
Occidit ecce iubar solis, lux ultima languet
et roseas pingit nutantes aethere nubes;
incubat alma quies resonis modulamine cam-

[pis,
caeruleoque polo vepallida sidera circum
hinc inde apparent, oculi pietate trementes.
Vocibus ut circum submissis cuncta loquuntur
et repetunt tacite fluitantia murmura mundi
altisonas laudes supremo Numine dignas...

...Ingens quae pepulit caelis vis sidera ad
[oras
ignotas quondam?...

Deus!... Ecce silentia noctis
et zephiri blando mulcentes murmure sylvam
astraque de vacuis spatiis rutilantia caeli
voce simul magna tanquam muttire videntur:
“Gloria summa Deo sollers qui cuncta gu-

[bernat!,,
Ipse hominum quondam generis miseratus
[iniqui
in terra oppetiit cupidus pro gentibus unus...
Nonnunquam - heu, miserum!... - caelestis

[munera amoris
amens contempsi simulacra caduca sequutus.
Cur ego virgineo nunquam veneratus amore
Numen caelorum? cur, curnam ego reddere

[amorem
non studui cordis Genitrici Virgini amanti?
Haec utinam - frustra lacrymor nunc corde-

[fuisserent!
Insanus perii... perii simulacra requirens
raptim quae rabido ceciderunt turbine venti
et nunc defessus, prope limina tetra sepulcri
hic iaceo frustra cupidus sedare favillas.

Tempore sed vitae postremo corde sequamur
eia Deum: superest misero quid denique
[vati?

Nam lux alma fugit, ceu fulgur, triste iu-
[ventae
et subit aerumnis tetris praecincta senectus.
Ast animus tandem, nunquam quo blanda

[fefellit
aegros spes homines, volitet sublimis et alto
vertice de caeli mihi pax descendet amica.
Componam laudes Superis, noctuque dieque
saepe meum sancto pectus trepidabit amore,
Virginis atque canam Genitricis carmine

[laudes;
excipient vatem tremebundum, clara diei
fulgura cum frustra mihi sol iaculabitur ar-
[dens
ac Mors tetra meos sensim velabit ocellos...
...At melius... cur Genitrici carmina gratus
non hic componam confessim?... Corde fa-

[villas
sentio iam rapidas, scintillant sidera ab alto
atque errant tacito fluitantia murmura lapsu.
Votis, quae, Genitrix, sacro tibi carmine fun-

[dam,
annue sancta meis, supplex tua numina posco.
Virgo, dies mortis celeri pede rite propin-

[quat:
o bona, tu Nato morientem crede poetam...
Tu, precor, alma Parens, cum lux extrema

[nitezbit
tunc venias properans, tardos oculosque re-

[conde.
Virgo, tuum blandum, veluti moriente su-

[surro,
ultima vox imo promet de pectore nomen,
magna Dei Genitrix, sanctissima Virgo Ma-

[ria! »
Parva domus prima exceptit sub nocte
[poetam.
Sub trepidi circum renitentis lampadis orbe,
umbra velut, tristes gemitus longosque pro-

[fundit
dum calamo arguto nitidis committere chartis
verbaque ploratu pergit commixta madenti.

Nonnunquam lacrymis suspirat: *Vergine [bella...]*
et quandoque levis suspirat: *Vergine santa...*
Illi interea gemitus modulamine iungit
populeis lugens noctu philomela sub umbris
mellifluisque suis loca maestis questibus
simpler...

Rhegii Iulii m. Mart. MCMXXVI.

JOSEPHUS MORABITO.

AD SANITATEM TUENDAM

Haec, quae pro hoc latinitatis Commentario a Miscell. 1188 Romanae bibliothecae Casanatensis transcripsimus pracepta, ea neque inepta neque inutilia videantur oportet. *Non inepta*: siquidem quamplurima ex eis summos antiquitatis Medicos auctores habent, et etiam hodie, post tot medicinae scientiae progressus, a doctis medicis in honore habentur et servantur. *Non inutilia*: nam pluries, hac etiam nostra tempestate, doctiores medici, in curandis aliquibus morbis, antiquorum praceptis usi, aegrotos ad sanitatem facilius et securius restituerunt.

Ceterum etiam lectores non medici haec pracepta non fastidientes, imo laetantes videbunt, legent, et, fortasse, obsequuntur. Gratum saltem illis erit dum scient quomodo tribus abhinc saeculis morborum curatio consequeretur.

Ante omnia vero aliquid dicemus de titulo, quo inscripta fuere haec Praecepta: *APHORISMI*.

Aphorismus est graecum vocabulum: (*ἀφορισμός*) quo nunquam usi sunt Latini scriptores; unde frustra scrutaberis latinae linguae lexica: nullibi verbum *aphorismus* invenies.

Porro in sua ethimologia *aphorismus* significat: *determinationem* - *definitio-*

nem - brevem sententiam. Ideoque hoc verbo scriptores (primo Graeci) usi sunt, sub hac definitione: « *APHORISMUS*, i. e. Plurium rerum summam facta traditio, quasi ad regulam exacta rerum doctrina ». Et Galenus ait Aphorismum doctrinæ genus esse « quod omnes rei proprietates brevissimis verbis circumscribit ». Et alii quoque: « Aphorismus est brevis sententia, quae vel praceptum morale continet, vel alicuius scientiae practicam regulam, paucis iisque efficacibus expressam verbis ».

Itaque mos invaluit ut de qualibet fere scientia libri editi fuerint cum titulo *APHORISMI*. Doctissimus Gothofridus, qui commentatus est *Corpus Iuris civilis*, opus edidit, cui titulus: *Aphorismi Iuris civilis*. Pothier quoque opus edidit *De regulis iuris Pandectarum*, quod [collectio est quamplurium *aphorismorum legalium*.

Attamen quamvis successu temporis super pluribus disciplinis opera edita habeantur sub nomine *Aphorismi*, initio tam et usque ad aevum medium, inclusive, cum nomine seu titulo *Aphorismi* veniebant solummodo libri de medicina tractantes. Etenim primus omnium summus Medicorum magister Hippocrates librum de morbis medendis edidit, cum titulo *Aphorismi*. Atque deinde etiam Boërrhaave.

Noster poëtarum princeps, Aldigherius, in suo immortali opere *La Divina Commedia*, cum in Cant. XI (Part. III, *Paradiso*) sub initio, describere voluerit hominum vanas curas, a quibus ipse liberum se sentiebat - *Quand'io da tutte queste cose sciolto...* - (Ib., v. 10), ita dicit:

*O immensa cura de' mortali,
Quanto son diffettivi sillogismi
Quei, che ti fanno in basso batter l'ati!
Chi dietro a JURA, e chi ad AFORISMI
Sen giva...*

ubi per verbum *Jura* eos quos iurisconsultos vocamus, et per verbum *Aforismi* Medicos indigitare voluit.

Ideoque iure merito *Regulae de morbis curandi*, quas mox transcribere incipiems, sub titulo Medicorum operum proprio *Aphorismi* ab auctore inscribuntur, exemplum magni Hyppocratis sequuto.

Sint igitur ut ex fasciculi titulo indicatur:

Aphorismi sive pracepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.

§ 1. - Despumatio morbosae materiae, sive, quod idem est, crisis morbi, definito febris tempore fieri solet.

§ 2. - Crises in morbo acuto imparibus ut plurimum diebus salutariter fiunt; quae paribus, fere lethaliter.

§ 3. - Chronici paribus fere tum diebus, tum mensibus terminantur.

§ 4. - Datur consensus quidam inter tibias et pectus...

§ 5. - Ulcera, cauteria, aliaque tibiarum mala, intempéste aut imprudenter sanata in perniciosos pectoris morbos sinunt.

§ 6. - In morbis pectoris diuretica et pediluvia utilia sunt. Purgantia autem generaliter noxia.

§ 7. - Omnes pleuriticos sanatos vidi mus, quibus in interiora auris dolor et exinde suppuration supervenerunt.

§ 8. - Febris intermittentis, nullis nec digerentibus, nec solventibus, nec febribus fugis cedentes remediis, sacra venae sectione in salvarella, frequenter sanantur felicissime.

§ 10. - Hydrocele discussa supervenit hydrops pectoris.

§ 11. - Praeire et subsequi sternutamenta in morbis pulmonum, malum.

§ 12. - Infantes optimae sanitatis, vegetique ceteris paribus facilime et saepe inadvertenter dentiunt. Debiles vero, laxi,

sive ob morbum aliquem praegressum, sive ob innatam debilitatem, difficillime dentiunt.

§ 13. - Pulsus senum saepe intermittit, accidente febrili morbo intermissio cessat, at fracto morbo redit pulsus intermittens, sanitatis proxime ad futurae signum indubit. Hinc ex tali pulsu nil mali suspicetur medicus.

§ 14. - Ubi diathesis inflammatoria, ibi venae sectio conductit, sed nocet purgatio. Ergo in *angina inflammatoria*; item in *apoplexia sanguinea* nunquam purgandum, sed vena secunda. Vidi huius aphorismi veritatem in multis casibus tum meis, tum aliorum, nunquam enim purgatio profuit, nocuit autem semper. - « Corpora laxa, tumida, quaeque aut sunt, aut fuerunt chlorotica, subinde valde febribus citant: dolor capitis magnus, lingua humida, glutinosum os, sitis aut nulla, aut exigua, inappetentia, urina flava valde, mucosa; sanantur cremore tartari leniter alvum movente, et oxymelle. Deinde vero firmandum corpus roborantibus. *Hydrops calidus* eodem modo curari debet. Rarissime venae sectio prodest ». *Stoll*.

§ 15. - Ventriculi dolor post potum *Coffee* in homine robusto, plethorico a turgore vasorum ventriculi oritur. Iuvat venae sectio, non autem sic dicta stomachica. - Adest in hoc casu praeter dolorem ventriculi etiam dolor capitis, aut vertigo. Praeter plethoram universalem adest particularis ventriculi; subinde etiam intestinorum, tunc autem dolores colici, vel colica haemorrhoidalis dicta, balneo tepido, emollientissimis decoctis, refrigerantibus et hirudinibus anno adipicatis curanda... - Item subinde movenda alvus est, per magnesiam nitri, quae alvum sollicitando motum humorum versus venas haemorrhoidales determinat. Diaeta vegetabilis.

(Sequitur).

PRO IUNIORIBUS

De sincera solidaque pietate.

Veram sibi comparare pietatem magnae est gloriae tribuendum, infinitus est enim hominibus thesaurus, quo qui utuntur, Dei amicitiae participes sunt. Verus christianus intellectum mentemque suam religioni subiiciens, sui dominator fit, fideique cultor eximius. Ratio enim nil aliud in ipso operatur, quam ad christiana rei sacramentum illum adducere. Ibi quum meridiana luce clariora eius ante oculos scripta firmissima argumenta de religionis divinitate posuerit, in fidei potestatem remittit et arbitrium, cui tutissime commendat in omni re, quam ipsa docet, certiore illum faciendo at qualibet errandi formidine, utpote ab Illo institutus, qui Sapientia est atque ipsissima veritas. Praeceptorum diligens cultor ne unum quidem sibi spernere licet, quoniam supremi Numinis auctoritatem iure sibi vindicant omnia.

Obsequens Ecclesiae filius eius iudicia veneratus, illa, ceu oracula, respiciendo, probe noscens eiusdem a quolibet errore immunitatem, superni Auctoris Sui fundata promissis, qui usque ad temporum consumptionem secum manebit. Sed pietati solidae haec minime sufficiunt; neque ad id solum attendit quod merum est praeceptum: illud concupiscit quod perfectius est, ac se Deoque digniora; hinc officia mavult sua praeterire, quam semet delinquendi periculo quoquomodo expondere, nimia percontatus anxiate, quousque tandem vis eorum extendatur. Cui confidit recte noscit et heri, cui obtemperare coepit, bonitatem agnoscens, optime comperit summa ipsum liberalitate remuneraturum quidquid ipsius bono perficitur, dum queis tanta cura studioque famulatur, pro iis

quae eorum utilitati cedunt et fiunt, homines nihil prorsus fere persolvunt. Nulla unquam christianum adulescentem temporis momenta magno delectant opere, quam quae religioni, bonisque operibus consecrantur. Generis nobilitatem, munium excellentiam, divitiarum copiam putat nequaquam causam ipsi praebere se ab officio eximendi, quod Numini supremo unice debetur. Cui maior in populo est auctoritas, fortiori vinculo tenetur sese virtutum exemplar exhibere, fierique magister rectae vivendi disciplinae.

Quisquis es, quaelibet tandem tuae vitae ratio fuerit, quilibet te prosecuti fuerint homines maximo licet, honore, pium te esse, et agnosci ne unquam verearis.

Ilorum iactantiam neque imiteris, qui sibi effingunt ipsos nequaquam credere debere sicuti ceteri, vel sperare; nec nobilitatis indicium animique magnitudinis unquam reputes aliorum sapientia superari. Si praeclarae conditionis tuae gratia id agere quod agit vulgus molestiae parit aliquantulum, in omni re, quam is bene facit, et tu melius fac semper. Pietatis in curriculo ne eum pone legas, sed plane ut primum teneas locum, qui maiorem tibi in modum cordi est, ipsi continuo antecellas, aliisque innocentiae praebeas exemplum; neque alterum facias te modestia, religione ac bonitate superare.

Sanctus Aloysius, qui puerili animo erat et regio, Philippo suo aiebat: Religiose Deum adores, fili, sanctaeque parenti nostrae Ecclesiae servias. Corde et animo rerum Dominum roga supremum, praesertim dum sacro interes, consecratione sanctissimi Iesu Corporis absoluta, tacitusque verba facias nemini.

Gaudiis, solatiis, ludisque magno iuvenuli opere delectantur: mihi tamen credite experto, nullum gaudium, nulla quies, nulla solacia, nulla voluptas praeter quam amare Deum. Eique soli servire, cui servire regnare est.

Animos enim excruciant cupiditates et nemo unquam potest primo quoque tempore Deo vere se addicere. Inanitatem cavete et socordiam; tamquam a facie colubri, peccatum effugite, namque lapsus in culpam facilis; exitus vero perdifficilis. Sanctam Dei legem diu noctuque mente revolvite; altius eam animo infixam memoriae servate, saepe vestri inquirite rationem; Dei praesentiam addiscite mediis quoque illustrioribus in conventibus atque celeberrimis. De Deo loquentium librorum lectioni assidue vacate: profana siquidem volumina superbiam fovent, et quemadmodum vestras augent notiones, ita exspectationem acuunt; iunioribus aleae plenum opus.

HERM. M. IACOBELLI.



EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

EMMANUEL JOVÉ ab ANDREA AVENARIO sal.

Fateor, amice, me plus minusve haerere, quum vocabulorum quae sequuntur notiones sim apud te expressurus. Sed tu bonus videris.

Itaque SCHILD (*Enseigne*), quo mercatores et artifices suum nomen et professionem praetereuntibus notant, « insigne » appello.

BRIEFMAPPE (*Porte-feuille*) non est, quo reddam.

WELTANSCHAUUNG, philosophiam, vel systema philosophicum non absurde dixerim.

VEXIERBILD (*Imago ad vexandum; recherche; estampa enigmatica*) est mihi « quaerenda imago ».

HEIZKÖRPER (*Radiateur*) « membrum hypocausticum » est.

MUSIKSTUCK (*Pièce de musique*) « opus musicum » est.

FÜLLFEDERHALTER (*Stylographie*) « calamus completivus » est.

Desidero vocabulum, quo reddi possit latine, quod nos in latrinis WASSERSPÜLUNG appellamus, quod Galli *chasse-d'eau* appellant.

Ad extremum iam accipe quorsum tenderint *causeries françaises*.

Nostine ille liber Georgii Stiri quomodo sit dispositus atque instructus? Fundit Gallicum de rebus cotidianis sermonem eumque continentem, non in singulas divulgum sententias. Simili libro homo quidam doctissimus - Rensio nomen est - Germanos introducit in Anglicam linguam, et alii fortasse imitati Stirum in alias linguas introducunt. Iam saepe est desideratum, a nostris noviciis in primis, ut eiusmodi sermones de rebus cotidianis conscriberentur etiam latine. Hunc te librum ut aggrediere eram ortatus, et vehementer quidem. Quot vocabula, vetera et nova, similis libri ratio ultro inferret nostris auribus! Quam brevi hoc edito libro, qui linguam Latinam huic aetati accommodatam negant, conticescerent! Nuper, ubi tuum conspexi *Candidatum*,¹ fateor, timere coepi, ne tibi, homini iam antea occupatissimo, nunc nova premente sollicitudine talem postulationem ab modesto viro suministrari non oporteret. Sed, mihi crede, melius et utilius *Candidatum* non instrues, quam quum eum per capita Stirii exempli latine ad medianam vitam informabis. Utinam vero multis etiam aliorum hominum litteris undique Cervariam inscriptis brevi intelligas tibi diutius tergiversandum non esse. Vale.

Ex Aquis Driburgensis, in Kal. Maias MCMXVIII.

¹ Quid hoc?... Et curnam, lové noster, opus hoc, quod a te editum videtur, ad nos non misisti? - ALMA ROMA.

Dum canis os rodit, socium quem diligit odit.
Fac bene dum vivis, post mortem vivere si vis.
In silvis lépores, in mensis quaere lépores.

COLLOQUIA LATINA

Preparatio convivii.¹

LAURENTIUS. — Archimagire, rogat herus num parata sint quae coquenda in prandium, an nondum etiam.

ARCHIMAGIRUS. — Vix sonuit undecima et me moratur obsonator noster. Puer, sportam cape, curre in forum piscarium biceyclula, adfer quos mercari possis pisces; acceler.

ANTONIUS. — Minime est opus; modo obsonator redit: advexit salmonem, aci pensem, raias, ostrea, soleas, pisces alios varii generis.

ARCHIM. — Visam. Ades huc, Antoni. Pisces igni superposui in cacabo; hi ne decoquantur tibi cautio sit.

ANT. — Dabo operam. Tu, Laurenti, quoniam adstas otiosus, parumper despumato, dum ego abeo allatus ligna arida hinc, ex cella proxima.

ARCH. — Quae est haec ignavia? Mytili nondum sunt a sordibus purgati.

ANT. — Unus ego expurgandis non sufficio.

ARCH. — Arcesse unum atque alterum, qui nobis hac in re operae paulum tribuant. Laurenti, exige canem illum e culina fuste querneo; evertet ollas.

ANT. — Felis dimidiatum pene butyrum devoravit.

ARCH. — Hoc tibi vitio datur.

ANT. — Mihi autem...

ARCH. — Tibi vero. Quin arcebas illum a butyro?

ANT. — Non praevideram.

ARCH. — Cave cuiquam dixeris praetelea; nam, herus si resciverit, tu illi poenas pendes.

ANT. — Quid hac faciam aselli cauda?

¹ EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

ARCH. — Cedo ut igni superponam: tu adfer craticulam.

ANT. — Num is asellus erat recentior?

ARCH. — Caput consule: en ut rubent branchiae! Id indicium est certissimum. Aquamne in ahenum infudisti quod iusseram?

ANT. — Etiam supra focum appendi. Quid postea?

ARCH. — Fac ut bulliat aqua, quo celerior excoquatur lucius fluvialis. Nimium modo attollis ahenum, modo dimittis: serva medium.

ANT. — An aceti guttas aliquot istillabo, quo piscis sapiat acrius?

ARCH. — Tu fac ipse sapias, et abstine. Laurenti, admone architrilinum, mensam ut sternat: interea temporis cetera ego fercula apparavero.

EX ITALIS URBIBUS

Terna publica rerum Monstratio Augustae Taurinorum.

Sum ego ipse, qui Tibi, *Alma Roma*, hanc dabo epistolam, latine euidem exaratum, atque, quod caput est, ab illa urbe, quam Julius Caesar, quo facilius Taurinensis imperitaret, ² Augustam appellavit.

Postquam vero nuptiae regales factae sunt, postquam et ipsi sponsi, animi causa, Allodium (*Agliè*) petiverunt, amplissimam villam apud Taurinum positam, et Rex Victorius Emmanuel III in Urbem se contulit, ego, e contrario, relicta breviter Roma, huc veni, ut placide hanc civitatem inviserem, eiusque pulcritudines commodius aptiusque gustarem. Dicam in primis pulchriorem eam esse quam paulo ante. In hoc omnes peregrinos mihi facile

assensuros esse confido. Quam enim venustior, quamque varia! Et quod est caput, quam ditior!

Si non prima frons me decipit, cum qualicumque celebriori civitate de primatu decertare ipsa potest.

Olim enim eam ob nimiam viarum domorumque similitudinem insimulabant adeo ut, quum et viam unam perlustrasset, tibi supervacaneum esset otiosumque alias percurrere. Nihil tam falsum nunc est; nihil, meo iudicio, est magis citra veritatem. Ipsae viae, quas ego nuper iterum iterumque permessus sum, ampliores ceteris quae in maximis sunt civitatibus esse videntur, et aliam prope urbem maximeque commodam ob oculos ponere.

Quum alii alio regales hospites pro lapsi sunt, ego unus propemodum ex Urbe profectus, huc modo perveni, et Augustam Taurinorum libero pede invi- sam.

**

Taurinenses, qui propter Augustam Domum, aulici omnino esse videbantur, et in ipsa fiduciam totam ponere, nunc sui sunt iuris atque consilii, rebus suis unice inserviunt et suam sibi omnes manibus fortunam fingere contendunt. Prae ceteris atque in primis Ioannes Agnelli, regni senator, qui pauper nuper, ingenio nunc atque industria factus, excelsior eminet. Hic est auctor princeps illarum rhedarum recentium quas *automobiles* vocamus. Namque in ipso operosae huius urbis limine, nuperam atque amplissimam harum rhedarum officinam aperuit novisque semper accessionibus auget, in qua viginti et amplius millia opificum operibus incumbunt, qui in variis distinctisque ordinibus compositi alii alias rhedarum particulas comparant.

Quum Augusta Taurinorum vellet, in ceterarum Italiae urbium exemplum, honori et memoriae filiorum, qui proximo

bello animas pro patria prodigi posuerunt, erigere, Vir ditissimus Ioannes Agnelli, ultro hoc monumentum Taurinensis dignissimum, hoc opus suis unice impensis sumere pollicitus est.

Ad meridianam urbis partem, in summo colli cui est nomen *La Maddalena*, statuam aere completam, maximoque artificio confectam, in Phari fulgentissimi speciem posuit, ea equidem amplitudine atque lucis abundantia, ut Taurinenses

Huius ut adspicerent opus admirabile saepe!

Hoc sane monumentum si qualis sit Italorum animus dicet erga illos qui pro patria occubuerunt, munificentiam egregii viri praedicabit hominumque exemplum manebit.

Ab ipso *Terna rerum exhibito* exordium habet.

(Ad proximum numerum).

FR.

ANNALES

Polonorum Lithuanorumque dissensiones.

Superiorem menstruam civilium rerum per orbem recensionem nostram concludebamus, conventum memorantes a Polonorum hinc indeque Lithuanorum legatis frustra habitum ad duarum gentium dissensiones conciliandas, praesertim de Wilnae urbis imperio. Ecce autem, his diebus, inexplicabile Lithuanorum gubernii decretum, Kaunas ex urbe editum, qua Wilna urbs Lithuanicae civitatis caput declaratur. Inexplicabile diximus; quomodo enim huiusmodi decretum vim habeat contra Europaearum nationum foedera, quibus illa urbs Poloniae addicebatur? Profecto per huiusmodi agendi rationes nedum extinguitur, ignis conflabitur!

Iaponiae in Sinis interventus.

Qui quidem, et heu! latius et vehementior in Sinis ardens, nunc videtur in Iaponiam inflammari. Iaponii enim, ad cives suos, trecentorum millium numero, in Mandchouria degentes ab horroribus civilis belli tutandos, armis instructi regionem illam occuparunt, nihil omnino carentes «nationalistici», quod appellant. Sinarum gubernii protestationes. Hinc duarum partium Sinarum dominium appetentes pro tempore in unum hostem, Iaponiam, consociatio; quae tamen impedire non potuit, quominus Iaponii milites superiores de dissolutis Sinensium copiis evaderent.

**

Bela-Kun, perdit hominis, in Austria comprehensio.

Nonne meministis Bela-Kun illum perditum hominem, qui ob institutum apud Hungaros, post bellum infeliciter actum, terroris regnum «pantherae rubrae», cognomen ob ferociam suam meruit? Amisso tandem imperio, nihil ultra de eo cognitum erat, nullum sui vestigium is reliquerat. Mirum quidem omnibus fuit nuncium Vindobona vulgatum, ipsum in illa civitate a magistratu, qui publicam disciplinam tuerit, fuisse comprehensum, novae coitionis in Hungaricam rempublicam insimulatum. Atqui est sperandum fore ut libertati reddi nequeat!

**

Germanica et Gallica comitia.

Tum in Germania, tum in Gallia recens habita sunt comitia ad publicorum coetum legibus ferendis legatos novos eligendos. Illic socialistarum ipsique communistarum factioni favorabiliora evasere; huc huiusmodi partibus fides angustior cessit.

Italicae res.

Nova utrisque armis vacandi, itemque conciliatione iurisque tribuendi pactio eaque cum Turcis die xxx m. Maii MCMXXVIII ab Italib inita est; qui pariter viderunt sibi tandem abunde satisfactum optionibus suis de Tingisis rebus.

Maior vero fuit pro Italib apud orbem universum Victoria, quam ad arcton expeditio in aeronavi dirigibili prolecta, cui Nobile aeronauticarum copiarum supremus dux est praefectus, reportavit. Iterum enim die xxiv superioris mensis Maii, pulum attigit, cui Italicum et humanae Redemptionis signum fixit.

Quamquam communi laetitiae gravis angor successit; quum enim impavidi illi speculatori reditus viam iniissent, ex improviso quaelibet eorum notitia cessat. Numne infortunium aliquod vel calamitas accidit?

Avertat Deus, quem fidenti animo supplices humilesque rogamus!

Kalendis Iunii MCMXXVIII.

POPULICOLA.

**VARIA****De Canuti et Gormi, patris eius, morte.**

Quum Araldus et Canutus, Gormi Danorum regis filii, in Hyberniam transissent, atque ad Dublinum, totius insulae urbem principem, castra posuissent, quumque fortasse in eorum contemptum, qui obsessa in urbe morabantur, noctu edendis ludis et spectaculis operam darent, Hybernienses nonnulli, qui in densam silvam ei loco continentem clam sese abdiderant, oblata sibi commoda atque idonea occasione, Canutum, qui in loco edito erat,

sagittis coniectum necavere. Nihilominus, ut scriptor quidam Danus refert, Canutus, quum se lethali vulnere affectum sentiret, ne militum animum frangeret, saevissimum dolorem dissimulavit, atque omnino celavit; quumque horrendum in modum oppugnari moenia iussisset, urbis potitus est, antequam de ipsius vulnere fama perulgaretur.

Quum de infelici Canuti obitu in Daniam nunciatum esset, nemo audebat id patefacere Gormo patri, iam senio confecto et caeco, eo magis quod antea iuravisset, se interfectorum, qui triste de carissimo filio nuncium ipsi afferret. Verum Tyra, eius uxor, Canuti mater, ut, quod verbis non liceret, signis saltem ei ostenderet, regali ueste exutum caecum virum lugubri ueste induit; qua cognita, ille: - «Heu me miserum! - inquit - mei Canuti mortem mihi ostendis!» - «Ita prorsus res est - respondit Tyra; - aliter enim, praeterquam in capitibus periculum veniendo, id fieri nequibat».

Quibus auditis, Gormus rex, maximo dolore affectus, repente et ipse de vita decessit.

F. B.

**

Volucres et ager spicis consitus.¹

Avicula in sato agello nidificaverat, filisque iam grandioribus spicas edendas praebebat. Herus, aestate iam adulta, dixit: «Mature euge ad metendum vocandi sunt amici». Parvuli id matri nunciant, eamque ad fugam hortantur. At illa: «Nondum tempus advenit; amicis si confidit, diu quidem ei expectandum». Rediit herus torrido iam sole atque spicis ardescientibus, et operarios arcessi iussit ad metendum et manipulos conficiendos. Tum vero ales filii: «Maturate fugam; non enim amicis, sed pecunia sua modo confidit».

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Promulsis varia.**Oryza, Orientalium more condita.**Tyrotarichus italicus.**Gallus indicus ad decotionem tractus.**Asparagus suaviter asper.**Parvae scribilitae pomorum liquamine conspersae.*

**

Locosa.

Tuccius pulcrum pomum laetus gestat. Quod condiscipulus videns, eum interrogat:

— Quid hoc pomum par impar non iudamus? Ego par teneo.

Tuccius: — Ego vero pomum! Statimque avide mandit.

Tuccius, in via, pistoriae officinae occurrit, cui subsequitur transenna, seu potius armarium, in quo dentium medicus omnis generis fictos dentes exposuit.

— Velim — secum exclamat — per breve tempus omnes illos dentes in hore habere ut brevi tempore omnes illas cupiedias edere possim!

**

Aenigmata.

I

Substinet arcanum, caudam si dempseris, al [tus

Tunc iam viventum pectora somnus habet.

II

In pratris errat totum; caput aufer, in aula.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent:

1) *Fa-mulus*; 2) *H-ara*.

¹ Italice exaravit N. TOMMASSEUS.

STANISLAUS FUGIENS

7

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

NAEVOLUS.

Nimirum maledicta et verbera.

STANISLAUS.

Ego nunc alio avo-

[cor. Vale.

SCENA IV.

NAEVOLUS, BILINSKIUS.

NAEVOLUS.

Aut ego fallor, aut in pectore meus hic herus
 Magnam occultat curam. Benigne me prius
 Saepé compellabat, ac pene familiariter:
 O Naevole noster, salve; quid fit? quid agi-
 [tur?

Ego, ut assolet: quid? sustento sedulo.

Tunc ille pronis instillabat auribus

Rerum caelestium dicta, oratione quam sua-
 [vissima.

Haud ita pridem occipit ille vultu ire gra-
 [vior,

Et licet de facilitate nihil remiserit,

Ipsam videtur collocutionem defugere om-
 [nium.

Frustra non haec eveniunt, nisi si quid latet,
 Quod ego non admodum prudens intelligo.

BILINSKIUS.

(Ehem! quid iste loquitur? Audire clam volo).

NAEVOLUS.

Atqui metus profecto accedit verior.

Namque egomet modo cum curarem huius
 [cubiculum,

Atque ut solet munditias facerem sedulus
 Ut forent vorsa, strata, lauta, tersaque omnia,
 Manum forte ad sepositam admovi capsulam:
 Aperio, scrutor, excutio diligentius,

Atque ibi vestem nugasque peregrino idoneas
 Reperio intus, quae mi moverunt suspicio-

[nem maximam.

BILINSKIUS.

(Pro superi! quid haec portendunt?)

NAEVOLUS.

Ego vero statim

Cuncta composui, et statui in sinu celare
 [quae perspexerim.

Nam didici servos operam praestare dominis
 Fidelem debere, taciturnitate in primis ac fide,
 Quin si vel Paullus haec rescisceret aut vafer
 Ille Bilinskius, heu! quales quantasque turbidi
 Turbas excitarent pueri insontis in caput.

BILINSKIUS.

(Inscius hoc sane veni in tempore).

NAEVOLUS.

Sed tamen...

BILINSKIUS.

(Quid cesso aggredi?) Naevole.

NAEVOLUS.

Tu quisquis es

Satis pro imperio. (Hui hui! Bilinskius hic
 [est, neque praevideram).

BILINSKIUS.

Quis ais, o bone?

NAEVOLUS.

Qua de re?

BILINSKIUS.

Rogas? Quaedam modo

Tute missitabas.

NAEVOLUS.

Factum.

BILINSKIUS.

Quid istuc erat?

(Ad proximum numerum).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Spōnsor.

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR, ROMAE, VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Sociis

JM

pagg. 103, edi-

eiudem auctoris
atae apud ephebea

n erit publici cursus
ribus).

AE ROMAE col-
annum MCMXXVII,
nstituimus libella-
scilicet 650, pro

per nummariam
tramite requiren-
ma, 12, Via del
est, non sinit ut
rependi possit.

Ann. XV

Romae, Mense Julio MCMXXVIII

Fasc. VII

ALMA ROMA

LATITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

Ad sanam artem fovendam

Memini me quandam Gabrielis D'Annunzio, ni fallor, sententiam legisse in Italicu populi vita plus ponderis artis pulcherrimam operam obtinere, quam tributarium forte legem, aut foedus aliquod cum aliis populis ictum. Atqui, si ex maiore studio, quo in liberales artes populi feruntur, eorum proiectae humanitatis tutum esset iudicium, omnes plerumque hodierne gentes, Italica non excepta, iam ad barbarae aetatis ostium pulsaremus. Nunquam enim antea, ut hodie, contigit, ut quum multiplices sint exemplandae pulchritudinis modi, in oculis omnium versentur passim pulchrae res pulchraque gesta infinita propemodum specie reddita.

Nunquam, contra, ut hodie, liberales artes invisa multitudini apparent!

Iudicium enim illud tutum certumque, quo pulchra opera a foedis seiunguntur, populari sententia corruptum adeo videtur, ut passim in artium bonarum publicis recensionibus, quae frequenter exhibentur, amentiam paene regnare dixeris. Ignoti abditique gentibus optimi artifices vivunt, eorumque nomina vix in amicorum exiguo circulo insonant; eorum opera quasi aenigma spectat plebs, dum avide, contra, insolita, abnormia ac rudia conamina demiratur. Curiositate atque stupore fertur

populus, neque animorum commotioni aut admirationi ullus est locus, iudexque vulgaribus artificiis, quibus opus et tabulae eminent magis aut illustrantur, decipitur. Iamque artifex, qui olim, renascentibus per Europam litteris, necessarius tamquam opifex habebatur, sumptuarium locum modo occupare censemur, taedetque multos eiusmodi artium recensionum, quasi vires hominum ostendant, in vanum laborem inutiliter perdi atque absumi.

* *

Sunt et hi quidem nimiae sollicitudinis fructus nimiaeque inquietudinis, qua in vitam alendam incumbimus; effectus saepe insatiatae illius commodorum voluptatumque sitis, cuius stimulis nolentes vel libentes urgemur omnes. Si quis enim seiunctim sese vivere posse iudicet, atque beata vita aliquantulum frui, ille brevi ipsa turbinis vi, qua fertur universitas atque res publica, paterna ipsa bona amittet. Iamque nulla optio reliqua est, nisi quis forte religiosam vitam amplectatur: aut cum ceteris in cursum praeceps currere, aut ingruentibus post se fluctibus obrui. Qua de re dum doctrinae disciplinarumque progressus vires novas ad hominum usum natura suppeditat, pallescit, contra, in dies recti atque pulchri species, acriusque fit ac magis magisque imposcapesendae beatitudinis intimum desiderium.

Heu! in tenebras ruimus, paucos si ex-
cipias ingenio selectos, qui in pulchri-
speciem contemplandam prorsus confu-
giunt, artiumque omnium, si qua reliqua
est via, fastos adhuc provehunt. At ver-
bum suavissimum iterantes atque expla-
nantes quis audit? Quin etiam tanta iam
inter utrumque agmen varia mens facta
est, ut non unus praenunciaverit in duo
opposita genera humanam familiam brevi
esse digressuram.

Sacerdotes quidam pulchrarum rerum
studiosi, quo tristibus auspiciis quodam-
modo adversarentur, assiduo magisterio
adlaborandum suaserunt, et in ludis, et in
diariis, et in academicis museisque...

Ecquid tamen? Nonne sensus pulchra-
rum rerum nobiscum nascitur, et quasi
caelitus concessum donum plerumque est,
quod perficitur quidem studio atque dilige-
ntia, sed nunquam gigni valet, ubi na-
tura negaverit?

Atqui, malae fortunae non difficile est
repetere fata. Quod enim res artium liberalium
adeo fuerint desperatae, causa haec
praecipua appetit: omnia deleta esse incita-
menta, quibus ab alto accipiebant homines
quidquid verum sanctumque, quidquid pul-
chrum ac delectabile esset. Namque Dei
summi spiritusque humani, similis eius,
notione sublata, in volutabrum ruerunt
plebes huius unius oblectamenti cupidae:
reliqua quae sensuum non essent, tam-
quam fabulosa et vana et sibi impropria
despicerunt.

Harum in numero rerum principem
obtinent locum, ut philosophia et poësis,
musice pariter liberalesque artes omnes,
quas non sine ratione maiorum sapientia
caelitus data dona hominibus fuisse cen-
suit.

**

Re quidem vera, nonne iam in illa
tristissima Lutetiae Parisiorum urbis ever-
sione, quae tamquam epilogus Germanici

belli exarsit, pulcherrima paene omnia
monumenta liberalium artium vidimus
igni tradita? Quid recentissimi belli faci-
nora commemoramus? Quid illa quae
quotidie fieri apud Russos audimus? Haec
plane vesano furore avebant et avent latius
in dies patranda, qui «socialismum»
primum ac deinde «communismum» seu
«bolscevismum» exitiosa verba mortiferumque
venenum praedicarunt et praedicanter:
«Materia sumus - iactant -; materiam
quaeramus, unusque sit humanae beatitudinis apex, more bestiarum, solute vivere
in mundo! Bonis artibus gaudent tantum optimates;
plebi inutilia huiusmodi cadunt gaudia;
numquid earum imperium tolerandum adhuc? Deleamus igitur atque
abradamus quidquid marmore aut coloribus
aut atramento nugaces viri effinxerunt
perdita opera!» Haec vulgo blasphemantur;
haec impudenter effutiuntur!

Profecto sub iterato huiusmodi barbaro
congressu flos pulchri languescit paulatim,
atque inclinat caput. Is enim flos est,
qui, terram licet radicibus imis contingat,
verticem tamen purum in aërem extollit,
sicut solem atque caelum; quae si pro-
hibueritis, exsiccata brevi corolla decidet.

Iuvat igitur fideles divinis adhaerere
sponsionibus acrius semper, quo magis
circum fit desperata salus.

Quumque pro certo habeamus divinum
verbum nunquam defuturum, inde et flamen
artium ingenuarum, quod ex Deo est,
fore ut continuo renovetur speramus.
Speramus fore, ut mox, transacta tandem
haec qua plus minusque omnes agitantur
amentia, innovatis tranquillitatis ordinis
diebus, digna pulchri opera, imo nunquam
antea conspecta pariantur.

I. A. C.

Sapientissimi artis possessores sunt a quibus et
propria studia verecunde et aliena callide aesti-
mantur.

VAL. MAX., VIII, 12.

De Romanorum vestibus¹

Usitatissimus alter Romanae gentis
amictus erat *Tunica*; ad quam quid spe-
ctarit iam expensuri, prius vulgarem eius
rationem, inde peculiaria genera perse-
quemur.

Adeo id vestimentum commune viris
omnibus habebatur, ut illi ipsi, quos inopia
togam inducere non sinebat, nunquam ta-
men tunica carerent; quam ob rem *Tu-
nicatum popellum* dixit Venusinus poëta.²
Verum quod in Urbe pauperiorum solum
erat, ut tunica sine toga uterentur, hoc
idem in agris vel ditissimi quique factita-
runt. Quo respicit exclamatio Martialis
(X, 52):

... O soles! O tunicata quies!

Quando autem tunica simul cum toga
gestabatur, huic illa suberat; quae et ipsa
lanea, atque alba,³ ad haec, manicis exspersa,
ad medium ferme crus defluebat. Atque
haec duo postrema eius erant instituti, ut
aliter fieri summo sine dedecore non posset.
Atque haec est causa, quam ob rem Tullius
in II *Catil.* (X) haec de grege conspiratorum
stomachose efferat: «Quos pexo capillo nitidos... manicatis et talaribus tunici-
cis videtis». Nec absimili ratione Numanus⁴ Troianis exprobat, quod

Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae.

Quod tamen ad manicas attinet, ne quis
sic accipito, quasi nullis omnino praedita

¹ Cfr. fasc. sup.

² I Epist., 7.

³ Proprium albae laneae colorem in tunica fuisse
servatum, peraeque et in toga factitatum, nihil est
quo in dubium revocetur. Notandum tamen est, humili-
lis sortis homines vertentibus annis ad tunicas pullas
declinasse. Atque hinc ansam arripiuit Cicero Verrem
(IV, 24) obiurgandi «quod in officina maiorem partem
diei cum tunica pilla - (sellulariorum more) - sedere
solebat».

⁴ IX, Aeneid., 616.

haec vestis fuerit: habuit namque suas,
non certe quae ad manus usque descendente-
rent (qualibus instructas tunicas *Chirido-
tas* et *Macrocheras* posterior aetas dixit):
sed quae medium brachii curvaturam non
excederent.

Tunicam secus ac togam, cinctu con-
stringere moris fuit. Quae res sicut recte
servata sollertiae argumentum habebatur,
ita neglecta nunquam non desidia atque
iucuria data est. Itaque discinctum vel
etiam male praecinctum prodire, semper
probrosum fuit. Hinc *discinctus nepos* apud
Horatium.¹ Id vero totum de una modo
laticlavia (quam e vestigio producemus)
acceptum ne esto; quippe quum eam dis-
cinctam geri consuetudo tulerit.²

Ac de vulgari tunica haec sunt. Ad
singularia nunc genera veniamus.

Tunica laticlavia et *angusticlavia*, al-
tera senatorum, altera equitum propria
fuerunt, idque praecipuum habuere, quod
illa lato, haec angusto clavo (vel, si ita
malis, duobus³ angulis clavis ornata erat.

¹ Epod., 1.

² Luculenta admodum unde hoc clareat institutum,
verba sunt Quintiliani (XII, 3): «Cui lati clavi ius
non erit, ita cingatur, ut tunica prioribus oris infra
gena paululum, posterioribus ad medios poplites usque
perveniant.. Latum habentium clavum modus est, ut
sit paulum cinctis submissis». Itaque quum laticlavii
cincti non uterentur, ab eo causa fuit cur de Julio
Caesare a Suetonio (XLV) tamquam abnorme prode-
retur: «Etiam cultu notabilem ferunt. Visum enim
lato clavo ad manus simbriato, nec ut unquam aliter,
quam super eum cingeretur».

³ Quintiliani locus, quem in proxima adnotatione
attulimus, ea insuper affert, e quibus non inepte co-
niici posse videatur, angusticlaviorum tunicam non
uno tantum fuisse clavo instructam. Postquam enim
dixit: «Cui lati clavi ius non erit, ita cingatur, etc.»,
tum statim subit: «Ut purpurae recte descendant
levis cura est». Ac mox simili ratione ita tunicam
eisdem hominum generi componendam monet, ut «pur-
purae recte cadant». Is igitur auctor angusticlavii
«purpuras» numero multitudinis attribuit; quem
contra apud quemcumque de laticlavii sermo est,
nunquam non «purpura» aut «clavus», singulare
numero proferatur.

Fuit autem *Clavus* non plane aliud, quam quadrata oblonga linea, veluti quaedam fascia, purpurea, tunicae vel intexta, vel adsuta,¹ atque a summa ad imam eius oram per medium pectus protenta.²

Tunica palmata, praeter unam formam quae eadem ac consuetae tunicae fuit, reliqua omnia cum toga cognomine, de qua supra, habuit communia; nimurum, aequa atque illa, purpurea fuit, intextis pictis auro palmis insignita et triumphantiam propria.³

¹ Utrumque in consuetudine fuisse positum, ut clavi tunicis alias insuerentur, alias intexerentur, liquet tum ex Ulpiano de aur. et arg. leg. I vestimentum; tum ex Festo v. *Clavata*.

² Rati quidam fuerunt, *Clavos* fuisse in vestibus intextos flores. Verum haec opinio facile per id revellitur, quod floridis vestimentis non alii, quam delicatores, aut vero etiam servi utebantur; quum tamen *Clavi*, de quibus hic agitur, honestorum civium essent et quoddam diversorum ordinum διακριτικόν. Quo etiam illud adde, vix uno aut ad summum altero clavo ornari tunicas consuevisse; et quae indumenta flores habebant, ea ingentem eorum copiam prae se tulisse.

Aliis *Clavi* fuerunt fibulae, aut globuli aurei purpurei queis tunicae connecterentur. Huic vero sententiae non suffragantur vetera monumenta, nil tale in statuis togatis repraesentantia.

Nonnulli porro *Clavum* plagulam esse crediderunt, quae imposita humeris in pectus demitteretur. At contra stant scriptorum vetustae aetatis testimonia, per quae scitum est clavos fuisse tunicis insertos.

Aliorum opinio tulit non aliud fuisse *Clavum*, quam fasciam, seu limbum extremae tunicae praetextum. Eam vero, praeter alia, illud evertit, quod et Latini clavatas vestes a praetextis distinguunt, et Graeci illas μεσοπορφύρους, has autem περιπορφύρουs appellant.

Postremo plurimi eo cessere, ut dicerent *Clavos* fuisse bullas e purpura ad capitum clavorum instar, tunicis intextas. Verum eiusmodi bullas plures esse oportuit, non unam, aut duas, quot clavos exstisset constat.

Si plura scire cupias, candide lector, cfr. ALBERTUM RUBERIUM, *De re vestiaria Romanorum*, I, qui iam suo tempore rem tam enucleate explicavit, tam validis argumentis, nullum ut amplius iam dubitationi locum reliquerit, clavum fuisse quod nos indicavimus.

³ Cfr. LIVIUM, XXX, 15.

Occurrit praeterea *Tunica recta*; cui non quidem peculiare aliquod insigne, sed ea, quam mox feremus, causa appellacionem impertivit.

Fuerunt sane, qui opinati sunt, ita dictam tunicam, quae discincta, nulloque intersecta vinculo, uno veluti ordine deflueret; qualem omnino Graeci χιτώνα ὥρθοστάδιον (i. e. «tunicam erectam stantem) nuncuparunt. At detur licet, id de aliis tunicis fieri potuisse, certe tamen quae vulgo *recta* dicebatur, quam scilicet tirones cum toga libera sumebant, longe aliunde nomen mutuata est. De qua re sic Festus: «*Recta* – inquit – appellantur vestimenta virilia quae patres liberis suis conficienda curant omnis causa, ita appellata, quod *astantibus et in altitudinem texuntur*». Ei porro mirifice consentit Plinius (VIII, 48), ubi sic narrat: «Ea prima – (Tanaquil, uxor Tarquinii Prisci) – texuit rectam tunicam, quales cum toga pura tirones induuntur, novaeque nuptae». Unde facile colligere possumus, eiusmodi tunicarum *rectitudinem* non a gestationis, sed a texturae ratione exstitisse.

Habes iam, candide lector, quidquid de *Tunica* sciendum erat. Sed et his omnibus unum id postremo addatur, interiorem alteram geri consuevisse, eamque pro viris *Subuculam*, pro mulieribus *Indusium* appellatam; quae diutissime lana, sero ad modum linea esse coepit.

S. A.

Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux

III.

Emmanuel Philibertus, antequam in patriam rediret, iterum cum Gallis praeclitum apud Gravelinum iniit, et tanta clade adversarios prostravit, ut, ad eius quasi arbitrium, inter necivum illud bellum tan-

dem sit compositum. Et magni omnino fuit eius opera in hoc praelio, quo Galli fusi fugatique sunt, ut iocose, more suo, gravissimam hanc cladem «Redditum a Veromanduorum nundinis» advocarent.

Quamobrem, compositis denique rebus, adnitente potissimum Philippo II, qui in suum arbitrium reduxit novum Gallorum regem, Henricum Tertium, universam Subalpinam regionem, cum accessionibus obtinuit. Post tot rerum perversiones atque labores, bellicis laudibus insignis, ad pacatam denique urbem, Augustam Taurinorum, quae tunc primum Regni caput eligitur, incredibili omnium laetitia, restitutor feliciorum temporum salutatur et triumphans invehitur.¹

Princeps providentissimus, tunc a belli periculis ad pacis studia animum convertit. Legibus promulgatis ad temporum rationes exactis, et imminuta regulorum potentia, aequabilitatem iuris induxit; agrorum cultum impense fovit, egregiisque propositis premiis, peritissimum quemque artificem ad se undique accersivit. Annos conventus abolevit, in quibus oratores a certis civium ordinibus delecti de publicis negotiis agerent, propterea quod, ut ipse testabatur, in diversas partes abstracti, nunquam in communem utilitatem conspirarent.

Et nostra aetate, quum maxime inter populos opinio vigesceret, ex communi modo ingeniorum certamine veritatem adsurgere, atque in publicum bonum manere, unus vir ex improviso exstitit, qui, «nec torpere gravi passus sua regna veterno», oratores populares ad sua quoque negotia revocavit, omniaque in suam dominationem reduxit.

Quam vere, quam apte illud Horatii: «*Multa renascentur quae iam cecidere!*»

¹ Ad memoriam huius diei obsignandam atavo suo fortissimo equestrem statuam ex aere miro artificio confectam cum basi anaglypta in area ante templum Carolinianum Carolus Albertus posuit dedicavitque.

Omnium disciplinarum studiis instauratis, et magisteriis auctis, Athenaeo Taurinensi, quod temporum vicibus tacuerat, ampliorem dignitatem conciliavit. Quum autem optime intelligeret, quo tandem evadant doctrinae, quae impuro fonte redundant, quantique intersit rei publicae, homines christiana professionis praeceptis a teneris imbui, ordinem sacerdotum, cui a Iesu nomen est factum, iam tum expolitissimis ingeniis et pietate florentem, advocavit, qui perversis Calvinianorum placitis obsisteret, et sobolem Subalpinam iis artibus erudiret, quibus ad humanitatem solet informari.

Sic gens Subalpina, depositis tandem externi dominatus compedibus, Italica rediit, et huiusmodi iam ab stirpe iisdem quoque legibus eodemque eloquio in unam gentem coalescere coepit.

Sed tunc Calviniani sectatores ex Helvetia in Subalpinam regionem irruerant, eamque Calviniana lue afficere nitebantur atque ab antiqua atavorum sapientia abripare. Ad haec foedius et turpius ex Gallicis alpibus nos vexabant nefarii homines, qui Petri Valdo pravitatem sectantes, sub religionis speciem, audaciores principis voluntati obstiterant, atque atroci quodam certamine fidissimum quemque torquebant atque ad defectionem hostili animo atque insidiis stimulabant. Ipsi occulto sacramento initiati, e tenebris osis Pinarolii vallibus irrumperentes, novo regno pericula struere eiusque compagem laxare totis viribus contendebant.¹

Dum Princeps, expulso externo dominatu, sanandis vulneribus intendit, quae superioribus temporibus fuissent inusta, ecce Valdenses, Gallorum regis potissimum suffragio freti, alacres, erecti, per viciniores pagos cursitare, repente insur-

¹ Quos Gallia Ugonotti vocitabat, quod iuramento essent obstricti, nos Valdenses vel Barbetti, quod eorum ministri prolixam barbam colerent.

gere, et Ducas praecoptis fidenti animo obluctari.

Adstitit vero Emmanuelis Philiberti virtus, qui romanam prope animi fortitudinem referens, ex impiis factionis fauibus auctoritatem eripuit, et merito sibi redditam ad pristinam dignitatem revocavit.

Summa hac festinatione, improborum audaciam fregit atque superbissima imperia Regis aspernatus, Subalpinorum animos confirmavit, quorum spes, in tanta rerum commutatione, in eo omnis sita erat.

Postremo, quo melius civium securitati et pacis diuturnitati esset consultum, arcem Taurinensem ab inchoato extruxit, ex ingenio praescriptoque Horatii Pallioti Urbinatis; nonnulla oppida communivit; officinas pulveris ignescientis constituit; equestrem demum et pedestrem militiam ita ordinavit, atque anniversariis exercitationibus excoluit, ut ingruente bello, ex omnibus regni partibus ad arma convolaret.

Hisce potissimum artibus Emmanuel Philibertus vulnera reipublicae imposita sanavit, et moriens regnum florentissimum Carolo Emmanueli filio reliquit.

Nulli unquam ex italis Principibus rectius quam Emmanueli Philiberto Horatianum illud de Augusto potuit aptari: *Solus res italas armis tutaris, moribus ornas, legibus emendas!*

SUBALPINUS.

MONITUM.

Ut iam assuevimus, fasciculi Augusti et Septembbris mensis in unum prodibunt, qui primis Septembbris mensis diebus edetur.

Per idem tempus elenchi socio-rum recognitio fiet, deque eorum

**numero eximentur qui ab aliquo tempore pretium subnotationis suae solvere omiserunt. Qui igitur in hac conditione versentur, ne remoren-
tur rationes suas nobis-
cum exaequare.**

In Sanctum Hieronymum Emiliani

Orphanorum Tu Pater, in beatis sedibus Caeli, ut puero exstitisti, luce cur ride solio nitenti fulgidiore?

Asseclum cernis merito tuorum caritatis magna opera instituta tempore infando Tibi corde sancto nunc meliora.

Incliti exercent monitis Paternis munus augustum pietatis altae, aemuli Iesu pueros redemptos semper amantis.

Patriae cultum retegunt simulque, floridas cui spes inhibent perire, cuius et tutelae animam sacrasti saepe iuventa.

Vincula experti manibus molesta corporis membra et spiritum nutantem Alma servavit valideque Virgo matre patrona.

Ipsa desertis pueris misellis Mater aegrotis animis suavis fervidum, magnum Tibi concitavit patris amorem.

Germen augustum generis superbi irritum fastum renuens flagranter, angelus Caeli Italiae per urbes Tu volitasti.

Ecquis ignorans Inopis benigni munera accepta hic fuit indigentum una et aegrorum pietate summa advigilatum?

Pestilens morbus violens sed olim debitum vita reseravit altum praemium Caeli populo osculante scruta colenda.

Nam sagax sensit novitate rerum iam Tibi effecta, prius et Supremi voce Pastoris, Domini beatae

Te esse cohortis.

Saeculo laetam renovante lucem, qua Sodalium fuit a Somasca agnatum Corpus, subolem frequentem aspice, Sancte.

His fave semper, celebres ut usque filii nostram decorent, secundent patriam dulcem egregiumque prolis excipe cultum.

Te fideli spe precibus reposcunt orphani Patrem vehementiusque quos nefandum, atrox redigit duellum absque parente.

Alme Caelestis, benedic serene motibus firmis iuvenum recentum, qui Deo fisi cupiunt avitos

Patriae honores.

NAZARENUS CAPO.

EX ITALIS URBIBUS

Terna publica rerum monstratio

**Augustae Taurinorum. — Con-
ventus nationalis de Evange-
lio.¹**

Res novissima equidem et in primis Taurinensibus accepta est ille *Pharus*, quem, prouti diximus, ultro libens donavit Ioannes Agnelli, senator regni, et « Automobilium » apud nos auctor et facile in Italiam princeps. Sed « quantum est in re-

¹ Cf. fasc. sup.

bus inane! » Ipso die quo cives ei publicas gratias agere pro munere certant, et Rex, relicta Urbe, Augustam Taurinorum petit ut praesentia sua maiore apparatu rem decorare studeat, filia unica munificentissimi viri, crudeli atque inopinato morbo correpta, lacrimabilis omnibus, miserrime vitam finivit!

Inter omnia monumenta, quae nostra aetate singula quaeque civitas in suorum memoriam, qui proximiori tetrico bello pro patriae decore occubuerunt, hoc Taurinensium speciosissimum appellare non dubitaverim, idque elegantius atque munificentius esse. Mihi omnes facile concesserint, sive ob loci ipsius opportunitatem, sive ob amplitudinem. Nulla prorsus, meo iudicio, civitas nec terrestris neque maritima, opportuniores pharum sibi aedificare potuerit, qui uno eodemque tempore per lucem electricam magna vi simul replicatam, immensum radiorum torrentem immittat, ut omnes late colles atque longinquā urbis compita viaeque splendissime clarescant. Quapropter excelsiores circum collium vertices, adeo balsami virtute praediti, ad quos nuper modo pueri agiliores ascendebant, quique beatioribus tantummodo dicati videbantur, omnibus nunc frui facilime datur.

Sunt enim publicae eademque vi electrica actae rhedae, quae paucis admodum denariis ducunt atque deducunt ad monumentum. Hinc inde per apicem montis ampliae apertae sunt atque commodae viae divina veluti virgula excitatae, arboribus satis iam recentibus consitae, fassis lapidea sedilia, passim et pergula, ubi quiescere aliquantis per possis, et imis pulmonibus liberiorem aërem captare. Est Municipii Taurinensis virtus, si apud Pharam nuper parvulum sacellum, temporum iniuria corruptum, instaurandum curavit, eo consilio ut per aestatem rusticantes die festo sacris possint commode interesse.

Et pulcre sub oculos lenta civitas omnis, veluti per speculum tibi occurrit suis cum plateis, turribus et officinarum caminis, atras sumi nebulas evomentibus. Quae rerum novitas, quae dulcis animi recordatio, oculorumque voluptas!

Sed paulo maiora canamus.

In tot rebus mortalibus excogitandis, atque vitae commoda unice procurandis, lamentabile fatum utique esset, si res prorsus caelestes silere debuissent. Non ita equidem fuit. Namque dum altera pars civium pro viribus ad artes excolendas incumbit, ut et exteri videant quid in artibus possit Subalpinorum virtus, altera alacris attendit ut appareat quomodo sit omnium cura, hac potissimum aetate, religioni tam tristi sydere afflata, in scholis puerorum pietatem colere, sacris quoque historiis mentem adiungere, ut recte eorum mentes iis studiis imbuantur, atque adeo labentibus annis uti patres nostri:

Hac casti maneant in religione nepotes!

Optimo quidem fato a nonnullis caatum est, ut quo tempore anxius atque tenacius plures toti sunt in operibus quae ad humanarum rerum amplitudinem prospiciunt, insudant alii in agris colendis, nonnulli, terrena veluti contemnentes, vel potius ad caelestia spectantes, ad puriorum disciplinam se convertunt, atque ad enucleanda potissimum Evangelii volumina pueros alliciunt, qui scholis secundi ordinis adhuc animum addicunt.

Scimus enim quam magna plerumque ignavia sit in religione... Ad omnes recentiores libros eosdemque infandos trahimur, eosque non oculis modo usurpamus manibusque terimus, prope sed devoramus... At libros, qui de rebus sacris narrant, indignanter propemodum et fastidiose abiicimus, eorumque scriptores male habemus, et calumniis saepe obrui-mus.

Ut recte nosceret utrum res placeret, an non, aliquando, quum ad scholae finem pervenerat, studio de Evangelio silebat.

Hinc in ipsos «rigidi censura cachinni» hinc nausea, et perpetua negligentia.

Et dum res christiana rebus in adversis versatur, et undique premitur, vox in primis parvula eademque timida exoritur, mox pervagatur, deinde

Hic incredibilis rerum fama occupat aures.

Quid est?

Passim per urbem, magis civibus avensisque affluentem, grandibus literis exarata, haec verba, in parietibus adiuncta, italicice scripta leguntur: *Congresso Nazionale del Vangelo*. Magnus fit circum hominum globus, qui de novitate rei, et utilitate, varia inter se loquentes disserunt.

Ego a cive qui mihi est propior latine postulo: Bone, quid significant haec verba?

Mihi continuo amicissime respondit: Agitur de Conventu Nationali pro Evangelio!

— Quonam loco?

— In vico Valdocco, apud Salesianos.

Ei plurimas gratias egi pro munere, et recto illuc me contuli. Auctor nuperimi huius conventus, quem amoris gratia hic nomino, est Antonius Coiazzzi sacerdos de Salesianorum familia. Experfecto ingenio praeditus et laurea philosophiae insigniter donatus ac politicorum litterarum, abhinc paucos annos gramaticam primum, dein rhetorica, puerum docuit E. Frassati clarissimi viri filium, qui per vulgatissimi diarii auctor et rector, vulgo *La Stampa*, divitiis ita percrebuit et nomine, ut omnibus per orbem late terrarum notissimus evaserit. Magister, animi causa, post scholam alumno suo electissimos Evangelii locos enarrare consuevit. Cui quum placuisse videret, quod fortuito primum fecerat et pertimescens ob utilitatem perrexit.

§ 16. — Si pleuritis sit ab apparatu humorum in primis viis purgandum est.

At diligens alumnus: — Pater, - aiebat, - cur de Iesu taces?

— Etiamnunc placet?

— Utique, Pater!

Et saepe saepius, dum de divino Magistro pretiosiores locos entclearet, qui Eius amorem et caritatem intimius referrent, discipulum videbat, obortis lacrimis, eadem in mentem revocare, et maioribus gratiis immortalem magistrum cumulare.

— «Quod in scholae septis facio, cur non communicabo cum pueris universae Itiae?»

Inde paucis Conventus nationalis de Evangelio origo!

Quod ita Italos placuit; ut ipso litterarum antistite suffragante, in omnes Italiae scholas pervaserit haec eadem divinarum litterarum explanatio et omnibus imponeatur.

Quod felix, faustum, fortunatumque fiat!

S.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive pracepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 16. — Si pleuritis sit ab apparatu humorum in primis viis purgandum est.

§ 17. — In pleurite maligna et epidemica camphora cum *fervido* decocto rad. imperat. angelic. tussilag. fol. scabios et tussilag.

§ 18. — Temperamentum puerorum puitosum, improvisa, sine manifesta causa, orta gravia symptomata, et apoplexia puerorum extremitatibus frigidis, pulsus

valde exilis, qui fere semper signum est vermium, frequens contrectatio abdominis manibus, tormina, improvisa mania, singultus etc. signa sunt vermium. In tali casu nil potentius, quam statim dare cum brodio gr. XII merc. dulc. et gr. V Scammon. Sulph. in adultis. In pueris vero minoretur dosis, vel potius detur mercurius crudus in brodio ad magnitudinem pisi. Nam exit ad miraculum.

§ 19. — Subito excitari ex somno cum trepidatione in infantibus, praecipue, est apud mulierculas signum vermium; hoc item tamen etiam contingit in eruptione exanthematum.

§ 20. — Lumbrici frequenter absconduntur in cavitatibus intestini colon, ad quas quum interdum difficulter perveniant medicamenta, ideo non mirandum, si non raro ex optimis medicamentis non semper optimos habeamus successus.

§ 21. — Vermes subinde subito non solum pueros enecant, et infantes, sed etiam adultos.

§ 22. — Si circa quartum, quum iamiam erumpunt variolae, caput impetum cum magno calore, anxietate, motibus tendinum subsultoriis, etc., statim imperavit Baglivius cucurbitulas scarificatas scapulis; et momento omnia symptomata conquevere.

§ 23. — Si sanguis ad caput impetum facit in variolis (idem sors in aliis morbis acutis inflammatoriis), tentionesque in hypocondriis adsint, plantis manum atque pedum spongias decoctis emollientibus tepidis turgidulas apponi iussit Baglivius, magno cum symptomatum levamine.

§ 24. — In pueris semper de duobus spicandum, de lumbricis videlicet, et de variolis; ideo numquam febris, antequam duo tresve dies elapsi sint, determinanda.

§ 25. — Dolor dorsi acutissimus, non nulli motus compulsivi, tussis, oculi humidi, febris ex genere variolosarum futuram donant.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 26. - Qui in variolis maxime sputant, raro moriuntur, nullumque sputatorem in variolis mortuum vedit Walschmidius.

§ 26. - Adultiores a tate, nisi recte tractentur in variolis, saepe moriuntur phrenetici, uti observavit Baglivius.

§ 27. - Contrahuntur saepe hypocondria in acutis versus diafragma, ob id inflatum, vel convulsivica oscillatione laborans: et semper malum est.

§ 28. - Pulsatio in praecordiis cum signis ariditatis in lingua, vel aliis partibus delirium significat.

§ 29. - Si lumbis dolentibus veniat dolor ventriculi, hemorroides futuras denuntiat.

§ 30. - Si in morborum, praesertim acutorum initiis, hypocondria tument aut dolent, sanguinem in supernis partibus exspecta.

§ 31. - Nolite terreri, si aliquando videatis pus in morbis; nam non semper pus est, sed succus nutritius, qui ob intermissam exercitationem consuetam, vel ob victum copiosum in venis redundat; unde in forma pussis tunc effluit per urinam, secessum, etc., teste Avicenna; quare non semper alba materies signum est ulcerum; quod serio notandum.

§ 32. - Datur etiam hydrops inter musculos abdominis, quando nempe serum non in eius cavitate, sed inter externos abdominis musculos fluctuat, et ventrem elevat in magnum tumorem ruptis, laxatis, vel erosis talium partium vasis lymphaticis. Hippocrates eius primus meminit, dum ait: *Spatia muscularum sero et flatu repletur*. Walschmidius in sua praxi nonnulla quoque de eodem monet, ex ore praceptoris sui habita.

§ 33. - Hydropicis desperatis, si facies evadat plumbea, mors ostia pulsat.

§ 34. - Qui natura sunt stomacho debiles, et difficulter cibos coquunt, iuridos et conspurcatos dentes habeant, cum aliqui oris foetore; sunt magis proclives

ad somnum quam ad vigilias; hebetes sunt visu; remota non bene vident obiecta; a quovis copioso ciborum usu facile laeduntur.

§ 35. - Potus caffaei iis mirabiliter prodest, et apud me (ita Baglivius) pro secreto habetur. Continuo moerent aut dolore capitis laborant, et ob id impatientes sunt.

§ 36. - Ex auctoritate et pracepto magni Hippocratis non solum febres obnoxiae sunt viribus et potestati dierum criticorum, sed quamplures etiam alii morbi, ulcera, ophthalmiae, dysenteriae, vulnera cum febre, Typhos febris, eodem teste, sex mensibus indicatur.

§ 37. - Si secundo die exacerbatis omnibus accidentibus, ruat aeger in peius, morietur quarto; si quarto, morietur sexto. (Hippoc.).

§ 38. - Crises ad articulos natura peculiaria quadam lege sibi soli nota promovet ac perficit, et nos cum impropriis remedii, nil aliud efficimus, quam eam a debita crisi, cuius nos rationem ignoramus, divertimus, factaque metastasi ad interiora brevi iugulatur aeger. Id saepe verum observavi (Baglivius) quando tumores pedum, dolores, ac tumores rheumatici articulorum in impuris corporibus per diuretica, aut purgantia repetita a medicis curari solent in iis prae ceteris, quorum stomachus infelix est, debilis ac relaxatus, ut in quamplurimis in urbe est. Stomachо in his prospice. Victum optimum impera et vinis vindemiarum tempore more nostro, medicatis, toto anno utere, et sanabuntur.

§ 39. - Causam morbi praescire, dies criticos religiose observare, paucis uti remediis, cocta materia humores educere, dummodo non turgeant; quod si turgeant, statim purgandum; qui haec in acutis novit, quam faciliter curaverit!

§ 40. - Plures remediorum usus necat quam vis et impetus morbi.

§ 41. - Pleuritis et pulmonia habent suos criticos tertium, quintum, septimum, nonum, undecimum, et decimum quartum.

§ 42. - Crises humoris meri et sinceri pessimae. Sanguis merus per tussim, bilis mera per alvum, etc.

(Sequitur).

I. FAM.



COLLOQUIA LATINA

Mensae exstructio.¹

LAURENTIUS. - Heus, heus, Architricline, adesdum exstreu ocyus mensam; est enim tempus prandendi. Herus prae-stolalur convivas.

ARCHITRICLINUS. - Iam unum id ago: sis mihi paululum subsidio; quaeso te.

LAUR. - Non recuso. Ubi est mappa?

ARCH. - Iacet in scrinio sub mensa.

LAUR. - Ubi autem scutellae, patinae?

ARCH. - Respice: sunt ad manum supra abacum.

LAUR. - Papae! Ut reluctant argenteae hae paropsides!... Non secus ac tersum speculum.

ARCH. - Hoc meis debent manibus: heri ad sudorem defricui. Mantile mundum singulis impone patinis: iuxta vero cultrum, cochleare, fuscinulam.

LAUR. - Monstra mihi salina: implebo sale. Ubinam sunt?

ARCH. - Foris, propter ianuam triclinii videbis armarium: aperi; illuc invenies; et etiam ampullas, tum oleariam, tum acetariam, nec non thecas piperias, et dentiscalpia. Una adfer panarium.

LAUR. - Scio consuetudinem: addam sub unumquodque mantile panem triticeum candidum.

ARCH. - Sicut dicas. Panem autem se-

cundarium seca in partes oblongas, ut circumferatur cupientibus.

LAUR. - Videtur hic panis non recens.

ARCH. - Ne te crucies: abi, statue salinum hoc in medio mensae: ego aquam hauriam extergendis cyatis vitreis et cantharis.

LAUR. - Iamiam operam tibi navabo.

ARCH. - Cave ne illidas illos in marginem situlae et defringas; crystallum est Bohemicum, idque carum.

LAUR. - Quotquot opus est eluere?

ARCH. - In singulos convivas bina vi tra: alterum aquarium, vinarium alterum; submette cuique hypocyathum.

LAUR. - Numquid desideratur praeterea?

ARCH. - Caliculi pro liquoribus.

LAUR. - Ubi autem pocilla ad caffeam potionem post prandium hauriendum?

ARCH. - Sunt in illo repositorio, una cum caliculis et biciis vitreis nonnullis, lingulis et maxonomo, quae pariter in promptu habere convenit.

LAUR. En omnia.

ARCH. - Nunc demum sedilia adferamus e proximo conclavi, et confusa suo quoque loco reponamus. Coenaculum instructum est: adsint convivae, ubi libuerit.

LAUR. - Patrem familias commonefaciam.



COMMUNIA VITAE¹

Colica. - Coeliacus morbus.² - Intestini ulceratio. - Typhlites.³

Elminthiasis.⁴

¹ Cf. fasc. mens. Maii.

² Coelia est illa corporis cavitas, in qua cibus devoratur et prima conco:io peragitur; unde *coelatus*, cui venter protuberat; *coelicus*, cui venter ulceratur, aut dolet.

³ Intestini coeci inflammatio.

⁴ *Elminthes* dicuntur tineae, ventris animantia ex genere lumbricorum in intestinis genita.

¹ EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

Peritonites¹ me ad extrema adduxit.
Cruciatus colico vexor. - Dolore colico
crucior. - Intestinorum doloribus torqueor.

Morbus ex iecore (hepaticus); *licenitus*
(splenicus, ex spleno) me sodicat:

Ictericia (Morbus regius, Morbus arqua-
tus, Fellis suffusio, Suffusa bilis, Aurigo).²

Colica hepatica.

Melancholia (Atra bilis). - Melancholi-
cus omnino sum factus.

Renibus labore:

Morbus nephriticus (Nephrites) in me
serpit.

Colicam iliacam gravissimam sum pas-
sus.³ - Ferendo colicae huius dolori non
sum (impar sum). - Vires meae hisce dol-
oribus franguntur (ad dolorem sunt infir-
mae; vim doloris non sustinent). - Tantum
doloris ex colica hac sustineo, quantum
vix possit. - Roboris in me tantum non
est, ut acerbitatem tam gravem perpeti-
queam. - Vocem mihi dolor intercludit. -
Dolor permanet. - Dolore hoc gravissimo
conficior (exagitor ut nihilo unquam; dis-
crucior, perimor, interimor, obruo).

Calculi me infestum habent.

Nervorum valetudo me cruciat:

Siriasis.⁴ - Hyperaemia (Cerebri conges-
tio). - Cerebri anemia. - Hydrocephalon. -
Cerebri apoplexia. - Emboulismus.

Morbus cephalicus (Cephalgia). - Ce-
phalaea.⁵ - Hemicrania.⁶ - Siriosis.⁷

Odontalgia. - Aemodia.⁸ - Dentium

¹ Est inflammatio peritonaei; h. c. membranae illius tenuissimae alvum et intestina a transverso septo continentis.

² Aurigo (-iginis) a colore auri.

³ Si levior, *strophus* dicitur; *chronica* si statis temporibus corpus aggreditur.

⁴ Inflammatio cerebri et membranarum eius, unde pallor, febris ardens, siccitas, etc.

⁵ Diurnus et inveteratus capitis morbus.

⁶ Quum dimidium capitis infestatur.

⁷ Capitis ardor.

⁸ Stupor dentium.

labetactatio. - Gomphiasmus.¹ - Dens do-
let (dolores movet atrocissimos).

Dentium vis sopita est. - Dentibus vis
mandandi est adempta (Conficiendi cibi vis
hebetatur).

Mihi eruti (evulsi, exculti, exempti,
excussi) dentes sunt. - Sum edentatus (den-
tibus minutus, diminutus).

Iudicii, quod aiunt, dentem dentivi
(emisi, edidi, eduxi, effudi).

Ptysis (Ptysma).² - Oscedo (Oscitatio).

Nevalgia. - Spasmus.³ - Tetanus.⁴ -
Ischias, ädis (Dolor ischiadicus).⁵

Eclampsia (Nervorum convulsio).

Epilepsia (Epilepsis, Comprehensio, In-
vasio, Retentio, Manar, Morbus comitialis,
Herculeus [Herculanus], sacer, santicus,
lunaticus, caducus). - Vitium comitiale
sentio.

Neurastenia (Nervorum languor).

Vertigo. - Lethargus (Lethe, Oblivio,
Argia, Torpor, Veternus). - Incubo, önis
(Incubus, Ephialtes).⁶

Agrypnia.⁷ - Somnum capere non pos-
sum. - Somnum non amplius video oculis
meis. - Oculi mei conciliare (reperi-
re) somnum non possunt. - Mihi die ac nocte
insomnes oculi sunt. - Dies noctesque
somno vacuas (somni expertes, vigiles,
insomnes) traduco (exigo). - Perpetuo totius
diei ac noctis insomnio labore. - Somno

¹ Dentium abruptio.

² Frequens ex continuo humore sputum.

³ Nervorum attractio (inde spasticus), cui obiicitur
nervorum intentio.

⁴ Rigor, distensio, passio, quae corpus neutrubi
flexile facit. Dicitur *trisma* quum vultus musculos
afficit; *emprostothonus* quum corpus in anteriores
partes inclinatur; *opistothonus* quando in dorsum
aut in scapulas torquetur; *pleurostothonus*, quum in
latus. Inde adiect. *tetanicus*, *emprostothonicus*, *opisto-*
thonicus.

⁵ Coxendicum dolor, unde *ischiadicus*, *ischiacus*,
qui hoc morbo (Italice *sciatica*) laborat.

⁶ Nocturna corporis oppressio et suffocatio in
somnia.

⁷ Somnus difficilis, vigilia, pervaigilium; unde
agrypnetus, qui vigiliis facile perfert.

nec convivere quidem possum. - Cono-
ridem dormire, sed frustra. - Nullam
operam dare somno mihi licet - Somno
me reficere nequeo. - Nulla quiete, nec
die nec nocte, corpus levare (recreare,
reficere) valeo. - Nunquam iam mihi quie-
scere (requiescere, me quieti tradere) datur.

Cardiopalma (Palpitatio). - Perpetuo
mihi cor in pectore micat. - Micantis cor-
dis perpetuum sentio in pectore motionem.
- Assidue mihi cor salit.

Cardialgia (Morbus cardiacus). - Prae-
focatio.¹ - Intercluso animo prope perimor
(Oppresso halitu necor, Suppresso spiritu
conficior, Praecluso spiritu interimor).

Phrenesis (Phrenites). - Furor.

Furore agor (corripior, teneor, inflam-
mor, incendor, concitor). - Furiis agitor.
- Ad furem redactus sum. - In furem
labor (incido).

Insania. - Insanio (In insaniam incidi,
lapsus, prolapsus sum).

Desipio (Deliro, Aberro, Dementor, De-
mentio, Mente sum captus). - Ex potestate
mentis exivi. - Mentem amisi. - A mente
decessi (aversus sum). - De meme discessi.
- Ad dementiam sum adductus.

Mens me reliquit (defecit, destituit). -
Mentis lumine sum obcaecatus. - A mente
sum destitutus. - De mentis sanitate sum
deturbatus. - Iam non sum mentis inte-
grae (mentis compos). - Sum mentis mo-
tae (commotae, impos). - Mente excidi.

De ratione exturbor. - De consilio dei-
cior. - Animo non amplius consto. - Ab
animo labore.

Heu! factus sum desipiens (insipiens,
delirus, stultus, demens, insanus, bardus
insulsus, vesanus, stolidus, amens, consilii
extorris, rationis expers, impotentis animi,
a ratione abstractus).

Quae te dementia cepit? Quae te insa-
nia tenet (habet, possidet)?

¹ Spiritus fauces oculi.

Resp. Deliramenta loquor (fundo). -
Non nihil deliro. - Hilarem (tristem) insa-
niam insanivi. - In dies ad insaniam pro-
gredior. - Quotidie magis furor in me au-
getur.

Parum firmae mentis sum. - Aliquantum
lumen amentia flagro.

Apoplexia (Apoplexis).¹ - Paralysis
(Nervorum resolutio, Paresis).

Oculorum morbus (ophthalmicus mor-
bus, ophtalmia) me cruciat. - Oculorum
valetudine impediatur.

Haberi oculorum acie sum. - Hebes
sum. - Acies oculorum hebescit (hebetta-
tur, obtunditur). - Visu labore. - Oculis
valetudo officit.

Oculorum infesta suffusio.² (Infestae pi-
tuitae in oculos distillatio, Oculorum epi-
phora, Epiphora oculos male afficiens, Epi-
phora oculos infestans).

Blepharites (Palpebrae ulceratio).

Lippitudo. - Gramia.³ - Lippus oculus
habeo. - Ex gramia palpebras disiungere
(deducere, divellere) nequeo.

Hordeolum (Chritte).⁴

Ceratites strumosa.⁵

Mihi est oculorum vis suppressa (an-
gusta, coacta, remissa). - Myops sum. -
Non respicio quam longus est nasus (Non
longum nasum cerno; Non ad extrema
nasi pervideo).

I. F.

(Ad proximum numerum).

¹ Stupor ac totius corporis sensus et motus pri-
vatio; qui morbus in mortem aut paralysin desinit.
Quum una tantum corporis pars corripitur *hemiplexia*
dicitur.

² Italice: *Flussione d'occhi*.

³ *Lippus* dicitur qui oculis est lacrymantibus;
lippitudo itaque in *blepharite* aliisque oculorum mor-
bis fit; itemque *gramia*, Italice *cispa*.

⁴ Apostema nascens in extremitate palpebrae. Ita-
lice: *orzaïuolo*.

⁵ *Ceras* pars oculi est quae, a graeco fonte, italice
nuncupatur *cornea*; *struma* autem, unde *strumosus*,
item quam *scrophula*, tumor cervicem praecipue infe-
stant, glandulae.

ANNALES

Italica septentrionalis axis exploratio.

Superiorem hanc notabilium eventuum recensionem nostram absolvebamus anxium, non modo Italorum, sed omnium gentium animum revelantes, ob ignotam herorum illorum sortem, qui, quem septentrionalem axem attigissent redditumque iniissent, nullam praeterea notitiam de se amplius dederant. Post aliquot dies, en radiographia, rursus instaurata, nunciat revera infortunium supervenisse: scilicet diribilem speculatoriam navem imbrisbus furentibus fuisse quassatam; eius partem cum nonnullis nautis, inter quos Humbertum Nobile expeditionis auctorem, inter glacies cecidisse, alteram cum reliquis navalibus sociis ventorum vi fuisse alio abreptam; denique ex iis qui sospites evaserant – unus enim ex delapsis mortem obierat – tres audacter pedibus viam aggressos esse, ut hospitalem aliquem locum attingerent, unde subsidia repetarent.

Mirum quantum harum rerum cognitio civitates omnes commoverit; quae large effuseque contenderunt, ut auxilio naufragis venirent. Itaque primum Itali per velivulos suos perficere valuerunt ut cibis, vestibus aliisque rebus ad rem necessariis eos instruerent; atque deinde Suetii, qui velivolo pariter, Lundborg duce, glacielem terram attigerunt, unde expeditio principem Nobile, non leviter vulneratum, liberarunt atque in tutum deduxere. Dum vero intrepidus aeronautes Sueticus redit ut ceteros vicissim assumat, improviso machinae vitio, magnanimitate sua ipse captivus est factus.

Sed de nautis cum dirigibilis involucro raptis, de peregrinantibus illis in glacie,

deque claro aeronauta Amudsen, qui generose et ille in auxilium advolavit, ne vestigium quidem adhuc!

* *

Sinenses res.

Sinenses res, «nordistarum» ut aiunt, factioni, adversae prorsus cessere. Ciang-Tsi-Lin enim, Sinarum iam dictator et eiusdem factionis dux, ad Pechinum funditur, dumque in fuga salutem quaerit, per proditionem, – uti fama fert – occiditur. «Nationalistae» itaque urbem caput occupant, gubernium instaurant, promittentes finem sese civili bello imposituros atque pacem restituturos. Iaponii interim adsidue vigilant...

* *

Iugoslavorum discordiae et facinora.

In Iugoslavorum natione civitatum discordiae et odia, inter Liburnos praesertim et Serbos, eo pervenere, ut in publico coetu legibus ferendis graves facti fuerint tumultus, in quorum altero Racic, Czernagorae legatus, manuballistula adversarios petiit, quorum Liburnos legatos interemit Bassaricec et Paulum Radic, Stephani Radic nepotem, principis agricolarum factionis, qui et ipse gravi vulnere affectus est, una cum duobus aliis Liburnicis popularibus legatis. Huius nefariae caedis speciem ferunt esse deducitam ex Neptunensi cum Italiam illo foedere, de quo suo tempore loquuti sumus, quodque ramplures videre nolunt.

* *

Nationum societas.

Supremum Societatis Nationum consilium quinquagesimam sessionem suam Genevae his diebus habuit, in qua, inter

cetera, ad examen revocatae sunt tum Hungarorum querimoniae de Transilvania, tum Lithuanorum in Polonos Nullam decretoriam solutionem arrepsit Consilium, contentum suadendi partes, ut secundiori animo ipsae ad easdem quaestiones iterum perpendendas atque conciliandas intendant.

Kalendas Iuliis MCMXXVIII.

POPULICOLA.

ROMA SACRA

Ex Congregatione S. Officii.

Proposito dubio: «An praeter omnes fabulas amatorias, omnia opera dramatica et librum *Prose scelte GABRIELIS D'ANNUNZIO* decreto d. 8 mens. Maii 1911 proscripta, etiam reliqua eiusdem generis opera (*Tragedie, commedia, misteri, romanzi, novelle, poesie*) fidei et morum offensiva, scripta vel edita post supradictum decretum, habenda sint eodem modo prohibita», Emi ac Rmni Patres fidei et moribus tutandis praepositi, praehabito Consultorum voto, die 27 Iunii 1928, respondendum decreverunt: *Affirmative*; atque responsionem istam in Indicem librorum prohibitorum iuserendam mandarunt. Ss̄m̄ autem D. N. Pius PP. XI in sequenti die, relatam sibi Em̄orum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicari iussit.

VARIA

Lusitanae mulieris animi fortitudo.¹

Quum utrimque summa vi Diense oppidum expugnaretur, et multi quotidie occumberent, in Lusitana muliere (Bar-

¹ Ex historiis MAFFEI.

baram nomine appellabant) invictum animi veri Christiani robur nituit. Huic, amissō coniuge, duo supererant filii, aetate viribusque florentes, Aloisius et Christophorus. Ille ad Rumaepolim, hic in eadem arce Diensi agitabant excubias. Forte ita evenit, ut Christophoro, quum pro muri corona staret armatus, contorta ab hostibus e transverso pila partem ventris una cum intestinis abriperet. Extemplo seminimis domum relatus, uti erat de aeterna salute sollicitus, parentem optimam interrupta compellans voce: – «Peto – ait – abs te, quae soque, mater, uti mihi prius ad expianda crimina sacerdotem, quam ad prosequendum obitum lacrimas ac suspiria praebreas. Vereor enim, si te ingemiscensem audiero, ne dolor tuus ac moeror meam ad supremum hoc iter necessariam exigui temporis praeparationem impedit». Cui parens inter adstantium singultus et complorationem una siccis oculis et placido vultu: «Ego vero quod doleam – inquit – fili, habes nihil, nisi noxae aut piaculi quippiam tibi superesse, quod eluas. Nam alioqui probe intelligo, iis qui istud obierint leti genus, praecaram esse mercedem paratam in caelis. Tu modo clementis Dei pacem ac veniam fiderenter implora, teque in hoc transitu virum praebet. Id unum in hac orbitate maximo mihi solatio fuerit». Inter hasce adhortationes, labentia moribundi viscera manu suffulciens, fugientis animae reliquias tamdiu sovit, quoad accito in id sacerdoti peccata cum salutari detestatione confessus, et absolutus, in sinu parentis animam efflavit.

Vixdum demortui corpus vidua terrae mandaverat, quum de alterius filii nece nuntius affertur, qui in propugnatione Rumaei castelli paullo ante ceciderat. Scilicet nemo fuit, quin geminato intra paucas horas vulnere, confectum iri foeminam pro certo putaret. At illa, in tam acerbo casu, tantum abfuit ut quicquam

christiana spe et gravitate indignum admitteret, ut etiam venientes ad se doloris leniendi causa notos ac familiares ultro consolaretur. Huius mihi matronae sensus, et in liberos caritas laudabilior haud paulo visa, quam eius, quae ad primum de morte filii nuntium examinata est, aut illius, quae laetitia conspecti reperire nati, quem mortuum crediderat, expiravit.

**

Ranae regem petentes.¹

Ranae, regem cupientes, a Iove per legatos efflagitarunt. Iupiter, quem non lateret mite earum ingenium, tigillum in paludem iniecit. Ranae, subito pavore percussae, imas latebras petierunt. Multo intericto tempore, tigillum defixum conspicientes, timore prorsus abieco, in tantam adsurrexerunt petulantiam, ut illi certatim insultarent. Talem igitur regem aspernatae, Iovem rogaverunt alterum regem. Dedit ille anguillam, cuius bonam dulcemque indolem despicienes, tertium a Deorum patre postulaverunt. Hic vero iratus serpentem immisit, qui illico eas persequutus, singulas devoravit.

**

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

Ius gallinaceum frigidum in cratera ministratum.

Sardinae furnaceae Langobardorum more.

Gallina in olla cum leguminibus elixa.

Parvae cucurbitae muria duratae.

Bucellae cum cerasis mulso confectis.

¹ Italice scripsit N. TOMMASEUS.

Iocosa.

Tuccius in schola.

MAGISTER. — Dic igitur mihi quod tempus sit opportunius ad captanda poma.

Tuccius. — Quum in horto absint mater, pater et quisvis alias.

Tuccius morae taedium non fert in vertendo ab Italica in Gallicam linguam, et conversus ad matrem:

— Tu saltem in hoc discrimine — inquit — afferas auxilium mihi misero!

MATER. — Libenter facerem si Gallicam linguam callerem; sed parentes mei ad eius studium minime me applicarunt.

Tuccius. — Quam optimos parentes habuisti!...

**

Aenigmata.

I

Emicuit lingua *Totum*, legumen adempta fit *planta*, cum qua quemque vocare potes.

II

Totum haud est *totum*; cervicem tolle, do- [cebit.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Noctu-a*; 2) *G-rex*.

Catamitus ridiculus.

Lunari facie, bubulo exornatus et alvo Prochorus, ex hallo ad sinciput et graphicè Crissat, cantillat, gelasino nictat amandis, Ilia quod teneant mimicus atque stupet.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

STANISLAUS FUGIENS

8]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

NAEVOLUS.

Nihil.

BILINSKIUS.

Si me, pessime, diutius irritassis...

BILINSKIUS.

NAEVOLUS.

Iam dicam: mane.

Heri minoris nuper curans cubiculum
Inspicio forte in angulo quamdam latere
[capsulam.

Exquo curiosus.

BILINSKIUS.

Quidnam illic erat?

Expedi.

NAEVOLUS.

Vestem inveni filo crasso admodum
Et levidensi viatoriam.

BILINSKIUS.

Quid postea?

NAEVOLUS.

Zonam, petasum, sarcinulam viatoriam.

BILINSKIUS.

Audio. Numquid aliud?

NAEVOLUS.

Cucurbitulam ad aquae usum viatoriam.

BILINSKIUS.

Equidem

Miror. Unde aut quorsum habet haec?

NAEVOLUS.

Ego tantundem scio,

Quantum tu.

BILINSKIUS.

(Num occulte meditatur ire peregrī?

[Num fugam

Adornat aliquo? at quo demum? qua de

[caussa? Nihil satis

Coniicio).

NAEVOLUS.

(Commovi hominem).

BILINSKIUS.

(Dein ut longum iter

Clam a suis instituat, ea verecundia qua est
 [adolescentulus,
 Iam gracili corpore, idemque a morbo recens,
 Non haec mihi quidem videntur verisimilia).

NAEVOLUS.

(Heu! secum nunc putat; qui possit aegre
 [facere hero optimo).

BILINSKIUS.

(Tamen his indiciis nonnihil certe subest).
 Dic mihi: vidisti tute haec quae dixti omnia?

NAEVOLUS.

Verum.

BILINSKIUS.

Atque ea in minoris heri cubiculo?

NAEVOLUS.

Verum.

BILINSKIUS.

Vestem, petasum, zonulam, cucurbitulam,
 Sarcinulam viatoriam?

NAEVOLUS.

Verum.

BILINSKIUS.

Satis est. (Non huic in-
 [dormiam

Profecto rei segniter: inquiram subdole;
 Scibo. At quis est? Ipse, ni fallor, Stanislaus
 [cum Fulcio
 Huc advenit. Dissimulare nunc quidem lubet).

NAEVOLUS.

Quid quod te oravi, ut istud quod dixi om-
 [nibus

Clam siet?

BILINSKIUS.

Abi tandem in rem malam, pessimum.

NAEVOLUS.

Pro more tuo benigne ac liberaliter.

SCENA V.

BILINSKIUS, STANISLAUS, FULCIUS.

BILINSKIUS.

O bone Stanislae, ecquid demum nobis appor-
 [tas boni?
 Speremne te aliquando obtemperaturum, ut
 [decet,

Fratri?

STANISLAUS.

Nulla erit in me mora, si honesta ille
 [rectaque imperet:
 Ubi secus faxit, mihi certum est neque blan-
 [ditiss, neque minis
 A recto virtutis officio vel tantillum discedere.

FULCIUS.

(O responsionem pectore dignam nobili!
 Paullus ad hunc fratrem suum profecto est
 [somnum).

BILINSKIUS.

Atqui tu de rebus inepte ac male iudicas.

STANISLAUS.

An quod ego ab vulgo hominum prorsus
 dissentio,
 Quos agit rerum praesentium vana cupiditas,
 Ea tantum gratia inepte ac male iudico?
 Vide, an sit aequum ut aeternis natus bonis
 Animus curet fluxa haec.

FULCIUS.

(Eugepae! Bilinskium
 Magistrum haec sane vox una iugulat probe).

BILINSKIUS.

Nihil omnino hoc ad rem quam quaero per-
 [tinet.

FULCIUS.

(Verum dicit nam nescit quid respondeat).


(Ad proximum numerum).

ALMA ROMA



OVIDOID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubead, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Sociis

UM

s pagg. 103, edi-

eiusdem auctoris
datae apud ephebea

n.

m erit publici cursus
(aribus).

AE ROMAE col-
n annum MCMXXVII,
nstituimus libella-
. scilicet 650, pro

a per nummariam
tramite requiren-
roma, 12, Via del
est, non sinit ut
s rependi possit.

Ann. XV

Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXVIII

Fasc. VII-IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

Henricus Dominicus Lacordaire

Affirmari proculdubio potest, Henricum Dominicum Lacordaire non Galliae tantum et Dominiciana familliae, cui nomen dedit, fausto alite fuisse natum, sed christiana religioni et humano penitus generi; vox enim eius ferme in universum terrarum orbem intonuit, eiusque scripta per ultimos orbis fines volitarunt.

Ipse forensibus primo dedit operam studiis, nec exiguum in hisce gloriam reperiebat, prudentia simul, adspectu, voce, maiorem adepturus firmioribus annis, divitias pariter cum nomine magno sibi comparaturus. At pestilentia illa Voltaireiana exsaltantem adolescentis animum arripuerat, intendentem in iuris disciplinas et publicae vitae exordia praeparantem; qua celeberrimus orator effectus in coetu populari demum sederet in primis, rem publicam administrandam susciperet, nomine suo Galliam, Europam impleret.

Coram haec versabantur; et iam proxima, et iam potenti tenenda manu, quum repente, ceteris nihil tale suspicantibus, ipso nihil tale cogitante, et fortasse nihil tale volente, facta est super eum vox Dei, ditantis floribus arenosa deserti.

Is igitur illa imbutus eloquentia, quam adeptus erat singularem, Chateaubriandi

ac De Maistre volumina pervolvens, pulcherrime reddens declamatione quae Lamartine, quae Victor Hugo conscripserant, audiens assiduus quae Lamennais et Michelet rotundo ore eloquentibantur, repente gentibus nunciat epistola insigni, quae monumentum quoddam perenne est facundiae simul et sapientiae, se veritati mirabiliter emicanti victas dedis manus, et christiana religioni serviendae dicare se totum, terrestribus caelestia anteserens, labilia et fluxa huius mundi cumstantibus et aeternis commutans.

Quinimo, ut ea praestaret, quae altamente premebat, in Ordinem Praedicatorum, quem Dominicus Guzmanius instituit, se detulit, ibique theologiae Thomisticae disciplina excultus, sacerdos factus, praeco singularis e sacro suggestu apparuit, in quo et *Gen'us Christianismi* Chateaubriandi, et *Meditationes* clarissimi De Maistre, quasi discurrentia quaqua-versus fulmina fulgurabant. Obstupere audientes, et quamplurimi timuerunt ne orator hic singulari suo abreptus impetu fines aliquando sepesque calcaret, ulteriusque veheretur quam par esset, lacrimabile vulnus in catholica dogmata et in catholicas consuetudines importans, quasi laevia essent, quae plurima a Calvinio ad «Encyclopedistas» christiana Gallia toleraret.

Commovet enim gentes, quas una ad se alliciebat; ac dum hi mussantes in speculis sunt, quasi scrutantes utrum excederet, illi rapiebantur virtute dicentis, et novam non tentanda modo sed facienda probabant. Ecquid namque religio, ecquid fides ipsa pavesceret caelesti spatiata regione, quam neque populorum fremitus neque concitatae multitudinis impetus super terra repentis, nec regnorum vicissitudines et commutations, nec motus civilium temporum, nec rerum publicarum subitae conversiones attingerent? Quae fierent, quaeque evenirent aut futurae essent, vel esse possent, semper idem Deus futurus, semper idem et homo. Hic perpetuos inter terrores mortis, inter sollicitudines vitae delabentis, inter aerumnas quotidie instaurandas, inter augustias numeratorum dierum; ille inter inaccessibilem lucem aeternitatis, inter magnificientiam suorum operum, in quibus pariter admirabilia sunt oceanus et gutta roris, totius orbis caelestis machina et athomus, herbula et cedrus, bruchus et imperator.

Atqui duobus hisce Religio et Fides, quasi angularibus lapidibus, innituntur, utpote quae summam relationum horum duorum enucleant, erumpentia ex natura creatae rei ac Dei creantis, et sustinentis, et conservantis praecepta nuntiant, ab obliuione, a scelere vindicant, et, quae quisque ineluctabiliter sentit pacatus animo ac secretus silentio, coram sine acceptione praedicant personarum. Ergo nihil utrique timendum in perturbationibus publicae rei, in conflagrationibus quomodo cumque aut excitatis, aut partis. Terrena et humana ibunt in melius, commodiusque populis erit iter in vita; religiosa et divina aut stabunt altiora, aut potentiora redibunt. Dogmate incolumi, veritate integra, Religio et Fides non modo regendis se populis aptant, sed in capite procedentium fiunt ut regant, ducant et corri-

gant. Neque timendum quid, si contumaces nonnulli, si rebelles, si hostes; scriptum est enim: «Gens et regnum, quod non servierit Deo, peribit, et gentes solitudine vastabuntur». Id equidem confirmat historia. Ubi Chaldaeus, Assyrus, Persa, Aegyptius, et Graecus, et Poenus? Laborat annalium fides ut eos fuisse credamus, quod certe minime crederemus, nisi tot in hanc usque diem effossa monumenta gentium testarentur.

Haec Lacordaire docet, sine velamine, sine reticentia, sine minis, et quasi rebus consulens patriis, et humano generi quasi propiciens.

Quim autem si simus, qui necessitate magis quam auctoritate, emolumento potius quam officio moveamur, praesertim si officium sit cum emolumento coniunctum, minime mirandum, credo, quod non modo placuerit, sed repuerit novo illo atque inaudito dicendi genere, quo domi, quo in templo, quo in ipso populi oratorium coetu semper usus est. Ars artem velabat, facundia eloquentiam, ingenium sapientiam. At mirum, quam profecerit; nam qui auditurus accederet, ingrediebatur templum, ingrediebatur autem magis quasi active colloquiturus et collaturus, quam passim docendus auscultator, et eo libenter, quo sciret illic novas quasdam haberi et expendi et ventilari quaestiones, quae proprius tempora, opiniones, forsitan et homines attingerent. Qua in re mirabili certe felicitate usus pariter est, quippe hodierna tempora ea sunt, quae in civilibus motibus, opinionibus, aliquid semper habent religioni vel addendum, vel substrahendum; religiosa autem principia, quae mores alunt, quae veritatem important, in opiniones et motus civiles pariter demum incurruunt. Res enim publica ferme corpus est; Religio, Fides tanti est quanti anima corporis;

atque ideo sicut in homine quidquid patitur anima corpus patitur, et quidquid patitur corpus anima sentit; sic in publica re si quid periclitetur, religio, pariter etiam periclitatur res publica, et si quod in rem publicam adigatur vulnus, religio pariter vulneratur.

Hinc Lacordaire nostro fuit, ut quisque, si qua religionis et civitatis sunt, ea sua lance libraret, ut inde honos religioni, utilitas reipublicae, pax et tranquillitas utriusque ex concordia oriatur. Rapidis haec omnia sermocinationibus perniciibusque tractabat; non minus luculenter tamen, nec minus argumentis illustribus. Quo factum est ut vinceret animos, ut suaderet, ut recrearet, abdicatis ornamentis et fucis et numeris oratoriae artis, prouti videbatur. Videbatur, inquam; non tamen erat; quippe ars optima et naturalis facundia, et copia pulcherrimatrum imaginum eloquentiae peritiam et studium sublime occultabant. At qualis concionator et orator, talis exstitit scriptor. Quae pro libertate docentis Ecclesiae egit, socio illo Montlambert, eadem iuventa florente, talia sunt, ut aeternitate digna penitus videantur. Ideo, ut ipse de se dicere interdum solebat, quasi praenuncius venturae aetatis, fecit, civis non modo existimatus, non habitus modo, sed cognitus; ac talis in ipso exordio haberi coepit est, qualem postea sui cives cognitum iudicarunt, qualem anni qui sequuti sunt, et supergressi sunt saeculum, — natus est enim anno MDCCCI — comprobantur.

Fabio Maximo laus est quod nunquam ab Hannibale victus fuerit, et aliquid gloriósus Marcello tribuimus, quod, apud Nolam praelio facto, vinci posse Hannibalem demonstravit. Plures quidem fuere catholicae veritatis superiore saeculo Fabii; Marcellus tamen hic unus, Henricus Dominicus Lacordaire, quem tot postea, aemulatione et exemplo edocti, Scipiones sequuti sunt. Atque ideo quae prius tantum e

castris et vallo Ecclesia depugnans oppugnantes arcebat, mox ausa portis excedere et aciem instruere in profligandos hostes et obsidentes felici impetu irrupit.

Haec Henrici Dominici Lacordaire gloria, quam non inutile quidem est aliquando revocare.



ARCHAEOLOGICAE RES

De domo Diana in veteri urbe Ostia.

Inter ea monumenta, quae e veteris romanae urbis Ostiae excavationibus comperta exstiterunt, potiorem locum sibi vindicant reliquiae domorum privatuarum, quarum gratia architectonicae artis elementa ad hanc diem ignota atque iniuria, Mediae nostrae aetati, seu novo italicae artis ortui tributa, romanis aedificatoribus vindicanda cognovimus.

Post temporum atque hominum devastationes, ex pompeianis tantum et ex ostiensibus effossionibus certam atque plenam de romanis domibus notitiam adepti sumus. Pompeianarum domuum forma iam dudum innotuit atque in ea atrium, peristylium, cubicula hinc et inde disposita, una tantum tabulatione concessa, perspeximus. In hanc formam patet Graecam atque Etruscam formam invasisse, quae inter se nisi accidentaliter non differunt. Aedificium ita exstructum sumptuosis ac publicis exstructionibus, quae large in urbe Roma supersunt, formam praebuit. Sed popelli domus atque plebeia e pompeianis excavationibus non comparuit; Romae vero ita omnia immutata fuerunt, ut iam non ullum vestigium plebeiae domus inveniri possit; in ostiensibus domibus, formarum species variae sunt et ad usum conformatae civium cuiusvis ordinis. Ostiae enim in urbe

maritima magnus hominum, seu divitum, seu pauperum, seu mercatorum, seu servorum numerus confluens; ibi graecae vel aetruscae artis notitia romanum natum ingenium ad res agendas conformatum non suffocaverat, atque tectonicae artis magistri eas formas sunt sequenti, quae melius ac commodius civium necessitatibus satisfacerent. Ostia, non optimatum, non summorum ducum, non clarorum virorum urbs, sed mercatorum servorumque ad commercia dedicatorum, potius quam sumptuosa aedificia, magna horrea, receptacula cuiusvis generis, navalia, domusque civium suorum usui ac commoditati aptas reliquit.

Domus ostiensis e parvo soli spatio in quartam usque contabulationem erectam decimum sextum metrum – ita a nobis nuncupatum – attingit; contra, graecae domus forma in latitudinem producta ad secundam tantum contabulationem erigitur, neque in ea efficitur, ut parvum soli spatium aedificii incremento compensetur.

Quibus rebus positis, veteris romani inquilini vivendi ratio a satirarum scriptoribus descripta, recte intelligi potest; nam eae descriptiones domui sive graecae sive pompeianae formae nullo modo conveniebant. In Ostiensibus aedificiis lux non ex atrio vel ex peristylo cubicula illuminat, sed ex viis, ex plateis, ex cavaediis, quae nil commune habent cum atris neque cum peristyliis. Cubicula alia aliis superposita in singulis contabulationibus a cryptoporticibus et a vomitoriis liberum aditum sibi vindicant; qua de causa unaquaque gens facile eam domus partem sibi tribuere poterat, qua indigebat, et inquilini magna cum libertate cubiculorum usum variare poterant.

Sed ut exemplum ad rei intelligentiam concedamus, in mentem eam *Dianae* domum revocamus, in qua praecipuae exstinctionis notae, de quibus locuti sumus, inveniuntur. Domus haec a Diana nomen

sibi indidit, quod in summo pariete cryptoporticus imago e cocto latere huius Deae inventa est. Forte antiquissimus erus venationis Deae alumnus, patronae gratum animum ita significavit; nos tandem hoc nomine et domum et vicum appellavimus.

Domus haec in tertiam contignationem e terrena erigitur. Totam terrenam contignationem cum ianuis duabus in apertum vicum ferentibus scalisque e tiburtino lapide confectis de gravi atque millenaria ruina erutam oculis cernimus; reliquae vero contignationes e frequentibus parietum reliquiis hinc et inde apparent; e parietum crassitudine, quae constans est e solo usque ad primam contignationem; ex abnormi ruinarum tumulo; e viarum amplitudine, quae cum praeceptis venustratis recte intelligendae consentire debebat. Si enim Dianae domus e duabus tantum contignationibus constitisset, forma eius, in universum prospicientibus, gravis, crassa, iusto maior evasisset, quod absurdum censemendum est. Eadem Diana domus non solum ero habitandi facultatem induxit, sed etiam lucrandi; nam copia ac forma cubicolorum in quatuor contabulationes distributa non aliud spectabat, quam inquilihinis locandi facultatem.

Nunc vero de fronte aliquid dicendum. Ut plerumque spectari potest, externae domorum Ostiensium frontes e cocto ac polito latere constant, nullo calcis induimento superposito. Aedium aditum columnae, vel cylindricae vel rectangularae, ex eodem latere ornant, et ad eas epistylum innititur raro lapideum, saepius ex latere fonicatim exstructo. Fastigia atque coronae parce atque decore contabulationes dirimunt eodem opere confecta. In Diana domo omnia haec sunt perspicua, sed singulari modo recensendum est podium perpetuum, quod supra terrenam contignationem, lapideis mutulis concameratum ex pariete externo prodit. Fenestrae

biforae vel triforae aperiuntur in externo pariete, sed in cavaedio simplices nullaque corona decorae. Scalae perpetuo opere confectae ac sapienter distributae una cum cryptoporticibus id spectant, ut aedificii partes libero cursu suo munere fungantur; gradibus e coctili latere vel e tiburtino lapide promiscue gaudent, quae hinc et inde parietibus coarctatae forniciibus atque concamerationibus fulciuntur, ad tabulatum quodque areis distributis. Cavaedium nullam peristylii vel atrii formam obtinet, sed ut in nostrae aetatis domibus, utilitati et commoditati habitantium hominum inservit.

Ex his conici potest, Ostienses domos traditam domorum formam quam Latini seu a Graecis seu ab Etruscis didicerunt, cito immutavisse earumque formas nec non superpositas contignationes in mediad aetatem ad nos usque traditas perpetuo exstissemus.

ALEXANDER AURELJ.

De certamine poëtico Hoeufftiano

ANNI MCMXXVII

Ab Academia Nederlandica novas hasc notitias de certamine poëtico superioris anni accepimus; quibus sequitur indicatio certaminis huius anni, scilicet:

Carmina an. MCMXXVII ad certamen missa triginta numero fuere.

Praemium aureum reportavit ALEXANDER ZAPPATA, qui carmen condidit, cui nomen: *Mater Iesu et Mater Iudei*; sumptibus legati in volumen recipientur carmina q. t. *Lucius, Quattuor Anni Tempora, Carmen Lustrale*, si poëtae eorum scidularum aperiendarum dederint veniam.

Ecce index titulorum ceterorum carminum: *Flavia et Vitinius, Anguis et Aquila, Aurea Nuptialis, Somnia Dantis, Votum, Retina seu Herculanei Extodium, Tyrannus et Magister, Io Doctor! Iani Nuptiae, Error et Poena, Iter Cummas, Ad Vergilium, Pegasus, Coetus Pacis, Extremum Ovidii Tempus, Pratella, Los von Rom, Aquilarum Ordo, Libellus Propertii, Sancti Francisci Obitus, Daedalus hic!, Tu Decus omne Tuis, Caelum vocat Vos!, Melitta, Crepundia, Martyres, Aviae Munusculum, Ad Iudices Hoeufftianos Epistula.*

Nunc «ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa, nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXXIX mittantur ad het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Iudicibus autem gratum erit, si poëtae in transcribendo portable prelum britanicum (*type-writer*) adhucuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

«Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aprienda venia dabatur. Id autem ante Kal. Jul. proximas fieri debet.

«Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Maio pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur».

Discere ne cesses, si doctor maximus es.

(Ex vulg. Adagis).

**In fratrem dulcissimum Remigium
morte peremptum¹**

Quae ex animo Tibi sane Hildae post funera
[carae]
laeta precabar, mox redditit irrita mors.
Invida nam circum nigris volitans dudum alis
abstulit ah! nobis dimidium Te animae.
Qui lacerans dolor, heu! gnatis, matri se-
[niori,
cognatis ceteris unanimo gregi!
Mors, precor, abstineas avidas hinc livida
[manus,
abstineas precor ah! denique sit satias!
Sortis ludibrium! crudeles incolumis qui
morbos fugisti saevaque mortiferi
vitasti belli persæpe pericula nuper
deseruisti eheu! morte repente tuos,
omnibus ignaris, medico ipso haud despe-
[rante:
non ideo dixisti ultima verba satis.
Iacebas placidus lecto Tu flore adoperto
victor discedens anxiae agone animae.
Quam exigue vitam Tibi laeto laeta levarunt,
naturam fato vel cohibente prius!
Omnia cum Vobis iucunda futura patebant
fortuna versa, coniugis interitu,
dein subito menses post septem funere acerbo
funestoque Tui, blandula spes cecidit.
Ah! nimium corde uxorem semper peramasti
ut socium optares Te illius esse cito.
E Caelo Vobis, caris nunc auxiliari
curae sit genitis, qui bene Vos referunt.
Eminet ex oculis praesertim magna parentum
virtus, appetet vis simul ingenii.
Hi docti crescent curantibus usque propinquis
et pietate boni dum recolent animis
ne Vestri cultum memorem, quin maximus
[ævo
pro Vobis faciet sacra pie usque Deo.
Quae exsequis frater dedi corde novissima
[verba
manebunt semper religione sacra.

NAZARENUS CAPO.

¹ VIII Kal. Maias huius anni vix octavo mense a morte
Hildae uxoris optimae, desideratissimae.

EX ITALIS URBIBUS

**Insignis armorum Iustratio Augustae
Taurinorum.**

Sub finem mensis Maii huius anni, quum artium terna exhibito, magno civium concursu et advenarum, apud nos celebraretur, in Taurinensi Stadio, adnuente Rege, nova exercitus Iustratio iubetur, in qua, veluti per speculum, omnis Principum Allobrogicorum historia, per armorum insignia, vinculo sororio simul ligata, ob oculos, universa militaris mutatio per tot saecula ostendit. Quot rerum memoria!

Regalis haec civitas, per quatuor circiter saecula, regni Sabaudici caput, exercitus splendore nitescere consuevit, et una inter ceteras Italiae provincias, suis unice copiis nitebat, maximeque pollebat. Quo facto, gens Subalpina, propulsandis belli periculis semper intenta, militaria studia quam mansuetiores artes malebat.

In praesentiarum, etiamsi rerum conditio longe alia est quam ante, et quamquam omnis populorum ratio in artibus exercendis ponitur, quae ad vitae commoditatem rerumque opulentiam spectat, ad arma tamen se se identidem confert, antiquam virtutis amplitudinem secreto memorat.

Quo facto Taurinensium animus semper in re militari exsultat; et Augusta Principum Allobrogicorum domus, fidissimorum populorum ingenium prosequuta, hoc armorum specimine patrum gloriam commemorans, viventium firmatatem excitat atque adserit.

Ad haec, Emmanuel Philibertus, Augustae dux, primus inter suos nomen retulit gloriamque renovavit gloriosissimi atavi, quum, memoria nostra, feliciter ad Pla-

vem ab Italis pugnatum est. Quo nomine, hac arrepta occasione, consilium fuit in urbe Subalpinorum capite, quæ olim audacia in periculis capessendis, virtute inter ipsa pericula, inclaverit, uno veluti agmine facto, tot saeculorum historiam concelebrare.

Sic fuit Iustrationis ordo.

Ipse Humbertus, princeps regnique heres, personam Emmanuelis Philiberti; et Iolanda soror Margheritam Francicam sponsam refert. Magnus circum adstitit militum numerus, qui vestibus induiti et armis, ut tempora postulant, superbe equis insidunt, ferro auroque fulgentes. Hi omnes obiter certamina insimulant, quibus illi nobiliter interfuerunt.

Secundum agmen est sub ductu Principis Apuliae, qui personam gerit Caroli Emm. primi. Hic enim incredibili constantia egregium ac memorabile facinus edidit adversus Hispanos, qui tres menses oppidum nostrum oppugnabant. Tamdiu nostri obstiterunt, quoad hostes, spe omni deiecti oppidi potundi, male multati receperent.

Difficillimis temporibus, quum dux supremus Hispaniarum copiarum in Italia, nomine Regis atque auctoritate fretus, ei superbe ut obediret imperat, Carolus Emmanuel aureum hispanicum vellus, quo exornabatur, tacitus restituit, atque ab eius conspectu recessit.

Et omnis circa populus in cavea plausibus juvenem principem accipit, qui flamantia lumina torquens, nitidusque iuventa, ad agmina redit.

Hi equites, qui proximi accedunt, arduique ad solem gyrum carpunt, gradibus que sonant compositis, sunt tercenti sub disciplina Caroli Emm. III, qui ad Guastallam certavit atque insigne de Auctriacis retulit triumphum, hodieque gloriosam illam renovat victoriam.

Sicque Subalpini ingentes animas angusto in pectore versant.

En aliud ob oculos equitum agmen, et varia militum frequenta. Adest nobis Victorius Amadeus, huiusc nominis secundus, qui an. MDCLXXXIV summani omnium potestatem adeptus, nihil antiquius habuit, quam ut universam provinciam veteri concordiae et patientiae resistueret. Post multos labores, regis Ludovici arrogantiæ pertaesus, ad foederatorum partes transit, et egregia virtute, regni caput ab hostibus vindicavit.

Ad eius latera stat Eugenius Allobrogicus; adest et Petrus Micca, miles cunicularius, qui prodigus animæ sua, ut urbs servaretur, audacia et constantia, occubuit. VII Idus Sept. an. MDCCVI Subalpini opimam et præclaram prædam ex Gallis caesis fugatisque reportarunt. Tam insignem victoriæ hodieque testatur templum in summo vertice Sopergæ, Virgini matri sacrum, quod obsessa urbe Victorius Amadeus voverat, et Carolus Emm. filius, regnum auspiciatus, dedicavit.

Primus stirpis sua regis appellatione est auctus.

Quot equitum turmae circumstant Regemque salutant! Ante omnes invehitur Petrus Micca, qui præ manibus asper funem incendiariam portendens, veterem animi constantiam monstrat.

Novissimi tandem veniunt Caroli Alberti Regis ordines, qui temporibus suis callidissime inserviendo, populorum exspectationem explevit, nullaque adductus necessitate, non tam imperii munimenta, quam civium commoda et dignitatem spectavit et providus futurorum, subalpine libertatis fundamenta sic iecit, ut ipsius beneficia non minus ad posteros, quam ad praesentes pertineant.

Id penitus animis nostris infixum haeret, Italos quidem universos decere avitam artium hereditatem diligentissime conservare, a quibus acerrimum iudicium, egregie civilis et militaris prudentiae documenta, postremo ingentes illi spiritus

manant, quibus italicum decus tuentur, at multo acrius Subalpinis esse admittendum; quibus italicae salutis et dignitatis praesidium apertissime a Superis est creditum et commissum. Nos enim, ineunte saeculo decimo octavo rege nostro orbati, per quindecim et amplius annos, fuimus sub Gallico dominatu. At restincto ubique bellorum incendio, regnum est restitutum quod foederati Principes, vetere provincia, per superiores pactiones iam distracta, amplificatum voluerunt.

Quatuor adhuc restant recentiora agmina... Primum sub ductu Caroli Alberti, qui postquam legum imperium quam dominatum maluisset, magnae animae prodigus, tructo Ticino, se in casum irrevocabilem dedit, ut universa Italia, tandem aliquando sui iuris et mancipii libertatem adepta revivisceret.

Tandem Principes, relicto stadio, ut Rex ipse disposuit, per medium urbem ad Regiam evehuntur; atque ita cives, incredibili laetitia et plausu eos accipiunt, imprimis principem Humbertum, qui in spem regni crescit, omnesque virtutibus gaudent.

*Di patrii servate domum, servate nepotem,
Vestrum hoc augurium, vestroque in nomine
[Italia est!]*

SUBALPINUS.



AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 43. - Crises humoris pauci, ut stillae sanguinis pauci vomitus, pauci secessus, pessimae; fiunt ab exsolutione vel oppressione partis.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 44. - Morbi acuti usque ad vigentesimum moventur per quaternarios; a vigentesimo ad quadragintesimum per septenarios; a quadragintesimo ad centesimum et in chronicis per menses et annos.

§ 45. - Si quis sine causa, noctu multum sudat, repletionem significat.

§ 46. - Febres aestate non tantum fiunt ex nimio fructuum esu, et ex calore solis, quantum ob frequenter impeditam transpirationem.

§ 47. - Tussiculae cum sputatione abscessum circa aures submovent. Ideo gargarisma ex malvatico vino, quod mihi (*Baglivi*) familiare est, in parotidibus iuvat, et ea quae sputum movent, pariter prosunt, nam emungunt excretoria glandularum oris vasa, a quorum concreta lympha nascuntur parotides.

§ 48. - Parotides rubrae, et nimum dolorosae, sive sint participes, sive expertes suppurationis, periculosae, praesertim si alvus non fluat biliosa. Alvus libera in quibuscumque capitum morbis semper mirabilis, semper utilis.

§ 49. - Parotis, licet ad suppurationem etiam veniat, si tamen non adsint signa coctionis in urina, vel alvus multum non fluat, malum.

§ 50. - Si crudo adhuc existente morbo cum gravibus symptomatibus, parotis veniat, et ob metum graviorum expectari non potest suppurratio, carenti ferro statim urenda, et ita procuranda statim suppurratio, et exitus. Maligno humoris nemora raptum faciat ad caput et vicinas partes, ac suffocet. *Walleius* hanc methodum saepe felicem expertus est, uti et *Baglivi*.

§ 51. - Surditas alvum sistit, et alvi profluviu surditatem solvit et sanguis e naribus.

§ 52. - Surditas in acutis post septimum diem cum aliis bonis signis, reconvalsentiae indicia praebet.

§ 53. - Quibus in febribus ardentibus aures obsurdescunt, non soluta febre necesse est delirare. Solvit autem inter alia sanguinis e naribus eruptio, aut alvus biliosa.

§ 54. - Aurium morbi nunquam spernendi; solent enim nonnunquam esse acutissimi et post biduum iugulant. Acutissimi sunt ob apostema auris quod tunc fit; et si fit ex interna parte tympani, malum; pus enim difficulter expurgatur exterius, hinc malum, et pereunt; contra si ab externa tympani parte inflammatio fiat, in qua expurgatum pus facile prolabitur extra, et parte liberat, atque vicinum parti cerebrum etiam liberat.

§ 55. - Pariter rubris, et supra modum tinctis existentibus urinis, cave cane peius et angue, ne chinam chiae praescribas, sive sint *acurae*, sive sint intermittentes febres. Nam *acurae* adhibita china transiunt in inflammationes periculosas; intermittentes vero fiunt continuae graves, periculosae et chronicae. At si cum talibus urinis lingua sit viscida, sicca; calor acris per totum corpus viscera intenta, cum hypochondriorum calore, quae singula significant incipientem viscerum inflammatoriam crispaturam, et oscillationem morbosam, ab exaltatis talibus pendente; in tali casu sanguinis missio etiam repetita, pro ratione accidentium supervenientium, conferre poterit, ad praecavenda delicia, capitum dolores variasque huius affectiones generis acutas.

§ 56. - Urinae turbidae, quales iumentorum, semper mala capitum minantur in acutis. - Urina, quae supprimitur in acutis ante rigorem, bonum; critica enim est; quae post rigorem subsistit, convulsitica, est lethalis.

§ 57. - Idem dicendum est de haemorragia, quae ut bona sit et critica, rigor succedere debet, non antecedere eundem.

§ 58. - Urinae, quae in acutis derente et immerito coquuntur, malae; quid-

quid enim immerito coquitur in acutis, malum est.

§ 59. - Pulsus intermittens in una pulsatione pessimus in acutis, et inflammatoriis febribus, praesertim si alia vigeant gravia accidentia. Non ita malus, si morbis pectoris superveniat, in quibus familiaris est, aut in morbis senum, aut in plethorici, aut in pueris dormientibus, in quibus omnibus intermittentia fere cum familiaris sit non ita perniciosa aestimanda.

§ 60. - Diutius et salubriss vivunt, qui naturaliter pulsum habent exiguum, quam qui magnum et vehementem. Salubriss quoque, qui pallidulo faciei colore sunt, quam qui rubicundo nimum et fere igneo; et quo magis rosea et rubicunda est facies in sanis hominibus, eo magis suspecta sunt sua bona. Periculosisimis rosei homines morbis subiiciuntur, levi de causa aegrotant, facile inflammantur. Longam vitam non habent, et si habeant, haemorrhoidibus, calculis, doloribusque articulorum erit labefactata.

§ 61. - Quando dolores alicubi ferociunt, statim pulsus parvi fiunt, et exiles. In stomachi morbis parvi etiam fiunt. Quique naturaliter sunt stomacho debiles, exiguum fere perpetuo pulsum gerunt; quod ad rite prognosticandum in acutis, maxime iuvat praescire.

§ 62. - Si quando in acutis et malignis febribus pulsum tangis, aeger retrahit manum, velut tremulam, pessimum est, et pauci evadunt; ita *BAGLIVI* saepe observavit in nosocomiis.

§ 63. - In senibus pulsus est varius et mutabilis naturaliter, ideo ne terreat te in iis curandis. Mutabilis quoque est in pueris copia vermium laborantibus, et in stomachi affectionibus cum ingente repleione, et apparatu primarum viarum.

§ 64. - Si quando in acutis et aliquando in chronicis post longam inappetentiam derente ingens excitetur appetitus, nulla

præcedente bona crisi; aut alio bono signo, *postridie mortem prædicito.*

§ 65. - Homines diu inappetentes in gravem morbum brevi incident.

§ 66. - Si post curatos morbos inappetentia remaneat, recidivum prædicito.

§ 67. - Bonus appetitus bonam viscerum naturalium oeconomiam denotat, unde semper bene sperandum. Nec lubricus sit in promittendo curationem felici eventu, nisi fundamentum habeas in bona appetentia.

§ 68. - Cephalalgiam tollit expurgatio per narcs, et sputa crassa odore carentia. Quin etiam eam solvit ulcusculorum ubertas, nonnunquam et somnus et alvi profluviu.

§ 69. - Si dolor capitis ante febrem invadat, atque si gravis, continuus et posteriorem capitis regionem occupat, periculum est, ne caput idiopathice laboret, ac per essentiam; si vero post aliquot, licet breves ab incepta febre dies, superveniat dolor, per consensum fit, id est febris symptomum est, et occupat partem capitis anteriorem, ut saepe observavi (BAGLIVIUS); in summa gravis est, si statim cum febre incipiat, et quotidie crescat, vel in eodem gradu persistat.

§ 70. - Coma non turbulentum, sed placidum, licet duraverit diu ebriorum instar, non est malum, sed sedat et arcit maiora mala, delirium scilicet, dolores capitis, et in pueris febrem.

§ 71. - In morbis capitis indicium ad salutem, vel ad mortem, sumas ex urina: si alba sit et tenuis, malum.

§ 72. - Albus stricta semper exacerbat capitis morbos. Pediluvia semper bona. Albus lubrica, bona.

§ 73. - In faciei et fauci morbis cauteria valde iuvant in brachiis; arteriotome in capite; secretum magnum in desperatis capitis doloribus est.

(Sequitur). Tunc ad hanc sectionem I. FAM.

COMMUNIA VITAE

Coecitatem paene contraxi. - Oculorum lumina perdidi (amisi). - Oculorum sensu (oculis) sum captus (destitutus). - Sine visu prope sum. - Oculis iam amplius uti nequo. - Luminibus sum privatus. - Rerum species non possum inspicere (intueri, cernere, oculis iustrarre). - Exsors lumen iam sum.

Aegrotatio in auribus est. - Otalgia me angit.

Tinnitus (Sibilus aurium).
Apostema.² - Exaema.³
Otites (Aurium inflammatio). - Parotis (Parotida, Eparmata).⁴

Otorrhoea.⁵
Cereus cumulus in auribus congestus.
Hebetiores aures factae sunt. - Gravior mihi est auris. - Hebetior auditus est. - Exsurdesco (Obsurdesco). - Audiendi sensu paullatim careo.

Morbus me exsurdavit (surditate affectus). - Mihi surditatem attulit (induxit, creavit, inflixit). - Mihi auditum (audiendi sensum) abstulit.

Iam surdo loqueris (Surdis auribus canis).

Tristes incesserunt dermatis (pellis, cutis) morbi; intercutanei morbi.⁶

Vellicatio (Vellicatus).⁷

¹ Cfr. fasc. sup.

² Suppuratio, abscessus ex concurso humorum; quae vomica dicitur, si interna.

³ Vox e graeco fonte sanguine destitutus significat; revera eruptio huiusmodi vesicularum eos, qui anaemici et scrofulosi sunt, praesertim invadit.

⁴ Italice orechioni.

⁵ Humorum non intermissum effluvium ex auribus.

⁶ Quum inter carnem et cutem sunt.

⁷ Frequens et carptim pellis pruritus.

Furfur.⁸ - Alopecia. ⁹ Caput glabre- scit (glabrat, glabrum redditur [sic]). - Achores (Favus, Cerion, Ceriae, Saphatum).¹⁰ - Porrigo (Epityasis, Epytira).¹¹ - Ozaena¹² - Erisipelas, atis (Phyctaena, Phycitis).

Paronychia (Panaricum).¹³ - Pernio, onis (Pernium, Chymethlum).¹⁴ - Steatomia.¹⁵ - Verruca (Verrucula).¹⁶ - Naevus (Naevulus).¹⁷ - Callus (Callum, Morticinum). - Lichen = Mentagra. - Impetigo.¹⁸ - Stogma, - Petimen. - Ignis sacer.¹⁹ - Hyperhydrosis (Nimius sudor). - Copiosus (largius) quam ut par est, sudo (ex sudo). - Undique sudore mano (fluo). - Sudore diffluo (profluo). - Pomphi (Urticariae).²⁰

¹ Capitis vitium, quo velut farinae foecae purgatur.

² Capillorum profluum ex vitiosis humoribus.

³ Ulcera foetida manantia e cutis capitis tenuis simis foraminibus.

⁴ Capitis cutis furfuraceis squamis foeda; vulgo tigna.

⁵ Ulceratio in naribus profunda, foetida.

⁶ Abscessus circa radices unguium. Italice panreccio.

⁷ Manum et pedum congestio ex nimio frigore. Italice pedignoni, geloni.

⁸ Parvus tumor foris in corpore apparet, pingue intus materiae saevi similem. Italice (et latine interdum) nattia.

⁹ Caruncula in corpore eminent, unde verrucosus qui multas per corpus verrucas habet. Italice porri; qui si in manibus, acrochordones dicuntur.

¹⁰ Macula genitiva corporis. Italice nebo.

¹¹ Lichen est papularum eruptio cum sensu asperitatis ac puritus; mentagra purpureus est morbus a mento incipiens (unde nomen) ex lichenum genere; impetigo eruptio est pustularum cum crustis.

¹² Stogmata bullae dicuntur rubri, coloris per corpus disseminatae; petimen vesiculae coacervatim dispositae (Italice erpete); ignis sacer petiminis genus est, vulgo zoster, sensum fere ignei caloris afferentes, unde nomen.

¹³ Papulae latae, crocei plerumque aut rosei coloris, quasi ex urticæ punctionibus; unde urticariae nomen.

Scabies. - Psora. - Lepra (Elephantiasis).¹

Furunculus. - Phyma.²

Adustio.

Astrobolesmus (Congelatio, Sideratio).

Gangraena (Spacelus).³ - Putredine vi- tor (corrumpor, tabesco).

Ulcus (Ulcusculum). - Nomae.⁴ - Phagedaea.⁵

Plagis (ulceribus) sum concisus (vulneratus, confectus). - Chronicum (Fistulosum), ulcus est, ut sanari non possit (ut salus desperanda videatur - ut spes salutis nulla sit - ut medicinae locus non sit). - Lethalis plaga. - Mortiferum (lethiferum) ulcus est.

Ita factus sum ulcerosus, ut membra corporis mei pene omnia fuerint fascis obducenda (obliganda, alliganda).

Ulcus ad vivam carnem adducitur (ad vivum corpus adigitur).

Plaga putrida (Ulcus) in pus (saniem) solvitur (resolvitur) - Ex ulcere pus fertur (it, manat, fluit, effluit, erumpit).

Ulcus in crustam cogitur (concrescit). - Ulcus crustulam sibi inducit (crusta obducitur). - Ulcus ad cicatricem adducitur (de- duicit, provehitur). - Ulceri cicatrix accersitur (creat, citatur). - Ulceri caro cietur (inducitur, movetur).

Laesio (laesura), Trauma.⁶ corpus meum offendit.

¹ Scabies cutis est summae asperitas cum furfuris squamis superficie depascens; psora fera est scabies; lepra quum morbus profundius artus depascitur, et per circumflexum.

² Tuberculum, quod cito augetur ad suppurationem, forunculi simile, sed rotundius ac planius.

³ Quum caro ex sideratione moritur atque marcescit.

⁴ Ulcera, quae carnem sanam depascendo serpent.

⁵ Ulceris, et etiam cancri, genus, cutem et subiectam carnem edens et continuo depascens cum faeces.

⁶ Trauma est solutio continuitatis in carne, non ex distensione, sed ruptura proveniens.

Sugillatio.¹ - Intertrigo.² - Vulnus: Vulnus punctum inlatum.³ - Vulnus caesim inlatum.⁴

Caesim et ex alto plaga meo capiti inflicta est. - Caesim caput meum est percussum. - Oblonga meo capiti plaga est imposta (inficta, incussa, inducta). - Inflicto caesim ēnse, caput mihi luculentu vulnera est concisum (dissectum, laniatum). - Luculentam plagam capiti inflictam accepi. - Graviter mihi caput ensis percussit. - Ēnse in caput meum impacto graviter sum vulneratus.

Adversum vulnus (adverso pectore vulnera) unum luculentum accepi (tuli), et duo aversa (et duplex averso corpore).

Sum vulneratus (convulneratus, laesus, sauciatus, vulnere affectus, graviter percussus). - Mihi vulnus est impressum (infictum, impositum, ingestum, injectum, factum, datum, infictum).

Iugulum meum petuum est. - Lethaliter (mortaliter; mortifere) sum sauciatus. Mihi plaga mortisera est imposta.

Dolor ex vulnera graviter me pungit. - Dolore ex plaga ardeo (Dolor vulneris me urit).

Vulnus coit (coalescit, conglutinatur). - Vulnus cicatricem obducit (Vulneri cicatrix obducitur).

Membrorum distortio. - Luxatio. - Membrorum fractura.

Cerebri commotio (concussio).

Malorum Ilias me possidet.

Tumor (Panus, Phypella). - Oedema.⁵

Super humerum panus mihi est natus (exortus). - In faucibus (Vultu, Ventre, etc.) tumor excrevit (emicuit, erupit).

¹ Ex ictu livor (Italice: *contusione*). Si multus ille et in pus conversus *hypopyon* dicitur.

² Parva exortatio (Italice: *scorticatura*).

³ Italice: *Ferita di punta*.

⁴ Italice: *Ferita di taglio*.

⁵ Tumor, praeter naturam, non dolens.

Panus digestus suppurat. (In pus [sani] difflit).

Tumor foras exhalans (per poros detumescens), - Tumor discutitur. - Coactus et concretus in pano humor discutitur (digeritur, solvit, diffilit, dissipatur, evanescit).

Bronchocele (Gutturis tumor). - Cancer (Carcinoma). - Carcinōdes.¹

Hydropisis (Aqua intercus-ūtis). - Anasarca (Catasarca, Hyposarcidium, Episarcidium).²

Hydropicus (Hydericus, Utricularius) sum factus.

Ramex (Hernia, Enterocèle, Epiptocèle). - Lumbago.³

Cirsus (Varices).⁴

Haemorrhagia. - Haemorrhois (Haemorrhoea).⁵

Vomitus. - Vomitū stomachum reddo (Vomitione stomachum egero). - Crudum cibum evomo (ore reddo). - Vomitionem inhibere (cohibere, sistere) nequeo.

Quam pridem habet hoc te mali? - Quantum est temporis, quod te malum hoc corripuit? - Diu ne est quod teneris isto morbo?

Resp. - Ferme mensis (annus) est, ex quo in morbum incidi - Iam primus (secundus, etc.) fluxit mensis, ex quo morbo teneor (affectus sum). - Ferme mensis est ex quo ingens morbi vis adorta me est - Plus minusque dies... sunt, ex quo aegro sum corpore - Mihi quidem saeculum videtur, quod aegrotare coepi.

¹ Morbus naturam cancri imitans serpendo, cancro similis.

² Hydropisis species, ita dicta quod per carnem illae humor fluat.

³ Vitium et debilitas lumborum.

⁴ Venae dilatatae, latiores in coxis et cruribus. Hinc *varicosus*, qui tumidiores habet venas.

⁵ Fluxus sanguinis in qualibet parte corporis abundans; sed haemorrhois sive haemorrhœa proprie dicitur distillatio et delatio sanguinis per dissolutionem paullatim factam.

Adnitendum censeo ne morbus fiat familiaris.

Resp.: - Heu! iam nimium assuevit.

Unde morbum contraxisti? - Unde suspicaris hoc esse collectum mali?

Resp. E frigore natum arbitror (e pluribus ovis; e vino; e crudis malis, etc.).

Quoto die recurrit febris (dolor; tentatio; impetus morbi?).

Ex ipsis morbis sanum te atque integrum (firmum te atque valentem; viribus integris sensibusque restitutum) videre quamprimum cupio. - Te morbo defunctum scire volo. - Vires tibi et color rem redire vehementer opto. - Confirmatum e morbo videre te quamprimum appeto (aveo, expeto, desidero, desiderio teneor; studio efforor).

(Ad proximum numerum).

I. F.

COLLOQUIA LATINA

Narratio convivii.¹

DONATUS. - Age, quoniam nunc otiosi sumus, narra mihi, quaeso, aliquid de hesterno convivio, instructo domi tuae.

SIMON. - Quid de illo scire cupis?

DON. - Primum, qui convivae fuerint; deinde quam latum et opiparum convivium.

SIM. - Convivae fuere hi praecipui: consules duo, urbis praefectus, alii tres primae notae e senatorum numero.

DON. - Nostine viros?

SIM. - De facie quidem; sed eorum non teneo nomina.

DON. - Quis accubabat in capite mensae?

SIM. - Rogas? Praefectus urbis.

¹ Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

DON. - Tu vero ubinam? -

SIM. - Egone homuncio cum tantis viris epularer?

DON. - Habes de convivis satis; nunc exspecto de convivio.

SIM. - Longum est singula enarrare ferculā: dabo tamen operam, ut aliqua ex parte expleam desiderium tuum.

DON. - Succedamus sub porticū, ut in umbra commodius fabulemur.

SIM. - Accipe ergo mensae principium. In primis appositae sunt pernae salitae, linguae bubulae fumo et sole induratae.

DON. - Nempe ad excitandam appetitiam et sitim acuendam.

SIM. - Nempe sicut dicas. Eodem ordine interposita sunt acetaria e lactucis, asparagi, minutalia, vitulina cum ovorum solidis vitellis, et plura alia. Atque hic missus primus fuit.

DON. - Nihilne interim bibitum est?

SIM. - Indigna homine quaestio. Sed de potibus agam posterius; sine me cibos expedire.

DON. - Prosequere; ausculto.

SIM. - In secundo missu haec fere furunt: artocreas, pulli, gallinacei elixi cum intubis candidissimis, caro bubula, vervecina, suilla, recens et salsa. Sed hīc fabulatum fuit plus quam esum.

DON. - Nil miror: desiderabatur condimentum.

SIM. - Quodnam?

DON. - Fames. Nam, ut in adagio: *Optimum condimentum est famēs*.

SIM. - Fames non deerat; verum assa exspectabantur.

DON. - Et ego exspecto: veniamus ad tertium missum.

SIM. - Assa haec fuerunt apposita: pulli columbini, anser furtulis, nefrendes castaneis farti, cuniculi et armus vervecinus, duae perdices iunctae cum lepu sculo.

DON. - Unum mihi videtur praetermissee.

Sim. - Quid illud est?
Don. - Nullane erant et hic condimenta?

Sim. - Varia erant embanimata, seu instinctus saporis exoticis singulis prope modum ferculis addita. Nec vero defuerant capparides, mala aurēa, citrēa, olivae conditiae?

Don. - O quot gulae irritamenta!

Sim. - Tandem, quum iam nemo amplius quidquam attingeret, iubet pater afferri bellaria, in quibus haec fuerunt inter cetera: Casēus recens et vētūs, placentā pomis, oryza in lacte cocta, saccharo et cinnamo dense conspersa. Armeniaca mala, ficus, cerasa, uvae passae, et alia quae nunc mihi non occurruunt.

Don. - Age vero, quale vinum appositum fuit.

Sim. - Si de colore quaeris, album fundebatur, rubrum et flavum, omnia generosissimā; commendabant plerique Tusculanūm; pauci bibebant Hispanum; vix aliquis delibabat Gallicum.

Don. - Quis fuit prandii exitus?

Sim. - Ubi pater vidit convivas omnes iam saturos edendo et bibendo, ordine tolluntur omnia: datūr aqua odorifera manib⁹ abluendis. Deinde ad convivas

pater inquit: Mihi, queso, ignoscite, quod prodignitate non ampliter satis exceperim. Contra, Praefectus urbis obiurgat eum, quod tam magnifico et sumptuosus apparatus convivatus fuisset. His dictis, surgunt ex mensa universi. Magna pars, vale dīcto, statim discessit: ceteri manent stantes in aula, et bacilla ex nicotianis foliis vaporantes, diu confabulati sunt. Nonne ego tibi lautum extruxi convivium?

Don. - Tali convivio ego nunquam interfui.

Sim. - Ah! gaudeo nūn saltēm stomacho tuo a me factū esse satis.

Don. - Et tamen nihilo minus quam anteā esurio. Ego tē ad mērēndam invito, unde non abeas famelicus.

Sim. - Recipio.
Don. - Quid?
Sim. - Mē esse venturū si voces.
Don. - Eamus!

ANNALES

Iugoslavorum discordiae.

Aniñorum contentiones in Iugoslavorum regno acriter perdurant, inter Serbos praesertim Croatosque. Hi eo devenerunt, ut propriū popularium legatorum coetum Zagabriae convocarent, qui sui iuris liberosque a Serborum servitute Croatos ipsos ediceret. Accessit ad fervorem augendum Stephani Radic, antiserbicae unionis principis, mors, post vulnera in publici coetus legibus ferendis excidio, quod alias narravimus, accepta, et etiam Neptunensis pactionis cum Italia ratificatio, cui, ut iam diximus, factiosi plures adversabantur. Quo cessuræ res erunt eventus nos docebunt.

Venizelos in Graeciam reditus.

Venizelos ille, quondam Graeci summi consilii praeses, qui ob interne partium dissensiones sponte procul a patria indignanter abierat, a rei publicae Praefecto sollicitatus, rediit, habitisque comitiis, populi favorem obtinuit. Itaq̄e summa rerum iterum resūmet, dum omnēs sperant fore ut ordinis tranquillitas apud Graecam civitatem restituatur.

Ad bellum abolendum.

Rogatio illa internationalis legis ad bellum inter nationes abolendum a Kellogg, Americano administro, lata, quae

veluti somnium videbatur, numne re confirmetur? Certe pactio ad eam in universum constituendam die xxvii huius mensis Lutetiae Parisiorum a Galliae, Angliae, Italiae, Germaniae, Iaponiae, Belgicae, Poloniae, atque Cecoslovacorum legatis, (quibus dicunt Hispaniam et Russiam ipsam brevi accessuras), subscribetur.

Interim minorum nationum coetus Bucarestini fuit congregatus, qui nationes ipsas promptas paratasque declaravit ad obsistendum omni opere cuivis finium immutationi a foederibus post recens belllum iētis constitutorum.

Amicitiae et commercii foedera.

Quibus pactionibus addenda sunt quae recens Italia firmavit, amicitiae nempe cum Aethioporum imperio, et commercii cum Hungaria.

Sinarum vero novum «nationalistarum» gubernium recognitionem petiit antiquorum cum ceteris nationibus foederum, utpote quae nimias facultates exteris civitatibus concederent ad suorum civium tutelam.

In Mexicana republica.

Obregon, rei publicae Praesidis ad quinquennium electi, nefaria interemptio occasionem Callesio praebuit ferocius iterum in Catholicos saeviendi, quippe ex eorum coniuratione nex facta fuerit; licet publica fama eam partium studiis tribuerit, nempe socialistarum; quod administrorum socialistarum fuga confirmaverit.

Vere Neroniana tempora in Mexico reviviscunt!

Idibus Augustis MCMXXVIII.

POPULICOLA.

Quod puer addiscit, senex deserere nescit.

Audi doctrinam, si vis vitare ruinam.

(Ex vulg. Adagis).

VARIA

De Podio Victiano.

Reatinae regionis vetus est oppidum, altis Sabinorum in montibus ad orientem solēm; Aprutiorum in finibus, quod flumen abluit Saltas. Huius ad ripas immanis ad instar colubri longa volvitur via, quam «Saltensem» incolae dicunt, quaeque Reate ducit, Azanum. Oppidani, rudes homines, religione tēpentes, modesti, patriae amantes, in neutrius partem profundentes, cultui agrorum industrii navant operam, alendisque gregibus, de quibus praecipue vitam hauriunt, omnis generis curam impendunt. Arboribus undequaque Victianum hoc Podium est circumseptum nūcibus atque castaneis, benefica quorum umbra debiles, nostrates et advenae, mirabilem recreantur in modum, quorumque proceres viridantia subsellia rami cicadis, sole sub ardenti perstrepentibus, tibique tota die aures obtunteribus dominū praebent, sedemque ministrant. Harum, sole occiduo, noctisque adventibus tenebris, innoxius grillorum et multitudine innumerabilis exercitus, alterna vice locum accipit, prata quaeque circum camposque stridoribus late replendo.

Non hīc fragore aérias fugat aéroplanū non palumbes; non hīc tubarum clangore importune turbant autorheda quietem; non hīc praetereuntis aquae lapsus somnia rumpunt; unica namque populi fons, permagnō gentis incontodo, tribus domo millibus abest. Quiescunt hominum irae canumque latratus. Caelo sereno, stellisque pulcherrime illucentibus, divino plane lunae splendore laborantes oculi, urbis lampadum vivido electricis fulgore prorsus hoc in loco liberi et immunes, acie sua, pupillaque plene refrigerantur. Fortunati mortalium, quibus diurna arridet pax, et curis vacuis plurimi supererunt vitae anni!

Pueri exalceati puellaeque, ingentes numero pulloque amictu, primis ab unguiculis duris laboribus assueti, et pascendis animantibus plerumque destinati, perbellè adolescent, optima sanitate, ipsis adultis viribus validiores. His et illis omnibus, oh beati! pro medico stat caelum apertum, purissimus aëris; pro medicina frigida dulcisque aqua salubris!

Ruri, in oppido Podio Victiano, Idibus Augustis an. MCMXXVIII.

HÉRMINUS IACÓBELLUS.

Caryophylla, rosae et violae.

Super ceteros flores in hortis se efferebant caryophylla et quaedam rosae carneum colore habentes, atquè irridebant parvis quibusdam violis in herba ita delitescientibus, ut vix cernerentur.

F. B.

locosa.

Tuccius medico:

— O vir optime, narium distillatione mirum in modum labore. Quid mihi sumendum imprimis est?

Medicus, gravi vultu: — Linteolum!

Magister Tuccio:

— Eia, quae corpora perlucida vocantur?

— Quae videre sinunt quid ultra sit.

— Exempli gratia?

— Vitrum, ... serae foramen, ... etc.

Aenigmata.

I
Totum sume, fluit: pugnat *cervice* revulsa:
Plantam deme, volat: *viscera* tolle, dolet.

II

Mortales torquet, cruciat, disperdit et angit.
Allicit ipsorum guttura dulce fragrans.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Cicer-o; 2) P-ars.

Documentum ex hac fabula petendum, velim sit de virtutibus. Aliae magnae sunt et nobiles; utpote animi magnitudo, clementia; aliaeque id genus praecipuae, quae homines in sui admiratione rapiunt, et ab omnibus laudantur. Verum haec non semper adhiberi possunt, nec unicuique est adhibendi opportunitas. Contra, mansuetudine, animi demissione et affabilitate quisque praeditus esse potest; et, quamquam hae, iuxta atque illae, speciosae et magnae non sunt, nihilo minus nostrae vitae quotidiana et communis ornamenta esse possunt, et fortasse magis, quam illae, hominum genus exornant; propterea quod omnibus fere nostris actionibus sunt admixtae. Illae dignae sunt, quae litteris prodantur; hae posteriores, ut apud omnes sint acceptae, merentur.

F. B.

locosa.

Tuccius medico:

— O vir optime, narium distillatione mirum in modum labore. Quid mihi sumendum imprimis est?

Medicus, gravi vultu: — Linteolum!

Magister Tuccio:

— Eia, quae corpora perlucida vocantur?

— Quae videre sinunt quid ultra sit.

— Exempli gratia?

— Vitrum, ... serae foramen, ... etc.

Aenigmata.

I
Totum sume, fluit: pugnat *cervice* revulsa:
Plantam deme, volat: *viscera* tolle, dolet.

II

Mortales torquet, cruciat, disperdit et angit.
Allicit ipsorum guttura dulce fragrans.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Cicer-o; 2) P-ars.

STANISLAUS FUGIENS [9]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

STANISLAUS.

Non equidem intelligo,
Quid dicas; circuitione adeo obscura tu nunc
uteris.

BILINSKIUS.

Non? hem! alias ego faciam ut intelligas.¹

STANISLAUS.

Mane, quaeso: audi me vel paullisper.

FULCIUS.

Abiit

Subiratus: sed tu noli, here mi, fidere huic.
Ambiguo pectore est, ambigua lingua: tale

[hominum genus

Astutum plus timeo, quam qui palam faciunt
iniuriam.

STANISLAUS.

Tu noli, Fulci, istuc in animum inducere:
Hunc ego semper erga me sum expertus
[optima
Voluntate, fide, studio et benevolentia.

FULCIUS.

Coniecturam aliorum ex ingenio facis tuo.

STANISLAUS.

Quiddam nunc, o Fulci, curo; neque otium
[est.

FULCIUS

Me quoque res curare meas convenient. Vale.

EXPLICIT ACTUS TERTIUS.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

FULCIUS, BILINSKIUS.

FULCIUS.

Nullam ego timoris istius caussam video:
Quam enim tu suspicaris ex illarum indicio
[vestium

Ab Stanislao parari fugam, valde mihi
Ea suspicio videtur esse frivola.

¹ Exit.

BILINSKIUS.

Attente sanè cum circumspecto omnia,
Suspicionem hanc omnem facile abs me
[segrego]:
Quaedam tamen cura haeret in animo, nec
[possum evellere].

FULCIUS.

Vin' dicam quod nunc in mentem venit mihi?

BILINSKIUS.

Quid est?

FULCIUS.

E gravi morbo elapsus nuperimme
Iturum se peregrinatum vovit aliquo,
Pro valetudine exorata reddat ut caelitibus
[gratias].

BILINSKIUS.

Idem ego coniectavi admodum. Verum hoc
[sinam?]
Eo ut habitu, erronis more vel mendiculi,
Iuvenis illustri loco natus peregre abeat?
Quid dicet si resisceret eius pater?
Evidem prohibeo.

FULCIUS.

Potes prohibere cum lubet.
Dixistin' adhuc illi quidquam?

BILINSKIUS.

Non.

FULCIUS.

Quamobrem?

BILINSKIUS.

Quia cautio est:
Nam de suo consilio posset me celare si
[interrogem].
Diceret: an non licet haec habere me? num
[vobis indidi]
Suspicionis aliquid? an imperii vestris non
[tusque parui?]

FULCIUS.

Recte vides. At me praesente iactasti subob-
ligatus intrudi no[m]i[n]e tuae [scuras minas,
m[al]itia]!

BILINSKIUS.

Prudens feci, ne si quid moveret animo
[insciu[m] me forte crederet,
Demum ut ut isthaec res se haberet, conti-
[nerem illum] metu.

FULCIUS.

Astute. Paullo dixisti?

BILINSKIUS.

Nondum: vereor enim se insa-
[niat]
Audiens. Nam scin'iracundia plus nimio in
[fratrem nunc tumet.

FULCIUS.

Ain' vero?

BILINSKIUS.

Factum: cum enim indicaverim
Fratrem rus ire secum nolle, clamare, minari
[illico:
Aegre iram repressi, ne in magnum aliquod
[evaderet malum.

SCENA II.

NAEVOLUS, BILINSKIUS, FULCIUS.

NAEVOLUS.

Obsecro, amabo, ne cesses auxilium ferre
[innocenti hero:
Praeverte actutum quidquid instat mali.

BILINSKIUS.

Quid hoc
Negoti est?

NAEVOLUS.

Vah! adeo fratri fratrem esse iniimi-
[cum posse! quem
Nec natura movet, nec sanguinis coniunctio,
Nec pietas aut lex ulla.

FULCIUS.

Dic quid est, nam nimium haec
[iam tua
Nos dicta examinant.

NAEVOLUS.

Hoscine mores! oh impruden-
[tiam! oh scelus!
Oh factum impium!

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubent, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus*).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

iusdem auctoris
iae apud ephebea

erit publici cursus
ibus).

AE ROMAE col-
annum MCMXXVII,
stituimus libella-
scilicet 650, pro

per nummariam
tramite requiren-
na, 12, Via del
est, non sinit ut
repindi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia paelectiones¹

Leges XII tabularum illustraturi, monemus lectores, non esse propositum nostrum rem tamquam ad obrussam exigere; non enim aptū iuris studiosos sermonem habere instituimus, sed reliquias tantum litterarum et humanitatis primis ab U. c. saeculis querere et sub oculos tironum ponere conamur.

Ante omnia dolorem nostrum fatemur, quod integrum corpus XII tabularum tempus inviderit nobis, et disiecta tantum legum membra hīc illuc tradita legi possint, quam praesertim dubium sit etiam an ipsa legitima verba attulerint scriptores, qui ea in medium protulerunt, saepius paecepta legis iuxta sensum tantummodo paebentes. Reliquias XII tabularum diligenter collectas invenies in Brunsii libro cui titulus: *Fontes iuris romani antiqui*,² quam recensionem secutus est Riccobonus noster in Barberiana editione³ et alii eiusdem argumenti exposidores.⁴

Fragmenta a doctis viris ita digesta

sunt, ut in prima, secunda et tertia tabula paescriptions de agendi ratione in iure continerentur; in quarta de patria potestate sermo esset; in quinta de tutela et hereditate; in sexta de iis quae essent lingua nuncupata, de usu et auctoritate vel fundi vel aliarum rerum, de vindiciis; in septima de domibus, viis, de finibus regendis; in octava et nona de poenis et suppliciis; in decima de ratione sepeliendi. In duabus extremis tabulis certe conubia plebeiorum cum patriciis vetabantur, et, teste Sempronio Tuditano a Macrobio laudato,¹ rogatio de intercalando continebatur; denique sermo fiebat de servorum maleficiis, et, ut est apud Livium (VII, 17, 12), lex erat, ut quod postremum populus iussisset id ius ratumque esset.

Iuvat harum legum nonnulla exempla paebere, ut etiam de latinitate earum iudicium ferri possit. Gellius erit primus auctor noster, qui in vigesimo *Noctium Atticarum* libro (cap. I) Sextum Caecilium iurisconsultum cum Favorino philosopho colloquente facit et XII tabulas defendentem. Nempe quem Favorinus inhumanter dixisset, in XII scriptum esse, quod si homo in ius vocatus, morbo aut aetate aeger ad ingrediendum invalidus esset, arcera ei non sterneretur, sed ipse aufer-

¹ Cfr. fasc. mens. Junii.

² Iam septima editio nunc est in studiosorum manusibus.

³ *Fontes iuris romani antejustiniane ediderunt Riccoboni, Baviera, Ferrini. – Pars I^a, ed. Riccobonus.*

⁴ PACCHIONI, *Storia del diritto romano*, 1^o vol.

¹ *Saturn.*, I, 18, 21.

retur et iumento imponeretur, atque ex domo sua ad praetorem in comitium nova funeris facie efferretur, Sex. Caecilius ita respondisse dicitur: «Cur tibi esse visa est inhumana lex omnium, mea quidem sententia, humanissima, quae iumentum dari iubet aegro aut seni in ius vocato? Verba sunt haec legis: SI IN IUS VOCAT, SI MORBUS AEVITASVE¹ VITIUM ESCIT,² QUI IN IUS VOCABIT IUMENTUM DATO; SI NOLET, AR-CERAM NE STERNITO. An tu forte morbum appellari hic putas aegrotationem gravem cum febri rapida et querlera,³ iumentumque dici pecus aliquod unicum tergo vehens? ac propterea minus fuisse humanum existumas, aegrotum domi suae cubantem iumento impositum in ius rapi? Hoc, mi Favorine, nequaquam est. Nam *morbus* in lege ista non febriculosus neque nimium gravis, sed vitium aliquod imbecillitatis atque invalidiae demonstratur, non periculum vitae ostenditur. Ceteroquin morbum vehementiorem, vim graviter nocendi habentem, legum istarum scriptores alio in loco non per se morbum, sed morbum *sonticum*⁴ appellant. Iumentum quoque non id solum significat quod nunc dicitur, sed vectabulum etiam quod iunctis pecoribus trahebatur; veteres nostri *iumentum a iungendo* dixerunt. *Arcera* autem vocabatur plastrum tectum undique et munitum, qua nimis aegri aut senes portari cubantes solebant.⁵ Quaenam tibi

¹ *Aevitas ἀρχαῖκῶς*, idem ac *aetas*.

² *Escit* = erit.

³ H. e. «frigida cum tremore» (gr. καρκίρω tremere).

⁴ Fest. s. v. *Sonticum morbum* (ed. Tewr. de Ponor p. 410): *Sonticum morbum* in XII significare ait Aelius Stilo certum cum iusta causa quem nonnulli putant esse qui noceat, quod *sontes* significat *nocentes* (cfr. Cic., *Off.* 482: *punire sontes*, italice «*punire i colpevoli*». Contra, *insontes* = *gli innocenti*). *Sontica causa* est iusta causa. Exemplum Naevii: *Sonticam esse oportet causam quamobrem perdas mulierem.* — Cfr. *TIBULL.*, I, 8, 51.

⁵ VARRO L. I., 5, 140: *Brevius vehiculum dictum est* alis vel *arcera*, quae etiam in XII tab. appellatur:

igitur acerbitas esse visa est, quod in ius vocato paupertino homini vel inopi, qui aut pedibus forte aegris esset aut quo alio casu ingredi non quiret, plastrum esse dandum censuerunt, neque tamen interni delicate arceram iusserunt, quoniam satis esset invalido cuimodi vectabulum? Atque id fecerunt ne causatio ista aegri corporis perpetuam vacationem daret fidem detrectantibus iurisque actionem declinantibus. Hic locus Gellii mirum quantum perse, nullis verbis adiectis, primum XII fabularum fragmentum illustrat.

Alterum fragmentorum exemplum illud erit, quod de hora diei in agendo a pluribus memoratur. Legitur in secundo *Rheticorum ad Herennium* (20), ubi loquitur de eo quod *natura ius est vel lege vel consuetudine; vel ex aequo et bono, vel ex pacto*, aitque: «Pacta sunt quae legibus observanda sunt, hoc modo: REM UBI PAGUNT ORATO; NI PAGUNT, IN COMITIO AUT IN FORO ANTE MERIDIEM CAUSSAM COICITO». Ubi vox quae est *pagunt* usurpatum pro *paciscuntur*, teste Quintiliano (I, 6, 11): «Quum in XII tabulis legeremus NI ITA PAGUNT,¹ inveniebamus simile huic: *cadunt*, inde prima positio etiamsi vetustate exoleverat apparebat *pago ut cado*; unde non erat dubium, sic *pepigi* nos dicere ut *cecidi*.² Sensus igitur est: *ubi paciscuntur, rem orato*, i. e. causa agatur (Festus-Paulus: *orare antiqui dixerunt pro agere*); *nisi paciscuntur, ante meridiem in comitio aut in foro fiat* (quae dicebatur) *causae coniectio*, i. e. rei per indicem expositi.³

quod ex tabulis vehiculum erat factum, ut *area, arcera* dictum. Cfr. NON. MARC. s. v. *arcera* p. 55 M.

¹ Fortasse scribendum est *ἀρχαῖκῶς*: *pacunt*.

² Cfr. PRISCIAN, 10, 5, 32: antiqui *pago* quoque dicebant pro *paciscor*.

³ GAIUS, *Institut.*, 4, 15: «Quum ad indicem venerant, antequam apud eum causam perorarent, solebant breviter et quasi per indicem rem exponere, quae dicebatur *causae coniectio*, quasi causae suae in breve coactio». Cfr. ps Asconium in *Verr.*, 2, 1, 27.

Quod in eadem lege sequebatur apud Gelium legitur; qui cap. 2, libri XVII de verbis et locutionibus antiquis loquens ex Q. Claudii annalibus depromptis, de *sole occaso* ita pergit: «in XII tab. verbum hoc ita scriptum est: ANTE MERIDIEM CAU-SAM COICIUNTO; CUM PERORANT AMBO PRAE-SENTES, POST MERIDIEM PRAESENTI LITEM ADICITO; SI AMBO PRAESENTES, SOL OCCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO». Causae coniectio igitur ante meridiem fiebat; quum autem causa agebatur (*perorare* idem est quod orare, i. e. causam agere, sed usque ad finem), ambo (rei, litigatores) praesentes esse debebant; si post meridiem unus tantum praesens esset, ei res de qua lis esset adiudicabatur; quum vero uterque praesens esset, sol occasus, i. e. cum sol occiderat supremum tempus erat, h. e. finem causae imponere debebat.¹

De *αιθερίᾳ* huius legis nonnihil dubitatum est a recentioribus, propterea quod Plinius Senior in Septimo *Nat. hist.* (212) dicat, in XII tabulis *ortum* tantum et *occasum* nominari, post aliquot annos adiectum esse et *meridiem*, accenso consulm id pronuntiante quum a Curia inter rostra et Graecostasin prospexisset solem.² Sed Plinii verba, mea quidem sententia, non ad suprascriptam legem referuntur, sed ad usum meridiem pronuntiandi, qui serius inventus est. Item ab eodem accenso supremae pronuntiatio fiebat, inclinato sidente a Columna Maecia ad carcerem.

Tertium fragmentum in medium proferamus, ex iure poenali, quod in VIII tabula creditur contineri. Auctor erit AUGUSTINUS, qui in secundo *de Civitate Dei*

¹ VARRO, L. I., 6, 5: *Suprema sumnum diei*, id ab superrimo. Hoc tempus XII tabulae dicunt *occasum esse solis*. Sed postea lex Plaetoria id quoque tempus esse iubet supremum, quo praetor in comitio supremam pronuntiavit populo. Cfr. MACROB., *Sat.*, 4, 3, 14: *Suprema tempes h. e. diei novissimum tempus*, sicut expressum est in XII tab., etc. Cfr. CENSORIN., *de die natali*, 24.

² V. PAIS, *Storia critica di Roma*, II, p. 560.

(c. 9) poëticam, praesertim comicorum, li- centiam apud Graecos et Romanos compars, adfert Scipionis verba ex IV de rep. Tulliana, quae sic se habent: « No-strae XII tabulæ quum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis *occen-tavisset* sive carmen condidisset quod infamiam faceret flagitiumque alteri. Praeclare, pergebat Scipio. Indiciis enim magistratum, disceptationibus legitimis propositam vi-tam, non poëtarum ingenii habere debe-mus, nec probrum audire nisi ea lege ut respondere liceat et iudicio defendere».

De voce quae est *occen-tare* scribit FESTUS ex Verrio Flacco: « *Occen-tassit*¹ antiqui dicebant, quod nunc *convicium fecerit* dicimus, quod id clare et cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit; quod turpe habetur, quia non sine causa fieri putatur; inde *cantilenam* dici quia illam non cantus iucunditatem puto». Ad hanc legem mali carminis Horatii verba certissime pertinent in epistola prima alterius libri: «Lex poenaque lata malo quae nollet carmine quemquam describi»; subiungunt scholiastae (ut Porphyrio) fustuarium supplicium constitutum esse in auctores carminum infamium.²

Ab occentato carmine de quo hactenus locuti sumus, differunt *incantamenta* carminum, i. e. magica verba et carmina, quibus quasi per vim aliiquid a Diis obtineri credebant veteres. Cuius rei iam XII tabulis mentionem iniecat esse testis est Plinius senior, qui initio libri XXVIII N. H., multa de precationum et carminum formulis locutus ait: « Quid? non et legum ipsarum in XII tab.¹⁸ verba sunt: QUI FRU-GES EXCANTASSIT, et alibi: QUI MALUM CAR-MEN INCANTASSIT? » Ante Plinium iam Seneca in IV *Nat. quaest.* scripserat (7, 3):

¹ Ita certe scriptum erat in antiqua lege.

² ARNOBIUS, *Adv. gentes*, 4, 34: « Carmen malum conscribere quo fama alterius coiquinetur et vita, demviralibus scitis evadere noluitis impune».

« Apud nos in XII tabulis cavitur ne quis ALIENOS FRUCTUS EXCANTASSIT; rudit adhuc antiquitas credebat et attrahi imbras cantibus et repellere ». Fruges *excantare* proprie erat: ex agro vicini incantationibus in suum transferre; vel etiam, ut Seneca ait, fruges alienas corrumpere imbras avertendo cantibus magicis, grandinesque attrahendo. *Malum carmen autem incantare* est: magico carmine quidpiam supra naturam nocendi causa moliri.

Tria haec fragmenta ex duodecim tabulis satis sint lectoribus ad exempla eorum discenda; non enim nostrum est omnia illustrare. Illud addendum est, Codicem decemviralem non multa certe ad ius publicum vel ad sacrum pertinentia continuisse, sed agendi potius in iure rationes complexum esse et poenas in nonnulla delicta vel publica vel privata constitutas. Inter privata delicta memorantur mala carmina, iniuriæ, membrum ruptum (talionem puniendum), furtum praesertim nocturnum, fraudus clienti a patrono facta, foenus plus quam unciarium, coetus nocturni, aliaque minora. Inter actiones legis memoria digna praesertim quae ad *nexos obaeratosque* refertur; qui si post quoddam tempus (*tertiis nundinis*) capitis damnati essent, atrociori poena in partes secari poterant pro debitae pecuniae ratione (verba ipsa legis: TERTIIS NUNDINIS PARTES SECANTO; SI PLUS MINUSVE SECERUNT SINE FRAUDE ESTO); qua de re rursus legendum est primum XX¹ libri caput in Gelili *Noctibus*.

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

¹ Post memoratum Vergili versum: *atque satas alio vidi traducere messes* (*Ecl.*, 8, 98) Augustinus *De civit. D.*, 8, 19 ait: « ... Pestifera scelerataque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur; nonne in XII tabulis... Cicero commemorat esse conscriptum, et ei qui hoc fecerit supplicium constitutum? »

DE "TELEPATHIA",

Vocabulum hoc, Graeco fonte deductum, cogitationem significat in aliud transmittendam; cuius eventus historia iam antiquitus exempla meminit; quamquam haud plane cognitum adhuc est, utrum huiusmodi transmissae cogitationis exempla veluti notarum iam causarum effectus habenda sint, an novam quamdam atque nondum exploratam animantium actionem constituant.

Multa igitur sunt a medicae artis peritis proposita, ut portenta huiusmodi expromerent.

Iamque Stickerius docuit agentis formas sive « ideas » non posse a passivo subiecto percipi, nisi artuum contractiones quaedam simul animadverterentur, quae in larynge motus gignerent, perspicuous quidem atque tamquam verba intelligibles percipienti, cuius auditus et acumen ad summum essent excitata.

Verum Charcotus illico recte adnotavit absurdum videri, motus huiusmodi minimos et vix inceptos, etsi demus eos aliquam cum sermone relationem habere, rudit subiecti veluti verba interpretari valere, nisi antea in eorum studium diuturne et indefesse vaca sit; licet addendum sit explanationem hanc irritam omnino evadere, quum « subiectus passivus » ab agente pluribus passuum millibus absit, vel quum agens suas cogitationes exprimat sermone aliquo, quem subiectus ignoret.

Huius similis est eventus ille notissimus, quo fit ut si quis agens in patientem hypnotico somno demersum oculorum aciem defixerit, huius cutis, eo nimirum loco, quo intuitus imminent, contrahatur; non enim possumus, ut nonnullis placuit, hunc effectum lumini ab oculorum cornea reflexo tribuere; nam cornea quum con-

vexa sit, non uno tantum, sed infinitis tramitibus radios repercutit.

His itaque in casibus explicatio illa, quae sensus aestuentes invocat, misere concidit, ita ut vel novos sensus corpori nostro inesse concedamus oporteat, quorum nimis incerta notitia sit, vel « telepathicam vim » ex agente prodire credamus, cuius ferme tutior evidenter paelucet.

Sed novum quidpiam in re Gurney protulit, fluidum excogitans ignotum, cui nomen ad amussim a *telepathia* graece indidit, abdita pollens vi, prout in magneticè lapide inest.

Huius fluidi fontem primam cerebro insidere reputavit, et « ideae » vel cogitationis compellavit nomine. Experimenta enim pleraque, sive breviori sive longiori interiecta distantia perfecta, docent ad subiectos omnes absentes, qui hypnotico somno demergi potuerunt, ideas ex uno in alterum locum transmitti posse; contra vero, eosdem absentes somno corripere nemini licere, nisi antea eorum menti forma quaedam vel idea haeserit. His omnibus tuto infertur, agentem qui haec experimenta tentet, intelligentia donatum esse oportere.

Fuit pariter et nonnullorum sententia, abditam horum eventum causam in cogitandi vi, quae *phantasia* dicitur, esse quaerendam; tradunt enim aliquando contingisse cogitationem e longinquò transmissam adeo vividas formas coram sensibus evocasse, ut in subiecto percipiente allucinationem pareret, velut si portenta, quae non sunt, adesse sibi admiraretur. At ecquis huic explicationi acquiescat, quum et huius illusionis natura ignoretur, et qua in corporis parte nova haec excitatio exsurgat incertum sit?

Ad ultimum, sapientum schola, quae ex Lutetiano amentium nosocomio a Salpetrière nomen habet, nervorum phaenomenis quibusdam, quae in homine, maxime si peculiari ad ea proclivitate praeditus sit, gignuntur, casus huiusmodi adscribit.

Novissima denique opinio, ad quam plures accesserunt, in voluntatis aut imperii quadam vi, quam *suggestionem* a « suggerere » dicunt, arcanum hoc occlusum reputat. Verum etsi quis dederit, medici alicuius rigido iussu mulierem nervis laborantem, vel puellam exsanguem, posse in somnum delabi, quisnam eadem vi a Braido virorum praevalidum manipulum, vel puerorum strepens agmen credat premi potuisse? Hansenius, Donatus ceterique cauearum praestigiatores hominum multitudines ad centum et ad millia usque somno demerserunt; at nemo cordatus dixerit eos una persuadentis voluntate fuisse victos.

Quare hoc unum censemus profecto retinendum, vanam ferme esse eorum operam, qui naturae disciplinis studentes tam audacter progrediuntur, ut per fas et nefas naturalibus causis hos etiam casus adscribere contentur, quamvis nullo satis valido arguento id probare nullaque sufficiente hypothesi dubia, quae undique pullulant, endare valeant. Quoties igitur eventus contingunt, quorum adiuncta attente ac diligenter perspecta, praeter naturalem quandam vim sapiunt, cautius est dijudicandum, et vel spirituales agentes agnoscere, vel saltem, quoadusque nova elementa innotescant, differre iudicium prudentia suadet.

Sed de hoc telepathiae argumento, utpote magni momenti, alia, spatio hodie deficiente, alias persequemur.

R. S.

Quod sumus hodie novimus, quid autem post paullum esse possumus, nescimus. Hi vero, quos fortasse despiciimus, et tarde possunt incipere, et tamen vitam nostram ferventioribus studiis anteire. Timendum itaque est, ne etiam nobis carentibus surgat qui nobis stantibus irridetur; quamvis stare iam non novit, qui non stantem novit irridere.

S. GREGORIUS, *Moral.*, 15.

URBS EUCHARISTICA¹

*Num quae sicani caeruleas freti
undas ab alto limite prospicit
illius infandae decembri
usque notas retinet ruinae?*

*Haud saxa fuso sanguine virginum
circum rubescunt, quin potius micant
hinc inde florentes sub auris
marmoreae patulaeque moles.*

*Amplexus omnem iam viridis tenet,
ortuque cingunt culmina collum:
blandae quo in noctis recantat
historias zephyrus quiete!*

*En mille noctu luminibus salis
urbs ipsa fulgens insilit aequora;
it navis immensas per undas
caeruleo trepidoque caelo.*

*Nunc re sed instar naviculae levis
transmittet undas littus ad ultimum,
portumque monstrabit beatum
queis tenebrae radiis fugantur.*

*Nempe nitenti Solis imagine
— sub pane Christus fulgorat abditus! —
hic tuta dat ventis sonoris
vela ratis pelago minaci.*

*En supplicanti, qui genitos regit,
nos voce Iesu brachia tendimus:*

*« Quae, Christe, lux magnum renidet
nos tegat innumeris periclis.*

*Regnes! amico lumina de polo
fundas per oras usque Calabiae:
sub pane velatum frementes
te excipimus cupidique, Iesu! »*

Rhegii Iulii.

JOSEPHUS MORABITO.

¹ Rhegium Iulii, qua in urbe, superiore mense Septembris ineunte, primus Brutiae regionis eucharisticus conventus est celebratus.

De Romanorum vestibus¹

Vestis ad imbrium frigorisque incomoda propulsanda, atque ad iter unice olim habendum comparata, *Penula* fuit. Palam id facit inter reliquos Cicero, quem sic scribit ad Atticum (XIII, 33): « Venit ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset, sed ego ita egi, ut non scindere penulam ». Et mox; « Horum ego vix attigi penulam; tamen remanserunt ». Ad haec pro Milone (XX), ubi de eo iter faciente sermo est: « Quid minus promptum ad pugnam, quam penula irretitus? »

Verum aetate Principum etiam per urbem pluvio, aut hiberno tempore gestari incepit.

Idque iam inde a Domitianus imperio passim obtinuisse constat. Quare non imerito notarunt critici falsum fuisse Spartanum, quem in Alexandro Severo (XXVII) retulit: « Penulis intra urbem ut senes² ute rentur, permisit, quem ut vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviae fuisse ». Nimis longe ante Alexandrum, ut modo diximus, per hiemen ac frigora in urbe adhibitae sunt penulae; quod paullo post ex Martiale patebit.

Penulae formam ad Togae structuram accessisse, et veteribus monumentis sci tum est.

Itaque et ipsa clausa fuit, et superne iniiciebatur, et totum hominem, exceptis modo capite, iugulo, mediisque cruribus, operiebat. Peculiaria vero ei fuerunt, tum quod, quem ad pectus conclusa esset, reliqua porro parte ad imum usque patebat; tum quod prae toga erat strictior, nec, amplos ullos, quales illa, habebat sinus licet suis rugis plicisque exspers non esset. In primis autem, qua collum ambibat, erat angustior: itaque manus brachiaque vel

¹ Cfr. fasc. sup. mensis Iulii.

² Alii, et fortasse rectius, legunt: « senatores ».

per modo memoratam scissuram, vel inferne per extremas elevatas oras exserere oportebat. Cucullo nonnunquam etiam praedita haec vestis fuit.

Iam is amictus saepe e pelle, maxime ad iter, confectus est. De hoc genere Martialis (XIV, 128) ubi titulus « Penula scorteas »:

*Ingrediare viam carlo licet usque sereno,
Ad subitas nunquam scorteas desit aquas.*

Neque rariores fuere e lana penulae, eaque vel villosiore frigoriique arcendo aptiore, a qua ipsa *gausapinae* appellata; vel brevioris villi, atque ad reiiciendum imbreu accommodatoris. De lana id genus Plinius (VIII, 48) haec affert: « Appulae (oves) breves villo, nec nisi penulis celebres: circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habent ». Itaque *Canusinae* magni semper nominis fuere. Hinc inter argumenta luxus id etiam tritubuit Neroni a Suetonio (XXX) quod « Canusinatis mulionibus » utebatur.

Quod ad penularum colorem attinet, pro certo habetur, scorteas non alium quam quem natura indiderat, prae se tulisse. In gausapinis quoque nativum servatum fuisse, ac propterea albas exstisset, declarat Martialis (XIV, 143), cuius lemma « Penula gausapina »:

*Is mihi candor inest, villorum gratia tanta,
Ut me vel media sumere messe velis.*

Canusinis vero modo fuscus, modo rufus color inducebatur; quorum posteriore pueri militesque, priore universi reliqui solebant. Hinc idem Martialis (ibid., 127), ubi inscriptum « Canusinae rufae »:

*Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis;
Et placet hic pueris militibusque color.*

Ex hoc interim tum huiusc vestis usum iam Romana in urbe - (quod supra indicavimus) - ea tempestate vulgatum, tum illud etiam noscas licet - (quod ceteroquin ex aliis scriptorum locis liquido eluet) - omnium omnino ordinum aetatumque pe-

nulam fuisse; a qua induenda ne ipsae quidem foeminae excludebantur.

Id demum de hoc induitum memorare ne pigeat, id vulgo ab eruditis credi, eundem hunc fuisse, qui in Christiana olim republika ad sacrum faciendum adhiberetur.

S. A.

EX ITALIS URBIBUS

De terna Taurinensi Expositio.¹

*Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo, solemque suum sua sydera norunt.*

Haec atque alia carmina ex tempore mihi in mentem subveniunt, quum primum locum ingredior, ubi incipit magna rerum expositio.

Nullum sane locum in urbe aptius, nullum commodius, sive ad res spectas quae per ordinem ponuntur, sive ad decoram formae elegantiam atque ad rerum quantitatem, sive demum ad architectorum industriam, qui omnia tam gracie disposuerunt, ut nihil supra.

Nec equidem possem, si vel in compendium pulchriora modo colligere vellem, vel modice deliberare. Tot enim sunt rerum pulcritudines ibi quasi conglobata, et simul exquisitissimo more, ut mens quasi turbata maneat.

Interea, dum in ipso adhuc limine omnia late oculis perlustro, meamque vultu admirationem portendo, ad latera adsedisse video honestissimum senem, qui me advenam amice salutat, idque latino sermone:

— O bone, quis es? Quique nominaris?

Ei dico; et ipse, laeto vultu, et prout me tandiu novisset, simplex respondit:

— Si placet, inquam, tibi me libenti

¹ Cf. fasc. mens. Iulii.

animo comitem addam, et te quocumque volueris, ducam, et paucis quoque verbis et familiaribus omnia, quae cupiveris, doceam.

— Quaecumque cupiverim, mihi dictum esse sperabis? Quis te poterit credere, quae promittis aliquando verbis perficere?

— Amor me fecellit, et praeter consilium, me rapuisse fatebor. Id modo dicere volo, nil aliud addam, quam me tibi pedissequum addere in hoc curiositatis itinere.

— Quomodo possim melius meum tibi promere animum quam dicere: Tuus ego sum, et magnus antea pro munere iam tibi gratias ago, maioresque habeo?

*Sic fatus, simul ac senex vestigia movit,
Sylvestrem ingredior, difficilēque viam.*

Neque abs re *sylvestrem ingredi* dico, quoniam nobis est obvia et latissime patet regno, quae ad agricolas potissimum pertinet.

— Quid mirum? — dixi, amicum dextera tentans. — Non est Italia, magna pars frugum, saturnia tellus?

Ille mihi benevolens assensit, tacitus que cuncta perspiciebat.

Et ego quasi laetiores regiones petrem, haec liberrime dicenda esse putavi:

— Hospes, audi. Ego puerulus adhuc eram, et hunc locum, urbanum tunc viridarium, e scholis erumpentes, exsultantes, nos pedibus calcabamus. Verum quodam die, adpetente vere, sunt septuaginta exacti anni, vidi primum Subalpinos ex omnibus exigui regni provinciis evertos huc convenire et pro artibus, pro commerciis atque officinis de primatu contendere.

Quae rerum inopia, quaeque simul animorum haesitatio!

Nationes quae nos in artibus praeoccupant et magna iam rerum experientia edoctae, se se facile principes praedicabant, nostrorum patrum studia haud sunt aspernatae; quin imo, parvulos virtutis

Subalpinorum igniculos, qui praeclarum maioribus et patriae lumen vel in artibus pollicebantur, laudabant lovebantque.

Possunt, quia posse videntur; diceret Vergilius noster.

— Iam patet, ipsos potuisse simul atque posse; res ipsa monet.

— Tunc enim paucis omnino in huiusmodi certamina tendebant, et lente procedebant. Et agricolae nostri, atavorum suorum exempla nimius sequuti, sapientissime se gerere putabant, si nec transversum digitum ab eorum praeceptis discederent.

Dubitabant adhuc virtutem extendere factis.

Multa interea inventa atque innumera instrumenta in agris colendis commendantur, et ingenium cum natura mirabiliter coniuncta ad hominum commoda conferenda, icto foedere, coniurant.

Olim terribiliter inter nos serpebat cancer, qui *criptogama* graeco nomine dicebatur, et vites miserrime vorabat. Et ecce nova in dies excogitantes remedia, donec, exacta malefica lue, omnia iterum prospere progrederentur.

Nuperius atque in praesentiarum misserrimum in modum furens vineas nostras vexat et consumit... *Filoxera!* Quod nomen!

Et ipsa, adiuvante Deo, hilarantes aliquando expungemus.

Nulla est prorsus terrae gleba infœcunda, omnis suum ferre fructum debet. Adsunt et aquarum canales, qui hic atque illic, quum « servidus ille canis stellarum luce resulgens, omnia coquit » prata, irrorant ac segetes...

Quot divitiarum origo!

Adsunt et agricolarum domus, aptiores enim atque commodiores. Campi et prata meliori cura exulti atque ad recentiorum rationem exacti, locupletiores fructus referunt. Quae nitent frumenti spicae, quae herbosa pascua undique crescunt!

Verum in primis persica coluntur ab hinc aliquot annos et poma et pyra, quibus veluti a fonte perenni divitias prope innumeritas referunt. Agri enim si una modo manu accipiunt, tribus tibi citraque mensuram reddere consueverunt.

Hic *asparagi* coluntur, illic imprimis mentha; sunt rosae, gelsomini, violae absque numero, quae hodie nundinas implent, ordine exornant, magnificentia cultores locupletiores reddunt. Incredibili decore et ibi Salesianos invenio. Qua cura ac diligentia in hoc agriculturae certamen undique ingrediuntur! Sufficit ipsa rerum brevis enumeratio! Concurrit schola *Lombriaschi*, vicus qui est apud Augustam Taurinorum. Haec paucos post annos eo perfectionis adsurrexit, ut de se deque suorum disciplina amplissimum specimen daret, omnibusque acerrimi iudicii viris probatissimum.

Et prope adest et *Siviliae* schola in Hispania, quae omne tulit facile primatum in exercendis institutis solarianis, quae omnino docet maximeque probantur.

Ad cumulum accedit et venationis specimen atque punctionis, apud agrestes homines, qui Paraguaianas incolunt sylvas, quibus est nomen *Matto Grosso*.

Reliqua propediem.

argumenta potiora cognoscentes, ab iis secernantur, qui, in publicis vel privatis scholis instituti, nil unquam vel si quid illud satis inepte, de religione eiusque scientia audiverunt.

Cuius rei causa factum est, ut ipsa facultas theologica e medio sumpta in publicis athenaeis, nobilissimum sapientiae atque doctrinae patrimonium de medio ablatum sit. Scientia quaedam, cui laicæ nomen inditum est, de hac ignorantia se ipsam iactavit, minime reputans scientiam theologicam cum philosophica coniunctam, cuiusvis sapientiae matrem esse ac fundamentum. Saepe saepius accidit, ut viri omnis generis doctrina instructi, quum de religione loquerentur, incredibiles errores proferrent, omnia confundentes sententiasque mirae ignorantiae edicentes; quo factum est, ut horum discipuli e laicis scholis exempti, nullam de antiquo vel de novo testamento notitiam possiderent: patriarchae, profetae, evangelistæ utrum fuerint necne, ipsi ignorarent, vel si quid carptim ex ore hominum didicerunt, id tam inepte, tam confuse, ut risum moverent.

Inter nostros laicos viros, quamvis doctrina laica instructos, quis unum tantum enumeraverit *Ioannem Sepp* ex monacensi Universitate in Bavaria, qui bis totam Palaestinam invisit et quinque ponderosa volumina circa eamdem regionem edidit professusque est:

*Wer die Bibel will verstehen,
muss ins Land der Bibel gehen?*¹

Nunc vero, quum recentissimae leges de scholastica reformatione in scholis quandam de Religione institutionem iusserint, laici ipsi professores interdum iter aggressi sunt manualia volumina edendi ad usum tironum destinata. Priusquam ederentur, nobis aliquando provincia de-

¹ *Ierusalem und das Heilige Land*, Band 2, Seite, 161.

mandata fuit ea manualia perlegendi atque... defectus corrigendi in quibus scriptor lapsus fuerit. Fecimus; sed quondam cum animi maerore conspeximus crassam, adiposam ignorantiam de rebus tam necessariis ad rectam puerorum institutionem non solum, sed etiam ad aeternam animorum salutem!

Qua re ducti, non solum « Repertitorium theologiae dogmaticae »¹ iamdudum edidimus ut perfacile viri docti possent per summa capita Religionis dogmata cognoscere, sed nunc etiam nova editione, cui titulus: « Sacrae historiae narratiunculae »,² conati sumus iter explanare ad puerorum mentes in iis potioribus eventis excolendas, quibus cultus ac humanitas nostra sive in litteris sive in effingendis imaginibus penitus imbuitur. In tenui labor, sed non tenuis gloria si lata sinant audiantque collegae ac moderatores. Tenebolas mentes ad primas latini sermonis exercitationes vocatae in his narratiunculis explanatum iter invenient; nullae enim syntacticae inversiones ibi inveniuntur toto caelo a nostro sermone aberrantes, quorum causa puerorum animi nondum exulti atque assueti in difficultatibus versantur pene insuperabilibus.

Quum vero a tenella aetate in biblicis narrationibus mens exulta fuerit, succrescentibus annis non facile earum memoria excidet; nos ipsi enim id experti sumus ac nobiscum omnes qui ad christianum morem exulti, illum Lhomond prae manus, ante Caesarem, ante Fedrum, ante Cornelium habentes, primum in latino sermone gradum adgressi sumus.

Spes nobis arridet non solum collegas, sed etiam supremos rei litterariae moderatores operi nostro fore ut faveant, disci-

pulosque certos et latinitatis et christianaee vitae fructus exhinde adepturos. Haec aliud non erunt nisi prima semina, equidem; sed si a minimis non inceperis quae moles in altum succrescat? Utinam id sinapis granum in corda cadat! Tunc procerum videndi arborem spes aliqua dabitur, cuius gratia illa ignorantiae labes extinguetur, de qua iure meritoque questi sumus.

ALEXANDER AURELI.



AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive pracepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 74. – Potus nimius *coffee* capitidis morbos producit, vigiliam, tremorem, calorem, etc. Attamen potus *coffee* est secretum infallibile ad tollendum capitidis dolorem postmeridianum, qui vitio stomachi male digerentis, nonnullas post prandium horas venit. Aliquis enim, idem etiam BAGLIVIO ipsi contigit, tribus post prandium horis dolores capitidis, gravitas, moeror molesti sunt, quibus potus *coffee* eodem tempore mirifice prodest.

§ 75. – Chocolatae usus, prout observatione didicit BAGLIVIUS, ad roborandam sanguinis massam, eiusque vim, tonum et succum eiusdem nutritum deperditum restituendum, prostratos a coitu spiritus restaurandos maximopere iuvat. Nocet sanguineis, inflammabilibus.

§ 76. – Ut valent oculi, sic et homo.

§ 77. – Erectum sedere velle, in acutis, malum; pessimum in pulmonicis, pulmone inflammato, docente HIPPOCRATE,

¹ Apud Pustet, Romae.

² DOTT. ALESSANDRO AURELI – *Sacrae historiae narratiunculae ad usum tironum accommodatae*. – Soc. Ed. Dante Alighieri.

¹ Cfr. fasc. sup.

quod frequenter verum expertus est BAGLIVIUS.

§ 78. – Cuicunque hydropico ascitico facies derepente plumbea evadit, mors ostia pulsat.

§ 79. – Facies nimis colorata, et praeter rationem rubra et succi plena, suspecta est ista bonitas; nam praesentis morbi sunt signum, aut futuri praesagium. Fit enim illa rubicunda facies ab humorum redundantia, et illorum quodam veluti strangulata, praesertim circa pulmones.

§ 80. – In chronicis morbis, si facies naturalis sit, et boni coloris, nunquam crede adesse obstructiones in visceribus. Si mutata sit a naturali, id obstructionum signum, et turbatae oeconomiae naturalis est.

§ 81. – Omnis rubor faciei vel sanguinis copiam, vel internum phlegmonem, vel calidam intemperiem, vel visceris corruptionem denotat. Alvis dura esse solet iis qui nimium facie rubent.

§ 82. – Rigor bonus et criticus est ille, qui cum urinae pepasco sive coctione, significatur, quique solvit febrim et symptomata mitigat; rigoremque sequitur sudor, vomitus, vel alia evacuatio. Malus contra, qui frequenter adparet, nam semel adparere debet, qui criticus est; malus quoque, si vires inde langueant, nam indicat naturae debilitatem, et frustraneum eius conatum; malum enim est, quod frustra movetur, siquidem raptum ad caput facit, et diaphragma.

§ 83. – Omnis rigor fere semper in lumbis incipit primo, deinde per dorsum ad caput fertur, iisque rigor a lumbis fere semper in febribus est. Si vero aliunde quis frigeat, abscessu latente rigebit. In phthisico ex peripneumonia male curata observavi, sensum frigoris, et aurae afflantis frigidae ad latus thoracis sinistrum, qua parte id ex ulcere labrabat interno. Idem aeger latus totum, et crus illius partis sibi facilius frigere aie-

bat, eumque se sensum habere, ac si quis follem certe cuidam parti lateris sinistri applicaret, auramque frigidam admitteret.

§ 84. – Rigor qui antecedit urinae suppressionem et haemorrhagiam, salutaris; qui vero iisdem succedit, malus.

§ 85. – Aliquando in febribus continuis frequens est rigor seu horrescentia. Putant medici, id fieri ab abscessu latente. Sed falso; nam producitur a magna humorum cacoehymia et apparatu, quae a febrili calore in motum acta, dum hinc exinde ad exteriora discurrit, partes vellicando, horrorem facit. Omnes enim cacoehymi, dum nimium incalescant, horrunt. Ita si cacoehymus soli exponatur, paulo post horret et febrifugatur.

§ 86. – Quibus in febribus rigor accedit, febris solvit, et ideo quando in febribus continuis est; nam significat morbum mutari, eiusque acutiem esse remissam, ut saepissime observavi in praxi mea.

§ 87. – Rigor symptomaticus aut suppurationis internae signum est, aut translationis materiae in caput, aut principium materiae suppuratae a morbo.

§ 88. – Frequens horror in sanis, signum est cruditatis aut cacoehymiae; in febribus vero motus morbi, aut suppurationis in ea parte, unde excitatur.

§ 89. – Flatuosa ventris intumescentia sive hydrops siccus ventris non gignitur a vapore detento intra viscerum et abdominis claustra, ut vulgo putatur – adsunt fibrae viscerum et partium abdominis intensae nimium, crispatae et exsiccate, valdeque elasticæ. Inde ingens distentio solidi. – Fibres autem exsiccat, crispata, convellit materies acri, salina, piperina, mordicans; hinc siccidas et distensio. Ventositatem flatuosam solvit phlebotomia. Sanatur per balnea et humectantia.

(Sequitur).

I. FAM.

COMMUNIA VITAE¹

Te respice. - Consulas tibi. - Nihil labores, nisi ut salvis sis (belle habeas; corpus tuum allevetur). - Cures summopere, ut morbo defunctus, corpus reddas salubrius.

Tanta prosperitate valetudinis quam primum iterum utaris ominor, quae medicamentis nullis in posterum indigeat (ne quae diuturni morbi reliquiae redeant).

Depone omnia, et corporis valetudini servias (indulgeas valetudini tuae). - Fac ut in posterum firma semper sis affectione corporis. - Da operam, ut recentem corporis imbecillitatem abiicias. - Quae valetudini maxime conducant diligenter adhibeas. - Tu velim ut valetudinem tuam confirmes (ut sanum te praestes et sospitem; ut bonam corporis habitudinem recipias). - Non solum salutis, sed virium etiam et coloris rationem te habere volo.

Occurrentum est (remedium dandum est) huic malo. - Praesidia comparanda sunt ad istos casus. - Quaerenda sunt remedia isti morbo. - Facienda medicina malo est. - Curatio diligens adhibenda est huic malo. - Medicamentis malum est abigendum.

Num arcessisti medicum?² - Arcessas medicum (medicinae peritum, medicinae

¹ Cfr. fasc. sup.

² Medicorum propria nomina praecipue haec sunt: *Clinicus*, qui morbosos invisit in lecto decumbentes; *Chirurgus*, qui manu operatur; *Parabolanus*, qui nosocomii adscriptus est. *Empiricus* autem dicitur qui sola experientia medetur; *Iatrolepta*, unguentorum medicus. A Graeca enim fonte medicus latine quoque vocatus est *Iatrus* et *Iatrotechne*. Inde *Archiatrus* princeps medicorum, et medicus principis; *Iatricotatus*, excellentissimus in medicina; *Iatrophilus*; *Iatrophysicus*. Inde etiam *Iatria*, medica mulier; *Iatricum*, ad medicum pertinens; *Iatricus*, medendi peritus; *Iatrogogus*, de medicina disserens; et *Iatrum* sive *Iatreum*, pecunia ob eius officia medico praestita.

cognitione clarum). - Ad istum morbum virum adhibeas, qui medicinam ita sit professus, ut callidus morbos vel incognitos revelet, et saepe ex iis vitor evaserit. - Medico ad istud malum vincendum utaris diligent (nobilissimo, studiosiore, optimo, summo), ut res postulat. Is ad pristinam salutem te revocabit.

Ad morbos difficillimos nobilissimus medicus quaeritur. - Medico non solum morbus, sed consuetudo valentis et natura corporis est cognoscenda. - Medici ex quibusdam signis et advenientes et crescentes morbos intelligunt.

Medicus te iacentem (male affectum) ad priorem sanitatem perducet. - Medici beneficio ad sanitatem versus eris. - Per optimum istum medicum pristinas vires, recipies (recuperabis, confirmabis). - Medicus sanitatem tibi afferet. - Medici opera in pristinum valetudinis statum restitutus eris. - Medicus te sanum iterum faciet (ad sanitatem te reducit; revocabit). - Medicus salutem tibi redret (restituet). - Medicus istum morbum depellet (ab isto morbo te liberabit).

Ecquod medicamen (medicamentum, remedium) medicus tibi fecit (attulit)?

Nonne medicinam accepisti (sumpsisti)?

Resp. - Medicina mihi allata est multa (*Salutaris*; *Violenta*; *Consularis*; *Probata*; *Pluribus* suspecta et invisa; *Maior*; *Imbecillior*; *Perpetua*; *Tarda*, sed magna; *Tempestiva*).

Pharmacopolium prope medicinis exhausti.

Sum medicamentis delibutus.

Eheu! nulla tot incommodis medicina reperiatur!

Atqui semper bene sperandum est (spe niti; bona spe esse; bonam spem habere oportet). - Atque tamen spe bona te sustentare (tenere; alere; pascere; forvere) debes. - Bona spe adduci (in bonam spem venire; bonam spem concipere)

omnium officium est. - Spe atendus est animus.

Resp. - Qui spe aluntur pendent, non vivunt. - Iam omnem depellendi morbi spem abieci (depositi; amisi); a (de) spe excidi (sum deturbatus); spe omni lapsus sum (orbatus; deiectus; cecidi; sum frustatus); de valetudine mea (valetudinem meam; valetudini meae) despero.

In unius Dei bonitate atque clementia omnia unice statuo (colloco; pono; repono). - Ommem rationem salutis in Deo pono. - Omnes in solo Deo sitas ac locatas rationes et spes habeo. - Omnia a Deo exspecto. - Solius Dei nitor providentia. Unius Dei benignitate ac potentia omnis spes valetudinis meae nititur. - Praesidia in Deo omnia constituo ad omnes casus - In Deo spes mea omnis residet.

Medicina venis concipitur. - In venas se ita diffundit medicamentum, ut sensim toto corpore eius salubritas percipiatur. - Per hanc medicinam aegrotanti mihi melius est factum.

Hoc mihi videor esse tamdem consequutus, ut optima spe de mea sanatione niti possim. - Eo res perducta fuisse mihi videtur, ut eventum sperare quam secundissimum de recuperata valetudine liceat. In spem ingredior fore ut pristina valentudo mihi quamprimum restituatur. - Res, ut opinor, ita constituta est (in eo statu colligata; in eum statum adducta; ita composta; ita tandem conformata) nihil ut adversum (contra voluntatem) timeri iam possim.

Cessit morbus remedii. - Vis morbi medicamentis levata est. - Concessit dolor medicamentis. - Per has medicinas a morbo sum recreatus (convalescere; sanitatem recepi; sanationem recuperavi). - Morbus (Virium imbecillitas) depulsus (depulsa) est. - Curatione, quae par erat adhibita, sum tandem sanatus.

(Ad proximum numerum).

I. F.

COLLOQUIA LATINA

Lusus globulorum missilium manu.¹

ANDREAS. - Quid usque haeres in libris, Carole?

CAROLUS. - Quid potius agerem?

ANDR. - Caelum invitat ad deambulandum; age, fruamur tempore.

CAR. - Placet; at treticum est nos solos excurrere.

ANDR. - Iam turmatim in campos plures nostri condiscipuli excurrerunt.

CAR. - Et quod lusus genus tractant in campis patentibus?

ANDR. - Alii pila certant; alii harpasto; quidam contendunt cursu; quidam sagittis aves petunt; alios trahunt lusus alii.

CAR. - Parum me exercui istiusmodi ludis: non placent.

ANDR. - Sunt in campus longa spatia et aequissima: mittamus globos ad statutum terminum.

CAR. - In hoc certamine te mirum novi artificem.

ANDR. - Non diffiteor: plusculum me globis missilibus exercui; at tu validior es brachio.

CAR. - Ut tu es, tentabo aleam; proferemus.

ANDR. - Haec est aequissima campi planities, et utrimque in seriem consitae quercus aestum solis temperant.

CAR. - Hic ego fodiam scrobiculum.

ANDR. - Praestat defigere in terram stipitem; hunc qui minimo iactuum numero prior sua sphaera tetigerit, potietur victoria.

CAR. - Perplacet. Incipio.

ANDR. - Imo sortiamur.

CAR. - Nihil interest uter praecedat.

¹ Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit. I. F.

ANDR. - Ego subsequar; tu iace.

CAR. - Prioress tibi defero.

ANDR. - Admitto: observa. Bonum aūspicium! Iactus mihi primus bene longinquus est.

CAR. - Meus longinquus quidem; sed non recta misi ad stipitem. Iam damnum resarciam: iterabo.

ANDR. - Heus! procurris plus aequo: consistendum est in sphaerae vestigio.

CAR. - Sane vix altero ego iactu pertingam, quo tu primo, adeo me longe preevertis. Opus est viribus: exseram totas quibus valeo. Quid tibi videtur de hoc iactu?

ANDR. - Est profecto ingens.

CAR. - Iam singuli alterum iactum numeramus. Tu tertium prior iace; nam meus est globus propior termino.

ANDR. - Hoc si iactu tetigero, victor sum: eo collineabo.

CAR. - Adhibe sane omnem industriam: sudabis satis, ut vel circa stipem volvas: tantum distas.

ANDR. - Hem noster vehemens! aegre pervenit ad medium.

CAR. - Quid miri? In medio cursu globum impegi in lapidem, quem te obiecisse reor, ut globus offenderet.

ANDR. - Scilicet. Nunc et ego tertium iaciam: adverte. Euge! victus es: tertio iactu stipitem attigi: te nondum etiam quarto.

CAR. - Placetne a ludo desistere? Nam vespera appetit et prorsus anhelo.

ANDR. - Quomodo? Nunc primum ludus allubescit.

CAR. - Tibi victori crediderim: mihi victo, non item.

ANDR. - Quid metuis? Habet et fortuna regressum.

CAR. - Hac spe, dum licet per lucem, usque prosequar: alterum instituamus lumen de integro.

I. F.

Si cum inferiore vivas, quemadmodum superiore tecum vivere velis.

SENECA.

ANNALES

Resumenda hodie nobis sunt nonnulla argumenta, quae in superiore civiliū per orbem eventuum recensione nostra enuntiavimus.

Et primum **de lugoslavorum discordiis**, quae inter Serbos praesertim Croatosque, acriter perdurant. Nec cessavit in Italos odium; quinimo apud factionem, quae vehementius Italiae obsistit, ipsum auctum ex eo est, quod Neptuni foedus a publicis ferendis legibus legatis ratum fuerit. Cuius invidiae testimonium extiterunt iniuriae Spalati Sebenicique inlatae consularibus Italiae legatis et Italicae classi; quae unum hunc effectum obtinuere, ut civitatis gubernatores excusatione publica eas deprecarentur.

**

In **Graecia** Venizelos reapse summa rerum iterum obtinuit, neque moram interposuit quin cum exteris gentibus amicitiam sive componeret, sive confirmaret. Ad hunc effectum iter per Europam aggressus est; cuius prima mansio Romae fuit, ut foedus cum Italia pacisceret.

**

Pariterque re perfecta est **pactio ad abolendum bellum**, quae ab Americano administro Kellogg, eius auctore, nomen accepit. Lutetiae Parisiorum die xxvii superioris mens. Augusti subscripta est a quindecim nationum legatis; quas dicunt passim quadraginta et ultra civitates esse sequuturas.

**

Et **Nationum Societas** iterum his diebus congregata est. Disputationum maxima fuit de Rhenania provincia vacua ab exterorum occupatione facienda, iuxta Germaniae petita; quibus, vehementi ora-

tione, Briandus Galliae nomine est adversatus. Tandem hisce capitibus conventum est: I ut actiones instituantur ad regionis derelictionem anticipandam; II, peritorum in nummaria re collegium eligatur, qui certas de resarcendi bellicis dampnis regulas constitutat; III, alias componatur virorum coetus ad discrimina concilianda.

**

Interim **novum regnum in Europa constitutum** est, nempe Albanensium gentium, quae regendae civitatis formam immutarunt, regium imperium offerentes Ahmed Zogu, tunc Albanensis reipublicae praesidem, qui iam Tiranae est coronatus.

Ei, populo sibi subiecto pacique universae id bonum fortunatumque siet!

POPLICOLA.

VARIA

De Augusta Taurinorum urbe.

Augustam Taurinorum ab oriente iucundi colles cingunt, qui modo umbrosas in valles subsidunt, modo in frugifera vieta adsurgunt; modo hortorum elegantia, modo amoenorum nemorum frigore te recreant; et passim in declivitate, quae sensim fit lenior, liquidos tibi offerunt rivos, dulce in ardore aestivo solatium. Sed quod mirum in modum loci pulchritudinem auget, incredibilis est elegantium villarum varietas, quae in viridi solo positae passim conspicuntur, non aliter ac sidera in caelo. In hos clivos, non nisi subiecto Pado flumine ab urbe seiunctos, sedent Taurinenses, quo mitiores per aestatem auras hauriant, per autumnum vero fructibus fruantur, quos satis abunde Bacchus suppeditat et Pomona. Atque illi etiam, quibus ibi sedem ponere non licet, sub vesperum, urbanis curis soluti, eo se con-

ferre solent animi voluptatisque causa. Saepe etiam inter facetos conventus laetarum saltationum inexpectata oblectatione et musicis concentus recreantur; ex quo fit ut beata ruris otia ludis solatiisque urbis alternentur.

P.

Simia et Vulpes.

Simia apud Vulpem querebatur de deformitate, quae impediret quominus ipsa in aliorum animalium conspectum veniret, quibus natura dederat corpus pulchrius visu, quaeque, melioribus dapibus vescientia, multo se pinguiora erant.

Vulpes vero simiae attulit tot aliarum ferarum exempla longe ipsa infeliorum, ut haec errorem suum fuerit confessa. - Revera, quid possunt - inquietabat vulpes - elephanti dentes, si ea ipsa de re homines eos ad mortem petunt? Quid me iuvat nitida pellis, si quotidie sum in discrimine, ne venantium praeda fiam? Me latet, amica mea suavissima, me latet utrum mihi utilius non foret, longe aliis me dapibus vesci posse, quam gallinis, et pellem habere deformem, ut tua est, quod viverem et vixisset magis secura, et sine tot periculis amittendae vitae, quam omnium interest, ut mea, diutissime servare.

DE PUGNA AËREA

ET DE NOCTURNO VIGILIUM CERTAMINE
CARMINE SENARIO DESCRIPTIS

Quot noctu civium deturbarunt somnium,
Et magno strepitu caelum naviculae,
Currunt recurront quae bellantium more!
Quid est? Aestivo iam gravati taedio
Cives in noctem vigilant concubiam,
Huc illuc ceriam quaeritantes bibere...
Somno dum pressi domum se recipiunt,
Novum luctamen incipit caelestium.

Enim quot modo surgunt nunc navigari,
Multas ii spargunt pilas incendiarias,
Ut omnem perdant civitatem funditus!
Ne time! spargunt hilarantes folia,
Cuncta quae civibus ferunt auguria...
Hac sed per bella clamorosa musica
Nostri tuentur civitatem de hostibus,
Olim venirent si improvisi forsitan.
Adsunt sed illi pulsant qui periculum,
Et tota nocte perdurabit praelium.
Suum sic cives possunt dormire somnum!
Maius sed veniet certamen proximum
Cum nostri incendiis extingueundis vigiles
Certabunt gentium cum praestantissimis!
Quae tunc caelorum strepitantium fulgura,
Circum quae flammae conferent incendium,
Et privatorum destruunt palatium,
Crepant et turres decidentes editae,
Ardet Ucalegon sic ipse proximus...
Suis sed adsunt prompti machinis vigiles,
Aquarum vortices qui raptim vomitant,
Et ascis scindunt et fenestras destruunt,
Murosque illaesos ab offensis separant.
Et cessant flammae fumique globus desinit.
At inter flammis exaudiuntur gemitus,
Voces quae nunciant viros in aedibus,
Frusta quaerentes postulant qui auxilium.
Scalas tunc muris audacieores proximant,
Ferunt et ulnis, inter plausus hominum,
Senes et aegros perituros proprius.
Quod arte fingunt iam fecisse saepius
Multis laudantur voce cum blanditiis.
Romanos vigiles laudari sentio

SUBALPINUS.

Icosa.

Tuccius in schola.
Magister post physices prima elementa
explanata, eum interrogat:
— Ecquos putas maioris ponderis esse,
binos sextarios aquae an vini?

TUCCIU: — Aquae, aedepol! Nam vi-
num certam illam mensuram nunquam
attingit.

Nocturna Tuccii cogitatio:

— Quanto utilius esset, si sol, potius
quam per diem, in hisce horis fulgeret!

**

Aenigmata.

I

Vox eadem signo parvamque pigramque vo-
[lucrem,
Quae mellis cumulos depopulatur apum;
Vox eadem signo pigmentum muricis instar,
Quod decus et vetulae dat iuvenile genae.

II

Litibus exigitur, legi pareatque severum;
A carne exoritur; viscera restituit.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Vulturmus, Tur-
nus, Vultur, Vulnus*; 2) *Malum*.

oooooooooooooooooooo

Libri recens dono accepti.

I. B. BELLISSIMA. — *Chartulae*. — (Senis,
apud Bernardianam officinam typographi-
cam, an. MCMXXVII).

Praelectio in athenaeo Pisano habita
a Prof. I. B. BELLISSIMA *latinae linguae*
studio auspicando a. MCMXXVII. — (Ibid.).

Liviola, I. B. BELLISSIMAE fabella. —
(Ibid., an. MCMXXVIII).

DOTT. ALESSANDRO AURELJ. *Sacrae hi-
storiae narratiunculae ad usum tironum
accommodatae*, nonnullis parabolis evan-
gelicis adiectis. — (Societas Editrix Dante
Alighieri, 1928. — Ven. lib. 5).

ANGEL CARBONELL, Pro., *El colectivismo
y la Ortodoxia católica*. Estudio religioso
social (Apud librariam officinam Subirana,
Barcinone. — Ven. pes. 5,50).

STANISLAUS FUGIENS

[10]

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

NAEVOLUS.

Adpropera inquam.

BILINSKIUS.

Mihi facilius nihil,
Quam in tranquillum subito conferre tempe
[statem hanc maxumam.

SCENA III.

NAEVOLUS, FULCIUS.

NAEVOLUS.

Quin vero dierecta abi, legirupa pessime,
Malorum quotquot heic sunt suasor atque
[impulsor omnium.

FULCIUS.

Num te quoque intemperiae agitant, Nae-
[vole?
NAEVOLUS.

NAEVOLUS.

Ita ob aegritudinem
Mihi cerebrum circumvolvit, ut in pistrino
[mola.
FULCIUS.

Iam non hic unus tantum insanit. Verum ego
Praeclarum illam vocem didici: Rumores
[fuge. Vale, Naevoe.

NAEVOLUS.

Nae iste etiam bellus homo est. Nunc illa res
Me mordet, insons herus ne caussa male sic
[plectatur mea.

Indicium certe Paullus accepit illarum ve-
[stium: hinc ipsus furit
Et fratrem mulcat improbus. At Bilinsko, qui
[harum est caput

Turbarum, si possem aliquid aegre facere,
[vah! quam facerem libens.
Quid faceres? dicet quis: in eum

Prius evomerem omnem stomachum; tum
[linguam excinderem radicitus;
Deinde oculos pulcre eliderem, itidem ut
[sepis faciunt coqui;

BILINSKIUS.

Id agis quod quaero, an non?

NAEVOLUS.

Mirum e Pauli manu
Si vivus Stanislaus elabitur.

FULCIUS.

Superi istud!

NAEVOLUS.

Accesseram
Ad huius cubiculum, cum intro cognovi esse
[ambos.

BILINSKIUS.

Fabulam

Ab initio orditur.

NAEVOLUS.

Ego suspenso gradu ire perrexii
[ad fores:

Adstiti, animum coepi attendere.

FULCIUS.

Noli tam multus fabulari.

NAEVOLUS.

Né me interolla, mane: primo iurgantem
[Paullum exaudio,

Demisse alterum paucaque respondentem:
[sed mox ille optimus

Magnos effundere clamores coepit verbis
[insanissimis,

Convicia, contumelias: crederes ablatrante
[canem.

Quid plura? ingentem tumultum audio; credo
[in capillum involasse, vel

Baculo, pugnis, calcibus fratrem occipisse
[depexum dare.

BILINSKIUS.

Redit in mentem illud de rure; ideo has
[turbas certe movet.

FULCIUS.

Heus tu accurre citus.

Postremo tandem... Sed cuncta plane aperte
[nolo dicere,
Nam fortasse nihil facerem.

SCENA IV.

BILINSKIUS, NAEVOLUS, PAULLUS.

BILINSKIUS.

Non expostulas iniuria.

NAEVOLUS.

(Cuia est haec vox? Ille ipsus est de quo
[agebam].

BILINSKIUS.

Nimium pectoris
Aestum compesce.

NAEVOLUS.

(It Paullus secum; ut oculis ardet!
[Vae mihi
Si forte adspexerit: concedam hunc in angu-
lum
Ut horum blandiloquentiam tutus audiam).

PAULLUS.

Haec ego ab illo ut patiar? neque irascar?
[nec prorsus clamitem?

NAEVOLUS.

(Exordium placet).

BILINSKIUS.

Verum dicas.

PAULLUS.

Nullam reverentiam
Maiori natu adhibere dictis factisve?

BILINSKIUS.

Hoc usque scilicet
Peccat.

PAULLUS.

Sedate ipsum monere cooperam:

NAEVOLUS.

(Sedate, inquit?)

PAULLUS.

Tum ille indignantis specie et vultu
[arduo
Scin' quid responderit? « Profecto si ad hunc
[habere me modum

Pergas, discedam hinc; tu vero rationem
[reddes parentibus,
Paulle».

BILINSKIUS.

Tantum ausus est?

NAEVOLUS.

(Immo si me audisset, esset ausus
[magis).

PAULLUS.

Totus mi ebullit sanguis cum haec cogito.
An ego unquam adeo impudentem credidi-
[sem, ut vellet insuper,
Me lacessere? Abeat, excedat, evadat, non
[do veniam, incito.
Immo etsi nolit, ipse eliciam: assidue iam
[tuli diu
Quid male memet cruciat, atque mea felle
[adspergit gaudia.

NAEVOLUS.

(Dixin ego propter illas vestes esse istuc iur-
[gium?

De discessu agit hic).

BILINSKIUS.

Quiesce: ego quid opus sit
[videre.

PAULLUS.

Quiescam? Hinc fratrem amandari...

BILINSKIUS.

Amandabitur

PAULLUS.

Quamprimum.

BILINSKIUS.

Fiet.

PAULLUS.

Sed ut redire nunquam ante ocu-
[los queat meos.

BILINSKIUS.

NAEVOLUS.

(Malus ut obsecundat!)

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

tu vero rationem
reddes parentibus,

US.

LUS.
audisset, esset ausus
[magis].

US.
cum haec cogito.
impudentem credidis-
si, ut vellet insuper,
excedat, evadat, non
[do veniam, incito.
liciam: assidue iam
[tuli diu
iat, atque mea felle
[adspexit gaudia.

US.
vestes esse istuc iur-
[gium?

IUS.
: ego quid opus sit
[videre.

JS.
amandari...

IUS.
Amandabitur

US.
IUS.
JS.

nunquam ante ocu-
[los queat meos.

IUS.
US.
(at!)

Moderator, Sponsor.

OTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

Pro “ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Sociis

JM

s pagg. 103, edi-

eiusdem auctoris
atae apud ephebean erit publici cursus
aribus).AE ROMAE col-
 annum MCMXXVII,
nstituimus libella-
 scilicet 650, proper nummariam
tramite requiren-
ma, 12, Via del
est, non sinit ut
reperi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia preelectiones¹

Hisce expositis, nondum finis ponendus est sermoni de duodecim tabulis, nam quaestio occurrit, haud facilis quidem, utrum haec Liviana et Dionysiana memoria, tum decemvirum legumlatorum, tum legum ab iis datarum, ad fidem historicae veritatis composita sit, an contra haec omnia sequiore tempore ab eruditis viris et rerum scriptoribus conficta fuerint. Notum est enim vel tironibus Romanae historiae, usque ad incensam a Gallis Urbem (a. CCCXC ante C. n.), res omnes vetustate nimia obscuras esse, et a criticis recentioribus fabularum numero habitas, et nullius ferme auctoritatis. Praesertim inter Romani iuris studiosos multi numerantur, qui Livianae narrationi nullam esse fidem tribuendam affirmare non dubitant. Liceat de nostris memorare Hectorem Pais, virum immensae doctrinae maximaque estimationis, qui multis libris de prisca Romanorum historia conscriptis,² et tota hac materia acutissime investigata, in

hanc opinionem venit, decemviris v saeculi prae ceteris Ap. Claudio multa tributa esse, quae ad Claudiū tantummodo, censorē anni CCCXII a. C. n., pertinerent et XII tabulas a Cicerone et aequalibus adhibitas habendas esse quasi syllogem legum et praescriptionum varii temporis, quae non ante IV saeculi finem existiterit, postquam Cn. Flavius plebeius, aedilis curulis, civile ius, ante repositum in penetralibus pontificum, evulgaverat, fastosque circa forum in albo proposuerat. Audacior multo, quam Hector Pais, et nasutus nimium videri cupiens. Lambertus Francogallus¹ negavit omnino, in XII tabulis aliquid extare quod legum latoribus v saeculi tribuendum sit, asseveranterque dixit, praescripta illa iuris et regulas, vario tempore excoigitatas a magistratibus civitatis vel a iuris prudentibus, in unum corpus redacta esse non ante initium secundi ante C. saeculi, auctoremque huius corporis fuisse Sex. Aelium Paetum, qui Catus ob ingenii acumen agnominatus est, quique consul fuit a. CXCVIII ante C. n., paullo post finem secundi Punici belli, quo tempore iam Cato senex et Ennius et Plautus vivebant florebantque. Huius Sex. Aelii opus, cui

¹ Cf. fasc. sup.

² Vide sis praesertim: *Storia critica di Roma durante i primi cinque secoli*, 5 voll., e: *Ricerche sulla Storia e sul diritto pubblico di Roma*, 2 voll. Roma, 1915.

¹ Eius scripta memorat inter alios PETRUS DE FRANCISCI, in *Storia del diritto romano*, I, p. 208, n. 18.

titulus *Tripartita*, ubi legе XII tabularum praeposita interpretatio iungebatur et deinde subtexebatur legis actio, Hadriani imperatoris et Sex. Pomponii iureconsulti aetate adhuc exstebat. Hic Aelius igitur Lamberti sententia, non descriptsse dicendus est in libro suo, sed ipse in unum corpus redigisse leges et praescripta, quae decemviris v saeculi audacissime tribuerit. Quin immo Lamberti opinio est, hos decemviros legum latores nunquam fuisse; quamquam enim in ipsis Fastis Capitoliniis adparet annis CDL et CDL ante C. n. indicem consulum decemvirum creatione interrumpi, tamen huiusmodi indicem nullius paene auctoritatis esse quum non ex *annalibus* Pontificum, sed ex *annalibus maximis* P. Mucii Scaevolae pontificis tempore (a. ferme cxxiii a. C. n.) in octoginta libros collectis, depromptus sit; immo, ut quispiam coniecit,¹ fortasse non nisi ex Pomponii Attici *libro annali*, post consulatum Ciceronis (a. LXIII a. C. n.) composito, dicendum sit, nomina consulum tot ante annorum a marmorario artifice in Fastis descripta esse et insculpta.

De tota hac re quid iudicandum et sentiendum erit lectoribus nostris? Nam non est tacendum, post Paisium et Lambertum, multos iuris et romanae historiae studiosos exstebisse, tum apud Gallos, tum in Germania et Britannia, tum etiam apud nos, qui istiusmodi cupiditatem et studium omnis fidei detrahendae memoriae rerum Romanarum, qualis apud Livium et Dionysium servatur, apertissime improbandam existimarent. Ex nostris nominabimus Bonfante, et De Francisci,² romani iuris peritissimos et prudentissimos qui, consentientes quidem, multas res in narratione Liviana a veritate alienas esse,

nomina consulum passim perturbata, res sequioris aevi interdum ad vetustiorem aetatem relatas, tamen in universum Livialnam memoriam de certamine plebeiorum et patriciorum, deque decemvirali legum latione non indignam fide, et auctoritate sua probabilem habuere.

Hanc opinionem sequendam esse firmissime adseveraverim. Quid aliud est enim aërias in auras tela temere concere, quam ex Annali libro Attici, quia eius consilio Augustus uteretur, depromptum consulum indicem in Fastis adfirmare?

Nonne ipse Atticus certe ex annalibus maximis monumentisque publicis notitias de consulibus duxisse dicendus est? Sextum autem Aelium formulas morum potius quam iuris in unum collegisse, et collegio cuidam decemvirorum a se excogitato tribuisse, et rerum memoriam ipsum finxisse, quis credat, quum viri aequales, harum rerum studiosi, Ennius, Fabius Pictor, alii, mendacii coarguere possent? Quod si, ut Cicero testatur (*De leg.*, II, 59), adducta lege minuendi sumptus lamentationisque funebris: MULIERES GENAS NE RADUNTO, NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO, Sex. Aelius, cum altero vetere interprete L. Accilio, non satis quid *lessus* esset se intelligere dixerant,¹ nonne id certissimo testimonio est, Sex. Aelium non ipsum excogitasse, sed veteres formulas invenisse et descriptsse in libro suo, immutatis etiam iis, quas ipse iam non intelligebat?

Haec et alia multa animadverti possunt de XII tabularum memoria, quae ut mihi quidem videtur, religiosius nobis servanda est, et a telis acerbiorum iudicium totis viribus tutanda; quum praesertim historia aequatae inter ordines libertatis,

¹ Vide SCHWARZ, *Röm. Liter.*, I, p. 39 et § 316.

² Sunt in manibus omnium eorum libri de iuris rom. historia; Bonfantis tertia editio quae est anni 1923, De Francisci, Roma, 1926.

¹ Sex. Aelius vestimenti funebris genus esse *lessum* suspicabatur; alii contra quasi lugubrem eiulationem; quod Cicero eo magis verum esse indicabat, quia lex quaedam Solonis id ipsum veterat.

tum quod ad res pertinet, tum ad leges deinceps latas, sat apte congruenterque composita appareat, nec nimis a veritate aliena dicenda sit.

Quum de XII tabularum autem recolo Crassi verba apud Ciceronem in primo *De oratore* (195): «Fremant omnes licet dicam quod sentio, bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare», quum eundem Crassum lego adfirmantem, Romanam patriam tanta sapientia fuisse in iure costituendo, quanta fuit in magnis imperii opibus comparandis, qui possum, proh Deum fidem, admirationem tam expressis verbis significatam cum opere nullius pretii, colluvione quadam formularum, sine auctoritate, sine rerum fide, conciliare? Quae tabulae etiam Augusti Liviique aetate tamquam *fons omnis publici privatique iuris* habebantur,¹ et a Tacito *finis aequi iuris*,² prae multitudine securarum legum saepe per vim latarum, vocatae sunt, eas nonnihil boni et pulcri habuisse quis negare audeat?

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

An florum usus in exsequiis veterum Christianorum fuerit.³

Quum recens, in magnis potissimum urbibus, mos invaluerit, ut defunctorum corpora curru funebri efferantur, currusque ipsi non raro floreis coronis innu-

¹ LIV., III, 84.

² ANN., III, 12.

³ Recurrente mense Novembri, defunctorum memoriae recolendas sacro, placuit scriptum hoc magistrorum quondam nostri desideratissimi revocare; eoque magis quod argumentum videamus etiam nunc passim in commentariis librisque agitatum.

meris iisque ingentibus circum supraque onerentur potius quam exornentur, non pauci exstiterunt qui, effusam illam ac sumptuosam copiam merito improbantes, huiusmodi usum in exsequiis prorsus damnarint atque abolendum censuerint. Aliis tamen alia sentientibus, ea subiit animum cogitatio, ut in mores antiquorum inquirerem, perspecturus num aliquis exstiterit florum usus apud Christianos in suorum exsequis.

In exsequiis, inquam; nam flores ad sepulcra spargi consuevisse, Prudentius, Ambrosius atque Hieronymus apertissime testantur. Nec audiendi quidam recentioris aevi scriptores, qui, nescio qua ratione innixi, affirmarunt id factum quidem aetate Prudentii, quum Christi fideles ab illa maiorum simplicitate descivissent, non autem prioribus tribus sanctissimae Ecclesiae saeculis Quod profecto aut non scripssissent, aut certe retractassent, si coemeteria antiquorum Christianorum ad Urbem invisiere, si cryptas, cubicula, arcosolia intueri, eaque pictis ornata floribus omnium generum sive sparsis et solutis, sive innexis et insertis, sive in coronam coactis videre potuissent. Quodque magis ad rem facit, inspessissent vetustissimas coemeteriorum regiones non minus ornari appictis floribus, quam recentissimas quinto saeculo propiores: imo vero eas et numero et artificio his mirum in modum antecellere. Ex quo intelligitur unum eumdemque morem fuisse Christianorum, qui prima aetate vixerunt, et aliorum qui deinde subsequuti; pristinam utrique consuetudinem spargendi flores frondesque ad tumulos dormientium in Christo servarunt. Quis enim sibi suadeat, quorum sepulcra tanta depictorum copia florum exornari cernat, eisdem nullum nativorum florum quos terra gignit, usum fuisse? Verum si quaestio de usu florum ad sepulcra facile absolvitur, non ita quae de ipsorum usu in exsequiis. Nam sive ex

litteris sive ex monumentis testimonium quaeras, quod aperte manifesteque rem declarat, invenies profecto nullum. Ergo per conjecturam querendum.

Ac primo quidem ea quae de floribus ad sepultra appictis modo notavimus, ad flores in exsequiis pari ratione deduci posse nemo non videt. At iis omissis, unum praecipue animadvertendum puto: Christianos veteres in suorum funeribus ea omnia humanitatis ac pietatis officia erga vita functos retinuisse, quae ab ethnici absque superstitione aut dedecore praestari mos erat. Inter cetera oculos defuncti claudere, lavare corpus, aromatisbus condire, laudes pro concione celebrare, cum cereis facibusque funus efferre. Porro ista praestabant ethnici, neque Christiani omittebant, imo haec ipsa adeo diligentiori ratione ab his servata, aliaque etiam ad funerum dignitatem addita esse existimabimus, si fides habenda est Iuliano cognomento Apostatae, qui in epistola ad Arsacium querebatur, Christianam superstitionem (sic appellabat) ideo mirifice crevisse, quod eius sectatores praecipiua singularemque erga mortuos curam adhiberent. Quapropter si quis, inquam, usus florum, a superstitione tamen remotus, apud ethnicos fuerit, qui certe fuit, nulla iam videtur causa afferri posse, cur ab eo Christiani abstinuerint. Atqui praeter floram coronam capitii adnexam (a qua iure merito Christiani abhorrebant, utpote idolatriae certo signo: eo namque ritu mortuum corpus non secus ac idolum consecrabatur) spargebant ethnici flores et coronas in feretrum ipsum, ut factum esse in funere Virginiae atque cuiuspiam alterius Romanorum legimus. Ergo et tantumdem, cum dignitate tamen ac moderatione, a Christianis factum esse concedendum sane videtur.

Ethnici quidem id unice Christianis exprobabant, quod coronam capitii denerarent seu vivorum seu mortuorum: de-

cetero florum usu nil videntur habuisse, quod vitio verterent. Unde arguere licet, Christianos quoad alios florum usus cum iis consensisse. Itaque quum in actis Martyrum lego, eorum funera cum triumpho magno deducta esse, non video cur huiusmodi triumphos sine floribus fuisse censem. Quid enim in triumphali pompa sollemnissima atque usitatis, quam florum honos et copia

*Undique iactato flore tegente vias?*¹

At enim, dixerit quispiam, funebres pompas nullas fuisse apud priores illos Christianos, qui persecutionibus exagitati, fere in tenebris delitescebant; aut si forte honor florum habitus Martyri, non inde colligi ceteris etiam collatum. Nam quoad primum satis sit animadvertere, quidquid leges contra Christianam religionem statuerent, easdem aliam prorsus rationem de omni genere funerum habuisse; neque ethnici Christianis fuisse exprobraturos, quod floream coronam mortuorum capitii non adnecterent, si nullum publice funus ductum fuisse; quoad alterum vero meminerimus cultum religiosum erga Martyres non haberí, antequam hi legitima Ecclesiae auctoritate essent probati, aut, sollempni ut verbo utar, *vindicati*. Illas ergo exsequias Martyrum nuper occisorum si forte floribus ornatas concedimus, in aliorum quoque Christi fidelium funeribus, multo parcus tamen, habitum huiusmodi honorem concedamus necesse est.

Sed iam prolixior excurrit sermo; neque spatium scribendi sufficit ad reliqua, etsi non multa, exponenda. Illud tamen omnino hoc videtur addendum, hunc mortem adhibendi flores in ipsis exsequiis cito desiisse: secus vix intelligi potest quomodo inter tot Christianarum rerum scriptores nullus extiterit, qui de ea re aperte mentionem fecerit. Quod autem monu-

menta nihil prae se ferant aperte ac manifeste idem testantia, nil [mirum]; quum Romae, et ethnici simul et Christiani, nihil ad sepultra sive pinxerint sive sculpsierint, quod re ipsa modum rationemque exsequiarum exprimat.

Ceterum, qualiscumque florum coronarumque usus ad sepultra et in exsequiis veterum Christianorum fuit, qui id ceteraque pietatis officia circa suorum defunctorum corpora ea mente potissimum faciebant ut fidem resurrectionis asserrent; non inde tamen se tueri posse existimant, qui neglectis sacris divinis, eleemosynis, precibus ac salutaribus quibusque operibus (quae maxime illi antiqui praestabant) in refrigerium animarum aptissimis, uno hoc honore florum contenti, Deo se et hominibus et suis caris defunctis satisfecisse arbitrentur. Pammachium imitentur, de quo apte Hieronymus: «Ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia floresque purpureos; et dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynae balsamis rigat». ¹ Imitentur Ambrosium, qui in obitu Valentiniani se floribus omnibus anteponere profitetur divinam Victimam. Inquit enim: «Non ego floribus tumulum eius adspergam, sed spiritum eius Christi odore perfundam. Spargant alii plenis lilia calathis. Nobis lilyum est Christus. Hoc reliquias eius sacrabo». ²

Iure igitur germani Christi fideles luxuriam hanc florum nostris temporibus inductam in exsequiis exprobant, nec desunt qui suos rogant, ne siniant se demortuos suspensis feretro coronis efferre; ideo quia videtur consuetudo haec dolo malo fuisse intromissa, ut flores sacrificio, precibus et ceteris Ecclesiae castissimis

ritibus subrogarentur. Quod si qui sibi temperare omnino nequeant, quin ad solatum vivorum et defuncti honorem unam alteramque adducant coronam, eos vehementer hortamur ut corona ipsa signum quoddam vexillumque fiat Christianae fidei adversus fraudulentia consilia, nefarium impietatem apertamque violentiam; cedatque in laudem divini servatoris Iesu Christi ad instar Constantiniani monogrammatis, in quo medium Christi nomen corona redimitum radiabat, docebatque in Christo esse victoriam nostram, nostramque in caelis coronam Christum esse.

JOSEPHUS BONAVENIA, S. I.



De Romanorum vestibus¹

Plures hodie simul congerimus vestes, *Sagum*, *Chlamydem*, *Paludamentum*, *Lacernam* et *Laenam*, quas omnes ad Pallii, Graecanici habitus, instar confectas fuisse novimus: nisi quod hoc amplum admodum fusumque ad talos usque descendebat, totumque ambitu suo circumcingebat hominem; illae vero breviores arctioresque erant. Ceterum ipsae, perinde plane ac pallium, apertae fuerunt; ubi autem corpori iniectae essent, fibula in dextro plerumque humero innectebantur. Idque generatim de universis esto: ad singulas nunc veniamus.

Sagum, non secus ac pleraque ex his aliae, vestis militaris fuit. Unde sollemnia sunt illa apud scriptores, quum de bellis agitur: *Ire ad saga*; *Saga sumere*; *Esse in sagis*. Ita in Liviana epitome (LXXII): «Italico bello populus saga sumpsit». Quibus verbis tota urbs sagata, et ad pugnandum semper parata ostenditur. Quod

¹ OVID., IV, *Trist.*, 2, 50.

¹ HIERON., *Epist. XXVI ad Pammach. de obitu uxoris*, cap. 2.

² AMBROSIUS, *De obitu Valentin.*, p. 12.

¹ Cfr. fasc. sup.

ipsum narrans Paterculus (II, 16) inquit: «Iam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum ad saga iretur diuque in eo habitu maneretur».

Talem autem is amictus formam habuit, qualem superius designavimus. Itaque, ut hoc iterum inculcemos, apertus ille fuit, ac praeterea ad genua fere demissus.

Materiam sagis eadem, quae ceteris tunc temporis vestimentis, suppeditavit lana; selectior tamen ac nobilior pro centurionibus aliisque ordinum ducibus; vilior crassiorque pro gregario milite: quae restanti erat, ut vel per id alteri ab alteris distinguiri possent, praesertim etiam quum illi pexis plerumque sagis, hi longo usu detritis uterentur. Hinc liquet, quid sibi velit Livius (VIII, 34), quum sic narrat: «Haec omnia tribunus sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustravit».

Fuisse vero saga albo colore, peraeque ac Graecorum chlamydes, in dubium non revocatnr; quum imperatorum tantum, quod idem fuit ac paludamentum, purpureum esset.

Chlamys ipsissimum erat sagum, duplice appellatione idem vestimentum designante. Et quamquam ea voce Graeci maxime usi sunt, nonnunquam tamen Latini quoque id nomen tum ad sagum, tum etiam ad paludamentum indicandum adhibuerunt. Animadvertisendum vero hic illud datur, a Graecis chlamydem tunicae a thoraci imponi consueisse, atque ubi dimicandum esset, collectam laevo brachio advolvi. Quem ipsum morem servasse Romanos in sagis, credi queat.

Paludamentum, quod propriis imperatorum erat, eo uno, quod ad formam attinet, a sagulo distabat, quod longius latiusque esset, cetera porro ei simillimum. Ex quo ortum fuit, ut non raro alterum pro altero poneretur. Huc facit quod Livius (I, 26) sagum manipularis militis Curiatii *palu-*

damentum appellat; et quod consulum praetorumve in provincias proficiscentium lictores, qui nonnisi sagati essent, *paludatos* vocat.¹ Rursus vero (XXX, 17) haec habet: «Munera, quae legati ferrent regi (Massanissae), decreverunt: sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis»: ubi procul dubio de paludamentis sermo est.

Quod superest, colore a militari sago imperatorum paludamentum alienissimum fuit, quum illud album esset, hoc purpureum, vel coccineum; id quod milites veterum testimoniis certum est. Hinc Hirtius (VIII, *Bell. Gall.*, 88) narrat: «Eius (Caesaris) adventu ex colore vestitus cognito... hostes committunt praelium».

Lacernam ad milites quoque pertinuisse aperte indicat Propertius, quum canit (IV, 3):

Texitur haec castris quarta lacerna tuis.

Et quum huiusquidem esset generis, nil prorsus a chlamyde discrepasse creditur.

Verum quum postea per bellorum civilium motus in urbem invecta, atque ad communem consuetudinem paullatim traducta, contra frigus imbruesque usurpari passim coepisset; tunc demum aliquid ad pristinam sui rationem adiectum habuit. Itaque licet pro militibus etiam tum, aequo ac chlamys, nec infra genua decurreret, nec homini circumvolvendo par esset, pro reliquis tamen fusior atque amplior facta est, quo opportunam opem adversus temporum iniurias afferre posset. Qua eadem de causa non uni modo tunicae (quod et fiebat), sed etiam togae inducebatur. Hinc apud Martialis epigramma inscriptum *Laena*:

*Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Quin tegit algentes nostra Lacerna togas.*

E lana crassiore confectus est is habitus. Quod tamen perpetuum non fuit: eten-

¹ Cfr. lib. XLI, 10 et XLV, 89.

nim leviores omnino esse oportuit, qui diebus aestivis ornatus gratia gestabatur; quem morem etiam invaluablem testatur Iuvenalis (I) per haec dicta:

*Crispinus Tyrias humero revocante Lacernas,
Ventilet aestivum digitis sudantibus aurum.*

Non uno eadem vestis usurpata colore fuit; quod vel ex allatis exemplis patet. Fuit igitur illa, praeter pauperiorum pullam, tum alba (qua semper usus milles), tum purpurea, tam rufa. A quo postremo coloris genere dicta quoque illa aliquando fuit *Birrus*, sumpta a Graeco πυρός (*rufus*) nomenclatura.

Laena (quae ferme instar lacernae erat) regum olim Romae, teste Plutarcho,¹ gestamen fuit, quemadmodum heroum apud Graecos *Chlaena*, quae nihil ab illa discrepavit. Eapropter amictum laena inducit Aeneam Maro (IV, *Aen.*, 262):

*Tyrioque ardebat murice Laena
Demissa ex humeris.*

Deinde Flaminum, quum sacris operarentur, facta est propria, id quod docuit Tullius in *Brut.*, XIV. Tandem ad universorum usum translata, et vulgo ceteris vestibus ad arcendum frigus iniecta. Hinc Martialis epigramma inscriptum *Laena*:

*Tempore brumali non multum levia prosunt:
Calfaciunt villi pallia vestra mei.*

Quare et in coenis hiemali tempore usurpari solebat. Morem hunc ostendit e reliquis illud Persii (I):

*Exce iuter iposula] quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poemata narrent.
Heic aliquis, cui circum huneros hyacinthina Laena,
etc.*

S. A.

¹ In *Numa*.

Qui cordis sui domum excolare non valet, quomodo plurimorum adhibebit diligentiam? Qui trahem ex suo non potest eruere oculo, quomodo ex alterius oculo poterit amputare festucam?

S. AMBROSIUS.

¹ Dux Franciscus De Pinedo, aëria cymba continentis omnes praetergressus, dominus spati.

² Praefectus militum Arthurus Ferrarin, qui aërio veluti ponte Italian Brasiliamque coniunxit.

³ Praefectus maior Marius De Bernardi, qui celeritatis certamine inter nationes exstitit facile princeps.

⁴ Heros Renatus Donati, qui maximam volatu altitudinem attigit.

Ad aërios nautas Italos

*Ex quo levabas, auspice Numine,
O Roma, signum praepetis alitis,
Divina Mens cunctas per orbem
Te voluit sociare gentes.*

*Haec fata vates, carmine praescio,
Cumaea ab antro iam tibi concinit,
Tellure victricem marique
Te dominam speculata mundi.
Defluxit aetas ac simul occidit
Fulgens tuorum gloria Caesarum;
At firma perdurant in aevum
Quae steterunt tibi fata, Roma:*

*Tentare rerum quaelibet ardua,
Non usitatas pandere semitas,
Cultumque civilem fidemque
Rite Petri populos docere.*

* *

*Hac mente, cunctas, nempe per invium,
Viator audax, aethera transvolas,
Cymba volucri, continentis,
O spatii domitor Pinede';¹
Virtute compar, quem per atlanticum
Pontum secutus dissociabilem,,
Tyrrhena Ferrarinus² arva
Littori Amazonio, volatu
Formidoloso, nexuit. Aemulus
Bernardus³ aethra fulgoris emicat
Pernicibus velis; et ipsas,
Aligero, superas, phaselio
Donatus⁴ oras⁵ impetit. Integra
Romana rursus gloria splenduit,
Testata virtutem latinam
Et proavis similes nepotes.*

*Qua laude tollam nomen, at inclita
Quem gesta dicunt te mage Nobilem,¹
Humberte, terrarum bis ausus,
Aëria superare navi,
Caliginosum, tramite, verticem,
Antehac negato: nox ubi congerit
Semestris illunis tenebras,
Ac semel occiduus, nivali
Sol aethra, in anno, decolor albicat:
Insignis heros, mundi ab origine
Arctoa qui lustrata nunquam
Victor adis glaciata regna.
Te iure cives laudibus efferunt,
Orbis quod axem rite sacraveris
Regi Theandro, optata Patris
Christiadum pius exsecutus.²
Spectandus acer nauta per arduum
Caelum, procellis fortior arcticis,
Cum turbines inter nigrantes
Nubivaga properas carina.
At maior algenti aequore naufragus,
Cum, membra fractus, corde superstitem
Solaris invicto maniplum
«Italiae»,³ Italianam salutans.*

* *

*Mox detumescens, subsilit arduus
Immanis, ictu, follis in aethera,
Ludibrium nimbi, ac suamet
Abripit heu! reliquos ruina.
Concreta circum prostat inhospita,
Passim fatiscens, frigore vastitas,
Massisque fluctus congelatis
Fert miseros temere per aequor.
Spes una, VIRGO, lenis imagine
Spirans picena,⁴ numine carbasum
Tegit rubrum, tutela praesens
Aëreis columenque nautis.*

¹ Dux Humbertus Nobile, bis polum boreum navi aëria transgressus, cuius nomine ingens poëma quodammodo significatur.

² Crux indicatur polo infixia.

³ Navis aëria «Italia».

⁴ Imago B. Virginis Lauretanae, aëronautarum tutela.

*Procul pudicis sub penetralibus,
Dilecta coniux, gnata tenellula,¹
Civesque ad aras provoluti
Rite Deum precibus fatigant.
Nec vota frustra: prodigo novo
Vocalis, acri, machina, succino
Excita, voces naufragorum,
Aethereo per inane fluxu,
Late profundit. Protinus insilit
Prior salutis Magdala² nuncius,
Immensa caligantis axis
Praecipi superans volatu.
Complexa tandem, patria, Nobilem,
Magnum secundis iureque maximum
Fatis in adversis, corona
Promerita redimire gaude.*

* *

*Frustra aemulorum turba calumnia,
Sublimis heros, te petit impotens;
In saecla grandescens futura,
Maior ab invidia resurges,
Dum culta dignos rite scientia
Aequis alumnos tollet honoribus;
Splendore dum Christi corusca
Crux hominum reget una sortes.*

V. GENOVESI, S. I.

EX ITALIS URBIBUS

De terna Taurinensi Expositione.³

Hisce dictis, simul, veluti ex composito, ad levam conversi, ad immensam novamque *Chinicorum* demonstrationem alacres perreximus.

Vel ab initio, a primo aedificii limine, quum tibi tot machinarum inventa, ad millia rerum opera, obvia sunt, ad incredibilia humanarum necessitatuum officia pa-

¹ Uxor ac filia Ducus Nobile.

² Praefectus maior Humbertus Maddalena, qui in aquilonari regione naufragis primus opem patriae tulit.

³ Cfr. fasc. sup.

rata, vox faucibus haeret, obtutuque defixus in uno, nescis quid dicas.

— Vides ut gens nostra potissimum modo bellis paeclarata, nunc ad mansuetiores musas conversa, ad altiora quam cito tissime pervenit! Sicque cum ceteris circa gentibus et diu artibus de primatu decertare potest.

— Video enim, et vos laudibus dignissimos esse praedicabo.

— Nuper nos Itali, politiorum litterarum pulcritudine abrepti, gloriam in litteris quaerebamus et artibus, et vix in recentioribus disciplinis aliarum gentium alumni indignanter iudicabamus; nunc cum litteris et disciplinas adiungimus, et praestantiam ingenii virtute cumulamus.

— Nil verius atque sanctius.

— Re enim vera, aedificium pro *Chimica* constructum praeter quam quod est summo artificio perfectum, est magnum machinarum receptaculum, quae mirum in modum progressus humanae sapientiae praedicant. Quot miracula rerum! Nec ipsa chimiae industriae et inventionum varietas te opprimit, sed imo oculus se recreat, et visitatores nova semper rerum multitudine dulciter perculti, etiamsi ignari luminibus sapientiae, hilarantur et summum mentis gaudium accipiunt. Hic enim in primis, nitida argenteis undis fons cernitur, quae siphulcis exiliens, inter amoena vireta nunc discurrens, flores, quos modo ver placidis zephiris latissime ferre potest, irrorat. Hic omnium quoque gasii genera simul certant atque exsultant, sapienter cum luce accommodantur atque ad vim humani ingenii excitandam aptantur.

— Est quoque innumera figurorum familia.

— Neque abs re, mea quidem sententia, hosce artifices meministi; namque, uti me legere memini, istos in primis in urbem vocavit eosque re atque consilio adiuvit atque fovit immortalis dux Emmanuel Philibertus.

Insuper et multi alii opifices adsunt, qui quasi congregati hinc atque illic locum suum obtinent, et magnas iam sibi pecunias nostra aetate compararunt. Hi enim ingenio pollentes atque audentia, adsidue operibus incumbentes, magnum et decus patriae accumulaverunt.

— Nuper vos Itali omnia ab exteris gentibus demisse quaerebatis; pro iis prae-sertim quae ad commerciorum commodum spectant atque ad artium machinas. Et quid fiebat? Quidquid fortassis aliquando imperfectum esset et nos indignati repudiaremus, vel iam tamquam inusitatum missum faceremus, ad Italiam superbe de-mittere solebamus.

— Nihil erat nobis dicendum, ne quid peius accideret. Nunc vero, sic Deo favente, indignum opprobrii iugum alacres fregimus, et in libertatem pro viribus vindicati, iam superbis olim nostrarum rerum dominis opitulari aliquando possumus.

Quo nomine, ad satietatem, in machinis viarum ferrearum immensis legebamus, in pannis, vel in pileis, *London* et *Paris*!

Et vinum nostrum, paucis olim denariis ab agricolis emptum atque in Galliam delatum, suoque more medicatum, ad nos gloriose revertebatur, et famoso fumoso que titulo decoratum, ad regales mensas ingressum, Burdigalensi civitate honora-batur, vel Campaniae.

Italia nunc tamdem sibi vivit, et sui iuris, si ab aliis primas adhuc aliquot rerum materias aliunde postulat, ipsas arte in melius compositas atque in novas formas redactas, in gentem suam cum utilitate remittere autumat.

Sic itur ad astra, atque populorum aemulatio alitur, et in melius animorum concordia coalescit.

— Quod faxit Deus!

— Hi Subalpini homines, mea quidem sententia, quid tam arduum quod non tentaverint, quid tam periculosum a quo tem-peraverint? In exemplum omnibus eluce-

scunt et confirmant quod veteres nobis tradiderunt: *Audentes fortuna iuvat.*

Et nostram omnino est et illud setae artificialis inventum, quae mox natum grandioribus itineribus per omnem late orbem terrarum erecta, matrem ipsam diuiniorem et ipse aetate fortiorum vincere minitatur et supergredi.

Quod Vergilium canere memini de agminibus equorum in acie decurrentium, optime de hominibus dicendum, qui hic in terris studiose decertant:

*Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversis spatiis alternosque orbibus orbes!*

Utinam de artibus modo vel ampliandis vel promovendis sit adsiduum idemque pertinax animorum certamen, et de optima vitae ratione exerceantur hominum ingenia hic in terris redigenda! Et in aevum beat a nobis nec unquam inter mortales redeat teterimus bellorum adspectus. Quin imo omnes simul populi fraterno vinculo devincti, ad aeternam beatitatem adsurgant! Qui melius fortuitus hic occursus claudi potuerit? Vale meique memento!

— Vale!

Ita narrationi finem imponam, quam de Taurinensi demonstratione prolixius explanavi.

Et vos lectores valete!

S.

EPSTOLARE SOCIORUM COMMERCII

EMM. JOVÉ, C. M. F., ANDREAE AVENARIO,
S. V. D., SAL.

Tempus est iam ad tuas respondendi. Quod libentissime, sed paucis praestabo; idque tibi satis erit et curiosis lectoribus, qui in minutis, non tamen inutilibus, vocabulorum disquisitionibus nos consequuntur.

Prae primis ne timueris me in hac re vexari unquam, minimeque hoc potissimum tempore, quum discipulum habeam, qui voluntandis variarum linguarum vocabulariis imprimis gaudeat, meamque rem aptissime paret. Heredem habebo eum satis experrectum, si quando de retacere debuerim.

Sed iam ad nova vocabula me vocas.

Pro *schild*, quod Gallice est *enseigne*, Hispanice vero *rótulo*, mihi Latine *titulum* assumo. Vide hoc apud Forcellinium: «Quorum titulus per barbara colla pependit, h. e. servi venales qui perferebant tabellam indicantem quid valerent, quo vitio laborarent et huiusmodi». Atque inferius: «Domus proscribebatur, seu quis emere, seu quis conducere vellet. Venit Athenodorus, legit titulum, etc.».

Quoad *brifmappe*, quod Hispanice est *cartera*, latini *pasceolum* habebant. Etiam apud nos invaluit *chartarium*, cuius vocabuli satis patet origo, et *chartularium*, si de minoribus egeris, quae in crumenis solent comportari.

Vexierbild nos *rompecabezas* appellamus, quasi caput rumpens imago. Ego vero Latine, quum imago illa saepe susque deque vertatur et revertatur, *verticulum* semper dixero, nisi quispiam quid aptius mihi praebeat.

Pro vestro *heizkörper*, apud Hispanos *radiador*, habeo *caldarium*, quod tibi haud displicitum puto.

Musikstück quomodo, nisi per *opus musicum* simpliciter Latinae consuetudini reddemus?

Füllfederhalter, nostrum *estilografo*, *stilographum* appellabo, haud multum a Gallico nomine dissimiliter.

Quid de tuo *wasserspülung*? Neque in hoc dabo manus. Quaesivi equidem quid illud nominarem; et ecce *aquarium* inveni. Vide an tu melius inveneris in toto Latinitatis thesauro.

Sed iam *Weltanschaung* venit expoundendum. Hic quidem rem difficilem narras et quaeris. Id nominis nisi in lingua vestra et apud philosophos in nulla alia expressum vidi. Aut parum sensum illius sum adsequutus, aut *universalem prospectum* significat.

Vale tandem, neque hiemps tibi saevior fiat.

Cervariae Lacetanorum in Hispania, kal. Novembris MCMXXVIII.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 96. — Qui calculo renum pereunt, circa finem convulsionibus aut delirio pereunt, ut in nonnullis observavit BAGLIVIUS.

§ 97. — Infantibus tertio aut quarto a partu die oritur icterus, fitque ex retentione meconii in intestinis, unde etiam oriuntur epilepsiae.

§ 98. — Spiritus salis ammoniaci acidus quamplures sanavit icteros. Absynthium ponticum iuscculo incocatum BAGLIVIO familiare fuit. Carduus benedictus, marubium, chelidonium maius. Paronichia folio-rutaceo pro secreto laudatur a BOILE.

§ 99. — In curatione icteri tota medici prudentia dirigi debet in investigando, an pendeat a bile viscida, vapida, amurcosa, et inerti circa iecur impacta; an vero a bile acri, tenui, ignea, inflammabili, pro quorum diversitate humorum toto caelo diversa esse debet curatio.

§ 100. — Signa viscidiae bilis sunt lingua alba, humida, inappetentia, extrema debilitas virium, pauca vel nulla febris, flatus

ingentes post pastum: quae causae praecesserunt, et temperamentum ad congerendas visciditates, apta ad id esse debent.

§ 101. — Acris contra tenuisque bilis signa sunt sitis cum aliqua linguae siccitate, ardor, calorque hypochondriorum, siccum temperamentum cum macie aegroti; causae quae praecesserunt, calidae fuerunt: vina generosa, aromata, sacchera, etc. Icterum a visciditate curat veluti pro secreto aqua Tetucii, quae salina est. Si febris non adsit, da potionem purgantem ex hac aqua aliisque indicatis compositam.

§ 102. — Si nimium fuerit amurcosa bilis, per duos aut tres vices haec purgatio alternis diebus repeti debet. Deinde veniendum ad serum lactis cum marrubio bullitum, et singulo mane calide dandum. Et si magna fuerit viscidiae nigraeque bilis copia, addi poterit cum sero in maceratione drachma una *hellebori nigris*, vel cochlear *syrupi cacheltici Fernelium cum helleboro*, qui syrupus magnarum est virium in chronicis: et demum omnibile expurgata ad chalibeata et roborantia veniendum. Sequens vinum medicatum BAGLIVIUM nunquam fefellit: «R.: Limatura ferri non rubig. petia ligat. unc. sem. — Fol. sennae mundator. dr. xv; — Epithimi incis. et rhabarb. elect. incis. aa unc. iij — Absynth. pont. et Centaur. min. aa M. ij — Bacc. juniperi cont. M. j — Specierum trium santal. et spec. diarrhod. abb. aa Serup. iij — Vini albi veteris non admodum generosi libr. vij — Macera biduo ad cineres feryidos, deinde cola per manicam Hippocratis, ut vinum optime clarificetur; de quo capiat unc. iiiij mane bihorio ante prandium per quindecim dies aut plures; singulis diebus vel alternis prout magis vel minus purgaverit». Hoc vinum medicatum maxime etiam confert in scirrhis et obstructionibus viscerum, potissimum ubi viscositas regnat, nec multa febris adest.

¹ Cfr. fasc. sup.

§ 103. – Contrario modo procedendum in ictero, quando a tenui, acri, et inflammbili bile producitur, atque in febris iecoris, partiumque vicinarum oscillatorium parit convulsionem. Utendum enim erit tunc radicibus temperantibus, aperientibus, ut fragarum, graminis, Indibaccarum, etc., cum sero lactis bullitis. Succi aperientis potus aquarum acidularum, quae bilem diluunt, coërcent, et viam ei præbent per urinam, aut per secessum. Acidulas in ictero a pluribus laudatas vidit BAGLIVIUS.

§ 104. – Quibuscumque in febribus ante septimum icteri fiunt, malo sunt loco. (HIPPOCR., 6, *Aph.*, 42). Icterus ante septimum diem insidiosus. At septimo, nono, undecimo, decimoquarto prorumpens, salutaris, dummodo non adsint hypochondria indurata, sin autem adsint, anceps est. (HIPPOCR., *Coac.*, 127).

§ 105. – Exigua sanguinis stillicidia omnia prava; in acutis nil paucum criticum; prava sunt, nisi indicant futuram haemorrhagiam copiosam die critico, quod dignoscitur ex urinae coctione eodem die stillicidi.

§ 106. – Rigor, qui post haemorrhagiam venit, quam iure naturae praecedere debet, ut bonus sit, signo et causa funestus.

§ 107. – In morbis longis exigua stillicidia supervenientia, lethalia.

§ 108. – Haemorrhagiae quartanae, seu quarti diei copiosae, mala, aut morbi longi indices sunt.

§ 109. – Sanguinis eruptio quartanas non solvit, neque morbos, qui per alvi egestionem sanari solent.

§ 110. – Febris ardentes in juvenibus sanantur per haemorrhagiam; in senibus per dysenteriam.

§ 111. – Pestifera est omnis, quae non iuvat, haemorrhagia. Nam labescit natura defraudata ibi, ubi levamen exspectabat.

§ 112. – Signa, quando sanguis vomitu reiectus venit ex hypochondriis, potissi-

mum iecore, sunt: palpatione hypochondrii, dolor, ardor, tensio. Signa obstructionum: color subflavus, viridis in facie, aut reliqua cute, palpatione coeliaca, aut umbilici: vomunt sanguinem nigrum non vero spumantem. Motus sanguinis ab hypochondrio venientis manifesto percipitur, et sursum ascendere, manu percipitur, quod in suo aegrotante observavit BALLONIUS; iuvenibus familiaris est hic exitus loco haemorrhagiae. In huiusmodi sanguinis vomitu ex iecore adstringentia non iuvant; sed primae viae a colluvie purganda, quae visciditate sua obstructionem in vicinis locis pariendo sanguinem ad superiora regurgitare faciunt; purganda autem decoctis aperientibus et solventibus cum tamarindis, mirobalanis, etc.: deinde chalybeatis perficienda curatio. (Innuit hic morbum nigrum Hippocratis a Tissoto saepius visum descriptumque in epistola latina ad cel. Zimmermannum. Estque vomitus cruentus, vel et alyus cruentae grummora, ex ruptis vasis venosis potissimum, iisque varicosis. Varix erupta, et sanguinem ad primas vias effundens omnium horum symptomatum causa est STOLL.).

§ 113. – In sputo et exitu sanguinis persos, ne dentur statim stringentia: nam nisi prius usu rerum mellitarum, hordeatarum, abstergentium purgaveris pulmones ex sanguine, qui extraversatus est, et moram tenet in pulmonibus, in suppurationem desinet, ac phthisin.

§ 114. – Doloris acerbitas versa in gravitatem, leipothymia, febris nata maior, rigor derepente citatus, qui ante non erat, sunt signa phymatis purulentis interni.

§ 115. – Vomice omnes, seu empymator partium, cognoscuntur per rigores et febres de novo supervenientes. Sola pulmonis recondita est, et clanculum serpit absque dictis signis, imo tunc cognoscitur, quando repente manifestata, hominem ad mortem brevi dedit, ut WILLISIUS

et TULPIUS præ ceteris hoc animadverterunt.

§ 116. – Abscessus ad aures et pedes boni in vomica pulmonum.

§ 117. – Dolores surae, sive cruris intolerabiles, nullis cedentes remediis, oriuntur a pure per partium spatia in crus ab hepate transmissis: BAUBINUS et HOLLENIUS id observarunt. – Hepatitidem HIPPOCRATES (*De internis affectionibus*) his verbis describit: «Dolor acutissimus in iecore ad nothas costas, humerum et claviculam, suffocatio fortis, dolet, dum tangitur, iecur, febris, rigor et horror, vomitus bilis, color cutis sublividus. Cibi torquent et urunt ventrem, progrediente morbo remittunt, sed dolor derepente suffocat aegrum, potissimum circa septimum diem, in quibus desinit morbus, et si eos effugerit, sanatur. Balnea, lac, serum et diaeta sanant morbum».

§ 118. – Iecinoris inflammatio aliquando similis pleuritidi, et medicos frequenter decipit similitudo. Differunt tamen, nam in hepatitide dolor infra est – gravatus est non purgitivus; respiratio non multum laeditur, color faciei cirrinus, tussis sicca sine sputo, pulsus non durus. Fœces liquidae et subcruentae. Contraria sunt in pleuritide.

(*Ad proximum numerum*).

I. FAM.

COMMUNIA VITAE

Medicamenta præcipua, alphabetico ordine digesta:

Aconitum – Agaricum – Aloe – Antidotum (Antipharmacum, Alexipharmacum, Alexeterium, Alexiterium) – Alvi ductio – Anastomaticum medicamentum² –

¹ Cfr. fasc. sup.

² Anastomatica medicamenta vulgo «aperientia» dicuntur, et sunt quae vasorum oscula aperiuntur, extergendo, incidendo aut obstructiones tollendo.

Medicamentum anodynū.¹ – Aromata – Acopa.²

Balanus.³

Collyrium – Candens ferri adustio – Caphura (Camphura) – Cinnamomum – Casia (Cassia)⁴ – Ceratum (Cerotum) – Coriandum – Cordi salutare.⁵ – Cephalicum.⁶ – Cataplasma.⁷ – Commansum (Apophlegmatismus).⁸ – Cholagogum (Cholagium).⁹ – Catapotium (Pilula). – Clyster (Cluster, Clysterium, Clysma, Levamen). – Cucurbita (Cucurbitula).¹⁰ – Crocus.

Decocta (Aphepsemata). – Dropax.¹¹ – Diaetetica.¹² – Diuretica.

Enthema (Enoma).¹³ – Emplastum (Emplastrum).¹⁴ – Eclegma (Ecligma, Elegma, Eclictum, Lambitivum). – Escharoticum.¹⁵ – Extorsorium.¹⁶ – Erugatorium.¹⁷

¹ Dolorem levans, somnum arcessens.

² Medicamenta lassitudinem levantia; unguenta evaporantia (Cels.).

³ Unguentaria glans, suppositorium (Italice *supposta*).

⁴ Fructus corticis odorati lignea dicta, unde elec-tissimum cinnamomum; ad differentiam, *Fistularis*, catharticae dictae Aegyptiae siliquæ (Italice: *Cassia in canna*).

⁵ Italice: *Cordiale*.

⁶ Remedium quodvis capiti medens.

⁷ Unde *cataplaſmare*, emplastro linire (LEX. MED.).

⁸ Potius quam remedium, instrumentum est ad mandendum. Itaque nuncupatur quoque *Masticatorium* (Italice: *Masticatorio, masticatoio*).

⁹ Medicamentum bilem educens.

¹⁰ Vasculum, cucurbitae fructus simile, ad sanguinem eliciendum (Italice: *Ventosa*).

¹¹ Pharmacum depilatorium.

¹² Diaetetica medicina est, quae victu medetur.

¹³ Emplastrum ad sanguinem sistendum et inflam-mationes.

¹⁴ Notum medicamen, quod ex diversis liquidis, fructibus, etc. formatur. Quod si ex liquidis *hygrem-plastrum* propriis dicitur; si ad mollendum adhibetur, *malagma*.

¹⁵ Medicamentum causticum, crustiferum.

¹⁶ Medicamentum purgans, *catharticum* quoque dictum, a *catharus*, purus, mundus. Inde etiam *catharsis*, purgatio.

¹⁷ Medicina et etiam instrumentum ad rugas auf-rendas et cutem extendendas.

Errhinum.¹ - Electuarium (Electuarium).²

Frictiones.

Gongylia (Pastilli).³

Hypnotica (Soporifera). - Hydragoga.⁴

- Hydromelum (Hydromeli).⁵

Iulapium.⁶ - Infusio (Apobregma).⁷

Lignum Guaiacum (Indicum, Sanctum).⁸

- Linamentum (Leniscus, Turunda).⁹

Medicata potio. - Malagmata.¹⁰ - Mel

rosaceum (Rhodomel, Rhodinum). - Meli-

cratōn.¹¹ - Manna. - Mirobalanum.¹²

Nux condita (Myristica, seu odorata;

Aromatica, Moschata).¹³ - Nux vomica. -

Narcoticum.

Opium (Meconium).¹⁴ - Obstipans (Ob-

struens) medicamentum. - Oxymel (Ae-

cum mulsum). - Oxsaccharum.¹⁵ - Opobal-

samum. - Oleum. - Oleum medicamenta-

rium (factitium, balsamicum). - Oleum

¹ Medicamentum, quod naribus impositum caput purgat.

² Medicamentum ex electis rebus conditum.

³ Italice *Pastiglie*, *Pasticche*, quibus varia, vel ex substantiis unde conficiuntur, vel ex nomine auctoris, etc. attributa indicuntur. Quamquam *Pastilli* vocantur, quoque cataplasma et emplastra, forma orbiculata.

⁴ Medicamenta et etiam instrumenta (quasi « aqua-gia ») aquam inter cutem eduentia utriculariis et hydropibus (LEX. MED.).

⁵ Aqua mulsia, seu mellata; potionis genus a malis cotoneis.

⁶ Vulgo: *Giulebbe*, *Iuleb*.

⁷ *Apobregma* = Aqua dilutum.

⁸ Italice: *Legno quassio*.

⁹ Penicillus ex linteo deceptus, vulneri applicandus. Italice: *Tasta*.

¹⁰ Plurali numero, fomenta indicantur ex floribus eorumque surculis: medicamenta emollientia forinsecus partes praeter naturam induratas (LEX. MED.).

¹¹ Potionis genus ex aqua et melle.

¹² Glans unguentaria Aegyptia; vulgo *Noce di India*.

¹³ A moscho, ob odoris praestantiam. Dicitur etiam *nux muscata* et *moschocarium*.

¹⁴ A mecon, papaver, meconium dicitur succus papaveris, opium.

¹⁵ Potio ex aceto et saccharo.

ociminum,¹ cedraleum, cupressinum, melinum, irinum,² ricinum, amygdalinum,³ myrtaeum, melatum (elexomeli), carycium, ichthielaeum,⁴ rhodinum (rosaceum), nardinum, terebinthinum, violaceum, crocinum, stillatitium. - Olei flos. - Omphacium.⁵

Prophylactica.⁶ - Hyctacium.⁷

Rhabarbarum (Rheubarbarum). - Rho dosaccharum.⁸

Splenium.⁹ - Salsa parilla (Sparta parilla).¹⁰ - Syrupus (Syrupum).¹¹ - Suffitus (Suffimentum, Suffitio, Suffimen).¹²

Tetrapharmacum.¹³

Unguentum (Magma, - Unguen Unguina-Unguedo-Pigmentum¹⁴) - Unguentum psilothrum (depilatorium), rosaceum (rhodinum), elatinum,¹⁵ liliaceum, amarinatum, nardinum, narcissinum, violaceum (ianthinum).

Xerium (Xerion, Cataplasma).¹⁶

I. F.

¹ Ex ocimo; Italice *basilico*.

² Ex lilio violaceo, vulgo *Iris*.

³ Si ex amygdalis amarulentis *metopium* dicitur.

⁴ Ex piscibus extractum.

⁵ Potio ex fructibus acerbis.

⁶ Remedia quevis praeservativa, hoc est ad morbi causas adimendas et arcendas.

⁷ Frustulum ad vulnera cooperienda.

⁸ Saccharum rosatum.

⁹ Panniculus medicamentis, vel minus, perfusum, stigmatibus imponendus. Item emplastrum longum fronti applicandum, contra dolorem capitis.

¹⁰ Italice: *Salsafariglia*.

¹¹ Syrupus est: *Succum qui trahit*, Hinc dicitur medicamentum cum melle, saccharo aliquis coctum. Hinc *syrapus rosaceus*, *violaceus*, etc.

¹² Odoramentum rerum varii generis ex combustionē excitatum, ad purificandum aer; Italice: *Sufumigio*.

¹³ Emplastrum, quod iuxta LEX. MED. constabat cera, adipe, resina et pice.

¹⁴ Pigmentum proprie est unguentum, quo utuntur mulieres ad faciem venustandam (Italice *Bellotto*). Est etiam odoramentum liquidum.

¹⁵ Ex *Elata*, palmae tenello germe (dattero).

¹⁶ Medicamentum ex sicco pulvere insperso.

COLLOQUIA LATINA

Lusus Pilae.¹

ARNOLDUS. - Visne certare nobiscum pila, Laurenti?

LAURENTIUS. - Evidenter volo et quemlibet vestrum provoco.

ARN. - Fateor te in hac palaestra longe me exercitatiorem.

LAUR. - Age, largiar tibi terminum quam potes mittere longissime.

ARN. - Largire mihi quindecim.

LAUR. - Faciam tibi unius errati gratiam.

ARN. - Placet mihi. Suntne plures, qui velint colludere?

PETRUS. - Sunt.

ARN. - Qui?

PETR. - Carolus, Martinus et Gulielmus.

LAUR. - Agedum, sumus numero sex, haud multum disparens.

PETR. - Sortiamur quis cui iungatur.

CAROLUS. - Nos tres vos provocamus.

LAUR. - Id neutiquam permisero: scio quam perite Martinus ludat.

ARN. - De pila Martinum non metuo.

LAUR. - Ducamus sortem igitur, qui sint futuri comites.

ARN. - Ducamus.

LAUR. - Eia! mihi oblata est optio. Ego mihi Martinum sumo et Carolum.

ARN. - Placent mihi Petrus et Gulielmus.

MARTINUS. - At pilas ex urbe non attulimus.

GULIELMUS. - Habeo unicam.

LAUR. - Non sufficit: Ego in singulos semissem suppeditabo: diminuetur mihi, si victoria cecidero, aut reddetur si potitus fuero.

¹ Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus; passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

MART. - Andrea, excurre in viciniam empturus nobis pilas: ubi ludendi finem fecerimus, omnibus te donabimus. Fac, redeas quantocius.

ARN. - Martine, interim nobis accessitrus abi, qui nostros notet terminos.

MART. - Faciam equidem lubens.

PETR. - Nos definiamus, interea quae sit futura iaciendi meta, qui ceteri limites.

LAUR. - Etiam apparent a superioribus diebus. Sortiamur ultra pars intus, ultra foris sit constituta.

CAR. - Vos exercitatores in hac estis palaestra: priores intra lineas consistite.

LAUR. - Non sinam: sorte potius experiamur.

MART. - Ergo cultrum in altum eiaculari.

LAUR. - Eiaculabor. Utrum seligis, latus charactere impressum primum an supinum?

MART. - Deligo character impressum primum.

LAUR. - Euge, evenit ex sententia: vestrum est intus, nostrum foris consistere.

CAR. - Age, auspicemur ludum. Sed quo certabimus pretio?

PETR. - Fateor, aliquo periculo certandum est, alioqui friget lusus.

ARN. - Utra pars prior tres lusus amiserit, ea vitoribus singulis pendet centesimas viginti.

LAUR. - Placet omnibus. Agite, comilitones optimi, certemus gnaviter; amat Victoria curam.

MART. - Age, Arnolde, bonis avibus pilam emitte.

ARN. - Vos igitur pilam excipite.

LAUR. - Euge; non pervenit ad lineam.

GUL. - Pervenit omnino.

MART. - Nequaquam.

ARN. - Volo disquiratur.

LAUR. - Pila metuam praeterierit, spectatores, necne? Negant praeterisse.

GUL. - Inauspicatum hoc auspicium.

ARN. - Non ita animum despondeo: facile iacturam hanc resarciero.

PETR. - Gulielme, praestat te mihi a tergo consistere: pilam excipies, si me transvolet.

LAUR. - Carole, consiste in medio.

CAR. - Potius in hunc me angulum conferam, atque istic observabo, ut ne musca quidem praetervolet impune.

ARN. - Agedum, Laurenti, excipe pilam denuo.

MART. - Laurenti, repelle pilam transvolantem me.

LAUR. - Transvolavit et me.

PETR. - Arnolde, virum te iudico: alterum terminum tam longinquum quam priorem emitte, et spondeo tibi victoriam.

ARN. - Conabor pro virili. Rursum pilam excipie.

MART. - Profecto Arnoldus est valido brachio: habent duos longinquos terminos.

LAUR. - Longinquos quidem, sed tamen superabiles.

CAR. - Laurenti, vide quo consistat Gulielmus loco: falle eius manus et oculos.

LAUR. - Excipe pilam, Arnolde.

GUL. - Ut qui repercutsum exspectasti? Pilam debuisses volatu excipere.

LAUR. - Cecidit commode sic satis: singuli singulas metas superavimus: utriusque habemus quindecim.

GUL. - Placide: tua praecepsit nos opprimere studes.

CAR. - Obstitisti pilae tuo pileo, Petre; quod tibi fraudi est.

PETR. - At tu secundu recessu exceptisti.

CAR. - Bona tua venia priore excepti.

PETR. - Ne commutemus inter nos verba. Martine, dirime controversiam.

MART. - Quantum ego visu colligere potui, primo exceptisse recursu mihi videtur.

CAR. - Vicimus triginta.

LAUR. - Age, nunc stationem mutemus. Habemus duos terminos.

ARN. - Excipe pilam, Laurenti.

LAUR. - Praesto sum. Fac, commode miseris: tibi domum remittam. Euge! extra metas misisti.

ARN. - Tentabo denuo, excipie.

MART. - Pudor, Laurenti! Te non potuisse pilam repellere! Et tamen erat commodissime missa.

LAUR. - Quid commodissime? Stringebat humum. Nisi commodius miseris, Arnolde, par pari mox referam: petis pedes. Ludamus legitime.

CAR. - Laurenti, sufficit; illorum nunc est intus consistere. Habemus quadraginta, et terminum bene longinquam.

GUL. - Totis viribus. Arnolde, hic est ictus decretorius.

MART. - Hunc ludum certo vicerimus, Gulielme.

GUL. - Praepropere tu quidem ante victoriam triumphum canis. Varia est ut Martis, ita lusus alea.

ARN. - Heus! Iudite. Recte! tetigit pila tibi vestem, Carole.

CAR. - Non inficior.

ARN. - Habemus et nos quadraginta.

LAUR. - Probum! tua imprudentia, Carole, perit nobis ille terminus, alias insuperabilis.

CAR. - Mox resarciam.

LAUR. - Dínumerate ludum vestrum.

ARN. - Habemus utrique quadraginta. Nunc serio res agitur.

GUL. - Lusisti non praefatus, Arnolde; insuper pila limites excessit.

ARN. - Praefatus sum bona venia; sed fateor pilam deerrasse.

LAUR. - Sumus igitur potiores.

ARN. - Estis. Hanc, si potestis, ad datorem remittite.

CAR. - Fac, mittas commode, conabimur.

ARN. - Euge! pila iterato tacta est: semel a Martino, iterum a Laurentio.

MART. - Quis tecum ludat? Perpetuo rixaris. Pignus depono quodlibet, si me tetigisse affirment arbitri.

PETR. - Falleris, Arnolde; transvolavit illum pila facile dimidium pedem.

ARN. - Ubi igitur obstitisti pilae?

LAUR. - Hic.

ARN. - Ponatur igitur nota termini. Vos nunc intro consistite: alterum habemus terminum intra, alterum extra lineam.

PETR. - Praestate vos viros, socii; nunc serio res agitur.

LAUR. - Excipie.

PETR. - Euge! successit: facile duobus passibus terminum primum vicimus.

LAUR. - Excipie: hinc pendet victoria.

ARN. - Erratum est; non praeterit pila lineam. Vicimus lusum.

LAUR. - Gratulor vobis victoriam, et gaudeo nos iucunde adeo postmeridianum hoc tempus transegisse.

PETR. - Gaudemus et nos pariter. Verum advesperascit, et ludendo adeo defessus sum, ut genua mihi labent lassitudine.

GUL. - Insuper vespera nos domum et ad musea nostra revocat. Abeamus domum pariter.

ARN. - Abeamus.

ANNALES

Gallicae res.

Gallia una fere, civiles eventus alicuius momenti superiore mense suis negotiis occupavit. Vix pactio illa, quae a Kellog Americanorum administro, eius suasore, nomen accepit, de imminuendis armis subscripta est, en, ex diurnarii cuiusmodi temeritate, vulgatur Galliam cum Anglia aliam pactionem iniisse de re naval, praesertim de numero navium. utrinque ex composito construendarum; quam quidem pactionem palam fieri tum oportuit, ac profecto inter celerarum nationum reclamaciones, Italiae praesertim, quae pati certe non potest, ut in Mediterraneo mari in inferiorem condicionem redigatur.

Rursus de Gallia loquuntur diarii, quum

apud Parker Gilbert, ad tutelam solutionis Germanici debiti erga victrices nationes delegatum, instat iterum iterumque pro eiusdem debiti sollicitiori sibi expeditione.

Praeterea, quum Massiliae magna maximeque commercio noxia opificum desatio fit, Pons in urbe marmorea imago funesti illius Aemilii Combes quandam administrari, qui religiosos Ordines civitate per vim privavit eorumque bona diripuit atque vendidit, improvide dicatur, iram movens illius factionis, quam «Regis camelotos» seu «Regis clamatores» vulgo appellant; quorum manipulus versuto et callido consilio eam valuit illico effringere. Ex tumultu, qui tunc factus est, illorum iuvenum unus misere vitam amisit.

Denique quum Poincaré, administrorum consilii praeses, rogationem legis pararet, quae iura nonnulla bene merentibus religiosis viris restituta sit, qui apud exterios non Evangelii tantum, sed ipsius patriae praecones mittuntur, Ecclesiae adversantes caput audacter extollunt, et nationalem illam unionem frangere minitantur, quae tot malis vexato populo maxime nunc necessaria videtur. Poterit ne gubernium eorum artibus viriliter obsistere?

**

Novi reges.

Sed maiora canamus.

Addis Abeba, Aethiopum in urbe capite, Tafari Makonnen princeps, usque nunc imperium regens, sollemni pompa ab imperatrice rex seu «negus», - ut vulgo illic nuncupatur - est coronatus. Proxime autem Hiro Hito, Iaponici imperii heres, defuncto patri succedens, sollemni ritu et ipse in Iaponiorum urbe sacra coronam accipiet.

Bonum iis regnum, felix, faustumque sit!

Kal. Novembribus MCMXXVII.

POPLICOLA.

VARIA

Canis et lupus.

Lupus canem videns bene saginatum:
— «Quanta est — inquit — felicitas tua! Tu, ut
videtur, laute vivis, at ego fame enecor». Tum canis: — «Licet — inquit — mécum in
urbem venias, ut eadem felicitate fruaris». Lupus conditionem accepit. Dum una eunt,
animadvertisit lupus in collo canis attritos
pilos. — «Quid hoc est? — interrogat. —
Num iugum sustines? Cervix enim tota tua
est glabra». — «Nihil est — canis respon-
dit —; sed interdiu me alligant, ut noctu-
sim vigilantior; atque haec sunt vestigia
collaris, quod cervici circumdari solet». Tum lupus: — «Vale — inquit — amice!
Nihil moror felicitatem servitute em-
ptam!»

Fabula docet, liberis nullum commo-
dum tanti esse, quod servitutis calamitatem
compensare possit.

* * *

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

Lixulae ex solani bulbis.

Capo elixus cum spinachiis.

Fungorum botellus.

*Turdi saxatiles et panis crustulæ
veru assa.*

Pomorum liquamina gelu concreta.

* * *

Locosa.

Tuccius velitarem lusum ludit cum
quodam amico, decem denariorum a patre
proposito praemio, utri primus arcem ex-
pugnaverit. Post pauca momenta Tuccius
patri occurrit: *Io triumphe!* altissime clama-
mans.

Cui Pater: — Papae! Ut rem tam cito
perficere valuisti?

— Quatuor denarios obsesso hosti ob-
tuli, qui statim ditionem fecit!

Tuccius in schola.

Magister Tuccii fatuitate indignabun-
dus:

— Me profecto tui miseret! Quid enim
capite tuo ligneo in vita experiaris? Quid
facere poteris?

Tuccius prae gaudio exsiliens: — Ca-
pite ligneo?... Pupulum!

* * *

Aenigmata.

I

Laevum infausta gerit vitæ, vel fausta secun-
dum,

Si legis a planta, quemlibet esse negat.

II

Urbes, rura, pagos habitat, sub lege tenetur.

Procerum et glaucum flumina lambit
famans.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-
posita his respondent: 1) *Fucus*; 2) *Malum*.

oooooooooooooooooooo

Libri dono accepti.

MARCUS BELLI, Presbyter Romatinus.

Humanæ litteræ. — Utini, ex off. Percotto
et fil., 1928.

EUGENII DE ROSA *De litteris latinis
commentarii libri V ad criticam artis
rationem exacti.* — Drepani, ex off. Radio
Gustavi Ricevuto equitis, anno MCCCCXXVIII.
— Ven. xxxv denarii italicis.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Ut rem tam cito
obsesso hosti ob-
tem fecit!

uitate indignabun-

isiceret! Quid enim
a experiaris? Quid

o exsiliens: — Ca-

ata.

ae, vel fausta secun-
[dum,
emlibet esse negat.

at, sub lege tenetur.
um flumina lambit
lamans.
riore fasciculo pro-
) *Fucus*; 2) *Malum*.

ooooooooooooooo

accepti.

sbyter Romatinus.
tini, ex off. Percotto

De litteris latinis
ad criticam artis
epani, ex off. Radio
is, anno MCCCCXXVIII.
italicis.


Moderator, Sponsor.

LOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integral ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 325 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 650, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Sociis

JM

pagg. 103, edi-

eiusdem auctoris
atae apud ephebean erit publici cursus
ribus).AE ROMAE col-
annum MCMXXVII,
instituimus libella-
scilicet 650, proper nummariam
tramite requiren-
ma, 12, Via del
est, non sinit ut
rependi possit.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXVII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa Italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*




Fasciculo hoc, tertium, absolvitur lustrum commentarii nostri vitae, operosae quidem, neque, ni fallimur, inutilis. Eodem animo fortis et erecto, vel in angustiis, tertium aggrediemur, sperantes sociorum favorem non defuturum; imo, eorum gratia, per socios novos, ab iis praesertim acquisitos, iri auctum in dies.

Premium annuae consociationis immutatum an. MCMXXIX manebit; hoc est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas libell. 30 exaequet. Communi vero huic subnotationi, alteram, suadentibus antiquis hisque fidelibus itineris nostri comitibus nonnullis, alteram addere placuit, quam *adiutricem* appellabimus; eaque erit libell. 25 pro Italia; libell. 50 pro exteris gentibus.

Dum confidimus fore ut utriusque consociationis exitus felicissi-

mus evadat, ad primum novi anni numerum sensus nostros nostraque proposita pro ipso anno praecipua exponere differimus. Sociis interim Lectoribusque singulis Commentarii nostri humanissimis Natalitia quae imminent festa, et annum MCMXXIX, fausta, atque felicia cum omni bonorum plenitudine ex animo ominamur.

ALMA ROMA.

De latinarum litterarum historia preelectiones¹

Ad romani iuris historiam redeentes, cuius vix summo carbone lineas ducere pergitimus, animadvertere licet, decemvirorum operam legesque ab iis latas, ad aequandam libertatem pacemque ordinum conciliandam parum vel minime valuisse, cum praesertim conubium plebeiorum et patriciorum adhuc vetaretur.

Ideo novae discordiae contentionesque exortae sunt, unde novis legibus occasio

¹ Cfr. fasc. sup.

facta est. Primum memoranda sunt leges *Horatiae-Valeriae* anni CDXLVIII ante C., quibus provocatio, praesidium libertatis, restituta est; additumque ne quis in posterum magistratum ullum sine provocacione crearet (Liv., III, 55); tribunique plebis renovati sunt, ita ut sacrosanti haberentur; denique ut patres tenerentur plebi scitis, lex lata est, ut quod plebs tributum iussisset, populum teneret (Liv., I. c.).

Paucis post annis (CDXLV a. C. n.) rogatio *Canuleii* tribuni plebis, inter acerimas contentiones, obtinuit ut tandem de *conubio* patres consentirent; mentione etiam inlecta, ut alterum ex plebe consulem fieri liceret; eo tunc deducta res est, ut tribuni militum consulari potestate promiscue ex patribus et plebe crearentur.

Postea annus CDXLIII ante C. *censurae* initium fuit; quae a consulis potestate separata est, quum censendi officium et tabularum cura, res operosa ac minime consularis, suo magistratu egeret.

Post multos annos multasque alias contentiones, anno CCCLXXVI ante C., L. Sextius Lateranus et C. Licinius Stolon tribuni leges promulgavere adversus opes patriciorum, ut ait Livius (VI, 35), unam *de aere alieno*, ut deducto eo de capite quod usurpis pernumeratum esset, id quod superesset, triennio aequis portionibus persolveretur; alteram *de modo agrorum*, ne quis plus quingenta iugera agri possideret; tertiam uti *consulum alter ex plebe crearetur*. Hae rogationes novem post annos tandem acceptae, et anno CCCLXVII L. Sextius de plebe primus consul factus est. *Praetura* tamen tunc constituta, quam patricii sibi reservarunt; uno tum praetore ex patribus creato, qui ius in urbe diceret.

Sed cito, ut *primus de plebe dictator* creatus est C. Marcius Rutilus anno CCCLVI, ita idem Marcius *primus de plebe censor* quinque post annos fuit.

Sequitur Q. Publilius Philo, dictator anni CCCXXXIV, qui tres leges secundissimas plebi tulit, unam ut *plebiscita omnes Quirites tenerent*; ¹ alteram ut *legum* quae *comitiis centuriatis* ferrentur, *ante initium suffragium patres auctores fierent*; ² tertiam ut *alter* utique *ex plebe censor* crearetur. ³ Idem Publilius Philo anno insequenti *praetor primus de plebe* a Senatu factus est. Ita tandem omne inter ordines discriminem amovebatur, et *libertas aequata* dici poterat.

Cito in iure etiam *sacro aequati* sunt patriciis plebei, quum, anno CCC a. C., Q. et Cn. Ogulni tribuni pl. rogationem promulgarunt, ut, quum quattuor augures quattuor pontifices ea tempestate essent, sacerdotum numerum augeri placeret, et quattuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes, adlegerentur. Quae lex post non parvam contentionem, pro plebe loquente Decio Mure, ut Livius refert (X, 68), ingenti consensu accepta est.

Ad plebis iura defensanda iam paucos ante annos Cn. Flavius quidam, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir et facundus, quum adversus nobiles humilitatem suam contemnentes contumacia certaret, *civile ius*, antea repositum in penetalibus pontificum, nempe varias *legis actiones* evulgaverat, fastosque circa forum in albo proposuerat, ut quando lege agi posset sciretur. ⁴ Favebat ei Appius Claudius, is qui caecus et factus et agnominatus est; qui quum censor anno CCCXII ante C. esset (quo anno et viam Appiam munivit, et aquam in urbem duxit primus), libertinorum filios, *forensem* ut appellabant *factionem*, in senatum, opes urbanas sibi utiles adepturus, legere cona-

¹ Cuius rei iam mentio facta erat legibus Valerii-Horatii.

² Hoc est approbarent, ratas haberent.

³ Iam anno CCCLVI censor plebeius fuerat Manlius Rutilus.

⁴ Id quod dictum est *ius Flavianum*.

tus erat; at eam lectionem quum nemo ratam habuisse, eos per omnes tribus divisit, ita ut in comitiis tribulis suffragii iure fruerentur; quod postea, quum ea comitia humillimorum civium in manum decidissent, emendatum est a Q. Fabio Maximo censore, qui forensem turbam excretam in quattuor tantum tribus coniecit, *urbanasque* eas appellavit. ¹

Quum haec ita sint, quum exeunte IV ante C. saeculo, earum rerum quae ad ius pertinerent cognitio maximi momenti in vita omnium communi esse videretur, quis mirabitur, hoc tempore etiam curam et studium *leges iusque interpretandi*, a collegio pontificum egrediens, apud viros prudentes etiam plebeii ordinis valuisse, et exinde initium cepisse longum agmen *iuris consultorum*, quibus tantum gloriae Romanis rebus apud posteros accessit? Memorare liceat, S. Pomponio auctore, ² P. illum *Sempronium*, quem populus Romanus σοφόν appellavit, qui que consul fuit anno CCCIV et inter primos plebeios pontifices anno CCC; et C. *Scipionem Nasicam*, cui publice domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset; et Tib. *Coruncanum*, qui primus profiteri cepit, consulque fuit a. CCLXXX, et primus de plebe ad pontificatum maximum evectus est. Ipse Ap. Claudius Caccus, de quo plura infra dicemus, sollers fuit iuris et eloquentiae consultus, et librum, teste Pomponio, scripsit *de usurpationibus*.

Denique si vel a tertio saeculo vulgari adfirmabimus atque diffundi sententias et formulas aliquid iuris continentis, omnes, credo, assentientur nobis. Talia sint, ut exempla proferam: *Adversus hostem aeterna auctoritas*, ex XII tabulis, ubi *hostis*

¹ Rem dicebant adeo gratis animis acceptam esse, ut *Maximi* cognomen quod victoriis haud sibi peperat, Fabius hac ordinum temperatione pareret.

² De origine iuris, in Digesto I, 2.

idem est ac peregrinus¹ - *Beati qui in iure censentur possidentes*; - *Modus in rebus*; ² - *Festina lente*; - *Fortes fortuna adiuvat* (vel: *audaces fortuna iuvat*)³; - *Summum ius summa iniuria* (tritum sermone proverbium, ait Cicero, *De off.* I, 93); - *Ius suum cuique tribuendum*; - *Noxa caput sequitur*; - *Necessitas facit ius*; - *Tutor domini loco habetur*; et alia multa id genus; quis enim nescit latinas litteras huiusmodi sententiis refertas esse?

Verum de iuris romani lineamentis priscis ab urbe condita saeculis, hactenus. (Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

De Mithrae cultu in veteri urbe Ostia

Una tertia pars ex veteri urbe Ostia, nostris temporibus e graviruinarum acervo in lucem redditia est; reliquae vero duae tertiae partes sub ingenti mole iacentes in tenebris adhuc habitant.

In hac parte, quae tertia non multo maior est, deo Mithrae sacella septem inventa sunt, numero talia, ut cum nulla alia divinitate comparari possint. Ex quo facile intelligimus, cultum Mithriacum Ostiae longe lateque invaluisse, cultoresque ex omnibus civium ordinibus quamplurimos ad se allexisse.

De hac re, nonnulla exponere censuimus.

Mithra, *Mīθras*, deitas Persarum, liquidum purumque aërem ab initio significavit,

¹ C. C., *De off.* I, 37: «*Hostis* apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Id nomen durius effecit iam vetustas; a peregrino enim recessit, et proprie in eo qui arma contra ferret remansit».

² Plaut. *Poen.* I, 2, 29: *Modus omnibus in rebus, optimum est habitu*. Cfr. *HOR.*, *Sat.*, I, I, 106.

³ Cfr. C. C., *Tusc.*, II, 11.

postea vero cum ipso sole unum idemque habita, ad ortum, ad meridiem, ad vesperum invocabatur. Quae triplex invocatio adeo in Gentilium mentibus haeserat, ut ad eam abrogandam Christianorum in moribus aliquid substituendum fuerit, idque feliciter cum triplici angelica invocatione ad Virginem Matrem, qua nos ipsi gaudemus.

Mithra deus est *boni*, isque perpetuo cum *Dewes* spiritibus noctis ac *mali* pugnat, ne damnum aliquod in Mithrae fideles operentur. Haec specifica personificatio vel prosopopeia boni malique ab ortu solis suam originem duxit, nec apud ethnicos Occidentales unquam innotuerat. Ipsa Manichaeorum secta, saeculo tertio ineunte p. Chr. n., *boni malique numinis supremi* doctrinam defendens ex Mithriaco cultu principia deducta in Evangelicam formam tradere conata est, sed perperam. Nec cogitandum aliquid simile inesse in Christiana religione, nam si in ea agitur de *Supremo bono*, quod est divina natura pollens, non agitur equidem de *Supremo malo*. Principium malitiae enim, quod *diabolum* vocamus, nulla divinitate gaudet, sed tantum creatura est spiritualis, eaque Deo creatori rebellis, atque subiecta. Quae doctrina a Manichaeismo et a mithriaco cultu toto caelo distat. Xerxe I regnante totius Persarum regni religio habita, Romam vero piratico bello a Pompeio Magno confecto, anno quarto et sexagesimo a. Chr. n. inlata, a Traiano atque Domitiano imperatoribus infra romanii imperii religiones adscripta est.

Mithra adulescens, Persarum more indutus, taurum ad sacrificium ducens ferae eiusdem caput elevat eodemque tempore cultro eius cervices fodit. Scorpio, canis et serpens taurum comitantur. Romae duo insignia Mithrea exstant ad thermas Antonianas et sub insigni vetustaque basilica S. Clementis. Ostiae autem septem Mithrea ad hanc diem, uti diximus, eruta sunt,

nec dubitandum quin multa alia adhuc sub ruinis iaceant; nam Ostia, urbs maritima, negotiatoribus servisque referta, Mithram apprime coluit eique sacella dicitur. In tertia insula regionis secundae quae-dam ruderia inspiciuntur cuiusdam cultae domus, formam pompeianam referentis – quod novum atque inusitatum – cum peristylio, impluvio atque fonte. Ex plumbeis aquarum ductibus ibi repertis nomenque Apuleum referentibus, Apulei domus appellata est, quasi eius erus clarissimus ac ditissimus ille Madaurensis exstitisset. Nonnulli vero eam Gamalae domum fuisse opinati sunt. Ibi Mithreum videre est pondere ac nobilitate conspicuum. Oblunga ac tenebrosa cella in tres partes divisa dextero atque sinistro latere podiis duobus perpetuis, cuniculo media parte separatis, distinguuntur; podia notabili proieciura finiuntur, ut fidelibus sui genuflectendi facultatem praebent. Cuniculus medius, opere musivo ornatus, septem circulos totidem caelestia loca referentes et cultrum apud taurobolii foveam, lineis descripta praebet. In parietibus directis eodem opere musivo ornatis contra aditum duo dadorphori orientali habitu amicti inspiciuntur; secundum parietes dextero latere cuniculum prospicientes, Mars, Venus atque Saturnus reperiuntur; sinistro autem Luna, Mercurius et Iupiter, e quibus stellis sex dies hebdomadales nomina duxerunt: dies septimus, qui dicebatur *Dies Domini Mithrae*, opere marmore caelato in pariete extremitate cuniculi asservabatur. Hoc in opere Deus Mithra tauroctonus referebatur; nunc vero imago marmorea in Vaticano museo asservatur, eamque in loco gypseum lineamentum supplet.

Ex musivo opere etiam in podiis, cuniculus signifer exprimitur dextro latere hiemalia, sinistro aestiva signa producens. Nam apud Romanos veteres Autumnus et Ver non semper ab Hieme atque ab Aestate distinguebantur.

Hoc est praecipuum Mithrae templum ex Ostiensibus effossionibus repertum; sunt tamen adhuc sex alia templa eiusdem dei, quibus nomen ex occasione de promptum a cultoribus rerum antiquarum datum est. Ex his recensendum Mithreum ad Sillanam Turrim, in quo cultus reliquiae non sunt repertae, sed supra quoddam thronum opere murario exstructum insignis tabula marmorea inventa est cum inscriptione, *Iovi-Caelo* dicata.

Mithrae quoque dicatum templum, a clarissimo Visconti repertum est in loco, cui nomen *Metroon* inditum est, longo cuniculo insigne cum duobus podiis ad latera atque ara in extremo cuniculo. Pavimentum figuris distinctum, *Saturnum*, *Noctuam*, *Gallum*, *Scorpionem*, *Serpentem cristatum*, *Tauri caput* atque *Culturum* exprimit.

In ea domo, cui Diana nomen, a rei archeologicae cultoribus e quadam fictili imagine in ea reperta¹ deam venationum exprimente, datum est, quartum reperitur Mithrae templum tenebrosum ac dirutum.

Pavimentum musivo operé constratum hinc et inde a duobus podiis curriculum relinquentibus ad aram usque coartatur. Podia vero transitum medium concedunt, in quo prope ianuam fovea quaedam cum dolio ad sacrificium reperta est. In extremo pariete aedicula quaedam est, cuius basis ex opere murario, calce perpolita, loculo compleetur latericia corona ornato, ubi imago picta Dei Mithrae sine dubio fuit.

Duo parvae hermae exstant hinc et inde in basi conflictae; supra basim parva ara inspicitur cum inscriptione: *M. Lollianus Callinicus Pater Aram Deo Do(num) De(dit)*. Ara haec, sero ad usum Mithriacum destinata, ad latera *praefericulum* (quod est vas aeneum sine ansis) cum pa-

tera, postea scalpro deleta, praefert; intacta autem legi potest vetus inscriptio: *Aqua Salviae Hercli Sacr(um)*, quae deleri debuerat.

Excavationes in agro Ostiensi non semper lege quadam ac norma peractae dis-sitis in locis aliquando reperiuntur. Inter eas *domus imperialis* ita dicta, enumera-nda est, quae ex nonnullis exstructioni-bus ad Tiberim constat, ex privatis aedi-ficiis, ex tabernis cum Mithriaco sacello, thermarum perystilio ingressum praebente. In pavimento cuniculi mediī ex opere musivo albo nigroque, legitur notabilis inscriptio: *Soli invict(o) Mit(hrae) d(onum) d(edit) L(uci) Agrius Calendio*. Reliqua similia ut in ceteris Mithreis.

Ad occidentalem partem horreorum antiquorum in portico et vico veteri tria aedificia reperta sunt, inter quae Mithreum quoddam cum pavimento ex lapide poly-cromo foveaque quadrangulari extremum cuniculum occupante.

Iuxta Decumanum maximum, aedificium quoddam repertum est Mithrei formam referens, in quo inscriptio *Iovi Sabat(i)* dicata, nec non alia quaedam *Numini Caeli*, repertae sunt.

Huc usque Mithrea recensuimus, quae ad hanc diem in lucem prodiderunt; sed multa alia sub gravi ruinarum tumulo abscondita iacere debent, quia cultus mithriacus praecipuus mercatorum, nautarum servorumque in urbe Ostia, quae a mercatoribus, a nautis, a servis habitabatur, fideles equidem habuit numero insi-gnes. Caeremoniae ritusque mithriaci cul-tus mysterio atque silentio circumdata cito assequas sibi conciliaverunt non solum inter plebem, sed etiam inter supremos urbis ordines, regnibusque Antoninis atque Severis eo magnitudinis ac potentiae processit, ut cum Christiana religione de principatu certaret.

Mithriaca liturgia nobis pene ignota est; nam sacri libri, preces atque hymni

¹ Cfr. nostri Comm. huius anni, fasc. VIII-IX, pag. 129.

perierunt. Nobis notum est haec omnia in graecum sermonem translata fuisse atque ita etiam inter latinos persistisse una cum invocationibus ac signis mysteriosis. Sacris iis initiatus per septem gradus (quos nobis Hieronymus tradidit) ad perfectio-
nem ascendebat.

Hi gradus vocabantur: *Corax*, *Chryphios*, *Miles*, quibus initiati *servorum* gradum constituebant neque mysteriis participes erant. *Sacrati* vero appellabantur: *Leo*, *Perse*, *Eliodromus*. *Patres* tandem nobilitate omnes superabant, qui uni, sacerdotio erant aucti. Pellibus atque personis induiti ad imaginem rerum, quarum nomine appellabantur, voces quoque convenientes emittebant, unde Augustinus,¹ de iis ita locutus est: «Alii tamquam aves ales quatiant, corvi cantum imitati; alii tamquam leones rugiunt; ecce ut si qui sapientes vocantur turpiter irridentur».


Neophita sacris initiatus per mysteriosos ritus ad sacra admittebatur: vestibus exutus in tauroboli foveam solo effossam descendebat, ut tauri nuper necatisanguine perfunderetur. Unus e Patribus pugione destriktio in eum irruens eum necare simulabat, per totum templum orrisono clamore resonante. Fama est Comodum Imperatorem, quemdam initiatum hoc in ritu reapse necavisse.

Genu flectendi [mos e mithriaco cultu in latinos graecosque populos inlatus est; nam graeci latinique ethnici ipsique Christi fideles prioris aevi stantes manibusque in altum elatis orare consueverant. Facile intelligi potest, nonnullos ex ipsis Patribus mithriacis, Evangelicam fidem amplexatos, conatos esse in novam fidem aliquid ex caeremoniis ritibusque mithriacis inducere; qua de re nonnulla in ipsa nostra Fide irrepsérunt, quae cum mithriacis ritibus conveniunt. Ita dici potest de trina invocatione Mithrae ad orientem, ad me-

ridiem, ad vesperum, quae in trinam angelicam salutationem commutata est; de genua flectendi more, de quibus supra disserimus, de septem gradibus initiatorum antequam ad supremam Patrum dignitatem ascenderent qui, numero tantum prae oculis habito, cum quatuor minoribus atque tribus maioribus ordinibus Christiani sacerdotii conferri possunt; de appellationibus *Fratrum et Patrum*, quae familiarem quamdam consuetudinem inducunt, a Christifidelibus tanta cum dignitate in usum habitam.

Poteram de his etiam uberioris loqui; sed ea quae dixi sentio fuisse longiora. Non tamen mihi argumentum est relinquendum, nisi habitis gratis iis, qui electrici itineris societati praesunt. Hi doctos viros archeologicae rei peritos fovent, sive gratuitum cursum iis praebentes, sive etiam aliquid annuale emolummentum tribuentes, ut ipsi hebbomadales cultorum accessus ad Ostienses excavationes impensis curent.

ALEXANDER AURELIJ.



Novo anno appropinquante

Properant novi anni dies, qui mores et consuetudines maiorum singulares in memoriam revocant, eaque non extincta, sed cum recentioribus eventibus moribusque composita. Iam inde enim ab Urbe condita anni initium inter dies festos relatum est, et usus aliquid mutuo dono dandi accipiendoque, boni ominis causa, adolevit, ob illud fortasse vulgatissimum, «omnia principiis inesse solere». Quo factum est, ut nemo iis rebus, quas magni momenti putaret, primo anni die operam dare omitteret, felicem ut exitum haberent.

Kalendis Ianuariis Janus, anni deus, qui bifrons effingebatur, quasi altera facie

annum elapsum, altera advenientem adspiceret, praecipue celebatur: aedicula in Tarpeio monte ipsi dicata erat, quo cives eo die, novis induli vestibus, quam maxime confluebant. Consules autem magistratum inibant iidemque sollemni pompa, quae «processus consularis dicebatur», in Capitolium ad vota pro salute populi romani nuncupanda, comitantibus senatu, equitibus et populo, ascendere solebant. Ii olim pedibus ibant; post vero Traiani tempora quadrigis vecti, uti ex multis romanis numinis appareret. Sequebantur victimarii victimas trahentes sacrificio in Iovem Optimum Maximum destinatas. «Augurio salutis», quod dicebatur, confecto, in ipso Capitolio lautum habebatur convivium a consulibus instructum, qui convivis aliisque dono dabant sportulas nummum, cistas, pocula aurea, vestes et «diptycha», quae erant tabellae ipsorum consulum nominibus inscriptae et imaginibus ornatae.

Omnes autem iam inde mane amicisime inter se consulantes kalendas ianuarias «felices cum multis annis» invicem precabantur; bona omnia strenae sequebantur. Hoc strenarum commercium Tattius rex induxisse traditur. Is enim, uti est apud Symmachum, sacra in Streniam (unde nomen), salutis deam, instituit; cuius in sacellum, quod Iuco septum fuisse prope Viam Sacram haud procul loco, ubi nunc est Flavii amphitheatrum probabile est, verbena boni omnis causa quotannis ferebantur: quia etiam ipse Tattius verbenas felicis arboris ex Iuco Streniae anni novi auspices dono accepisse dicitur.

Principio strenae erant dactyli, melia, bellaria, amygdalae, aliaque multa eiusdem generis, quae significabant annum novum plenum dulcedinium futurum; deinde dono dabantur aurei nummi, lucernae, vasa, calices et pocula, quibus saepe haec verba inscripta erant: *Annum novum faustum felicem*. Quae quidem dona

«kalendariae strenae» appellabantur, ut a minervali munere et a nataliciis strenis distinguerentur.

Huiusmodi strenas non solum donare solebant clientes patronis, discipuli magistris, sed etiam cives imperatori. Octavianus enim Augusto etiam absenti - teste Suetonio (*Aug.*, 57) - strenae nummum deferebantur; qua ex summa is simulacra deorum emere solitus erat, atque «victimam dedicare, uti Apollinem Sandaliarium et Iovem Tragoedum aliaque». Ita accepimus coss. Calvisio Sabino L. Passenio Rufo «ex stipe, quam populus ei contulit kalendis ianuariis apsentis restitutum esse sacellum Larium Publicorum». Tiberius vero, quasi coetum conventumque hominum odisset, primis anni diebus Roma discedere solitus erat, quum nollet conveneri neque dono strenas accipere, quas remunerari sumptuosum et molestum duceret. «Consuverat» enim «quadrum strenam et demanu reddere». Quum autem dona multos dies post anni initium darentur dicto prohibuit, ne strenarum commercium ultra kalendas ianuarias exerceretur.¹

Contra, Caligola ipse «edixit strenas ineunte anno se recepturum; stetique in vestibulo aedium kalendis ianuariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat.²

Senatus quoque principi strenas dabit; in nummo enim haud ingenti Hadriano dicato haec inscripta sunt verba: «Senatus populusque romanus annum novum faustum felicem Hadriano Augusto patriae». Qui usus usque ad Honorii et Arcadii tempora viguisse videtur, quibus Urbis praefectum kalendis ianuariis aurum oblationem a Senatu missum tradere solitum esse constat.

¹ V. «Quaestiones veteres».

¹ Suet., *Tib.*, 84.

² Suet., *Cal.*, 42.

Donis et calendariis strenis temporis progressu convivia accessere, in quibus convivae effrenata licentia bacchabantur, pars muliebri vestitu, pars bovilla pelle induit; omnes autem obscena carmina canentes. Quas quidem strenas Tertullianus, Prudentius aliisque «diabolicas» appellaverunt, minimeque observandas esse edixerunt.

Christi ecclesia festum *Circumcisionis* kalendis ianuariis instituit, ut Christiani recordantes primum Christi cruentum effusum, effrenatam illam licentiam, de qua diximus, effugerent. Pastores autem Magos que imitantes, qui dona ad Iesum puerum tulerunt, Christiani strenas inter se natalicio Iesu die et Epiphaniae festo dabant; isque usus adhuc viget apud nos. Quin etiam nos Romani pueros strenis Epiphaniae die sacroto donamus, quas superiore nocte allatas fingimus ab illa ficta et commenticia sene muliere, quam vulgo *Befana* appellamus, ab ipso Epiphaniae nomine, per corruptionem nomine inducto.

X.

LILIA MIXTA ROSIS

Ad clar. Doct. Alexandrum Bernardini amicum praedilectum filiola nuper auctum.

*Qui Veneri gratum voluit componere sertum,
lilia saepe rubris miscuit alba rosis.*

*Dilectae dominae cupiens ut dona placerent,
haec dator inscripsit: «Pignus amoris*

[adest].

*Tu quoque carpsisti molli de cespite flores,
qui tibi fragrantes, qui placuere mihi.*

*At non purpureas gemma lucente coronas,
vel bona vel tristis quas Amaryllis amet,*

*tu, quae filiolis placeant munuscula blandis,
quae simul uxori, serta decora legis.
Hoc tibi propositum medio stat pectore sculp-*

[tum:

« Sit mihi firma fides lexque suprema la-

[bor].

*Solers discipulos studiorum tramite ducis
humanaque tenes sub ratione scholam.*

*Dirigis eximius iuvenum tu corda magister
mentibus et veri scis aperire vias.*

*Quo vis, inflectis dociles praceptor alumnos;
nec tardos ingenii tu sine linquis ope.*

*Una te doctum conclamant voce sodales:
quam bene conveniunt lausque decusque tibi!*

*At domus interior diffuso lumine ridet:
electis renitet mensa parata cibis.*

*Laetis auspiciis vobis est flosculus ortus,
tu rursus genitor gaudia mente capis.*

*Filia quae nuper vitales lucis in auras
prodiit, ingrediens omnia fausta tulit.*

*Plausibus exceptit minimam studiosa sororem,
quam Margaritam nata Camilla vocat.¹*

*Plausus Aemilius coniungit plausibus altos,
splendida festivis dum sonat aula notis.*

*Dulces versiculos recitans Antonius adstat;
Paululus auscultat, candidus ipse puer.*

*Sunt tibi cara quidem natorum nomina vati,
ex quibus incipiens dulce poëma trahis.*

*Cum mens aegra dolet, curis agitata molestis,
et magis apparet nubibus apta dies,
dissipat en tenebras iucundo parvula risu,*

qui matrem rosea luce patremque beat.

*Aurea tunc animo tranquillo somnia fingis,
tum sua largitur munera blandus amor.*

Arretii.

VINCENTIUS POLYDORI.

¹ Camilla, Antonius, Aemilius, Paulus et Margarita, nuper nata, sunt omnes gratiosi filioi A. Bernardini: hi, carae deliciae matris patrisque, crescunt boni et dociles; mihi videntur esse flores venusti, qui redolent viridi in horto micantque variis coloribus blando sub lumine solis.

Iure meritoque de iis Ovidius diceret:
Longa domant ipsos inopi ieunia victu!

Diu multumque silent, et sacra saepe colloquia modo conserere consuescant, «ex communi profecto animae et corporis et utilitate Ecclesiae».

Interdiu in Ecclesia frequentissime psal- lebant, et nocte brevem admodum placi- dumque somnum carpebant, in communi conclavi, lucerna in medio radiante. Hic optime manent, et studiis et virtutibus se se ad futura pro Ecclesia certamina parant.

Hunc locum primum fama virorum adlectus invisebat Ildebrandus, et iam, pro viribus, laboranti Ecclesiae, pietate et animi fortitudine inserviebat, sperans se quantocius opere omnique ratione praesentem opem esse oblaturum.

Ildebrandus hic altus est Soanae in Tušcia, an Romae potius, ut in posterum se verum germanumque romanum adpellare posset? Ipse equidem educatus est in Romano Palatio, imo in aedibus Lateranensis, ubi in spem Ecclesiae publice nobilis Romana soboles alebatur. Hic insuper cum Cencio et Alberico, clarissimis viris itemque aequalibus suis, virtutes exercuit et divinae doctrinae studiis insig- nis enituit.

Grandior factus, identidem sua difficil- lima tempora voluptate quadam mentis volutabat; et gratias sanctissimo Petro maximas agebat, qui «me, aiebat, ab infantia mea, sub alis suis, singulari quadam pietate nutravit, et in gremio suae clementiae fovit».

Paulo maiora canamus. Ildebrandus enim ad Ioannis Gratiani doctrinam se contulerat, ut eius consiliis atque institutis, se se in eius imaginem effingeret, atque ita, si res postularet, magnae animae prodigus, ad pristinam sanctimoniam Ecclesiam re- vocaret. Ibi eodem animorum proposito firmati complures sanctissimis praediti moribus atque acerrimo ingenio, et pro

AD SANCTI IOANNIS APOSTOLI ANTE PORTAM LATINAM

MEMORIAE.

Labente saeculo undecimo, quum Ecclesie maxime ingemiseret ob immanem Germanorum imperatorum potentiam in rebus italicis, parva quaedam sanctorum virorum manus Romae, ad sancti Ioannis Apostoli ante Portam latinam, pie crescebat sub disciplina Ioannis Gratiani, qui, vir religiosus ac sanctitate perspicuus, sperabat fore, ut quam primum Deus hereditatem suam ab hostibus vindicaret.

Hi enim, antiquos patres imitantes, atque umbratilem vitam agentes, impigritamen atque ad caelestia unice spectantes, Deo devoti, acerrimo praediti ingenio, Ecclesiae eo tempore laboranti, multo labore multaque cura inservire tendebant.

Quo facto, brevi admodum tempore in eam claritudinem pervenerunt, ut complures sacerdotes praeclari exempli in suam disciplinam convenienter, qui tunc temporis in Urbe religiosor ceteris videbatur. A rebus humanis abstrahens, generis dignitatem virtute cumulabat.

Difficillima tempora nactus, animum constantibus exemplis firmavit. Et quisquis pietatem colit, et sanctius habet et reverentius de Deo credere quam disputare, ad eum adibat, et sub eius ductu facillime invictum a cupiditatibus animum exhibebat, et nullius infortunium a se alienum putabat.

Hi enim in puriore antiquitatem unice respicientes, facere primum studebant, quod ab aliis faciendum quaerebant. Omnia communia habebant, nec res, nec ipsam voluntatem sibi retinebant. Iuris erant et consilii omnimode magistri. Cibus et vestis omnibus par erat. Saepius in annum quadraginta dies ieunebant.

Ecclesia rebus in adversis undique vexata ingemiscentes, ad futura pro Christo praealia aequo animo suique securi se exercebant.

Prae cunctis Petrus Damiani eminebat, qui veteris disciplinae vindex, optimorum studiorum sospitator, in sacris concessionibus adsidiens, disertus, pugnax per omnes temporum vices, ad immortalia tendebat. Ipso potissimum admittente, in spem Ecclesiae, Romanus Pontifex Maximus, omniumque bonorum laetitia, renuntiatus est ipse Ioannis Gratianus, qui Gregorius sextus vocari passus, virtutibus, ingenio, animique constantia insignis felicis saeculi restitutor salutabatur Universa Ecclesia exultavit et magnum saeculorum ordinem est ipsi auspicata. At subito contra Gregorium VI magnae sunt atque acerimiae incusationes prolatae, ita ut, brevi post tempore, quadam die, nigro equidem lapillo signata, a Roma duriter obreptus, in Germaniam, ingemiscentibus omnibus, turpiter sit detrusus.

Ob quam causam? «Scinditur incertum studia in contraria vulgus». At dum populus Romanus, anno millesimo quinto et quadragesimo, auctore Imperatore, in eo est, ut eum a dignitate deponat, prudentiores, uno veluti agmine, optimam partem gerere autemant, et Gratianum vel repugnantem ad sumnum rerum gubernaculum iura meritoque evectum pro viribus defendunt.

Tunc adversarii eum, pecunia in populum effusa, vota obtinuisse praedicant; alii autem insimulant, eum pecuniam non dedisse, sed dantibus perentibus consensisse!

Eum tamen est cum paucis, obsequii causa, sequutus Ildebrandus, qui Pontificem perfida improborum factione exagitatum praesentia sua et verbis ab omnibus adversariorum columnis vindicavit.

Ipse enim viderat penitusque Magistri sanctitatem perspicerat, atque optime virtutem noverat. Quin imo sub eximia ma-

gistri disciplina eiusque doctrinae praesi- diis egregie ad pietatem institutis aliquan- tum profecisse libero ore profitebatur.

Erat eo tempore in Ildebrando summa gracilitas et infirmitas, et quum amici et medici eum hortarentur, ut a studio atque vitae asperitate desisteret, ad firmandam valetudinem Romanum versus perrexit.

Is vero in qua civitate et quo loco? humilius erat natus aut nobilis?

Non liquet; et quoniam Deus sic eum exaltare voluit, ridiculum nobis esse videatur, nimia arte quaerere quibus sit parentibus ortus.

Postquam in Germania viris Ecclesiae perniciem molientibus audacter obstiterit, neque improborum calumnia neque instantis necis periculo perterritur, religiosus ac sacri principatus iura libero ore defenderit, atque immobilem Romanorum fidem erga Gregorium ab iniustis criminationibus vindicari, clerus Romanus tantam virtutem admiratus, publicum honoris gratique animi documentum, viro forti atque immortali exstare voluit.

Quis dignior atque aptior quam Ildebrandus?

Huic in patriam reduci, defuncto Gregorio VI, atque ad maiora vocato, Alphonus, monachus Cassinensis atque Salerni episcopus, divino veluti Spiritu afflatus, gratulatoria carmina dicavit quasi ad supremum Ecclesiae regimen auguraturus, ut sine cunctatione, divinum munus aciperet, in Ecclesiae tutamen hominumque salutem: «Quam gloriam - aiebat Alphonus - sibi comparaverint patriae defensores optime noveris. Idem via sacra, apud quam nos vivimus, ad altiora te vocat! Namque:

*Et latina refert via!
Illi et Capitolii
Culmen eximium, thronus
Pollens imperii, docet!*

Nec te nimis teneat labor, neque Te fraudus aut invidia, venenum saepe homini-

bus et pestis. Omnes Tu meritis, omnes virtutibus superas.

Pro Te pugnabit iustitia; audaci es enim corde, et immaculata vita Te ad grandia agenda quaeritat. Hoc unum postulat Roma:

Miscere ut tanias audeas tollere moles!

Hisce enim artibus Roma est caput mundi. Hoc unice timet Barbarorum imperium. In una enim nostra animorum infirmitate confidit.

*Frangere robur et impetus
Illi, vultus ut iugum
Usque sentiat ultimum!*

Quanta vis anathematis! Quod Marius, quod Iulius fecit magno militum extermilio, tu uno tantum verbo facile obtinebis.

Roma fortasse haud magis Scipionibus debet aliisque Romanis quam Tibi, cuius potissimum opere suae magnitudinis iura conquisivit.

Et si illi, ob egregia in patriam facinora, perpetuam beatitatem inter sidera frui dicuntur, Tibi, ob immensa merita, perennis gloriae vita paratur,

*... civibus et tuis
Compararis Apostolis!*

Haec aliaque huiusc generis verba et nomen, me monent hic, ad portam Latinam Scipiadum sepulcra fuisse; et verba Italice conscripta in aedicula fatentur hic fuisse olim loculum in ope Manibus defunctorum aedificatum. En latine redditu:

*O vos qui prope devoti transire soletis
Nobis qui fuimus, munera vestra date.*

Adsunt et moenia, sed temporum iniuria squallentia, novisque accessionibus instaurata; omnia vero simul ornamenta evanuerunt. Ipsae decem columnae, diversa temporis arte constructae longum aetatis spatium testantur. Accedo, easque manibus attractans admiratus exclamo: Hos utique magnanimus ille Gregorius VII tetigit! Manet et puteus. Mem-

bris omnibus contremiscens accedo, et in gyrum conscripta lego haec verba: *In Nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti. Omnes sicutentes venite ad aquas!* Ad os putei vultum iniicio. Mirum! Me in aquarum speculo integrum respicio. Fortassis Ipse, in altissimo Pontificis fastigio et tot rerum difficultatibus attritus sed non fractus, mira animi constantia, hunc locum invisi, magnos studiorum socios in memoriam revocans, eorum vestigia ingressus, mori potius paratus, quam vel tantillum a sanctitate recedere. Attamen princeps mitissimi ingenij, inter horrentes armorum strepitus, pacem mortalibus suadendo in exilio decessit! Quot brevi admodum tempore mirabilia exegit, haec historia aureis exarata literis fidelissime scripsit. Posteriori narratus et traditus superstes erit. Uno verbo, expressam Christi imaginem retulit.

Hunc pro sacro principatu fortissime dimicantem, degeneres animi per summum dedecus destituerunt. Seditione enim Romae exorta, factiosis rempublicam obtinentibus, Neapolim primum secessit, et postac Salernum, diem fidissime expectans qua, Deo adiuvante, in pacatam Urbem invehetur. At aliter visum est Superis. Salerni repentino morbo corruptus, in Alphani suavissimi socii complexu, cum sanctissimis religionibus rite saepius perfunctus, illa memorabilia verba proferens: *Dilexi iustitiam, odivi iniquitatem, properea in exilio morior;* vitae finem placide adspicere potuit.

Moenia sanctissimi Ioannensis coenobii, quae mihi tot tristia in mentem re vocant, moestissimus tandem, antiquissima meditans, relinquo.

SENIOR.

Animus noster modo rex est, modo tyrannus; rex, quum honesta intuetur et nihil imperat turpe, nihil sordidum. Ubi vero impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile ac dirum, et fit tyrannus.

SENECA.

EX ITALIS URBIBUS

Taurinenses Expositiones clauduntur.

Novembres idus heu! proximant, et solemnes Taurinenses Expositiones, magno civium advenarumque moerore, publice claudentur. Per sex et amplius menses, incredibili populorum frequentia, ex composito Augusta Taurinorum, veluti regni iterum caput, fuit communis Italorum cupiditas atque visitatio. Et quam rapide atque alacriter hi menses fugerunt, nec tamen irreparabiles; suos enim fructus ars quaeque conquisivit atque reliquit.

Quo nomine, quoniam saepius, per hoc temporis spatium, de tribus hisce rerum expositionibus sum praefatus vel ab initio, haud absonum erit, meo quidem iudicio, si demum, antequam omnia evanescent, ego vos breviter ultimum teneam. Nostis enim, lectores optimi, quod veteres dicere consuescerent: *Motus in fine velocior*. Et Taurinenses sapientissimam hanc sententiam adepti, tot iam antea nomini bus laudabilem, complurimis additis lumenibus iterum atque iterum commendabiliorem reddiderunt.

Sic viciniores Italiae gentes, opportunitatem nactae diebus condicis Taurinum invisendi, Subalpinorum caput, itineris facilitate adlectae, et tot aliorum sermonibus, novarumque rerum multitudine, frequentiores conveniebant, et dissitae quoque regiones insignes cupiditate adtractae plures in dies advenerunt.

Omnium currus generum vides veteres recentioresque! Hessida festinant, pilenta, petorrita, et in primis omnis generis electrici currus, qui immensum numerum viatorum ducunt, et tota festinatione, praeter quam cuique credibile est...

Sunt et naves, sunt et aëroplani, qui

omnium novissimi baiuli, ex ipsa Tergeste visitatores adserunt.

Ad haec, ipsa aëris clementia et perpetua praeter ordinem siccitas curiositatem animorum magis atque magis acuebat; diebusque praesertim festis, ex omni late circa pago, agricolae quoque Taurinum petebant.

Et ille clarissimorum virorum coetus, cui demandata erat omnis Expositionis potestas, praeter omnium exspectationem, nova ludorum genera invexit, quo maiorem in dies multitudinem visitantium excitaret. Quod in mysticis olim certaminibus a Graecis fuisse factitatum accepimus, ut alii aliis facem per manus tradarent, arcano quodam sensu progressum disciplinarum adumbrabant, quod aetas aetatem inventis suis, quasi totidem fabibus, sic auget, ut ad supremum doctrinae gradum ferveniamus, ad quem hominum mens possit adsurgere.

Quod Itali mox vel Galli in suis artibus invexerunt, Subalpini, novo quodam adiumento addito, in proximum ut suum retulerunt atque in pristinum reddiderunt. Multi enim, ut omnes sentiebant, planioram viam ad morum corruptionem recentioribus inventis munire videbantur. Quis cordatissimus vir non vituperabat foeminarum nostrae aetatis in vestibus impudentiam atque improbitatem? Timebamus et nos amplissimum omnibus licentiis trahitem fuisse apertum, quum pagorum viciniorum puellae invitabantur ad publicum certamen.

Sed ea lege in primis cautum est, ut agricolae venirent iis in curribus, quos patres olim adipiscebant, et filiae iis vestibus induitae, quas a matribus retulerant. Adsunt in primis alacres Monferrantes puellae rusticæ et locupletiores, quae in antiquis plostenis per rura ad agros sese ferebant.

Quae rusticarum iticunda et simplex festivitas, at simul verecundia!

Et hymni populares passim per vias exaudiuntur, qui in mentem revocant Melibaei carmina, quibus ipse

Formosam resonare docet Amaryllida sitas!

At simul, quae vestium modestia atque venustas! Aliis in plaustris omnimode pulcherrimeque exornatis, invehuntur et iuvenes, qui circumaguntur falcibus armati et bisforem: dat tibia cantum cum tympano, et alterno terram quatunt pede. Dices fortasse, candide lector, has esse nugas. Assentior et tibi, at fidentissime repeto: *Sunt apinae, et tricae; et si quid vilius istis*; sed omnia dant incrementum, et decus addunt ac lumen!

Miranda sane, meo iudicio, est Subalpinorum natio, quae, novas semper artes invehit, atque in ipsis difficultatibus ad maiora animum tendens, erigitur.

Hisce supremis Expositionum diebus servet magis magisque opus. Vidimus enim et florum expositionem, omnium copiosissimam atque pulcherrimam. Quae florum varietas et multitudo! Quae demum opulentia, pro ipsa temporis brevitate! E tot circa populis ad praemium multi accurrerunt, et ipsi Batavi cum Italibus de florum certamine praelati sunt; lis adhuc sub iudice est.

Ad se omnium oculos convertunt flores illi autumnales, quos *chrysantema* appellamus, ex India inductos, quosque ad mortuorum sepultra hodie effundimus. Quae maxima species! Hosce principes in certamine facile dixeris, vel ob multitudinem atque elegantiam.

Quantum sunt enim praestantes, quantumque conspicui!

Verum maxime laudandum esse credimus, quod in tanta rerum copia et praesertim diebus festis disposita, nunquam est religio neglecta. Ad hominum coetus identidem et ipse Archiepiscopus noster itemque Cardinalis advocatus, honoris gratia, primum obtinebat locum. Quod

quidem decus in desuetudinem abierat. Quaedam vero rerum fortuita sors, Taurinensis, vel ob ipsam loci commodiorum conditionem, aptissime cadit.

Ad partem enim urbis orientalem, sub radices clivi, est Templum Magnae Dei Matri conditum, ab Augusta Domo redditum ad nos, exacto Napoleonis dominatu. In omni magna civium frequentia, pro opportunitate, sacrum in illius templi portico solemniter efficitur, eique milites et cives hinc atque illic effusi commode inservire possunt. Huc quarto nonas Novembres, quum insignis Italorum Victoria de Austriacis proxime relata recolebatur, universa civitas accita, gratias immensa animorum laetitia gestientes, concorditer Deo egerunt.

Hinc maxima ac frequentissima pompa civium advenarumque item est ad monumentum, quod sicut possum pro militibus qui in teterimo bello sunt desiderati. Adsunt et plurimi, qui decus addunt atque ornamentum, ex illis qui in proximo bello vulnera sunt mulcati. Sicque maximo civium desiderio festa clauduntur.

Multa equidem et pulcra mihi essent dicenda, sed tempus est, quo finem tandem imponam, remque meam ne pretiosiorem faciam. Atque adeo hinc aegro quamquam animo vobis, lectores valedico, omniaque fausta a Superis auspicor, et Roman profecturus, plurimis verbis hospitali saluto.

Taurinensium mansuetudinem itemque lenitatem quoad vixero, memorabo.

FR.

Regat disciplinae vigor mansuetudinem et mansuetud ornet vigorem; et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

S. GREGORIUS.

Plus proficit amica correctio, quam accusatio turbulentia: illa pudorem incutit; haec indignationem movet.

S. AMBROSIUS.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 119. - Si inflammatio iecoris sit in parte gibba, urgent symptomata pleurica; si in eius cava, stomachica urgent.

§ 120. - Si ex usu nitri fixi copiosa sequatur urina bonum in hepatitide: nitrata in hepatitide, et omnibus inflammationibus fere specifica sunt. Ideo serum lactis iuvat in inflammationibus, quia abundat nitro plantarum.

§ 121. - Qui quotidie scribendo vitam ducunt, phthisici moriuntur, et phthisis incipit raucedine molesta, ac nullis cedente remediis, donec tandem sere post annum phthisici moriantur. - Quotidiana experientia certum est, studiis nimium applicatos, et scribendi studio deditos in phthisin facile desinere. - Varii pulmonum morbi oriuntur in studiosis.

§ 122. - Bona respiratio in variolis est unum ex optimis signis, licet alia sint gravia, ut centies observatur. Ita BAGLIVIUS. Cum bona respiratione semper bene spera in variolis.

§ 123. Spiritus magnus multo tempore durans delirium significat: - Difficultas omnis respirandi tersifica est quando excusationem non habet, aut perturbationes criticae, aut crisis ipsius.

§ 124. - Ut magna et rara respiratio certissimum est delirii argumentum; sic parva et rara mortis iamiam futurae.

§ 125. - Inter morbos pulmonis notabilis est *pulmonia lethargica*, ab HIPPOCRATE ita denominata. Ait itaque ipse: « Pulmoniae idem status et lethargi, qui lethargici evadunt, pectore suppurantur» (*In coac.*). Invadit itaque pulmonia cum

lethargo statim in ipso morbi initio; oritur a pituita putri et viscosa, pulmones syderrante, tussis tenet cum sopore; quem moriturus est aeger, liqueficit alvus (*In libro de morbis*). Quare non est prospiciendum lethargo per expectorantia. « Ex exemplis ibi allatis - notat BAGLIVIUS - constat morbum esse senilem, et forte apoplexiam piftosam cum peripneumonia senum nota». (*Ad proximum numerum*).

I. FAM.

ANNALES

Quaestio de bellicis damnis resarcientiis.

Dum, ut diximus, instat Gallia pro sollicitiori bellici Germanici debiti sibi favente expeditione, Germania apud oeconomicorum peritorum Societatis Nationum collegium propositiones suas exhibit de eiusdem debiti solutione, Galliae ipsius, Angliae, Italiae, Belgarum, Iaponensium civitatum aequitati res suas submittens, favorablemque responsionem exspectans, quam Italia tantum cito ministrat declarans sese nihil aliud repetitaram, quam quod Angliae et Americae restituere debet. Interim Germanorum gubernii administer primus Stresemannus, apud publicorum legatorum coetum legibus ferendis iterum ius affirmat statim et sine ulla conditione vacuam ab exteris copiis videndi regionem adhuc ab iis pignore occupatam, admetnetque quaestionem de bellicis damnis per se resarcientis tum solum expediri posse, quem oeconomiae Germanici populi res in discrimen non versae fuerint. Hisce asseverationibus fultus, novum ad praefatas nationes libellum mittit, in quo demonstrare conatur, Germaniae nihil ultra esse concedendum, ut a regionibus suis occupantium discessus fiat.

Cum hisce aemulorum sensibus intra paucos dies Societatis Nationum novus

conventus, qui ob hiemalis temporis rigorem Lucani in Helvetia congregabitur, laboribus suis afferet initium.

* * *

In Rumenia.

Ob animorum dissensiones, a Bratianni junioris, quem dictatura insimulabat, gubernandi ratione obortas, « Regentum » consilio, is a munere suo abdicavit, locum cedens Maniu adversario, agricolae factiosis principi, qui publicorum legatorum coetum dimisit, novaque comitia indixit.

* * *

Russici motus.


Ex Russia nunciant agricolarum seditiones, huc illic, in regionibus praesertim ad occidentem versis, erumpentes, easque ita frequentes et amplas, ut in sollicitudine ponant Moscoviticum gubernium, praeside Stalin, qui proutonis accusatur ab ipsis consiliorum in re publica quondam sociis, in quos religio ei non est quominus acerime saeviat.

* * *

Novus Septentrionalis Americae praeses electus.

Magno civium concursu atque non sine magno excitato clamore comitia in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus habita sunt ad novum publicae rei praesidem eligendum. Certaminis victor evasit Herbertus Hoover, ex communis libertatis propugnatorum parte.

POPULICOLA.



VARIA

Lusitanorum ad Indos navigatio.¹

Ab Olisipone praeter Gaditanum freatum in meridiem navigantibus, ad laevam est Mauritania.

¹ Ex MAFFEI historiis.

Inde magno ambitu (Lusitani) curvarunt litora per Autolas, et Ichyophagos populos (ea regio *Guinéa* est) trans cancri tropicum, ad usque Pagelungos aequatore subiectos et Agesymbain, qui antiquis noti orbis est terminus. Hosce uno omnes vocabulo Hesperios Aethiopas, sicuti Eeos, qui oppositam Africæ partem tenent, prisci cognominarunt. Dein, per longissima spatia, obliquo trans aequatorem et capricornum excursu, ora vastam in prominentiam cuneatur. Id Bonae Spēi caput seu promontorium est. Hinc rursus in septentriones longissimo tractu per immanes et obscuri nominis populos Obios et Cafres et Madagascarem insulam reflectitur litus ad nota iam antiquis promontoria Prasum et Aromata; quorum alterum hodie Mossambicum, alterum a Praso quingentis leucis et quinquaginta disiunctum, Guardafui vulgus appellat. Is Africi litoris extrémus in Orientem est limes; inde praeter duos inclytos sinus, Arabicum et Persicum, quibus in modum peninsulae felix Arabia cingitur, rectus in eam regionem traiectus est, quae Indo et Gange duobus clarissimis inclusa fluminibus, India nominatur.

In hac monte e Caucaso ad Cori promontorium, quod Comorini caput incolae vocant, leucas circiter quadringentas perpetuo in Austrum iugo porrecti, circumfuso Oceano ingentes oras efficiunt duas: quarum altera in Occidentem obversa, praenobiles urbes continet, Calecutum, Malabarici regni caput, emporiumque nuper omnium frequentatissimum; itemque Cochinum, Cananorem, Goam, aliasque complures: altera in ortum spectans, a Comorino tractu per Bengalae fines, qua Ganges in Oceanum influit, perque Pegusia, et eius tractus alia ditissima regna (quam terram Ophir ac Tharsis quidam haud sane absurdis conjecturis existimant) desinit in Aream Chersonesum: qua in regione prae-nobile emporium Malaca visitur hodie. A

¹ Cf. fasc. sup.

Cori promontorio ad Siculi freti similitudinem, exiguo admodum spatio avulsa cernitur insula Ceilanum, quam gravis auctor Ioannes Barius Lusitanus multis rationibus Taprobanam olim fuisse contendit. Ab ea obliquus in Auream Chersonesum, et Chersoneso vicinam ingentem insulam Somatram cursus est: quam geographorum vulgus Taprobanam putat. A Somatra porro ad nobilissimas insulas plurimasque, Iavas maiorem et minorem, Borneum, Bandam et Molucas, et Lequios, et Iaponios tenditur. Itemque ad continentem oram Camboiae, Ciampae, Caucinciae, ac Sinarum. Ultra, Lusitanis incompta navigatio est.

Harum autem regionum pleraque, longe alio atque Africa terra, situ ac feracitate, plurimis riguis, et sole ceterisque sideribus mire faventibus, in omnes mortalium usus deliciasque pro sua quaeque natura varias fruges, metalla, odoramenta, plantas, lapillos, medicamina prope ad certamen effundunt.

**

Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

Ova in iure discissa, tritis carduis infusis.

*Cistellulae ex tractis, lucanicis reple-
tae.*

*Cynarae scolymi elixi, oleo immersi.
Capo veru assus; lactuculae.*

*Neapolitana scriblita natalitia, melle
crustulata.*

**

Iocosa.

Tuccio Pater, qui eius in studiis progressum vult experiri:

— Eia, Tucci, ex tribus naturae regnis, cuius est argenteus ille nummus, quo te hoc mane donavi?

Tuccius, post brevem cogitationem:
— Regni Italici!

Tuccius a tonstrina redux sese in speculo aliquantis per contemplatur, deinde, quippe qui aliquid moleste ferat, domo exire iterum pergit.

Cui mater: — Quo nunc contendis?

Tuccius: — Ad tonsorem, hercle! redeo, quo melius capilos decurteret.

— Quid? Si prope rasi sunt!...

— Ita quidem: caudex ille breves nimis eos totondit!

**

Aenigmata.

I

Cum furiunt imbræ prior horret et anxius
[haeret.]

Scinditur at nubes, refracta en lumina solis:
Nunc alter rutilat, nunc en ridere priorem.
Totus rex vixit; moriens est bestia factus;
Nomine mutato, divinos sumpsit honores.

II

*Pars prior aspergit tellurem luce corusca;
Claudit saepe preces altera Christicolum.
Heu! totum restat miseris, Fortuna dolosa
Queis atroce manu cetera cuncta rapit.*

Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1) *Omen-Nemo*; 2) *Po-
pulus*.

Libri dono accepti.

Novissimi poëtae latini Thoma Sorbelli curante collecti: II ALEXANDRI MINGARELLI Grinzanensis, *Prometheus*. — Mutinae, Typis Vincentii et Nep., MCMXXVIII. (Ven. lib. 4).

FRANCESCO PETRARCA. *De ocio Religiosorum.* Prima traduzione italiana a cura di LUIGI VOLPICELLI con una introduzione sul carattere lirico della personalità del Petrarca. — Romae, ed. off. De Alberti, MCMXXVIII (Ven. lib. 10).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

INDEX RERUM VOL. XV

(AN. XV — FASC. I-XII)

PAG.	PAG.
Alloquia sociis et lectoribus. 1, 114, 181	Civilia.
Annales. 34, 51, 71, 88, 105, 122, 140, 158, 179, 194	Anno MCMXXVII occidente (<i>Poplicola</i>) 14
Archæologica.	Colloquia latina.
De Romanorum vestibus (<i>A. S.</i>) 7, 25, 66, 95, 111, 150, 167.	Colloquia varia eademque familiaria latine composita (<i>I. B. Francesia</i>):
De romano coemeterio S. Cyriacæ ad aedem S. Laurentii Martyris extra portam Esquilinam (<i>F. ab Aviliana</i>) 80	Ad Sancti Petri in vinculis 11
De domo Dianaæ in veteri urbe Ostia (<i>A. Aurelij</i>) 129	Per Urbem 31
An florum usus in exsequiis veterum Christianorum fuerit (<i>I. Bonavenia</i>) 165	Ad Campum Veranum 46
De Mihtre cultu in urbe Ostia (<i>A. Aurelij</i>) 183	Ad « Mandrionem », qui est vicus prope Urbem 63
Ars.	De sacra domorum illustratione in Urbe 85
Ad sanam artem fovendam (<i>I. A. C.</i>) 109	Ex dialogis familiaribus Antonii Van Torre; passim retractavit hodiernisque moribus aptavit <i>I. F.</i>
Carmina.	Praeparatio convivii 104
Hiems (<i>P. d. V.</i>) 9	Mensae exstructio 119
De Sacris Natalitiis Festis apud Infideles (<i>Subalpinus</i>) 13	Narratio convivii 139
In annum MCMXXVIII Collegis, Amicis, Solidibus vota (<i>A. Bartoli</i>) 15	Lusus globularum missilium manu 157
Pio Pp. XI, quo die sextum Pontificatus annum feliciter absolvit (<i>A. Bartoli</i>) 19	Lusus pilae 177
Labente anno MCMXXVII - Ineunte anno MCMXXVIII (<i>V. Polydori</i>) 36	Communia vitae.
Italorum alae magistris: Ad Humbertum Nobile; In Franciscum de Pinedo (<i>N. Capo</i>) 45	Salutatoria formulae (<i>J. F.</i>) 33, 47, 68
Die Urbis Natali in memoriam Guidonis Baccelli, Romanarum rerum cultus gravissimi auctoris (<i>N. Capo</i>) 62	De valetudine percontatio (<i>J. F.</i>) 69
Flavius ludimagister (<i>A. Bartoli</i>) 75	Morbi (<i>J. F.</i>) 70, 87, 119, 136, 156
Occasus (<i>I. Morabito</i>) 97	Medicamenta praecipua alphabeticò ordine digesta 175
In Sanctum Hieronymum Emiliani (<i>N. Capo</i>) 114	Epistolare Sociorum commercium.
Catamitus ridiculus (Epigramma) 124	De novis verbis latine redditis (<i>E. Jovè</i>) 30, 82, 172.
In fratrem dulcissimum Remigium morte praeceptum (<i>N. Capo</i>) 132	De novis rebus latinis verbis reddendis (<i>A. Avenarius</i>) 103
Urbs Eucharistica (<i>I. Morabito</i>) 150	
De pugna aerea et de nocturno vigilum certamine carmine senario descriptis (<i>Subalpinus</i>) 159	
Ad aërios nautas italos (<i>V. Genovesi</i>) 169	
Lilia mixta rosis (<i>V. Polydori</i>) 188	

PAG.		PAG.	
Geographia.			
De Podio Victiano (<i>H. Iacobelli</i>)	141	Corsi Donati infelix vitae exitus (Versio ex italicis scriptis <i>N. Machiavelli</i>)	52
De Augusta Taurinorum urbe (<i>P.</i>)	159	De Canuti et Gormi, patris eius, morte (<i>F.B.</i>)	106
Lusitanorum ad Indos navigatio (Ex historiis <i>Maffei</i>)	195	Lusitanae mulieris animi fortitudo (Ex historiis <i>Maffei</i>)	73
Historica.			
De Contardo Ferrinio (<i>I. Biroccini</i>) 3, 27, 42, 60			
Pii XI Pont. Max. commemoratio quinquagesimo recurrente anno ab eius obitu (<i>F. ab Aviliana</i>)	22, 40		
S. Thomae Aquinatis obedientia et devotion erga Summos Pontifices (<i>A. Bacic</i>)	38, 56		
Emmanuel Philibertus Sabaudiae dux (<i>Subalpinus</i>)	78, 93, 112		
Henricus Dominicus Lacordaire (<i>A. V.</i>)	127		
Novo anno appropinquate (<i>X.</i>)	186		
Ad Sancti Ioannis Apostoli ante « Portam Latinam » memoriae (<i>Senior</i>)	189		
Libera a pittaciis responsa (A Secretis).	53, 89		
Libri dono accepti	160, 196		
Litterae et Philologia.			
De latinarum litterarum historia praelectiones (<i>F. Ramorinus</i>):			
X. De dicendi facultate apud priscos Romanos; Iuris Romani lineamenta; Leges Regiae, Leges XII tabularum et iuris-prudentiae initium. 6, 20, 55, 91, 145, 163, 181			
Aurelius Prudentius Clemens poëta (<i>Senior</i>)	39, 58		
De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXVII	96, 131		
De quadam in laicorum hominum institutione nostrae aetatis notabili lacuna (<i>A. Aurelji</i>)	153		
Medicae notae.			
Protrahendae vitae praecpta (<i>Dr. R. S.</i>)	10	Pro iudicibus mensarum elegantibus, escarum ordines (<i>I. F.</i>) 16, 36, 53, 89, 107, 124, 180, 196	
Ad sanitatem tuendam: Aphorismi sive praecpta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta (<i>J. Fam.</i>)	100, 117, 134, 154, 173, 194	Iocosa (<i>I. F.</i>) 16, 36, 53, 72, 89, 107, 124, 160, 180, 196	
De « telepathia » (<i>R. S.</i>)	148	Aenigmata	17, 36, 53, 72, 89, 107, 124, 160, 160, 180, 196
Narratiunculae.			
Caroli VII regis indolentia (Versio ex Itali scriptis <i>P. Segneri</i>)	16	Varia.	
		De Augustae Taurinorum festis (<i>S.</i>)	86
		Terna publica rerum Monstratio Augustae Taurinorum (<i>Fr.</i>)	104, 114, 151, 170
		Conventus nationalis de Evangelio (<i>S.</i>)	116
		Insignis armorum illustratio Augustae Taurinorum (<i>Subalpinus</i>)	132
		Taurinenses Expositiones clauduntur (<i>Fr.</i>)	192

